



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

NYPL RESEARCH LIBRARIES



3 3433 07029803 3



207
Corpus

(Corpus Reform 1.53)

501

.

.

.

.

.

.

.

.

.

Corpus Reformatarum
v. 59

IOANNIS CALVINI
7

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM.

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILLIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XXXI.

BRUNSVIGAE,

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM
(WIEGANDT & APPELHANS).

1887. w

45

23372.



C O R P U S
R E F O R M A T O R U M.

VOLUMEN LIX.

IOANNIS CALVINI
OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILLIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XXXI.

BRUNSVIGÆ,
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM
(WIEGANDT & APPELHANS).

1887. ω

2000

2000

2000

2000

2000

2000

2000

2000

2000

2000

CONTINETUR HOC VOLUME:

COMMENTARII IN LIBRUM PSALMORUM PARS PRIOR: PS. I AD XC.



IOANNIS CALVINI
OPERA EXEGETICA ET HOMILETICA

AD FIDEM

EDITIONUM AUTHENTICARUM

CUM PROLEGOMENIS LITERARIIS

ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET INDICIBUS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS PAULUS LOBSTEIN
THEOLOGI ARGENTORATENSES

VOL. IX.

IO. CALVINI
IN LIBRUM PSALMORUM
COMMENTARIUS.

PROLEGOMENA.

Opus exegeticum in librum Psalmorum, inter caeteras Nostri lucubrationes in Vetus Testamentum longe praestantissimum, diuturnis eius laboribus praeparatum fuerat antequam typis exscriptum in publicum prodierit. Primum iam anno 1552 in coetu academico lectiones publicas super illum auspicatus est, teste Colladono in Vita Calvini, cuius haec sunt verba (Opp. T. XXI. p. 75): *Ceste annee-la il commença à exposer en l'escole les Pseaumes ayant achevé le livre de Genese.* Quamdiu in hac expositione versatus fuerit nescimus tacente autore, cuius relatio nobis solus fons est ex quo talia haurire possumus. Si lectiones suas usque ad finem libri extendit, satis longum tempus in eo excutiendo consumpsisse crediderimus, quum istae lectiones multo minus frequentes tunc fuerint quam hodie apud nos esse solent.

Quidquid sit, integro triennio interposito eundem librum alia methodo explicandum aggressus est, scilicet in coetibus illis qui semel singulis hebdomadibus in templo institui solebant, ubi quidem caeteri quoque verbi divini ministri subinde et ex ordine oratorum sive hermeneutarum vicibus fungebantur, in quibus tamen ipse Calvinus citra dubium primas agebat, et quae ab aliis dicta et proposita erant vel suae subiiciebat censurae, vel suffragio suo approbabat. Sic enim idem Colladonus l. l. pag. 79 ad annum 1555: *Pour les vendredis en la congregation on prit le livre des Pseaumes.*

Iam ipso hoc anno Calvinus de edendo commentario in Psalmos serio cogitasse videtur. Primum huius consilii vestigium deprehendimus in epistola Nic. Gallasii d. d. 16. Iunii 1555 (N. 2230) ubi haec legimus: *Statueram apud te relinquere quae ex tuis lectionibus excepi in Psalmos Davidis. Sed variis subinde negotiis districtus non memini. Nunc vero quod nuper ad spondam lecti in cathedra tua vidissem nonnulla quae olim in eosdem Psalmos scripseras, mihi in mentem venit te manum huic operi adhibere velle. Quamobrem differre nolui quin mea quoque, aut potius quae abs te habeo, ad te mitterem, si cui tibi usui esse aut laborem tuum sublevare possint.*

Vides Calvinum lectiones suas fere ex tempore et libera oratione instituisse, aut fortassis ope aliquot schedarum et adversariorum: ita ut quae olim diligentiores eius auditores raptim calamo exceperant postea ipsi in concinnanda et castiganda uberiore tractatione usui esse potuerint. Opus ipsum, idque ut videtur nondum absolutum, demum vergente anno 1556 typographo traditum fuit et prelo subiectum. Quod efficies ex duabus Ambr. Blaureri epistolis mense Decembri illius anni scriptis, altera die duodecima, altera pridie Kalendas Ianuarias. quae apud nos exstant sub N. 2559 et 2571, et haec referunt: *Si pars aliqua commentariorum tuorum in Psalmos iam forte excusa est, per Christum te obsecro ut per hunc D. Franciscum pharmacopolam nostrum ad me mittatur. Et mox: Quod excusam nunc partem luculentorum ac eruditissimorum commentariorum tuorum in Psalmos mittere non es gravatus, maxima maiorem tibi gratiam habeo. Nam supra quam credere possis in iis delitior. Ubi quod reliquum erit accepero, typographo abunde fecero satis.*

Tardius hoc opus absolutum fuisse, etsi iam ex parte typis descriptum, ex epistola Bezae ad Bullingerum d. d. 27. Martii anni 1557 (Thes. N. 2608) praesumere licet, in qua inter alia haec occurrunt: *Calvinus indignissime, ut nosti, vexatus sese scribendis in Psalmos commentariis solatur, quo in*

PROLEGOMENA.

opere profecto se ipsum superabit. Idem Beza in Vita Calvini (Opp. XXI. 152) satis habet ad hunc annum editionem ipsam libri referre. *Francofurto rediens, inquit, licet afflicta nonnihil valetudine, nihil tamen de quotidianis laboribus remisit, editis anno consequente in omnes Psalmos commentariis longe doctissimis, quibus praefationem vere pretiosam adiunxit.* Paucioribus idem tradit Colladon (ibid. p. 82): *L'an 1557 il mit en lumiere son Commentaire sur les Pseaumes.* Quibus testimoniis facile carere possemus quum ipse typographus librum Idibus Iulii e prelo exiisse ad calcem editionis principis affirmet.

Hic vero, fortassis ipso autore suadente, vel saltem connivente, licentiam imprimendi hunc commentarium neque requisiverat neque obtinuerat. Inde irae Senatus reipublicae, de suis legibus stricte observandis anxie solliciti, et facile suspicionibus in huius generis rebus indulgentis. Ita et Stephanus et Calvinus ipse severe admoniti sunt ne quid tale ultra auderent. Ecce quae habent Commentarii diurni ad diem Martis 27. Iulii 1557 (Annal. Tom. XXI. 670): *Robert Estienne presente une impression d'ung livre des commentayres sur les psaumes de David composez par M. Calvin qui luy avoit ballie de folles en folles pour mettre en impression: donc y le nous presente suyvant le bons advis et vouloir dudit M. Calvin A este arreste qu'on commect aux Srs. de la Maysonneuve et Bernard pour aller trouver ledit Sp. Calvin pour l'advertir de ce ainsi que avoit presente ledit livre sans avoir ouvertement decloyre a quelle fin et que affin que les imprimeurs tiennent ung ordre lung comme l'autre Et biduo post l. l. p. 671: Robert Estienne. Sur ce qu'on avoit donne charge de parler a M. Calvin tochant le livre des Commentaires du Saultier que ledit Robert a imprime sans licence: estant ouye la relation arreste que doresnavant on advertisse ledit Robert de imprimer non sans licence pour observer l'ordre et qu'on face appeller les imprimeurs pour leur remonstrer aussi cela.*

Ultima vice mentio fit huius operis in Thesauro nostro N. 2744. mense Octobri 1557, in epistola ad Utenhovium scripta, quae tamen hic citra damnum praeteriri potest.

Editiones Commentarii in Psalmos, quibus in recognoscendo textu nisi sumus, omnes in nostro ipsorum museo asservantur. Sunt vero hae:

I. In librum Psalmo | rum, Iohannis Caluini commen- | tarius. [*Emblema Stephani forma maxima*] Oliva Roberti Stephani. | M.D.LVII. (fol.)

Quatuor folia liminaria cum titulo et praefatione. Quadraginta quaterniones et unus quinquernio a—z. A—S. Paginae numeratae 645 et septem folia cum indice.

In fine legitur: Excudebat Robertus Stephanus in sua officina anno M.D.LVII. Idibus Iulii.

II. Le Livre des | Pseaumes exposé par Iehan | Caluin. | avec vne table fort ample des | principaux points traittez és Commentaires. [*Emblema*] Imprimé par Conrad Badius. | M.D.LVIII. (fol.)

Octo folia liminaria quorum unum Errata exhibet. Paginae numeratae 912 et sedecim folia cum indice; quae perficiunt quaterniones quinquaginta et novem (a—z. A—Z. Aa—Nn.)

Emblema est officina Badii cum adagio: *Homme mortel (tant que ci bas seras) En ta sueur le pain tu mangeras*. Idem iterum exstat in fine voluminis cum subscriptione: *Achevé d'imprimer par Conrad Badius, l'an M.D.LVIII, dernier iour de fevrier*.

III. Commentaires | de M. Iean Calvin sur le liure des | Pseaumes. | Ceste tradvction est tellement | reueuë, et si fidelement conferee sur le Latin, qu'on la peut iu- | ger estre nouvelle. | Avec vne table fort ample des prin- | cipaux points traittez és Commentaires. [*Emblema Badii ut in praecedenti editione*] Imprimé par Conrad Badius | M.D.LXI. (fol.)

Sex folia liminaria. Praefatio incipit in ipso folio primo verso. Paginae sunt 902 numeratae et undecim folia cum indice, ita adsunt quinquaginta septem quaterniones et unus (s) ternio: (a—z. A—Z. Aa—Mm.

IV. Commentaires | de M. Iean Calvin sur le liure des | Pseaumes. | Ceste tradvction est tellement | reueuë et si fidelement conferee sur le Latin, qu'on la peut iuger | estre nouvelle. | Avec vne table fort ample des prin- | cipaux points traittez és Commentaires. [*Emblema*] Imprimé par Francois Estiene. | M.D.LXIII. (fol.)

Emblema est Oliva Stephanorum, mutato quidem adagio: *Defracti sunt rami ut ego insererer*. Caeterum in omnibus praecedenti simillima, ita ut nisi accuratius inspexeris omnino eandem ipsam tibi hic offerri credere posses solo titulo mutato. Verum revera novum opus est, et quanquam singulae paginae utriusque libri sibi respondent, adeo ut vel ille unus ternio suo loco iterum appareat, saepissime vestigia novi et redintegrati laboris deprehendes.

V. In Librum | Psalmorum, Ioan- | nis Caluini Commentarius. | [*Emblema*] Excudebant Nicolaus Barbirius | et Thomas Courteau | M.D.LXIII (oct.)

Quatuor folia liminaria. Quaterniones quinquaginta octo: (A—Z. Aa—Zz. AAa—MMm.) Paginae numeratae 893. et tredecim folia cum indice. Emblema est duorum virorum qui arborem irrigant (Opp. Calv. III. p. xliii). Editio haec sane habilis, sed caractere nimis exili expressa et minime elegans.

PROLEGOMENA.

VI. Ioannis | Caluini | commentarius | in | librum Psalmorum | . In hac postrema editione, praeter multos locos quos Caluini | manu in ipsius exemplari emendatos bona fide hic reprae- | sentauimus, Hebraeum quoque contextum e regione Lati- | nae interpretationis addidimus. | Cvm indice locv-pletissimo. [*Emblema*] Genevae | apvd Evstathium Vignon | M.D.LXXVIII (fol.)

Emblema anchorae cum serpente. Adagium adscribitur:

Anchora sacra mari iactatos unica Christus

Fundat et est omni tempore sola salus.

Habet quatuor folia liminaria, paginas numeratas 676. (238 et 239 bis) a—z. A—X. et septem folia cum indice.

VII. Ioannis | Calvini | commentarius | in | librum Psalmorum | *caett.* (In omnibus accuratissime praecedentem refert.) Genevae | apvd Ioannem Vignon. | M.DCX. (fol.) Cave tamen hanc eandem credas atque illam quae anno 1578 in eadem officina prodiit curante typographi patre. Pagina quidem paginae respondet in utraque: adsunt tamen innumera novae operae documenta.

VIII. Editionis Amstelodamensis Tomus III.

IX. Ioannis Calvini in librum Psalmorum commentarius. Ad editionem Amstelodamensem accuratissime exscribi curavit A. Tholuck. Berolini, apud Gustavum Eichler M.DCCCXXXVI. Pars I. pagg. XIV et 538. Pars II. pagg. 526. Tomus I. continet duos priores Psalterii libros, Tom II. tres reliquos.

X. Commentaires de Iehan Calvin sur le livre des Pseaumes. Avec une table fort ample des principaux points traittez és Commentaires. Paris, Librairie de Ch. Meyrueis et Compagnie. Rue de Rivoli 174. 1859. Tome premier. IV. 558. Tome second. 593 pp. Secundus incipit a Ps. 69.

Laudantur praeterea duae editiones latinae Genevenses ann. 1572 et 1660 quas tamen nusquam terrarum vidimus et quarum hanc posteriorem mere fictitiam esse facile nobis persuademus.

Textus gallicus presse sequitur latinum exemplar, additis tamen nonnullis annotationibus in margine, quas nos negligere noluimus. Quod ad versionem archetypi biblici attinet, saepius illa quoque margini adscribit interpretationem aliam et variatam, vel etiam explicationem vocabulorum minus usitatorum. Si quid videmus versio gallica archetypi non ex hebraeo fluxit sed ad latini textus tenorem conformata est, et quidem satis serviliter servatum. Ita factum est ut translator gallicus non raro hebraismos a latino interprete mutuaretur, minime vero ex authentico hausisse putandus sit. (ex. gr. Ps. 12, 3; 40, 2; 53, 5; 88, 19 etc.) Variantes, illae de quibus modo diximus, plerumque eum in finem adscriptae sunt ut expunctis latinismis voces et phrases sermoni vernaculo magis accommodatae substituerentur: vide inter alia Ps. 37, 5.20; 13, 3; 32, 8; 46, 7; 139, 14.

Calvini praefationem, quae inter laudatissimas et maxime egregias auctoris paginas censeri et solet et meretur, in utroque sermone edendam esse putavimus.

IOANNES CALVINUS

PIIS ET INGENUIS LECTORIBUS
SALUTEM.

Si tantum utilitatis afferat ecclesiae Dei commentariorum meorum lectio quantum ego ex scriptione fructus percepi, non erit cur me suscepti laboris poeniteat. Tametsi librum Psalmorum in hac tenui nostra schola exposueram ante tres annos, hac opera perfunctus statueram non publicare latius quae apud domesticos familiariter deposueram. Et priusquam enarrationem aggrederer fratrum meorum rogatu dixeram quod verum erat, me ideo supersedere quod fidelissimus ecclesiae doctor Martinus Bucer summa, quam in hoc opere praestitit, eruditione diligentia et fide, id saltem consequutus erat ne tantus esset operae meae usus. Nec vero de Wolphgangi Musculi commentariis, si iam tunc in lucem prodissent, tacere fas fuisset quando et hic sedulitate et industria non parum laudis bonorum iudicio meritus est.

Nondum ad finem operis perveneram dum ecce novis precibus sollicitor, ne meditationes meas, fideliter et dextre, non absque magno labore exceptas, perire sinam. Ego in proposito manere: tantum quod pridem in animo fuerat promittere (ne genti nostrae in libro tam utili deesset adiumentum) me scripturum aliquid gallice. Id dum tentare cogito repente

IEHAN CALVIN

AUX FIDELES ET DEBONNAIRES
LECTEURS, SALUT.

Si la lecture de ces miens Commentaires apporte aussi grand avancement a l'Eglise de Dieu comme i'y ay senti de proufit en mon endroit en les escrivant, ie n'auray point d'occasion de me repentir d'avoir entrepris ce labeur: combien qu'ayant exposé yci en nostre petite eschole le livre des Pseaumes trois ans auparavant, ie pensoye m'estre suffisamment acquitté par ce moyen, et avoye deliberé de ne publier point plus loin ce que i'avoye traité priveement entre ceux avec lesquels ie converse. Et de faict, avant que i'entreprinsse d'exposer ce livre en mes leçons a la requeste de mes freres, i'avoye dit (ce qui estoit vray) que ie m'en deportoye, pour autant que Martin Bucer tresfidele docteur de l'Eglise de Dieu y avoit besongné en tel scavoir, diligence et fidelité, et si bien rencontré, que pour le moins il n'estoit pas si requis que i'y misse la main. Et quant aux Commentaires de Wolphgangus Musculus, si lors ils eussent desia esté mis en lumiere, ie n'eusse pas voulu oublier a en faire mention par mesme moyen, veu que luy aussi, au ingement des gens de bien, a acquis grand' louange en cest endroit par sa diligence et industrie.

Or n'estoy-ie pas encore venu a la fin du livre, que me voyci sollicité par nouvelles prieres, que ie ne permisse point que mes lectures lesquelles certains personnages avoyent recueillies proprement et fidelement, non sans grand labeur, veinssent a estre perdues. De moy, ie persiste en mon propos, promettant seulement ce que de long temps i'avoye eu en fantasie, a sçavoir que i'y escriroye quelque chose en Langue Françoisse, afin que les gens de nostre nation ne fussent desproveus d'aide, pour bien entendre un livre si utile en le lisant. Quand ie veux commencer a y besongner, soudain contre

praeter consilium, instinctu nescio quo, periculum in Psalmo uno feci latinae enarrationis. Iam ubi successus voto respondens spem longe superabat, crevit animus: itaque idem in paucis aliquot tentare incipio. Hoc animadverso familiares, ac si me tenerent obstrictum, audacius stimulare ne in cursu deficerem. Una mihi fuit obtemperandi ratio, quae me initio ad primam experientiam impulerat, ne quando, me repugnante vel inscio, emergerent in publicum quae ex meis sermonibus excepta fuerant. Is certe metus ad opus texendum magis me pertraxit quam tulerit libera voluntas.

Interea tamen in operis progressu certius intelligere coepi quam non supervacua esset lucubratio: ac privato quoque meo exemplo expertus sum, me lectoribus non ita exercitatis commodum fore intelligendis Psalmis adiutorem. Quam varias ac splendoras opes contineat hic thesaurus, verbis assequi difficile est: equidem quidquid dicturus sum dignitate longe inferius fore scio. Sed quia praestat gustum aliquem tantae utilitatis vel tenuem dare lectoribus, quam prorsus de ea tacere: breviter attingere licebit, quod rei magnitudo non patitur plane explicare.

Librum hunc non abs re vocare soleo ἀνατομήν omnium animae partium: quando nulum in se affectum quisquam reperiet cuius in hoc speculo non reluceat imago. Imo omnes hic dolores, tristitias, metus, dubitationes, spes, curas, anxietates, turbulentos denique motus, quibus iactari solent humanae mentes, spiritus sanctus ad vivum repraesentavit. Reliqua scriptura continet quae Deus servis suis mandata iniunxit ad nos perferenda. Hic vero prophetae ipsi cum Deo loquentes, quia interiores omnes sensus retegunt, quemque nostrum vocant aut trahunt ad proprium sui examen, ne quid ex tot infirmitatibus quibus sumus obnoxii, totque vitiis quibus sumus referti, occultum maneat. Rarus et singularis profectus, ubi excussis omnibus latebris cor hypocrisi, deterrima tabe,

ma premiere deliberation il me veint ie ne scay comment en l'esprit de dresser en Latin, seulement comme par maniere d'essay, l'exposition d'un Pseaume. Puis apres quand ie vey que la chose rencontroit selon mon desir beaucoup plus que ie n'avoie esperé, le courage me veint: ainsi ie commence a essayer de faire de mesme en quelque peu d'autres Pseaumes. Ce qu'ayans apperceu mes familiers, comme me tenans par ce moyen obligé, prindrent plus grande hardiesse de me solliciter que ie ne desistasse point. Il y eut une raison qui m'y fait condescendre, laquelle aussi m'avoit dès le commencement incité a faire ce premier essay, ascavoir que ie doutoye que quelque iour contre mon vouloir, ou pour le moins sans mon sceu, ce qu'on avoit recueilli de mes leçons ne veinst a estre mis en lumiere. Certes, ie puis bien dire que plustost ceste crainte m'a tiré a dresser l'ouvrage, que ie n'y ay esto conduit de franche volonte.

Cependant a la poursuite et continuation i'ay cognu plus asseurement comment le labour n'estoit point inutile: et mesme i'ay senti par mon experience propre que i'apporteroye aux gens qui ne sont pas des plus exercez une bonne aide pour entendre les Pseaumes. Au reste il est difficile d'exprimer par parolles les grandes richesses et de diverses sortes qui sont contenues en ce thesor: tant y a que ie scay bien que tout ce que i'en pourray dire n'approchera point de l'excellence de la chose. Mais pource qu'encore vaut il mieus donner aux lecteurs quelque goust, avant plus petit, de la merveilleuse utilité qu'ils en receveront, que du tout n'en dire mot, ie pourray toucher en brief ce que la grandeur de la chose ne permet point de deduire parfaitement.

I'ay accoustumé de nommer ce livre une anatomie de toutes les parties de l'ame, pource qu'il n'y a affection en l'homme laquelle ne soit yci representee comme en un miroir. Mesme, pour mieus dire, le S. Esprit a yci pourtrait au vif toutes les douleurs, tristesses, craintes, doutes, esperances, sollicitudes, perplexitez, voire iusques aux esmotions confuses desquelles les esprits des hommes ont accoustumé d'estre agitez. Le reste de l'Ecriture contient les enseignemens que Dieu a enioints a ses serviteurs de nous annoncer: mais yci les Prophetes, d'autant que parlans a Dieu ils descouvrent toutes les affections interieures, appellent ou plustost tirent un chacun de nous a examiner soy-mesme, afin que rien de tant d'infirmitiez ausquelles nous sommes suiets, et de tant de vices desquels nous sommes pleins, ne demeure caché. C'est certes un excellent et singulier prouffit, quand toutes cachetes descouvertes, le coeur est produit en lumiere bien purgé de ceste meschante infection d'hypocrisie. Brief, si l'invocation de Dieu est un des principaux

abstersum in lucem producitur. Denique si invocatio Dei maximum salutis nostrae praesidium est, quando non aliunde melior ac certior peti eius potest regula quam ex hoc libro: ut quisque in eius intelligentia optime profecerit, bonam coelestis doctrinae partem erit assequutus. *Seria precatio ex necessitatis nostrae sensu primum, deinde ex promissionum fide nascitur. Hic tam ad mala sua sentienda optime expegerient lectores, quam de quaerendis remediis admonebuntur. Atque adeo quidquid ad nos animandos facere potest, ubi orandus est Deus, in hoc libro monstratur. Nec vero tantum occurrunt promissiones: sed inter Dei invitationem et carnis impedimenta, nobis saepe in medio statuitur qui se ad precandum accingit: ut si quando nos exagitent variae dubitationes, luctari discamus, donec liber ad Deum animus assurgat. Neque id modo, sed per haesitationes, metus, trepidationes nitamur tamen ad orandum, donec solatii nos non poeniteat. Sic enim statuendum est, quamvis ianuam precibus nostris praeccludat diffidentia, non esse tamen cedendum, quoties vacillant animi vel inquietudine feruntur, donec ex suis certaminibus victrix emergat fides. Et multis in locis animadvertere licet servos Dei ita fluctuantes inter orandum, ut alternis vicibus fere oppressi palmam arduo conatu obtineant. Illic ab una parte se prodit carnis infirmitas: ab altera vero se exserit vis fidei, si non tam strenua quam optandum foret, parata saltem ad certandum, donec paulatim solidum robur acquirat.*

Quia tamen quae ad rationem rite precandi valent toto opere sparsa reperientur, supervacua repetitione non onerabo lectores, neque etiam morabor eorum progressum. Tantum hoc in transcurso indicare operae pretium fuit, praestari nobis hoc libro, quo nihil magis est optabile, non modo ut familiaris ad Deum pateat accessus, sed ut infirmitates, quas pudor hominibus fateri prohibet, fas as liberum sit coram eo explicare. Iam vero sacrificium lau-

Calvini opera. Vol. XXXI.

appuis de nostre salut, comme ainsi soit qu'on ne peut prendre meilleure ne plus certaine regle d'icelle ailleurs qu'en ce livre, selon qu'un homme aura bien proufité en la cognoissance d'iceluy, il a aussi comprins la plus grand' part de la doctrine celeste. La vraye priere et vive procede premierement d'un sentiment de nostre necessité, puis apres d'une assurance certaine de la promesse. Or est-il ainsi qu'en ce livre les hommes seront fort bien resveilleez à sentir leurs maux, et quant et quant advertis de chercher les remedes. En somme tout ce qui pout servir à nous accourager quand il est question de prier Dieu, nous est enseigné en ce livre. Et non seulement on y voit les promesses, mais souventes-fois entre le conviement de Dieu et les empeschemens de la chair, nous est proposee la personne qui se prepare et efforce à prier, afin que si quelques fois nous nous trouvons agitez de diverses doutes, nous apprenions de resister et combattre, iusqu'à ce que l'esprit estant libre et desveloppé de tous ces empeschemens, s'eslove à Dieu. Et non seulement cela, mais aussi qu'au milieu des esbranlemens, craintes et tremblemens, nous-nous efforcions toutesfois à prier, iusqu'à ce que nous sentions quelque allegement qui nous appaise et contente. Car ia soit que desfiance ferme la porte à nos prieres, scachons toutesfois qu'il n'est pas question de nous laisser surmonter et abbatre toutes fois et quantes que nos coeurs sont vacillans ou agitez d'inquietude, mais faut nous esvertuer iusqu'à ce que la foy viene finalement à sortir hors de ces combats victorieuse. Et de faict, en plusieurs endroits on peut appercevoir les serviteurs de Dieu tellement flottans en faisant leurs prieres, que de deux coups l'un estans quasi accablez ils emportent toutes-fois le pris en s'efforçant à bon escient. Là d'un costé se monstre l'infirmité de la chair, de l'autre aussi se desploye la vertu de la foy, si non tant vaillante et courageuse qu'il seroit à desirer, pour le moins preste à combattre iusques à ce que petit à petit elle viene à avoir une force accomplie.

Toutesfois pource qu'on trouvera en tout le livre par ci par là les choses propres pour enseigner la vraye maniere de bien prier, ie ne m'amuseray point maintenant à traiter les choses qu'il faudra puis apres repeter, de peur d'arrester les lecteurs, et les retarder qu'ils ne passent outre. Seulement i'ay pensé qu'il estoit besoin de monstrer en passant que ce livre nous apporte un bien qui est souhaitable sur tous autres, c'est que non seulement nous avons acces familier à Dieu, mais aussi qu'il nous est permis et libre de desployer devant Dieu nos infirmités, lesquelles nous avons honte de declarer devant les hommes. Au reste, pour offrir deuëment à Dieu le sacrifice de louange, lequel (comme il declare) luy est fort agreable et de tres-bonne odeur,

dum, quod sibi pretiosissimum et suavissimi odoris esse pronunciat Deus, quomodo rite offerre oporteat, hic etiam ad amussim praescribitur. Nusquam magis luculenta tum singularis erga ecclesiam Dei beneficentiae, tum omnium eius operum praeconia leguntur, nusquam tot narrantur liberationes, vel tam splendido ornantur paternae erga nos ipsius providentiae et curae documenta: nusquam denique vel Dei laudandi plenior traditur ratio, vel ad praestandum hoc pietatis officium acrius stimulamur. Ad haec, quamvis praeceptis, quaecunque ad vitam sancte pie iusteque formandam valent, refertus sit liber, praecipue tamen nos ad crucis tolerantiam instituit: quae vera est obedientiae probatio, ubi propriis affectibus valere iussis Deo nos subiicimus, patimurque eius arbitrio vitam nostram ita gubernari, ut quae nobis acerbissimae sunt aerumnae, quia ab ipso profiscuntur, dulcescant. Postremo non generalia solum recitantur bonitatis Dei encomia, quae doceant in ipso solo acquiescendum, ut certum in omni necessitate ab eo auxilium piae mentes expectent: sed gratuita peccatorum remissio, quae sola et Deum nobis placat, et tranquillam cum eo pacem nobis acquirit, sic commendatur, ut nihil prorsus desit ad scientiam aeternae salutis.

Caeterum, si labor a me in his commentariis sumptus lectoribus proderit, sciant mediocri certaminum (quibus me Dominus exercuit) experientia me non mediocriter fuisse adiutum, non modo ut accommodarem ad praesentem usum quidquid licuerat doctrinae colligere: sed ut ad consilium scriptoris cuiusque psalmorum intelligendum familiarior pateret via. Et quum inter eos praecipuus sit David, ut eius querimonias de intestinis ecclesiae malis plenius cognoscerem, mihi non parum profuit, eadem quae ipse deplorat aut similia perpersum esse a domesticis ecclesiae hostibus. Neque enim, quamvis ab eo longissime distem, imo ad multas quibus excelluit virtutes aegre len-

la regle infallible nous en est yci prescrite. Il n'y a livre ou on trouve de plus expresses et magnifiques louanges, tant de la singuliere liberalité de Dieu envers son Eglise, que de toutes ses oeuvres: il n'y a livre auquel soyent recitees tant de delivrances, ni auquel les tesmoignages et experiences de sa providence et sollicitudo paternelle envers nous, soyent si richement exaltez et d'une façon si authentique. Brief, il n'y a livre auquel plus parfaitement nous soit enseignée la maniere de louer Dieu, ou auquel nous soyons plus vivement sollicitez à cest exercice de pieté. D'avantage, il soit que ce livre soit plein de tous enseignemens qui peuvent servir pour reformer nostre vie à toute sainteté, droiture et iustice, principalement toutesfois il nous enseignera et daira à porter la croix, qui est une vraie espreuve de nostre obeissance, ascavoir d'autant que renonçans à nos propres affections, nous-nous soumettons entierement à Dieu, et le laissons tellement nous gouverner et disposer nostre vie, que les miseres qui sont les plus rudes et ameres à nostre nature, nous devienent douces, d'autant qu'elles procedent de luy. Pour le dernier, non seulement nous y trouverons les louanges generales de la bonté de Dieu lesquelles enseignent aux hommes de se reposer en luy seul, et y prendre tout leur contentement, afin que les fideles de tout leur coeur attendent de luy en toutes leurs necessitez un secours asseuré: mais nous trouverons aussi que la remission gratuite des pechez, laquelle seule appaise Dieu envers nous, et nous acquiert tranquillité de conscience devant luy, y est tellement preschee et magnifiée, que nous ne pouvons pas dire que rien y defaille de ce qui concerne la science du salut eternal.

Au reste, si les lecteurs viennent à sentir quelque fruit et proufit du labeur que j'ay prins à escrire ces Commentaires, ie veux bien qu'ils sachent que l'experience que j'ay eue par les combats esquels le Seigneur m'a exercé, encore qu'elle n'ait pas este des plus grandes, m'y a toutesfois grandement servi: non seulement à ce que ie puisse deduire comment il faut pratiquer et mettre en usage toute la doctrine qu'on en pouvoit recueillir, mais aussi à ce que j'eusse plus grande ouverture à comprendre l'intention de chacun de ceux qui ont composé les Pseaumes. Et pource qu'entre tous ceux-la David est le principal, ce qui m'a beaucoup servi pour entendre plus à plein les complaints qu'il fait des afflictions que l'Eglise ha à soustenir au dedans de soy, et par ceux mesmes qui se disent en estre membres, c'est que j'ay souffert les mesmes choses ou semblables des ennemis domestiques de l'Eglise. Car combien que j'ensuyve David de bien loin, et qu'il s'en faille beaucoup que ie soye à comparer à luy: ou pour mieux dire, combien

teque adspirans contrariis vitiis adhuc laborem: si quid tamen mihi cum ipso commune est, conferre piget. Ergo quamvis inter legenda fidei, patientiae, ardoris, zeli, integritatis documenta merito innumeros mihi gemitus dissimilitudo expresserit: magnopere tamen profuit, quasi in speculo cernere tum vocationis meae exordia, tum continuum functionis cursum: ut quidquid praestantissimus ille rex ac propheta pertulit, mihi ad imitationem fuisse propositum certius agnoscerem.

Conditio quidem mea quanto sit inferior, dicere nihil attinet. Verum, sicuti ille a caulibus ovium ad summam imperii dignitatem evectus est, ita me Deus ab obscuris tenuibusque principiis extractum, hoc tam honorifico munere dignatus est, ut evangelii praeco essem ac minister. Theologiae me pater tenellum adhuc puerum destinaverat. Sed quum videret legum scientiam passim augere suos cultores opibus, spes illa repente eum impulit ad mutandum consilium. Ita factum est, ut revocatus a philosophiae studio, ad leges discendas traheretur, quibus tametsi ut patris voluntati obsequeretur fidelem operam impendere conatus sum, Deus tamen arcana providentiae suae fraeno cursum meum alio tandem reflexit.

Ac primo quidem, quum superstitionibus papatus magis pertinaciter addictus essem, quam ut facile esset e tam profundo luto me extrahi, animum meum, qui pro aetate nimis obduruerat, subita conversione ad docilitatem subegit. Itaque aliquo verae pietatis gustu imbutus tanto proficiendi studio exarsi, ut reliqua studia, quamvis non abiicerem, frigidius tamen sectarer. Necdum elapsus erat annus quum omnis purioris doctrinae cupidi ad me novitium adhuc et tironem discendi causa ventitabant. Ego qui natura subrusticus umbram et otium semper amavi, tunc latebras captare: quae adeo concessae non sunt, ut mihi secessus omnes instar publicae scholae essent. Denique dum hoc mihi unum in animo est, ignobile otium

qu'en aspirant lentement et avec grande difficulté à tant de vertus qui ont esté excellentes en luy, ie me sente encores entaché des vices contraires, toutesfois si j'ay quelques choses de commun avec luy, ie suis content de les considerer, et faire quelque comparaison de l'un à l'autre. Ainsi donc, ia soit qu'en lisant les tesmoignages de sa foy, patience, ardeur, zele et integrité, ie me soye souventesfois mis à gemir et soupirer que ie n'en approchoye que de bien loin, toutesfois ç'a esté une chose qui m'a beaucoup servi, de contempler en luy, comme en un miroir, tant les commencemens de ma vocation, que le discours et la continuation de ma charge: à ce que ie reconnusse plus asseurement que tout ce qu'a souffert et soustenu ce Roy et Prophete tant excellent, m'estoit proposé de Dieu pour exemple afin de l'imiter.

Vray est que ma condition est beaucoup moindre et plus basse, et n'est pas besoin que ie m'arreste à le monstrer: mais comme il fut prins d'après les bestes, et eslevé au souverain degré de dignité royale, ainsi Dieu de mes petis et bas commencemens m'a avancé iusqu'à m'appeler à ceste charge tant honorable de ministre et prescheur de l'Evangile. Dès que j'estoye ieune enfant, mon pere m'avoit destiné à la Theologie: mais puis apres, d'autant qu'il consideroit que la science des loix communément enrichit ceux qui la suyvent, ceste esperance luy feit incontinent changer d'avis. Ainsi cela fut cause qu'on me retira de l'estude de Philosophie, et que ie fus mis à apprendre les Loix: ausquelles combien que ie m'efforçasse de m'employer fidelement, pour obeir à mon pere, Dieu toutesfois par sa providence secrete me feit finalement tourner bride d'un autre costé.

Et premierement, comme ainsi soit que ie fusse si obstinément addonné aux superstitions de la Papauté, qu'il estoit bien mal-aisé qu'on me peust tirer de ce borbier si profond, par une conversion subite il domta et rangea à docilité mon coeur, lequel, en esgard à l'aage, estoit par trop endurci en telles choses. Ayant donc receu quelque goust et cognoissance de la vraye pieté, ie fus incontinent enflammé d'un si grand desir de proufiter, qu'encore que ie ne quittasse pas du tout les autres estudes, ie m'y employoye toutesfois plus laschement. Or ie fus tout esbahi que devant que l'an passast, tous ceux qui avoyent quelque desir de la pure doctrine, se rangeoyent à moy pour apprendre, combien que ie ne feisse quasi que commencer moy-mesme. De mon costé, d'autant qu'estant d'un naturel un peu sauvage et honteux, j'ay tousiours aimé requoy et tranquillité, ie commençay à chercher quelque cachete et moyen de me retirer des gens: mais tant s'en faut que ie veinsse à bout de mon desir, qu'au contraire toutes retraictes et lieux à l'escart m'estoyent

colere, Deus ita per varios flexus me circum-
egit, ut nusquam tamen quiescere permetteret,
donec repugnante ingenio in lucem pertractus
sum. Eoque consilio relictâ patria, in Germa-
niam concessi, ut in obscuro aliquo angulo
abditus quiete diu negata fruerer.

Ecce autem quum incognitus Basileae la-
terem, quia multis piis hominibus in Gallia
exustis grave passim apud Germanos odium
ignes illi excitaverant, sparsi sunt eius restin-
guendi causa improbi et mendaces libelli, non
alios tam crudeliter tractari quam Anabaptistas
ac turbulentos homines, qui perversis deliriis
non religionem modo sed totum ordinem poli-
ticum convellerent. Ego hoc ab aulicis artifici-
bus agi videns, non modo ut indigna sangui-
nis innoxii effusio falsâ sanctorum Martyrum
infamia sepeliretur, sed ut posthac per caedes
quaslibet absque ullius misericordia grassari
liceret, silentium meum non posse a perfidia
excusari censui, nisi me pro virili opponerem.
Haec mihi edendae Institutionis causa fuit:
primum ut ab iniusta contumelia vindicarem
fratres meos, quorum mors pretiosa erat in
conspectu Domini: deinde, quum multis mi-
seris eadem instarent supplicia, pro illis dolor
saltem aliquis et sollicitudo exterâs gentes tan-
geret. Neque enim densum hoc et laboriosum
opus, quale nunc exstat, sed breve duntaxat
enchiridion tunc in lucem prodiit, neque in
aliâ finem nisi ut testata esset eorum fides,
quos videbam ab impiis et perfidis adulatoribus
scelerate proscindi.

Porro, an propositum esset mihi famam
aucupari, patuit ex brevi discessu, praesertim
quum nemo illic sciverit me autorem esse.
Quod etiam alibi semper dissimulavi, et in animo
erat idem institutum prosequi, donec Genevae,
non tam consilio vel hortatu, quam formida-
bili Gulielmi Farelli obtestatione retentus sum,
ac si Deus violentam mihi e coelo manum
iniiceret. Quum rectum iter Argentoratum ten-
denti bella clausissent, hac celeriter transire

comme escholes publiques. Brief, cependant que
i'avoye tousiours ce but de vivre en privé sans
estre cognu, Dieu m'a tellement proumené et fait
tournoyer par divers changemens, que toutesfois il
ne m'a iamais laissé de repos en lieu quelconque,
iusques à ce que maugré mon naturel il m'a pro-
duit en lumiere, et fait venir en ieu, comme on dit.
Et de faict, laissant le pays de France ie m'en veins
en Allemagne de propos deliberé, afin que là ie
peusse vivre à requoy en quelque coin incognu,
comme i'avoye tousiours désiré.

Mais voyci, pource que cependant que ie de-
meuroye à Basle, estant là comme caché et cognu
de peu de gens, on brusla en France plusieurs
fideles et saints personnages, et que le bruit en
estant venu aux nations estranges, ces bruslemens
furent trouvez fort mauvais par une grand' partie
des Allemans, tellement qu'ils conceurent un despit
contre les autheurs de telle tyrannie: pour l'appaiser,
on feit courir certains petis livres mal-heureux et
pleins de mensonges, qu'on ne traittoit ainsi cruelle-
ment autres qu'Anabaptistes et gens seditieux, qui
par leurs resveries et fausses opinions renversoyent
non seulement la religion, mais aussi tout ordre
politique. Lors moy voyant que ces prattiqueurs
de Cour par leurs desguisemens taschoyent de faire
non seulement que l'indignité de ceste effusion du
sang innocent demeurast ensevelie par les faux
blasmes et calomnies desquelles ils chargeoyent les
saints Martyrs apres leur mort, mais aussi que par
apres il y eust moyen de proceder à toute extre-
mité de meurtrir les povres fideles, sans que per-
sonne en peust avoir compassion, il me sembla que
sinon que ie m'y opposasse vertueusement, entant
qu'en moy estoit, ie ne pouvoye m'excuser qu'en
me taisant ie ne fusse trouvé lasche et desloyal.
Et ce fut la cause qui m'incita à publier mon In-
stitution de la religion Chrestienne: premierement
afin de respondre à ces meschans blasmes que les
autres semoyent, et en purger mes freres, desquels
la mort estoit precieuse en la presence du Seigneur:
puis apres afin que d'autant que les mesmes cru-
autez pouvoyent bien tost apres estre exercees contre
beaucoup de povres personnes, les nations estranges
fussent pour le moins touchees de quelque compas-
sion et sollicitude pour iceux. Car ie ne mis pas
lors en lumiere le livre tel qu'il est maintenant
copieux et de grand labeur, mais c'estoit seulement
un petit livret contenant sommairement les prin-
cipales matieres: et non à autre intention, sinon
afin qu'on fust adverti quelle foy tenoyent ceux
lesquels ie voyoye que ces meschans et desloyaux
flatteurs diffamoyent vilenement et mal-heureuse-
ment.

Or que ie n'eusse point ce but de me monstrier
et acquerir bruit, ie le donnay bien cognoistre, par

statueram, ut non longior quam unius noctis mora in urbe mihi foret. Paulo ante huius optimi viri et Petri Vireti opera profligatus erat papatus: sed res adhuc incompositae et urbs in pravas et noxias factiones divisa. Unus homo, qui nunc turpi defectione iterum ad papistas rediit, statim fecit ut innotescerem. Hic Farellus (ut incredibili zelo promovendi evangelii flagrabat) statim ad me retinendum obnixè nervos omnes intendit. Et quum privatis et occultis studiis me intelligeret esse deditum, ubi se vidit rogando nihil proficere, usque ad oxsercationem descendit, ut Deus otio meo malediceret, si me a ferendis subsidiis in tanta necessitate subducerem. Quo terrore percussus susceptum iter ita omisi, ut mihi et verecundiae et timiditatis meae conscius obeundo certo muneri fidem meam non obstringerem.

Vix quatuor menses praeterierant, quum nos ab una parte aggressi sunt Anabaptistae, ab altera sceleratus quidam apostata, qui clandestinis quorundam procerum opibus fretus multum negotii facessero nobis poterat. Interea seditiones domesticae, et quidem aliae super alias, mirifico nos iactarunt. Ego, qui natura timido, molli et pusillo animo me esse fateor, inter prima rudimenta hos tam impetuosos fluctus excipere coactus sum: quibus etsi non succubui, me tamen non tanta sustinuit magnanimitas, quin turbulenta eiectione plus quam decebat laetatus sim.

Atque hoc vocationis vinculo solutus et liber statueram privatus quiescere, dum praestantissimus Christi minister Martinus Bucer me iterum simili qua usus fuerat Farellus obsecratione ad novam stationem retraxit. Ionaë itaque exemplo quod proposuerat territus in docendi munere perrexi. Atque etiam, quum semper essem mei similis, celebritatem fugitans, nescio quo modo ad imperiales conventus raptus sum, ubi, vellem nollem, necesse mihi fuit in conspectum multorum prodire. Postea quum

ce qu'incontinent apres ie me retiray de là: ioint mesmement que personne ne sceut là que i'en fusse l'auteur: comme aussi par tout ailleurs ie n'en ay point fait de semblant, et avoye deliberé de continuer de mesme iusqu'à ce que finalement maistre Guillaume Farel me reteint à Geneve, non pas tant par conseil et exhortation, que par une adiuration espovantable, comme si Dieu eust d'enhaut estendu sa main sur moy pour m'arrester. Pource que pour aller à Strasbourg, ou ie vouloye lors me retirer, le plus droit chemin estoit fermé par les guerres, i'avoye deliberé de passer par yci legerement, sans arrester plus d'une nuit en la ville. Or un peu au paravant la Papauté en avoit este chassée par le moyen de ce bon personnage que i'ay nommé, et de maistre Pierre Viret: mais les choses n'estoyent point encore dressées en leur forme, et y avoit des divisions et factions mauvaises et dangereuses entre ceux de la ville. Adoncques un personnage, lequel maintenant s'est vilenement revolté et retourné vers les Papistes, me descouvrit et feit cognoistre aux autres. Sur cela Farel (comme il brusloit d'un merveilleux zele d'avancer l'Evangile) feit incontinent tous ses efforts pour me retenir. Et apres avoir entendu que i'avoye quelques estudes particulieres ausquelles ie me vouloye reserver libre, quand il veit qu'il ne gaignoit rien par prieres, il veint iusqu'à une imprecation, qu'il pleust à Dieu de maudire mon repos et la tranquillité d'estudes que ie cherchoye, si en une si grande nécessité ie me retiroye et refusoye de donner secours et aide. Lequel mot m'espovanta et osbransa tellement, que ie me desistay du voyage que i'avoye entrepris: en sorte toutesfois que sentant ma honte et ma timidité, ie ne vouldus point m'obliger à exercer quelque certaine charge.

Après cela à grand' peine se passerent quatre mois, que d'un costé les Anabaptistes nous veinrent assaillir, et de l'autre un meschant apostat, lequel estant secrettement soustenu et appuyé du credit d'aucuns des principaux, nous pouvoit beaucoup faire de fascherie. Cependant survinrent en la ville seditions les unes sur les autres, qui nous affligèrent et proumenerent d'une façon qui n'estoit point lasche. Ainsi, combien que ie me recognoy estre timide, mol et pusillanime de ma nature, il me falut toutesfois dès les premiers commencemens soustenir ces flots tant impetueux: ausquels ia soit que ie ne succombasse pas, si est-ce que ie ne me trouvay point garni d'une si grande magnanimité, que quand par le moyen de certains troubles on me chassa, ie ne m'en resiouisse plus qu'il ne falloit.

Lors par ce moyen estant en liberté et quitte de ma vocation, i'avoye deliberé de vivre en repos sans prendre aucune charge publique, iusques à ce que l'excellent serviteur de Christ Martin Bucer,

Dominus urbis huius misertus exitiales illas turbas sedasset, ac mirabili sua virtute dissipasset tam scelerata consilia quam sanguinarios conatus, mihi pristinae stationis repetendae praeter animi votum imposita fuit necessitas. Etsi enim maiori curae erat huius ecclesiae salus, quam ut eius causa mortem oppetere recusarem: mihi tamen multos excusationis colores suggerebat mea timiditas, cur non libenter humeros de integro subiicerem oneri tam arduo. Vicit tandem officii religio ac fides, ut gregi a quo avulsus fueram me restituerem: quanto tamen cum moerore quantis lacrymis et quanta anxietate, Dominus mihi optimus testis est, et multi pii homines, qui hac molestia liberatum me optassent, nisi idem metus quo urgebar constrictos simul mecum tenuisset.

Ab eo tempore quam variis certaminibus me exercuerit, et quibus experimentis probaverit, si narrare velim, longa erit historia. Sed ne quid inutili sermone lectoribus fastidii afferam, quod paulo ante attigi, breviter nunc repeto: quum mihi suis vestigiis viam monstraret David, non parum inde solatii me fuisse expertum. Nam sicuti sanctum illum regem continuis bellis fatigarunt Philistini et alii exteri hostes, sed interior perfidorum hominum malitia et improbitas gravius vulneravit: sic ego undique laceratus vix momentum unum vel ab externis, vel ab intestinis pugnis quietum habui. Quum multa saepius molitus sit Satan ad diruendum huius ecclesiae statum, eo usque ventum est, ut ego, qui imbellis sum ac meticulousus, mortiferos conflictus opposito meo corpore frangere coactus fuerim. Totis quinque annis, quum nimia potentia instructi essent perversi homines, et pars etiam plebis eorum illecebris corrupta effraenem licentiam appeteret, pro disciplina tuenda nobis absque intermissione pugnandum fuit. Profanis enim hominibus coelestisque doctrinae contemtoribus susque deque erat ecclesiae ruina, modo quam

usant d'une semblable remontrance et protestation qu'avoit fait Farel au paravant, me rappela à une autre place. Estant doncques espovanté par l'exemple de Ionas, lequel il me proposoit, ie poursuyvi encore en la charge d'enseigner. Et mesme combien que touiours ie continuasse à estre semblable à moi-mesme, c'est à scavoir de ne vouloir point apparostre ou suyvre les grandes assemblees, ie ne scay comment toutesfois on me mena comme par force aux iournees Imperiales, ou bon-gré mal-gré il me falut trouver en la compagnie de beaucoup de gens. Depuis, quand le Seigneur ayant pitié de ceste ville, eut appaisé les esmotions et troubles pernicioeux qui y estoient, et par sa vertu admirable dissipé tant les mal-heureux conseils, que les efforts sanguinaires des perturbateurs de la Republique, contre mon desir et affection la nécessité me fut imposée de retourner à ma premiere charge. Car combien que le salut de ceste Eglise me fust en telle recommandation, que pour icelle ie n'eusse point fait de difficulté d'abandonner ma vie, ma timidité toutesfois me presentoit beaucoup de raisons de m'excuser, pour ne point reprendre derechef sur mes espauls un fardeau si pesant. Mais à la parfin le regard de mon devoir, que ie consideroye avec reverence et conscience, me gaigna, et fait condescendre à retourner vers le troupeau d'avec lequel i'avoie este comme arraché: ce que ie feis avec tristesse, larmes, grande sollicitude et destresse, comme le Seigneur m'en est tres-bon tesmoin, et plusieurs bons personnages, qui m'eussent bien voulu veoir hors de ceste peine, n'eust este que ce que ie craignoye; et qui m'avoit fait consentir, les retenoit aussi et leur fermoit la bouche.

Maintenant si ie vouldoye reciter les divers combats par lesquels le Seigneur m'a exercé depuis ce temps-la, et par quelles espreuves il m'a examiné, ce seroit une longue histoire. Mais afin que ie n'ennuye point de paroles inutiles les lecteurs, il me suffira de reiterer en brief ce que i'ay touché un peu devant, qu'en considerant tout le discours de la vie de David, il me sembloit qu'à chacun pas il me monstroient le chemin, et que cela m'a este un merveilleux soulagement. Car comme ce saint Roy a este fesché de guerres continuelles par les Philistins et autres peuples estranges ses ennemis, mais encore navré plus grièvement au milieu de son peuple par la malice d'aucuns desloyaux et mal-heureux: ainsi ie puis dire quant à moy, que de tous costez i'ay este assailli, tellement qu'à grand' peine ay-ie peu estre en repos un bien peu de temps, que touiours ie n'eusse à soustenir quelque combat, ou de ceux de dehors, ou de ceux de dedans. Satan a souventesfois tasché par ses menees de renverser l'estat de ceste Eglise: mais la chose une fois veint iusques là, que tout foible et craintif que ie suis,

optabant potestatem adepti pro libidine quidvis auderent. Multos etiam inedia et fames, quosdam inexplebilis ambitio, vel turpis quaestus cupiditas agebat in furorem, ut omnia miscendo se potius nobiscum pessundarent quam manerent in ordine. Hoc tam longo temporis tractu vix quidquam ab illis omisum puto quod in Satanae officina fabricari soleat. Nec tandem alius improbis eorum machinationibus potuit esse finis quam in ignominiosa eorum clade, quae etiam triste mihi spectaculum praebuit: nam etsi quolibet supplicio digni erant, salvos tamen et incolumes florere malebam: quod factum esset, nisi sanis consiliis fuissent prorsus immorigeri.

Hoc quinquennii examen, quamvis durum mihi ac molestum fuerit, non levius me excruciat eorum malignitas, qui virulentis calumniis me ac meum ministerium oppugnare non desinunt. Etsi enim bonam partem maledicendi libido excaecat, ut impudentiam suam cum dedecore statim prodat, alios non ita tegit sua versutia, quin ipsi quoque convicti probrose iaceant: ubi tamen centies purgatus quis fuerit a crimine, absque ulla causa repeti, toleratu acerba est indignitas. Quia arcana Dei providentia mundum gubernari assero, insurgunt protervi homines, ac Deum hoc modo fieri peccati autorem causantur. Futilis calumnia, et quae, nisi cupidos auditores nacta esset, facile per se evanesceret, sed multorum animos vel invidia et livor, vel ingratitude, vel pravitatis occupat, ut a nullo quantumvis praepostero atque etiam prodigioso mendacio abhorreant. Alii aeternam Dei praedestinationem, quae reprobos ab electis discernit, contendunt evertere: alii patrociniū liberi arbitrii suscipiunt: mox in eorum partes multos rapit non tam inscitia quam perversum nescio quod studium. Atque has molestias si inferrent professi hostes, ferendum esset. Qui autem sub nomine fraterno delitescunt, nec modo vescuntur sacro Christi pane, sed eum quoque aliis

ie fus neantmoins contraint, pour rompre et apaiser des combats à la mort, de mettre en danger ma vie, et me jeter tout à travers des coups. Puis apres per l'espace de cinq ans, que des meschans garnemens s'estoyent faits par trop grans, et avoyent credit, et que mesme une partie du commun peuple gastee par les allechemens et propos mal-heureux de telles gens, appetoit une licence desbordee, il falut combattre sans cesse pour tenir bon et maintenir la discipline de l'Eglise. Car ces gens profanes et contempteurs de la doctrine celeste ne se soucioient pas si l'Eglise alloit en ruine, pourveu qu'ils peussent parvenir à avoir la puissance qu'ils demandoient, afin de faire du tout à leur plaisir. Il y en avoit aussi plusieurs que la povreté et la faim poursuivait, les autres estoyent poussez d'une ambition insatiable, ou d'avarice et cupidité de gain deshonneste: et tous ceux-la estoyent tellement enragez, qu'ils aimoyent encore mieux se ruiner en nous ruinant, que se tenir quoy en vivant paisiblement et honnestement. Tout ce temps-la qui a este long, ie pense qu'ils n'ont rien omis de tout ce qui se peut forger en la boutique de Satan pour parvenir à leur but. Et à la parfin l'issue de leurs machinations mandites n'a peu estre autre que par un esclandre ignominieux sur leurs testes, lequel aussi m'a este un spectacle ennuyeux et pitoyable. Car combien qu'ils fussent bien dignes de grans tormens, toutesfois ie desiroye tousiours qu'ils peussent prosperer et demeurer à leur aise: ce qui fust advenu, sinon qu'ils eussent este tousiours incorrigibles et rebelles à tous bons advertissemens.

Or ia soit que l'examen de ces cinq ans m'ait este bien fascheux et dur à porter, ie ne sens pas moins de fascherie de la malignité de ceux qui ne cessent d'abbayer contre moy et mon ministere par leurs calomnies envenimees. Car combien qu'une grande partie d'iceux soit tellement aveuglee d'une cupidité de mesdire et detracter, qu'à leur grand deshonneur ils monstrent incontinent leur impudence: les autres, quelques fins et rusez qu'ils soyent, ne se peuvent pas tellement couvrir ou desguiser, qu'ils ne demeurent honteusement convaincus, toutesfois quand un homme se sera purgé cent fois d'un blâme, et qu'on viene recharger sur luy sans cause ni occasion quelconque, c'est une vilenie outrageuse et bien dure à porter. Pource que i' afferme et maintien que le monde est conduit et gouverné par une providence de Dieu secrete, un tas de gens arrogans s'eslevent, gazouillans qu'à ce conte Dieu seroit autheur de peché. C'est une calomnie frivole, et qui d'elle-mesme aiseement s'esvanouiroit, sinon qu'elle rencontrast gens qui ont les aureilles chatouilleuses, et prement plaisir à humer tels propos. Mais il y en a plusieurs desquels les coeurs sont tellement preoccupez d'envie et despit, ou d'ingrati-

ministrant, qui denique pleno ore gloriantur se evangelii esse praecones: eos tam nefaria bella moliri quam detestabile est? Hic vero cum Davide conqueri optimo iure licet: Homo pacis meae, et qui mecum panem edebat, extulit contra me calcaneum, Psal. 41, 10. Item, Psal. 55, 14: Unanimis meus, et collega qui mecum ad templum Dei pergebat, cum quo dulce communicabam consilium, me hostiliter probriis impetivit.

Alii de mois thesauris, alii de immensa potentia frivolos rumores spargunt: ab aliis iactantur meae lautitiae, scilicet qui tenui victu et plebeio vestitu contentus, nec a minimis etiam quibusque plus frugalitatis requirit quam in eo spectatur, is nimium lautus habebitur? Potentiae, cui invident, utinam ipsi essent successores: regnum enim meum mole qua obruor laborum aestimant. Me non esse pecuniosum, si vivus quibusdam non persuadeo, mors tandem ostendet. Me quidem, quia nihil plus quam suppetit appeto, minime pauperem esse fateor. His figmentis quum nullus sit color, plausum tamen apud multos ideo obtinent, quia maior pars hoc unum tegendis suis flagitiis remedium esse confidit, si albis nigra misceantur: atque hoc optimum impunitatis et licentiae compendium fore, si concedat servorum Christi autoritas. Accedunt etiam placentarii scurrae, de quibus conqueritur David, Psal. 35, 16. nec mensarum liguritores solum, sed quicumque potentum gratiam falsis delationibus venantur.

Ad has iniurias vorandas pridem assuetus quamvis prope occalluerim, fieri tamen non potest, ubi crescit protervia, quin amaris interdum punctionibus feriar. Nec satis erat a vicinis ita inhumaniter tractari, nisi a mari etiam glaciali nescio quae intemperiiis hominum

tude, ou d'une malignité, qu'il n'y a mensonge si estrange, voire mesme monstrueux, qu'ils ne le reçoivent si on leur en parle. D'autres taschent de renverser l'éternelle Predestination de Dieu, par laquelle il discerne entre les reprouvés et les élus: les autres veulent maintenir le liberal arbitre. Incontinent aux resveries de ceux-la plusieurs se icctent, non pas tant par ignorance, que par une affection ie ne scay quelle de complaire. Et si c'estoyent les ennemis manifestes qui me feissent ces fascheries, la chose seroit aucunement supportable: mais que ceux qui se cachent couverts du titre de freres, et non seulement mangent le saint pain de Christ, mais mesme l'administrent aux autres: brief, qui à pleine bouche se glorifient d'estre prescheurs de l'Evangile, me font la guerre si mal-heureusement, quelle horreur est-ce? Et à ce propos ie puis bien à bon droict me plaindre à l'exemple de David: L'homme de ma paix, et qui mangeoit le pain avec moy, a levé le talon contre moy. Item: Mon ami familier et mon compagnon, qui marchoit vers le Temple de Dieu avec moy, auquel ie prenoye plaisir de communiquer mon secret, m'a poursuyvi d'iniures en ennemi.

Les autres semont des bruits et font courir propos frivoles de mes thresors: les autres d'une trop grande autorité et puissance infinie qu'ils disent que j'ay: les autres parlent de mes delices et magnificence. Voire, mais quand un homme se contente d'un petit ordinaire et d'habillemens communs, et ne requiert point plus de frugalité des plus petis qu'il ne monstre et pratique luy-mesme, dira-on qu'un tel soit trop somptueux et face du brave? Quant à la grandeur et puissance de laquelle ils me portent envie, ie voudroye bien m'en decharger sur eux: car ils estiment un royaume la multitude d'affaires et le pesant fardeau de travaux qu'il me faut porter. Et s'il y en a à qui ie ne puisse persuader de mon vivant que ie ne soye riche et pecunieux, ma mort le monstrera finalement. Certes d'autant que ie n'appete rien plus que ce que j'ay, ie confesse bien n'estre pas povre. Or combien qu'il n'y ait aucune couleur en tous ces propos controuvez, il se trouve tousiours neantmoins beaucoup de gens qui sont bien aises d'en estre abbruvez, et y applaudissent: et la raison est, que la plus grand' part estime que le seul remede pour couvrir ses meschancetez, est de brouiller tout, et mesler le blanc parmi le noir: et leur semble bien que c'est le souverain moyen et le plus court pour vivre en toute licence et impunité, que l'autorité des serviteurs de Christ viene à decheoir. Outre tous ceux-la il y a aussi les gaudisseurs de table desquels David se complaint: et ie n'enten pas seulement les frians qui cherchent quelque lippee pour farcir leur ventre, mais tous ceux qui par faux rapports cherchent de complaire aux grans.

male feriaturum turmam contra me accenderet. Loquor adhuc de intestinis ecclesiae hostibus, qui evangelium Christi magnifice iactantes, quia crassum de carnali Christi manducatione eorum commentum non amplector, plus quam hostili impetu in me feruntur: de quibus etiam cum David mihi testari licet: Dum pacem quaero, eos ad bellum ruere. Psal. 120, 7. Porro in eo se prodit immanis omnium ingratitudo, quod hominem, cui in defensione causae communis strenue laboranti suppetias ferre debebant, a lateribus et tergo adoriuntur. Certe si vel exiguo humanitatis sensu praediti forent, maxima quaeque odia placare debuerat qui in me effuso impetu fertur papistarum furor.

Sed quando haec Davidis fuit conditio, ut de populo suo bene meritis gratis tamen exosus multis esset, sicuti Psal. 69, 5 queritur: Se solvisse quod non rapuerat: mihi non levi solatio fuit, dum gratuitis eorum odiis impetor, quorum officiis sublevari me decebat, ad tale tamque praeclarum exemplar me formare. Atque etiam ad Psalmos intelligendos non parvo mihi adiumento fuit haec peritia, ne velut in regione incognita peregrinarer. Et agnoscent lectores, nisi fallor, ubi intimos tam Davidis quam aliorum sensus explico, non secus ac de rebus familiariter compertis disserere.

Porro quum fideliter studuerim huius thesauri communem piis omnibus usum facere, etiamsi non adeptus sum quod volebam, non-nihil tamen gratiae meretur hic conatus. Neque tamen aliud postulo nisi ut ex sua quisque utilitate et fructu quem percipiet aequus ac ingenuus sit laboris mei censor. Certe, quod dixi, lectio ipsa clare monstrabit, me ut placerem nequaquam quaesiisse, nisi quatenus prodessem. Itaque non modo simplex docendi ratio ubique a me servata est, sed quo longius

Calvini opera. Vol. XXXI.

Or combien qu'estant de long temps accoustumé à humer telles iniures, i'y soye quasi endurci, il ne se peut toutesfois faire que quand l'insolence de telles gens croist et augmente tousiours, ie ne sente quelques fois en mon coeur quelques pointes, d'amertume. Mais encore ce n'estoit pas assez d'estre traité ainsi inhumainement par mes voisins, sinon qu'en un pays lointain vers la mer glacee le temps se troublast aussi ie ne scay comment par la phrenesie d'aucuns, pour puis apres faire lever contre moy comme une nuee de gens qui sont trop de loisir, et n'ont que faire s'ils ne s'escarmouchent à empêcher ceux qui travaillent à edification. Ie parle encore des ennemis domestiques de l'Eglise, ascavoir de ceux lesquels se vantans bravement de l'Evangile de Christ, se ruent contre moy d'une impetuosité plus grande que ne font pas les adversaires manifestes: et d'iceux ie puis protester à l'exemple de David, que quand ie cherche paix, ils s'esmeuvent à faire guerre. Or l'ingratitude barbare de tous ceux-la se monstre, en ce qu'ils ne font point de difficulté d'assaillir et à costé et par derriere, celuy lequel s'employe fort mesmes à maintenir une cause qu'ils ont commune avec luy, et qui pourtant devoit par eux estre aidé et secouru. Certes s'il y avoit en telles gens une goutte d'humanité, la fureur des Papistes qui se iette contre moy d'une impetuosité desbordee, devoit appaiser toutes les plus grandes haines qu'ils ayent contre moy.

Mais puis que la condition de David a este telle, qu'ayant fait beaucoup de plaisir et prouffit à son peuple, il a toutesfois sans occasion este hay de plusieurs (comme il se complaind qu'il a payé ce qu'il n'avoit point ravi) quand ie me suis veu sans cause estre assailli des haines de ceux lesquels me devoient aider et soulager, ce m'a este une grande consolation de me conformer à l'exemple d'un tel personnage et si excellent. Et mesme ceste cognoissance et experience m'a de beaucoup servi pour entendre les Pseaumes, afin que ie ne m'y trouvasse trop nouveau comme en un pays incognu. Et de fait, les lecteurs (comme ie pense) recognoistront qu'en declarant les affections interieures tant de David que des autres, i'en parle comme de choses desquelles i'ay familiere cognoissance.

Au reste, comme ainsi soit que i'aye mis peine en bonne conscience de communiquer ce thesor à tous fideles, encore que ie n'y aye pas tant fait que i'eusse bien désiré, si est-ce que le devoir que i'en ay fait merite qu'on m'en sache quelque gré. Toutesfois ie ne requier autre chose, sinon que chacun iuge de mon labeur en bonne equité, selon le prouffit et le fruit qu'il en sentira. Tant y a que seulement en lisant ces Commentaires, on pourra veoir à l'oeil que ie n'ay point cherché de plaire, sinon entant qu'il y avoit quant et quant moyen

abesset omnis ostentatio, a refutationibus ut plurimum abstinui, ubi liberior patebat plausibilis iactantiae campus. Neque unquam contrarias sententias attigi, nisi ubi periculum erat ne tacendo dubios ac perplexos relinquerem lectores. Nec me latet quanto suaviores multassint illecebrae, ex multiplici congerie suggerere materiam ambitioni splendoris: sed nihil pluris fuit, quam ecclesiae aedificationi consulere. Faxit Deus, qui mihi hunc animum dedit, ut successus etiam respondeat.

Genevae, X. Calendas Augusti. MDLVII.

de proufiter aux gens. Et pourtant non seulement i'ay observé par tout une simple façon d'enseigner, mais aussi afin de m'eslongner tant plus de toute ostentation, ie me suis abstenu le plus souvent de refuter les autres: qui estoit toutesfois l'endroit ou i'avoye plus belle matiere de me monstrier avec applaudissement de ceux qui pourront lire mon livre. Et si n'ay iamais touché les opinions contraires, sinon là ou il estoit à craindre qu'en m'en taisant ie laissasse les lecteurs en suspens. Cependant ie scay combien plusieurs trouveroyent mieux à leur goust, qu'on feist un amas de beaucoup de matieres, d'autant que cela ha grand lustre, et acquiert bruit à ceux qui le font: mais ie n'ay rien eu en plus grande recommandation, que de regarder à l'edification de l'Eglise. Dieu qui m'a donné ce vouloir, face par sa grace que l'issue en soit telle.

De Geneve ce xxij de Iuillet, M.D.LVII.

PSALMUS I.

ARGUMENTUM. Sive Ezra, sive alius quispiam Psalmos in unum volumen collegit, videtur operis initio Psalmum hunc locasse praefationis instar, quo pios omnes hortaretur ad legis Dei meditationem. Summa autem est, felices esse qui studium suum coelesti sapientiae addicunt: profanis autem Dei contemptoribus, quamvis ad tempus se beatos putent, pessimum tandem exitium instare.

1. *Beatus vir qui non ambulat in consilio impiorum, et in via sceleratorum non insistit, et in cathedra derisorum non sedet: 2. Sed in lege Domini desiderium eius, et in lege eius meditatur die et nocte.*

1. (*Beatus vir.*) Haec (ut nuper attigi) praecipua est sententia, bene semper fore piis Dei cultoribus qui assidue in eius lege proficere student. Quia enim a maiori parte mundi ridetur eorum simplicitas ac si operam luderent, hoc clypeo muniri utile fuit, cunctos mortales sine Dei benedictione miseros esse: Deum vero nullis nisi doctrinae suae studiosis propitium esse. Caeterum, quia semper tanta corruptio in mundo grassata est, ut fere communis vivendi ratio nihil aliud esset quam defectio a lege Dei, antequam propheta felices legis discipulos esse pronunciet, cavendum esse praecipit ne eos abripiat vulgi impietas. Nam a malorum detestatione incipiens fieri non posse admonet, ut cor suum quisquam applicet ad meditationem divinae legis, nisi ab impiorum societate se colligat, ac separet. Utilis certe admonitio, videmus enim quam inconsiderate in Satanae laqueos se omnes proiciant: saltem quam pauci sibi caveant a vitiorum illecebris. Quare ne tam simus improvidi, hoc tenere necesse est, mundum exitialibus corruptelis refertum esse: ut primus ad recte vivendum sit ingressus, renuntiare impiorum consuetudini, quae nos alioqui sua labe inficeret. Quia autem priore loco propheta cavere pios iussit a malis obstaculis, hunc quoque ordinem sequamur. Quod beatos esse affirmat quibus nihil commune est cum impiis, vix communis sensus vel opinio admitteret, nam quum naturaliter

felicitatem omnes appetant, videmus tamen quam secure sibi indulgeant in peccatis: imo ut quisque pro sua libidine a iustitia longissime recessit, quia votorum suorum compos est, beatus censetur. Contra vero hic propheta docet, neminem ad Dei timorem et cultum, legisque studium rite posse animari, donec statuerit, miseros esse omnes impios, et eodem implicitos fore exitio qui non procul ab eorum consortio discesserint. Sed quia res est difficilis, impios quibus permisti sumus ita fugere, ut simus prorsus ab ipsis alieni, propheta ad augendam exhortationis vehementiam, verborum congerie utitur. Ac primo quidem ambulare vetat in eorum consilio: deinde stare in via: postremo in cathedra sedere. Summa quidem est, dandam esse operam servis Dei ut ab illorum moribus in totum abhorreant. Sed quia astute suas fallacias insinuat Satan, ne quis incautus fallatur, ostendit propheta quomodo paulatim a recta via deflectere soleant homines. Neque enim primo statim gradu ad superbum usque Dei contemptum procedunt: sed postquam coeperunt malis consiliis aurem praebere, longius subinde eos Satan abducit, donec in manifestam defectionem ruant. Ideo a *consilio* incipit propheta: quo nomine intelligo pravitatem quae nondum palam se exserit. Deinde nominat *viam*, quae sumitur pro vivendi ratione vel instituto. Tertia ponit *cathedram*: qua voce metaphorice designat conceptam ex continuo vivendi more duritiem. Eodem etiam referri debent tria verba *ambulare, insistere et sedere*. Nam ubi quis sponte post pravas concupiscentias erravit, eum inebriat peccandi consuetudo, ut sui oblitus in malitia obdurescat: quod propheta vocat *in via insistere*. Tandem sequitur desperata obstinatio, quam sessionis metaphora designat. An eadem sit gradatio in vocibus רשעים, חסאים et לצים, viderint alii: mihi quidem non videtur, nisi saltem in postrema. *Derisores* enim dicuntur, qui abiecto omni Dei timore, peccandi licentiam ex fiducia impunitatis arripiunt, et quasi nunquam sit reddenda ratio, secure Dei iudicio illudunt. Quia tamen חסאים vocant Hebraei palam sceleratos, non male iunguntur cum professi

vivendi ratione. Caeterum si prophetae saeculo necesse fuit pios Dei cultores, ut vitam suam recte componerent, ab impiorum consortio retrahi: quo hodie corruptior est mundus, eo magis sollicitè, ut ab eius inquinamento puri servemur, fugienda nobis est noxia omnis societas, quanquam non tantum ab impiis recedere fideles iubet propheta, ne eos inficiat contagio, sed huc usque admonitio se extendit, ne sibi quisque impietatis sit magister: fieri enim potest ut qui nihili labis contraxit ex malis exemplis, malos tamen sponte imitando, eorum sit similis. In secundo versu non simpliciter beatos pronuntiat (ut alibi) qui Deum timent, sed pietatem designat per legis studium: quo docemur non aliter Deum rite coli, nisi quum obeditur verbo eius. Non ergo pro cuiusque arbitrio fingenda religio est, sed ex Dei verbo sumenda est pietatis regula. Quod de lege sola hic loquitur, non perinde accipi debet ac si reliquae scripturae aenullus daretur locus: quin potius quum tota scriptura nihil aliud fuerit quam legis expositio, sub capite ipso comprehenditur corpus. Legem ergo cum suis accessionibus propheta commendat, nec vero aliter staret quod nuper diximus, propositum ei fuisse ad psalmos quoque legendos hortari fideles. Quod autem primo requirit ut *desiderium piorum sit in lege Domini*, ex his verbis discamus, minime Deo probari coactum vel servilem cultum, nec alios esse idoneos legis discipulos, nisi qui hilari animo ad eam accedunt, et quos ita delectat eius doctrina, ut nihil potius ducant vel suavius quam in ea proficere. Ex hoc legis amore fluit assidua eius *meditatio*, quam mox subiicit propheta. Fieri enim non potest quin se libenter in ea exerceant quicumque vero eius amore tanguntur.

3. *Et erit tanquam arbor plantata super rivos aquarum, quae fructum suum dabit tempore suo: et cuius folium non defluet* *), et quidquid faciunt secundum dabitur.

Similitudine illustrat proximam sententiam, et simul confirmat: nam quomodo felices censendi sint qui Deum timent, ostendit: quia scilicet non ad momentum duntaxat fluxa inanisque laetitia fruuntur, sed stabilis sit eorum conditio. Subest autem tacita antithesis inter vigorem arboris in loco irriguo plantatae, et evanidam eius speciem, quae tametsi pulchre viret, tamen propter soli sterilitatem cito arescit. Nam de impiis videmus Psalmo 37, 35, interdum similes esse cedris Libani. Omni enim opum et honorum copia sic affluunt, ut nihil ad praesentem felicitatem desit: sed quantumvis in sublime erecti sint, longoque et lato ramorum suorum

*) ne s'escole point, en marge: ou deschet.

proliciant, quia tamen sub terra nulla est radix neque etiam humor suppetit unde succum trahant, statim evanescit ac perit, vel marescit totus eorum, decor. Sola igitur Dei benedictio est quae nos in prospero statu conservat. Qui ex hac similitudine colligunt, fideles fructus suos tempestive proferre, quia prudenter discernunt quando bene agendum sit: argute, meo iudicio, philosophantur, extra prophetae sensum. Nihil enim aliud voluit quam perpetuo florere Dei filios, semperque irrigari arcana Dei gratia ut quidquid illis accidit, adiumento sit in salutem: quum impios rapiat subita tempestas, vel immodicus calor absumat. Quod autem *fructum proferre* dicit *tempore suo*, hoc verbo iustam maturitatem exprimit: quia impii licet praecoces fructus ostentent, nihil tamen producunt nisi abortivum.

4. *Non sic impii, sed tanquam quisquiliæ quas proicit ventus.*

Poterat impios conferre arbori cito exarescenti, sicuti Ieremias 17, 6, similes myricae in deserto crescenti eos facit. Sed hac similitudine non contentus, longe contemptius eos deiecit: nempe quia non respicit laetam fortunam in qua ad breve tempus exsultant: sed magis expendit quisnam demum eos exitus maneat. Sensus ergo est: Quamvis nunc feliciter habeant impii, mox tamen quisquiliis similes fore: quia ubi Dominus eos ad inopiam redegerit, irae suae flatu huc et illuc dispellet. Porro hac loquendi forma docet nos spiritus sanctus, fidei oculis contemplari quod alioqui incredibile videri posset. Quamvis enim emineat impius instar proceræ arboris, statuere tamen oportet, paleam vel glumam fore simul ac eius altitudinem flatu suo deiicere volet Deus.

5. *Propterea non consistent impii in iudicio, neque scelerati in consilio iustorum.* 6. *Quia novit Iehova viam iustorum, et iter impiorum peribit.*

Quinto versu propheta docet, felices vitae statum in recta conscientia fundatum esse: ideoque non esse mirum si ex felicitate, quam sibi imaginati sunt impii, repente excidant. Subest autem species concessionis: ac si tacite fateretur propheta, impios quidem sibi placere, suosque triumphos agere quamdiu res in mundo misceantur: sicuti latrones in sylvis vel spoliis extra iudicis conspectum lascivunt: sed res non semper ita fore confusas: ubi autem in legitimum ordinem reductae fuerint, suas impiis istis delitibus exensum iri, ut sentiant se ebrios fuisset, dum felices sibi visi sunt. Videmus nunc ut propheta miseros esse impios asserat: quia felicitas interior sit conscientiae bonum. Non negat, antequam cogantur ad examen, prospere illis succedere

omnia: sed felices esse negat, nisi solida eos et firma integritas sustineat, nam ex probatione iustorum vera demum integritas apparet. Porro quamvis Dominus iudicium, quo iustos a reprobis discernit, quotidie exercent, quia tamen id fit ex parte tantum, altius oculos attollere convenit, si cupimus consilium iustorum, cuius hic fit mentio, aspicere. Incipit quidem nunc defluere impiorum prosperitas, quoties sui iudicii signa profert Deus, tunc enim expergefati, velint nolint a coetu iustorum se abdicari agnoscunt. Sed quia non semper hoc, neque in omnibus completur, patienter expectandus est ultimae revelationis dies, quo segregabit Christus agnos ab hoedibus. Quanquam tenendum est, generaliter miseriae addici impios, quia intus sibi male conscii sunt: et quoties reddenda est vitae ratio, tanquam expergefati, somnium fuisse intelligunt, quod sibi visi sunt extra se ipsos felices. Caeterum, quia res videntur fortuito hic versari, nec facile est in confusa permistione agnoscere quod dixerat propheta, ideo nos ad aliud principium revocat, Deum scilicet esse mundi iudicem, unde sequitur, fieri non posse quin rectis et iustis bene sit, impiis autem pessimum exitium impendeat. Quamvis ergo in speciem nihil Dei cultoribus prosit sua integritas, quia tamen proprium Dei munus est ipsos tueri, et eorum salutem consulere, sub eius praesidio felices esse necesse est. Inde vero rursum colligere licet, quia certus est acelerum ultor, quamvis ad tempus dissimulet, tandem perditurum omnes impios. Quare ne fallat nos imaginaria eorum felicitas, in rebus turbatis semper nobis occurrat Dei providentia, cuius est statum mundi ad rectam normam componere.

PSALMUS II.

ARG. Glorietur David regnum suum, quamvis ingenti hostium multitudine et valida potentia oppugnetur, fore tamen perpetuum: quia Dei suffultum est manu et virtute. Addit etiam, invitis hostibus propagatum iri usque ad ultimos terrae fines. Ideoque reges et alios primores hortatur, ut deposita superbia iugum a Deo impositum mansuetis animis suscipiant: quia frustra excutere nitentur. Caeterum hic typus vaticinium continet de futuro Christi regno.

1. *Ut quid tumultuantur gentes et populi fremunt inane?* 2. *Convenerunt reges terrae et principes congregati sunt simul contra Iehovam et contra Christum eius.* 3. *Dirumpamus vincula eorum et proiciamus a nobis iugum ipsorum.*

Scimus quam multi conspiraverint contra Davidem, et conati sint obstare ne regnaret, a quibus sic terreri potuit secundum carnis sensum, ut spem regnandi protinus abiiceret. Nec vero dubium est

quin anxie cum gravissimis tentationibus ei luctandum fuerit. Sed quia sibi probe conscius erat, se nihil temere tentasse, ut ambitio pravaque cupiditas plerosque ad res novas impellit: quin potius certo persuasus esset, se, quum nihil tale appeteret, divinitus creatum esse regem: alta fiducia contra totum mundum sese erexit, quemadmodum his verbis magnifice tam regibus, quam eorum copiis insultat. Fattetur quidem sibi arduum esse certamen, quia non exigua tantum manus, sed integri populi cum regibus in eum conspirent: sed deinde animose iactat, frustra id fieri: quia bellum non cum homine mortali, sed cum Deo ipso suscipiunt. Porro incertum est, loquaturne tantum de hostibus intestinis, an vero querimoniam suam ad ceteros quoque extendat. Et certo quum in eum hostes undique insurrexerint, et postquam turbas in populo composuit, suo etiam ordine infesti fuerint vicini: ego utrosque libenter complector, tam Iudaeos quam Gentes. Durum enim esset sub pluribus gentibus ac populis notari unam gentem: item de multis regibus fieri sermonem, si in unum Saulem respiceret. Adde, quod figurae complemento melius quadrat, diversas hostium species coniungi: quia scimus Christo non modo cum domesticis hostibus, sed etiam cum extraneis fuisse negotium: quia communis fuit ad machinandam eius ruinam totius mundi conspiratio. Et Iudaei quidem in Christum, sicut in Davidem, priores furere coeperunt: deinde alias gentes eadem insania corripuit. Haec summa est, quamlibet robustis praesidiis valeant qui conantur eum evertere, irritos tamen esse eorum tumultus, et vana consilia. Populis motum et fremitum assignans, regibus et proceribus conventum ad ineunda consilia, aptissime loquutus est. Interim significat, ubi diu multumque consultaverint reges, ubi populi effuderint suos impetus, omnes nihil profecturos. Sed notanda est fiducia ratio quod scilicet non temere vel privato motu se ingesserit ad regnandum, sed tantum Dei vocationem sequutus sit. Unde colligit in sua persona Deum impeti: quia fieri non potest quin regni, cuius est auctor, se vindicem ostendat. Nam se titulo Messiae vel Christi insigniens non nisi Dei auspiciis ac mandato se regnare praedicat: quia allata per manum Samuelis unctio eum regem ex privato homine creaverit. Non putabant quidem hostes Davidis se contra Deum ruere, imo hunc sibi esse animum fortiter negassent: non tamen abs re David illis Deum opponit, quasi recta contra eum suos impetus dirigant: quia regnum ab ipso erectum habefactare volentes, caeca ferocia in ipsum incurrunt. Nam si Deo sunt rebelles quicumque potestati ab eo ordinatae resistunt, id longe verius competere debuit in sacrum illud regnum quod singulari privilegio sancitum fuit. Sed iam ad figurae substantiam venire operae pretium est. Quod

enim de Christo vaticinatus fuerit David, hinc certo liquet, quod sciebat regnum suum nonnisi umbratile esse. Atque ut ad Christum referre discamus quaecunque de se olim cecinit David, tenendum est principium istud quod passim in omnibus prophetis occurrit, illum cum posteris non tam sua causa creatum fuisse regem quam ut redemptoris imago foret. Tametsi autem hoc saepius repetendum erit, in praesentia tamen breviter monendi sunt lectores (quia temporale illud regnum velut arrha quaedam veteri populo fuit aeterni regni, quod domum in Christi persona vere stabilitum fuit) quae de se prouuntiat David non violenter vel allegorice ad Christum torqueri, sed vere de eo praedicta esse. Nam si regni naturam expendimus, absurdum foret, omisso fine vel scopo, subsistere in prima umbra. Hiç quidem prophetico spiritu describi Christi regnum, apostoli nobis idonei sunt testes, qui videntes impios contra Christum conspirare hac doctrina se ad precandum armant, Actorum 4, 24. Sed ne quibus cavillis obnoxia sit fides nostra, ex omnibus prophetis palam constat, proprie in Christum competere quae testatus est David de suo regno. Sit igitur hoc fixum, quicumque Christi imperio se non subiiciunt, eos cum Deo bellare. Nam quum Deo placeat nos per filii sui manum regere, frustra profitentur se eius imperium non abnuere qui parere ipsi Christo recusant. Vera enim est sententia, Quisquis non honorat filium, neque patrem honorat qui misit illum, Iohan. 5, 23. Ac nostra magnopere interest, individuum hanc coniunctionem tenere, quod sicuti Dei maiestas in filio unigenito refulsit, nonnisi in eius persona timeri et coli velit pater. Iam ex hoc loco duplex consolatio elici potest, nam quoties mundum tumultuari contingeret, ut Christi regnum turbet vel moretur, si nobis occurrat in memoriam, impleri quod iam olim praedictum est, nulla novitas nos percelleret. Quin etiam quae experti sunt apostoli cum praesentibus exemplis conferre valde proderit. Per se quidem tranquillum esset Christi regnum, unde etiam vera pax mundo exoritur: sed fit hominum vitio et malitia ut nunquam sine turbis emergat. Quare nihil mirum est vel insolitum si tumultuetur mundus, simul ac erigitur Christo solium. Sequitur altera consolatio, quod ubi suas vires in unum contulerint impii, etiamsi immensa sua multitudine opibus et praesidiis confisi, non modo superbas blasphemias despument, sed coelum ipsum furiose impetant: illis tamen insultare tuto possumus, hoc uno verbo freti, quod Deum in coelis lacesunt. Quare dum videmus hostium copia et viribus Christum propo obrui, nobis in mentem veniat bellum ipsos Deo inferre, cui non praevalerunt, ideoque irritum et inane fore quidquid moliri non cessant. Discamus praeterea hanc doctrinam ad totum evangelii cursum extendere. Nam ad

Christi personam non debere restringi, illa quam citavi apostolorum precatio clare testatur.

3. (*Disrumpamus.*) Prosopopoeia est in qua propheta loquentes suos hostes inducit, quo melius impium et sacrilegum eorum consilium exprimat: non quod palam Deo se rebelles esse professi fuerint: (quovis enim potius colore tegebant suam contumaciam, ac ferociter iactabant Deum a parte sua stare) sed quum illis penitus decretum esset per fas aut nefas deiicere ex regio iure Davidem, quidquid ore proferrent, haec tamen eorum fuit consultatio, quomodo possent regnum divinitus ordinatum evertere. Nec vero mihi dubium est quin suum imperium metaphorice *vincula et iugum* in eorum persona appellans, fastum eorum oblique perstringat, nam quasi de servili et pudenda subiectione contemptim loquentes inducit: sicuti videmus omnes Christi hostes non minus indigne ferre si cogantur subesse eius imperio, quam si extrema illis ignominia imponeretur.

4. *Qui habitat in coelis irridebit. Dominus subsannabit eos.* 5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo turbabit eos.* 6. *Ego vero unxi regem meum super Sion montem sanctum meum.*

Postquam et strepitum, consilia et superbiam, apparatus et copias, viresque et conatus hostium retulit David, his omnibus opponit Dei potentiam, quam illis fore contrariam inde colligit, quia eius decretum oppugnant. Quemadmodum autem nuper reges terrae appellans, infirmum et caducum statum notabat: sic nunc rursum Deum nominans coeli habitatorem, hoc elogio extollit eius potentiam: ac si diceret, illaesam et integram manere quidquid homines moliantur. Quantumvis enim sese efferant, nunquam pertingent in coelum usque: imo dum coelum terrae miscere cogitant, saltant quasi locustae, Dominus interea quietus e sublimi spectat vesanos eorum motus. Deo autem risum tribuit ob duas causas: Primum ut sciamus non opus illi esse magnis praesidiis, ut compescat homines impie tumultuantes, quasi res difficilis esset et laboriosa, sed hoc ludendo facturum quoties libuerit. Deinde significat non cessare Deum quamdiu regnum filii sui turbari patitur, quia vel alibi sit occupatus, vel succurrere non possit, vel filii sui honorem negligat: sed consulto differre vindictam in maturum tempus donec illorum furorem ludibrio exposuerit. Teneamus ergo, si non statim manum suam exserat Deus contra impios, suum illi esse tempus ridendi: et quanquam nobis interea flendum sit, haec tamen cogitatio doloris acerbiter mitiget, imo etiam lacrymas abstergat, quod Deus non dissimulat tantum lentus vel debilis: sed quia vult ad tempus quieto contemptu hostium petulantiam frangere.

ac magis idoneus interpres est Paulus, qui Actorum cap. 13. 33. ad illam quem dixi coelestis Christi gloriae demonstrationem nos revocat. Genitus ergo fuisse dicitur, non ut Filius Dei esse, quoad se, inciperet, sed ut talis patefieret mundo. Denique haec genitura non de mutuo Patris et Filii respectu intelligi debet: sed tantum significat, eum qui fuerat ab initio absconditus in arcano Patris sinu, et obscure deinde sub lege adumbratus, ex quo prodiit cum claris insignibus, cognitum fuisse Dei filium: sicuti etiam dicitur Iohan. 1, 14. Conspeximus gloriam eius tanquam unigeniti Filii. Simul tamen memoria tenendum est quod docet Paulus ad Romanos capite 1, versu 4. fuisse declaratum filium in potentia dum resurrexit a mortuis. Ideoque praecipue in diem illum competit quod dicitur. Quidquid sit, solenne et legitimum manifestationis tempus spiritus sanctus hic designat, sicuti infra Psa. 118, 24: Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.

8. (*Postula a me.*) Verum quidem est, rogatum fuisse a Christo Patrem, Ioannis capite decimoseptimo, versu quinto, ut ipsum gloria ornaret, quam apud eum possederat ab initio ante creationem mundi, simplicior tamen sensus est, quod Pater Filio nihil negabit de propagando eius regno in ultimos usque terrae fines. Sed in re nova inducitur Christus sese Patri cum precibus offerens, quo illustrior sit gratuita in hac parte Dei liberalitas, quod filium suum toti mundo praeficere dignatus est. Et si enim quatenus aeternus est sermo Dei, pones eum iure summum imperium et maiestas semper fuit, ut nulla accessione crescere potuerit: tamen exaltatus in carne fuit, in qua induerat servi formam. Quare non est hoc solius deitatis elogium, sed ad totam mediatoris personam extenditur: quia postquam exinanitus fuit Christus, datum illi fuit nomen quod est super omne nomen, ut coram eo floctatur omne genu, Philipp. 2, 9. Quanquam autem scimus Davidem praeclaris victoriis potitum late rognasse, ut multae gentes illi tributariae fuerint, minimo tamen completum in eo fuit quod hic dicitur. Nam si cum aliis monarchiis eius regnum conformis, satis angustis finibus inclusum fuit. Ideo ne frustra atque etiam absurdo vaticinium hoc de immensa regni amplitudine editum fuerit, ad Christum venire necesse est, qui solus mundum sibi subegit, ac suo imperio terras omnes et populos complexus est. Itaque hic, ut pluribus aliis locis, gentium vocatio praedicitur: ne unius tantum gentis rex credatur qui a Deo mittendus est redemptor. Quod autem regnum hoc dissipatum, multis ruinis deforme mutilumque cernimus, ex hominum malitia provenit, quae eos tam felici et optanda subiectione reddit indignos. Caetorum quamvis impediatur hominum ingratitude

ne perfecte floreat regnum Christi, non tamen huius prophetiae effectum abolet: dum Christus dispersas reliquias undique colligit, et in misera vastitate suos retinet sacro fidei vinculo coniunctos: ut non unus duntaxat angulus, sed totus orbis eius imperio subiaceat. Adde etiam quod utcumque ferociant impii, eiusque dominationem repudient: non tamen sua contumacia ius et potestatem ipsius redigunt in nihilum: quo etiam pertinet quod proxime sequitur.

9. *Conteres eos virga ferrea, quasi vas figuli confringes eos.*

Hoc diserte expressum est, ut sciremus potentia instructum esse Christum, qua invitis quoque et reluctantibus imperet. Subindicat enim David non omnes sponte iugum subituros, sed multos fore prae fractos ac rebelles, quos tamen violenter domitos in ordinem coget. Regni quidem, de quo loquitur, species et decor in eo magis refulget, quod voluntarius populus ad diem occurrit ut se morigerum praebet: sed quia maior pars indocili ferocia sese contra attollit, necesse fuit hoc quoque adiungi, talibus obstaculis superiorem fore hunc regem. Atque huius quidem bellicae virtutis speciem exhibere coepit Deus in persona Davidis, a quo scimus hostes quamplurimos armis fuisse victos ac prostratos: sed in Christo plenior constat veritas, qui non gladio vel hasta, sed spiritu oris sui impios ad interitum usque percutit. Mirum tamen videri posset, quum prophetae alibi Christi mansuetudinem, clementiam et facilitatem celebrent, hic rigidum et austerum, plenumque terroris describi. Sed quia severa haec ac formidabilis dominatio nonnisi ad incutiendum hostibus metum posita est, humanitati, quia suos Christus blande et suaviter fovet, minime contraria est. Nam ut se placidis ovibus amabilem pastorem exhibet, ita feras bestias necesse est ac eo durius tractari, ut earum truculentiam vel corrigat, vel compescat. Itaque Psalmo 110, 5. postquam laudata est piorum obedientia, simul potentia armatur Christus, qua reges et exercitus sibi adversos in die irae suae perdat. Et certe utrumque illi apte tribuitur: quia a patre missus est ut pauperes ac miseros salutis nuntio exhilaret, captivos solvat, aegrotos sanet, tristes et afflictos ex mortis tenebris educat in lucem vitae, Ios. 61, 1. Rursum quia multi sua ingratitude eius in se vindictam provocant, ad subigendam eorum duritiam quodammodo novam personam induit. Sed quaeritur quodnam sit ferreum istud sceptrum quod Christo in manum dedit pater ad frangendos hostes. Respondet pro armis omnibus spiritum oris sui ei sufficere, sicuti nuper ex Iesaiā citavi. Ergo ut digitum non moveat Christus, lo-

et angelos emineat. qua de causa etiam dicitur signatus esse a Deo, Ioan. 6. 27, quia peculiaris in eum dignitas collata est, quae ab omnibus creaturis eum eximat. Quod Purum vertunt alii interpretes, durius est ac magis coactum: ego vero nomen Filii libenter retineo, quod superiori sententiae respondet, ubi dictum fuit, Filius meus es, ego hodie genui te. Quod sequitur continuo post, Christi contemptoribus non impune cessurum esse suum fastum, admonet: ac si dixisset: Quia non spernitur Christus absque Patris contumelia, qui eum sua gloria ornavit, tale sacrilegium Pater ipse inultum non sinet. Iam vero ne spe longioris morae frustra se lactent, atque ex praesenti quiete sibi inanes faciant delicias, denuntiat iram eius brevi momento exarsuram. Videmus enim si ad tempus conniveat Deus, et impios toleret, ex illius lenitate crescere ipsis audaciam: quia eius iudicium nisi ex carnis sensu et experientia non concepiunt. Scio particulam כמעט secus a quibusdam exponi nempe simulac ira Dei vel modico exarserit, actum fore de reprobis: sed magis consentaneum est ad tempus referre, ne callum ex suo torpore obducant superbi, atque ex Dei patientia impunitatem sibi promittant. Porro tametsi videtur causae redditio esse, et adverbium quod ponitur, saepius apud Hebraeos causale est: nolui tamen ab interpretatione magis recepta discedere. Placuit tamen reddere per adverbium Quando, quod tam causam quam tempus notat. *Perire de via* quidam exponunt propter viam perversam, vel sceleratam vivendi rationem. Alii resolvunt, ne via vestra pereat, secundum illud Psalm 1, 6: Via impiorum peribit. Mihi magis arridet diversus sensus, quod David fore denuntiet, ut eos intercipiat subitus Dei furor, dum se putabunt adhuc esse in medio stadio. Scimus enim ut Dei contemptores sibi in secunda fortuna blandiri soleant, et quasi in lato campo se iacent. Non abs re igitur minatur Propheta, quum dixerint: Pax et securitas, se procul distare a fine suo putantes, repentino interitu abreptum iri, I. Thess. 5, 3. Clausula Psalmi temperat quod prius de severitate dictum fuit: quia promissione omnibus terrorem inouteret ferrea Christi virga, et igneus Dei furor, nisi addita esset haec consolatio. Postquam ergo de horribili, quod incredulus impendet, iudicio disseruit, nunc proposita gratiae Dei dulcedine, fideles et pios eius cultores ad bene sperandum invitat. Eundem quoque ordinem Paulus tenet, II. Cor. 10, 6. Nam ubi dixit in promptu sibi esse vindictam contra incredulos, continuo post addit, sermonem ad fideles dirigens: Postquam impleta fuerit vestra obedientia. Nunc tenemus prophetarum consilium. Quia enim fideles rigorem, de quo meminit, ad se extendere poterant, asylum spei ipsis aperit, quo confugiant ab ira Dei: quem-

admodum et Ioel 2, 32, postquam impios citavit ad horribile Dei tribunal, consolationem mox subiicit: Quisquis invocaverit nomen Domini, salvum fore. Seorsum enim legenda mihi videtur exclamatio haec, *Beati omnes qui confidunt in eo*. Quamvis autem tam ad Deum quam ad Christum referri possit pronomen, melius tamen, meo iudicio, convenit de Christo intelligi quem prius osculari iusserat.

PSALMUS III.

ARG. David regno pulsus, licet ultima rerum omnium desperatio urgeret, Deum tamen invocatur eiusque promissione se fulcit contra ingentes terrores, hostium ludibria crudelesque impetus, ipsam denique mortem, quae tunc se oculis ingerebat. Tandem sibi totique ecclesiae de felici exitu gratulatur.

1. *Canticum Davidis, quum fugeret a facie Absalom filii sui.*

1. Quam acerbus fuerit Davidis moeror in conspiratione domestica quae ex proprii filii perfidia exorta erat, cuique nostrum ex naturae sensu colligere promptum est. Iam quum hanc cladem sua culpa divinitus illatam sibi esse sciret, ob stuprum alienae uxori oblatum, et fusum innoxium sanguinem, totus concidere potuit et anxietati succumbere, nisi Dei promissione erectus vitam in morte sperasset. Porro quia peccata sua non attingit, sciendum est alteram solum precationum suarum partem hoc Psalmo complexum esse. Quod de adulterio, et scelestae Uriae prodicione poenam Deus sumebat, non dubium est gravibus dirisque animi tormentis initio fuisse constrictum, sed postquam humiliatus coram Deo animum collegit, certus de impetrata venia, Deum a sua parte secure statuit, quem sciebat regni sui semper fore praesidem. De filio autem totaque eius factione conquestus est: quia sciebat eos ad labefactandum Dei decretum impie insurgere. Ita si quando Deus improbis et scelestis hominibus ad nos castigandos tanquam flagellis utatur, causam primo expendere convenit, nihil scilicet nos perpeti, quod non promeriti simus: ut haec meditatio nos ad poenitentiam erudiat. Verum si Deum potius quam nos oppugnant hostes, continuo post succedat haec fiducia, eius praesidio nos fore salvos, cuius gratiam quae nobis promissa est, spernunt illi et conculcant.

2. *Domine, quam multiplicati sunt oppressores mei: multi insurgunt contra me.* 3. *Multi dicunt animae meae: Non est salus ipsi in Deo. Selah.*

Docet sacra historia non modo regia potestate exutum fuisse Davidem, sed ab omnibus fere desertum: ut totidem fere haberet hostes, quot subditos. Quanquam enim profugum comitati sunt pauci quidam fideles amici, non tam eorum custodia, quam deserti latebris tutus evasit. Quare non mirum est, obiecta illa multitudine fuisse territum: quia nihil magis inopinatum accidere potuit, quam tam subita defectio. Sed raræ fidei signum fuit, quod tanto metu percussus, querimoniam suam in Dei sinum deponere ausus est. Et certe hoc unicum sedandis nostris timoribus remedium est, quidquid nos curarum angit, in eum reicere: sicuti vicissim qui se ab eo respici non putant, prostratos iacere necesse est. Deinde hostium suorum superbiam clarius et magis emphatice exprimit, quod sibi insultent tanquam perditio ac desperato. Significat autem inde illis crevisse audaciam, quia a Deo abiectum esse confiderent. Forte etiam hic verbis oblique notatur eorum impietas, quod pro nihilo ducerent Dei auxilium in rege, quem elegerat, servando. Atque hoc secundum magis probabile est: neque enim Absalom Dei favorem sibi pollicitus est, sed præterita eius ratione, victoriam ex suis viribus speravit. David ergo eum et reliquos ita loquentes consulto inducit, ut ostendat immani et barbaro Dei contemptu in furorem animari, ac si susque deque ducerent quod toties mirabiliter ereptus esset ex maximis periculis. Nam etsi impii dum insurgunt ad nos perdendos, non palam eo insolentiae prorumpunt ut Dei favorem negent quidquam nobis profuturum: quia tamen vel fortunæ tribuunt omnia, vel ut quisque viribus pollet, eum statuunt fore victorem, et ideo per fas et nefas intrepide ruunt, quod illis perinde sit Deum habere iratum, vel propitium: hinc constat nihili ab eis aestimari illius gratiam et ludibrio haberi fideles, ac si nihil prodesset, sub Dei manu et custodia esse. Quod vertunt quidam: multi dicunt de anima mea, præsentis loco non quadrat. Nam etsi hoc sensu interdum capitur apud Hebræos, plus tamen aliquid exprimere nunc David voluit, nempe sua præcordia quodammodo transfigi hostium ludibriis. Ergo anima sedem affectuum mihi significat. Atque huic sententiæ ex opposito respondet quod alibi videbimus Ps. 35, 3: Dic animæ meæ, Salus tua ego sum. Docet igitur suo exemplo David, quamvis una voce totus mundus nos ad desperationem impellat, Deum unum potius audiendum esse, ac spem salutis ab eo promissæ semper esse intus fovendam: et quia animas nostras confodere tentant impii, precibus esse confirmandas. De voce *Selah*, non conveniunt inter se Interpretes. Quidam tradunt affirmationis notam esse, tantundemque valere ac *Vere*, aut *Amen*. Alii accipiunt pro sæculo. Sed quia *לחל* attollere significat, probabilis est eorum opinio qui hac voce elevationem

in concentu notari putant. Quanquam simul tenendum est, canendi modulos sententiæ aptatos fuisse, atque ita concentum cum re, vel subiecta materia (ut loquuntur) fuisse coniunctum, sicuti nunc postquam conquestus est David spem suam probrose fuisse derisam, ac si nihil eum iuvaret a Deo protegi, in hac blasphemia insistit, quæ eius animum graviter vulnerabat: sicuti paulo post, ubi sibi subiecit fiduciæ confirmationem, eandem vocem iterum repetet.

4. *Et tu Iehova, clypeus es pro me, gloria mea, et exaltans caput meum.* 5. *Voce mea ad Dominum clamavi et exaudivit me de monte sanctitatis suæ. Selah.*

Copula in particulam adversativam resolvi debet, quia David plenam fiduciæ vocem sacrilegæ hostium proterviæ opponens, quidquid loquantur illi, se nihilominus in Dei verbum recumbere testatur. Porro, certam spem liberationis prius ab eo fuisse conceptam hinc apparet, quod nulla fit castigationis Dei manu inflictæ mentio. Quin potius Dei auxilio fretus animose cum hostibus suis congregitur, qui legitimum regem e solio deiicere volentes, impium et sceleratum bellum gerebant. Denique culpam suam ante confessus, nonnisi præsentem causam expendit. Sic enim Dei servos, ubi ab improbis vexantur, postquam de peccatis suis ingemuerint, et suppliciter confugerint ad Dei misericordiam, ad præsentis causæ intuitum oculos referre decet, ut non dubitent sibi indigne vexatis Deum fore adiutorem. Præsertim ubi per ipsorum molestias Dei veritas oppugnatur, hac fiducia magnifice in sublime efferri decet, minime dubium esse quin Deus promissionum suarum fidem contra perfidos nebulones asserat. Nam alioqui videri posset David hæc sibi falso arrogare, quum se ipsum Dei gloria et auxilio nudasset, verum quia persuasus est non prorsus se excidisse a gratia Dei, quin stet adhuc firma electio: ideo animum resumit ad bene sperandum. Ac primo quidem Deum clypeo comparans, se eius virtute munitum intelligit: hinc etiam colligit eundem esse suam gloriam: quia regiae dignitatis qua ipsum dignatus erat, futurus sit assertor et custos. Hinc fiducia illa, ut capite erecto incedere audeat.

5. (*Voce mea ad Dominum*). Declarat se nunquam ita fractum fuisse rebus adversis, vel impiis ludibriis deiectum, quin sua vota ad Deum converteret. Atque hæc vera fuit fidei eius probatio, quod eam precando exercuit inter ipsas angustias. Nihil enim minus consentaneum, quam fraenum rodendo gemitus nostros a Deo subducere, si eius promissionibus fidem habemus. Neque est in his verbis pleonasmos: sed diserte vocis suæ meminit

David, quo melius exprimeret, utcunque obstrepent impii, se tamen minime obmutuisse quin clare sonaret in ore suo Dei nomen: quod in tam gravi duraque tentatione difficile fuit. Fieri etiam potest ut hanc precationis vocem opponat tumultuosorum clamoribus qui vel fortunam accusant, vel Deo maledicunt, vel sine modestia eiulant: denique confuso impetu profundunt doloris sui intemperiem. Sed mihi hoc praecipue videtur notasse David, inter hostium blasphemias, quibus tentabant fidem eius obruere, se non fuisse elinguem: quin potius vocem ad Deum extulisse, quem impii fingebant ab eo aversum. Addit non frustra se clamasse, ut ad eandem constantiam pios omnes hortetur. Quod dicit *e monte sanctitatis*, vel (quod idem valet) *e monte sancto*, non recte a quibusdam de coelo exponitur. Fateor quidem coelum alibi saepe vocari sanctum Dei palatium: sed hic non dubito quin David respexerit ad arcam foederis, quae iam in monte Sion locata erat. Diserte vero affirmat se illinc fuisse exauditum, licet in desertum fugere coactus esset. Refert enim sacra historia II. Sam. 15, 24, quum Abiathar sacerdos arcam a Levitis portari iussisset, Davidem hoc non fuisse passum. Atque in eo mira enituit sancti viri fides. Quia enim sciebat electum a Domino fuisse illud arcae domicilium, divelli a sacro illo divinae praesentiae symbolo maluit, non secus ac propriis visceribus, quam praeter coeleste decretum aliquid novare. Nunc gloriatur, quamvis privatus esset arcae conspectu, non tamen loci distantia factum esse quin votis suis propinquus esset Deus. Quibus verbis significat se mediam viam tenuisse, ne vel signum visibile contemneret, quod Dominus pro temporis ruditate instituerat: vel superstitiose loco affixus, quidquam de gloria Dei carnale conciperet. Ita non temere voces in aerem evanidas sparsit, ut solent increduli, qui precantur etiam ipsi, sed quo debeant voces suas dirigere, incerti sunt. David autem recta se ad tabernaculum convertit, unde promiserat Deus se propitium fore servis suis. Hinc orandi fiducia, cui non defuit successus. Hodie quum in Christo nobis sit exhibitum quod olim adumbrabant legis figurae, multo familiarior nobis ad Deum accessus patet, modo ne a via scientes ac volentes erremus.

6. *Ego decubui et soporatus sum: et evigilavi, quia Dominus sustentat me.* 7. *Non timebo a myriadibus populi qui undique adversum me posuerunt castra.*

Si retinemus praeteritum in verbis tempus, miram et prope incredibilem animi constantiam David praedicat, quod inter multas mortes tam securus dormierit, acsi extra omne discrimen fuisset.

Et certe quamvis inter saevos curarum fluctus aestuaverit, illos tamen fide sedatos fuisse certum est, ut ipse quantumvis anxius in Deo quiesceret. Ita pii semper ab omni metu emergunt victores, sicuti impios, qui in Deum non recumbunt, etiam in minimis periculis obruit desperatio. Quidam temporis enallagen esse putant, ideoque in tempore futuro reddunt, Iacebo et dormiam: quia mox futuri temporis verbum subiicitur, Dominus sustentabit me. Sed quia continuum actum hic designat, in tribus primis verbis necesse esse non putavi mutare tempus. Sciendum tamen est, securitatem hanc non referri proprie ad tempus afflictionis, vel saltem non restringi: potius enim, meo iudicio, quantum bonum ex fide et precibus adeptus fuerit, David commemorat, nempe pacem et tranquillum animi bene compositi statum. Hoc metaphorice significat, se ordinariis vitae actionibus secure perfunctum esse, dicens: Ego, inquit, in lecto non iacui pervigil et inquietus, sed placide dormivi, quum anxiiis et trepidis non contingat talis dormitio. Sed notemus, Davidem Dei praesidio, non autem suo stupore fuisse ita securum. Nam impios quoque sopitos tenet mentis ebrietas, dum se foedus cum morte pepigisse somniant. At secus David, qui nisi Dei virtute suffultus et ope protectus, quietem non habuit. Proximo versu inaeestimabilem vim eius fiduciae amplificat, quam ex Dei protectione concipiunt pii omnes. Nam ut immensa est Dei potentia, ita statuunt invictam fore contra quoslibet impetus, furores, apparatus, et copias totius mundi. Et sane nisi hunc tribuimus Deo honorem, subinde concident nobis animi. Quare in periculis discamus non metiri humano modo Dei auxilium: sed quidquid obiectum fuerit terroris, ideo despicere, quia frivolum est quidquid adversus Deum moliuntur homines.

8. *Surge Domine, serva me Deus mi: quia percussisti omnes inimicos meos in maxilla, dentes impiorum confregisti:* 9. *Domino est salus, super populum tuum benedictio tua. Selah.*

8. (*Surge Domine*). Quia proximis versibus gloriatus est David de pacato statu, videri posset nunc a Domino petere ut tota vita incolumis maneat: ac si dixisset, Domine quando abs te prostrati sunt hostes mei, hanc gratiam in finem usque prosequere, et continua. Sed quia novum non est ut David in Psalmis permisceat varios affectus, magis probabile videtur, postquam fiduciae suae mentionem inseruit, ad easdem iterum preces redire. Servari igitur petit, quia erat in praesenti discrimine. Quod sequitur de hostibus percussis, bifariam exponi potest: vel ut precando in memoriam revocet superiores victorias, vel ut Dei auxilium expertus et

potitus suo voto gratiarum actionem subiungat, in quam sententiam libenter inclino. Primum igitur refert, se ad Dei opem fugisse in periculis, et salutem ab eo suppliciter precatum. Deinde, ob eam allatam gratias agit: quo testatur liberationem se Deo acceptam ferre.

9. (*Domino est salus.*) Quia לִּי interdum pro מִי accipitur apud Hebraeos, quidam non incommode vertunt, a Domino est salus. Sequutus tamen sum quod simplicius erat, penes Deum salutem constare. Quibus verbis non modo servandi partes et laudem uni Deo vendicat, eius manum omnibus humanis subsidiis tacite opponens: sed ut mille immineant mortes, obstare tamen Deo non posse quo minus ad servandum sufficiat: imo in promptu exserat nullo negotio quam semper apud se habet salutem. In fine Psalmi affirmat David non tam sibi privatim hoc fuisse datum, quam toti populo, ne pessum iret quae in eius regno fundata erat communis ecclesiae salus. Agnoscit ergo David, ideo dissipatam fuisse impiam coniurationem, quia Deo cura erat ecclesiae servandae. Colligimus tamen ex hoc loco, ecclesiam a malis omnibus semper liberatum iri: quia Deus, cui suppetit servandi facultas, ab ea gratiam suam et benedictionem nunquam subducat.

PSALMUS IV.

ARG. Postquam Deum initio precatus est David ut sibi opem ferat, statim sermonem ad hostes convertens, Dei promissione fretus tanquam victor triumphat. Itaque suo exemplo nos docet, quoties res adversae urgent, vel extremae angustiae premunt, meditandas esse promissiones Dei, quibus spes salutis ostenditur ut hoc clypeo obiecto omnes tentationum motus perrumpere liceat.

1. Praefecto in Neginoth canticum Davidis.

1. Quo tempore compositus fuerit hic Psalmus incertum est, nisi quod ex contextu probabilis coniectura elicitur, tunc profugum fuisse et exulem. Ego itaque ad tempus refero, quo eum persequeretur Saul. Et tamen si quis de altera fuga accipere malit ad quam eum compulit coniuratio Absalom, non valde contendam. Sed quia paulo post uno verbo notabit diuturnum sibi fuisse certamen, melius convenit quod priore loco adduxi. Scimus enim quam varie iactatus fuerit antequam emergeret, ex quo infestus illi esse Saul coepit. De vocibus quas hic versus continet, hoc tantum breviter attingam: Quod מִנְצָה nonnulli vertunt, In saeculum, quasi ad ordinariam cansionem editus fuerit Psalmus, tanquam coactum reiicio. Rectius sentiunt alii מִנְצָה vocari, qui prae aliis excellit et

eminet. Sed quia de genere excellentiae et dignitatis non inter omnes convenit, nobis sufficiat hac voce notari praefectum cantorum. Nam victoris nomen mihi non probatur: quia licet praesenti argumento respondeat, aliis tamen locis, ubi repeti videbimus, nullo modo convenit. Neginoth ego a נָגַן deduco, quod significat pulsare: ideoque non dubito instrumentum fuisse musicum. Unde sequitur, Psalmum non modo alta voce, sed adhibitis quoque musicis instrumentis fuisse canendum, quae regebat et moderabatur praefectus ille cuius facta fuit mentio.

2. *Dum clamo, responde mihi, Deus iustitiae meae: in angustia dilatasti mihi, miserere mei, et audi precationem meam.*

His verbis probatur Davidis fides, qui ad extrema redactus, et quidem longa malorum serie fere consumptus, moerori tamen non succubuit: nec fractus fuit animo quin ad Deum liberatorem confugeret. Nam precando testatus est David, sibi omnibus praesidiis nudato spem in Deo fuisse residuam. Porro, *Deum iustitiae suae* appellat, ac si diceret iuris sui vindicem, quod passim omnes eum damnarent, et hostium calumniis perversisque vulgi iudiciis oppressa esset eius innocentia. Idque diligenter notandum est. Nam quum nihil sit acerbius quam nos immerito damnari, et una cum iniusta vi perferre infamiam, id tamen quotidie sanctis accidit, ut scilicet bene agendo male audiant: sicque exerceri expedit, ut aversi ab omnibus mundi illecebris, ab uno Deo toti pendeant. Ergo iustitia pro bona causa capitur, cuius testem Deum constituens David conqueritur homines sibi malevolos esse et iniquos: suoque exemplo nos docet, si quando non appareat coram mundo nostra integritas, non decere tamen nos animis frangi, quia in coelo est vindex noster. Dixerunt profani homines nullum esse virtuti melius theatrum conscientia: atqui haec consolatio longe exsuperat, quod scimus nos in Dei et angelorum conspectu stare, dum iniuste homines nobis insultant. Hac fortitudine praeditum fuisse videmus Paulum I. Corint. 4, 5. Nam quum apud Corinthios multi de eo sparsi essent sinistri rumores, ad Dei tribunal provocat. Eadem fiducia Iesaias 50, 6 et sequentibus, quaecunque in ipsum probra iaciebant hostes, despicit. Quare haec una patientiae nostrae fultura est, si nullus aequitati sit locus in mundo, in Deum respicere, eiusque iudicio esse contentos. Obiicitamen potest quaestio, quum tota hominum puritas merae sint apud Deum sordes, quomodo suam iustitiam in eius conspectum proferre audeant. Quod ad Davidem spectat, facilis est solutio: quia non nisi hostium suorum respectu, de sua iustitia gloriatur,

sibi enim probe conscius erat, nihil se nisi ex Dei vocatione et mandato tentasse: ideoque non temere iuris sui patronum advocat. Hinc colligimus, Davidem, quo alacrius toti mundo Deum opponeret, hoc elogio ipsum ornasse. Quod bis audiri postulat, in eo nobis et doloris vehementia, et precandi ardor exprimitur. Secundo etiam loco ostendit unde impetrandi fiduciam concipiat, nempe ex Dei misericordia. Et certe quoties aliquid petimus, hinc initium facere convenit, ut Dominus pro gratuita sua bonitate miseriis nostris succurrat.

(*Dilatasti mihi.*) Quidam putant Davidem sibi promittere quod nondum erat expertus, et effectum gratiae Dei spe sua antevertere. Atqui, meo iudicio, pristina Dei beneficia potius commemorat, quibus se confirmet in posterum. Sic enim solent fideles revocare in mentem quae ad fidei confirmationem valent. Et multi posthac occurrent similes loci, ubi David quo fidem suam erigat contra terrores et pericula, varias experientias colliget, quibus didicerat semper Deum suis adesse, nec eorum vota unquam frustrari. Est autem metaphorica loquutio, qua significat sibi undique obsessio et clauso patefactum fuisse exitum. *Angustiam*, de qua loquitur, non minus ad animum quam ad rem ipsam puto referri, neque enim ferreus fuit David quin res adversae eum in miseras anxietates coniicerent.

3. *Filii viri, usquequo gloria mea ad ignominiam, diligitis vanitatem, quaeritis mendacium? Selah.*
 4. *At scitote quod selegit Iehova benignum sibi, Iehova exaudiet dum clamavero ad eum.*

3. (*Filii viri.*) Hunc suavissimum Davidi fructum protulit sua precatio, quod collecto animo potuit non modo repellere hostium suorum furorem, sed ultro eos lacerare, ac intrepide despicere quidquid manchinabantur. Quare ut firma nobis constet fiducia, nonnisi iisdem armis instructos in arenam descendere convenit, quoties ab improbis impetitur. Summa autem est, quum Deus suo praesidio Davidem tueri velit, frustra ad eum perdendum eniti cunctos mortales, quantumvis magnas alioqui ad nocendum vires afferant. *Filios* autem non Adam vel hominis, sed *viri* appellans, obitor eorum arrogantiam perstringere videtur. Neque enim quibusdam Hebraeis assentior, qui proceres notari putant. Sed potius ironica est concessio, qua eorum insolentiam subsannat: quia nobiles et cordati sibi esse videbantur, quum tamen caeca duntaxat eos rabies ad nefarios conatus impelleret. In voce *usquequo* damnatur prava eorum obstinatio. Significat enim David non subito tantum aliquo motu fuisse incitatos: sed penitus eorum cordibus infixum fuisse contumax nocendi studium: nisi enim eos recto sensu privasset sua malitia, multis experimentis, quae eos ab in-

cepto desistere cogerent, probaverat Deus se Davidis esse custodem. Quia autem illis propositum erat, probrose deiicere quem in solium regium extulerat Deus: quaerit quousque suam gloriam pergent in dedecus trahere. Notandum autem est quod apud summos et infimos omni genere ignominiae gravatus gloriae tamen sibi divinitus concessae possessionem animose retinet: dubitat quin eam tandem asserat Deus quibuscunque maculis indigne aspersa fuerit.

(*Diligitis vanitatem.*) His verbis partim exprobrat hostibus perversam libidinem qua videbat ipsos impelli, quamvis pium zelum falso praetexerent: partim eorum stultitiam deridet, quos contra Deum pugnando, successum tamen sibi promittant. Et valde emphatica est obiurgatio: nam impii quantumvis crassa malitia in omne scelus ruant, se tamen fallacibus blanditiis deludunt ne quis eos sensus mordeat. Exclamat ergo David, quamvis sponte caecutiant et fucato colore ornent suam iniustitiam nihil eos proficere. Et certe quamvis sibi blandiantur impii, ubi ad serium examen tracti fuerint, semper hoc constabit, ideo ipsos hallucinari, quia ab initio propositum est fallaciter agere. Caeterum ex hoc loco nobis sumendus est invictae constantiae clypeus, quoties prudentia et astu superari nos videbimus ab improbis. Nam quibuscunque machinis nos impetant, si modo erimus nobis bene conscii, stabit Deus a parte nostra, adversus quem non praevalerunt. Polleant ingenio licet, suppetat illis facultas nos laedendi, in promptu sint rationes et subsidia, acute omnia dispiciant: quidquid tamen excident, mendacium erit ac vanitas.

4. (*Scitote quod selegit.*) Confirmatio est superioris sententiae, hanc enim sibi fiduciae causam esse ostendit, quia Deo regni sui autore nititur. Et certe tunc demum licebit secure contra hostes nostros gloriari, si nobis certa erit Dei vocatio. Itaque David minime hic suas vires iactat, vel opea, vel exorcitus, quibus sibi regnum acquisierit: sed quia divinitus electus est, eos sine profectu multa conari significat, quia sensuri sint Deum sibi adversum, cuius potentiae succumbent. Ac primo quidem dicit se a Deo fuisse segregatum: quo significat non hominum arbitrio, vel propria libidine, sed coelesti decreto esse eximium. Nam quum יְהוָה Hebraeis dividere significet, hoc loco ad excellentiam refertur: ac si diceret: vos nullum regem admittitis, nisi vestris suffragiis electum, vel qui vobis adlubescit: atqui hoc proprium Dei munus est, quemcunque voluerit assumere. Per nomen *Benigni*, non dubito quin ius regium sibi ex re ipsa vel effectu asserat, ac si notam vel insigne suae vocationis proferret. Vere enim dictum fuit vetere proverbio: Propriam dotem regum esse clementiam. Deus autem quos honore dignatur, ne sint mortua idola,

pietatis praeposteram confidentiam verae spei loco in nobis foveat.

7. *Multi dicunt: Quis ostendet nobis bonum? attolle super nos lumen vultus tui Iehova.* 8. *Dedisti laetitiam in corde meo plusquam quo tempore frumentum eorum et vinum eorum multiplicata sunt.*

7. (*Multi dicunt.*) Quidam existimant Davidem hic conqueri de crudeli hostium suorum malitia, quod vitam suam cupide appeterent. Ego autem non dubito quin Davidem unicum votum quo ardebat variis desideriis comparet, quibus totus fere mundus huc illuc agitur. Nam quia principium hoc non tenent profani homines, solos demum omni ex parte esse beatos quibus propitius est Deus: deinde, peregrinandum esse in terra, ut spe et patientia contendant ad meliorem vitam, in caducis bonis subsistunt, itaque modo illis prospere sit secundum carnem, non magna Dei cura tanguntur. Quum ergo pecudum more hoc vel illud pro summa felicitate arripiant, merito se ab illis David separat, scopum sibi prorsus contrarium praefigens. Nec vero refello quod quibusdam placet: Davidem conqueri de suis gregalibus, qui quum impares essent ferendis aerumnis, prae taedio et aegritudine gemebant, quietem sibi optantes. Ego tamen latius extendere malo, ut David unico Dei favore contentus, se nihil respicere vel morari testetur quid alii cupiant. Haec autem comparatio non parum amplificat, dum fideles pothabitis bonis praesentibus in Deo acquiescunt, nec quidquam pluris faciunt quam illum sibi propitium sentire. Primum ergo significat David, desipere eos omnes qui sibi optantes laetam fortunam, non incipiunt a Dei gratia: ita enim fieri ut illos vagi errores circumagant. Deinde aliud vitium perstringit, quod crassi et terreni homines, carnis quieti et commodis addicti, in sola eorum fruitione subsistant. Unde etiam fit ut susque deque illis sit Deus, quasi eo non indigeant, dum suppetunt reliqua ex voto. Ipse vero contra, ut aliis omnibus bonis careat, paternum Dei amorem sibi instar omnium esse testatur. Haec igitur summa est: Tametsi cupide praesentibus deliciis vel commodis vulgo inhient homines, ego tamen perfectam felicitatem non alibi quam in Dei gratia statuo. *Lumen vultus Dei* accipit pro serena facie, sicuti rursum videtur obscura nobis et obnubila Dei facies, dum aliquod irae signum ostendit. Pulcra autem metaphora dicitur *attolli* hoc lumen, dum in cordibus nostris refulgens fiduciam et spem generat. Neque enim sufficeret a Deo nos amari, nisi ad nos perveniret amoris sensus: sed corda nostra spiritu suo irradians vero et solido gaudio nos exhilarat. Docet autem hic locus, quamvis affluat rerum omnium copia, miseros tamen esse quibus propositum

non est, in Deo acquiescere. Rursum vero fideles, quamvis inter multas molestias vexentur, hoc uno vere beatos esse, quia illis refulget paterna Dei facies, quae omnes tenebras illuminat, mortemque ipsam vivificat, ut ita dicam.

8. (*Dedisti laetitiam.*) Altera comparatione vim sui affectus melius exprimit atque illustrat, quod scilicet bonum illud quod optaverat adeptus, minime invideat aliorum opulentiae et deliciis, sed praecolare contentus sit sua sorte. Summa est, pluris sibi esse propitium Dei vultum, quam si horrea frumento referta, cellasque vino plenas haberet. Quamquam autem in voce מֵיֶרֶם, variant Interpretes, quia nonnulli vertunt A tempore, ac Davidem intelligunt hostium suorum bonis fuisse laetatum: mihi tamen longe melius congruere videtur alter sensus, quod scilicet se uno Dei favore magis gaudere dicat, quam terrenos homines dum bonis omnibus fruuntur, quorum desiderio ut plurimum ardent. Dixerat enim, rebus prosperis intentos ac deditos Deum non magnopere curare: nunc vero addit, largo vini et frumenti proventu non perinde esse laetos, ut ipse est unico divinae bonitatis sensu. Atque hic versus utilem doctrinam continet, videmus enim ut terreni homines, postquam sprete Dei gratia totos se ingurgitarunt in caducas delicias, adeo non satiari, ut ipsa copia magis eorum cupiditates inflammet: ita fit ut in media saturitate caeca inquietudo mentes eorum sollicitet. Nunquam ergo tranquilla pax et solidum gaudium nobis obtinget, donec affluat Dei favor. Etsi autem fideles sua commoda ipsi quoque expetunt, praepostero tamen ardore ad ea non feruntur, quin patienter sustineant illis privari, mode se Deo curae esse intelligant.

9. *In pace simul dormiam et quiescam: quia tu Iehova seorsum*) in fiducia locasti me.*

Concludit se perinde securum esse ac quietum, quia protegatur Dei manu, ac si omnibus mundi praesidiis vallatus esset. Scimus autem bonum hoc prae aliis esse optabile, nempe vacuum esse omni metu, nec torqueri vel angere ulla cura. Ideo confirmatio est proximae sententiae, quod gaudium de luce paterni Dei amoris conceptum merito aliis omnibus praeferat: quia interior pax animi quaecunque fingi possunt bona exsuperet. Multi locum hunc ita exponunt, quod speret David hostes sibi reconciliatum iri ut cum illis placide dormiat: quia dederat illi Deus, sine molestia et nomine obturbante quiescere. Meo tamen iudicio, hic aptior erit sensus, quod seorsum non minus tranquille aget, quam in magna turba: quoniam ipsum Deus tutetur. Nam in particula, יָדָדִי, subaudio ׀ similitudinis notam.

*) seul, en marge; ou à part.

Nec placet quod לָבָדֹד quidam ad Deum referunt, ita vertentes: Tu solus Domine in fiducia locasti me, quia sublata antithesi inter duo adverbium Simul et Seorsum, vel solitarie, multum gratiae ex sententia decedat. In summa, gloriatur sibi ita sufficere unius Dei tutelam, ut sub ea non minus secure dormiat, licet omnibus humanis custodiis nudatus, quam si multas circum se excubias haberet, vel undique munitus esset multis sodalibus. Itaque eius exemplo discamus hunc honorem Deo tribuere, quoties ab hominibus nihil defensionis apparet, ut sola eius manus instar ingentis exercitus in pace nos contineat.

PSALMUS V.

ARG. David graviter iniusta hostium saevitia oppressus, et plus adhuc malorum metuens, Dei auxilium implorat. Quo autem facilius impetret quod petit, postquam ex precandi ardore magnitudinem doloris sui ostendit primo hostium suorum intolerabilem malitiam profert, quam a Deo relinqui inultam absurdum foret. Deinde fidem et patientiam suam, consolationem etiam inserit, quasi de prospero successu nihil dubitet. Tandem concludit, ubi liberatus fuerit, fructum gratiae piis omnibus fore communem.

1. Praefecto super Nehiloth Canticum David.

Hebraicam vocem quidam: Haereditates, alii: Exercitus vertunt. Priores hanc rationem afferunt suae sententiae, quod David pro salute duodecim tribuum precatus sit. Alteri vero, quia obsessus ab ingenti hominum multitudine, se contulerit ad Dei praesidium, atque ita particula super valebit contra. Sed quia aenigmaticas istas inscriptiones non probo, libenter subscribo eorum sententiae, qui vel instrumentum, vel tonum musicum fuisse docent: de specie autem non admodum laboro.

2. Verba mea ausculta Ichova, intellige sermonem meum. 3. Adverte ad vocem clamoris mei, rex meus, et Deus meus, quia ad te precabor.

Non audeo certo statuere, uniusne solum temporis quas ab hostibus suis iniurias perpassus est, deploret hoc Psalmo David: an vero generaliter de variis persecutionibus queratur, quibus diu vexatus fuit sub Saule. Eum etiam quidam ex Hebraeis ad Absalom usque extendunt, quia per viros dolosos et sanguinarios putant Doeg et Achitophel notari. Mihi tamen magis probabile videtur, quod Saule mortuo tranquillam regni possessionem adeptus foret David, preces quas in suis aerumnis et periculis meditatus fuerat, scriptis mandasse. Iam ut verba tractemus, quod rem unam tribus modis exponit,

Calvini opera. Vol. XXXI.

haec repetitio affectus vehementiam notat, et longam orandi perseverantiam. Nec enim superflua congerie delectatus est, ut abs re profunderet diversos loquendi modos: sed quemadmodum serio ad precandum intentus erat, multiplices suos gemitus praesentavit. Significat ergo nec frigide, nec pauculis tantum verbis orasso, sed prout urgebat vis doloris, se in deflendis apud Deum suis malis fuisse anxium: et quia non statim apparebat exitus, in iisdem querimoniis repetendis fuisse assiduum. Quod autem disertis verbis vota non concipit, species est reticentiae magis emphatica quam si distincte loquutus foret. Nam quid cupiat in corde suo premens, melius ostendit se intimos animi sui sensus coram Deo sic afferre, ut lingua ad loquendum non sufficiat. Vox etiam Clamoris pro clamosa vel sonora voce, ad notandum studii ardorem pertinet. Neque enim clamavit David tanquam ad aures surdi, sed fervor doloris, interiorque anxietas in clamorem erupit. Etsi autem verbum קָוָה (unde nomen קָוָה quo hic usus est propheta) Hebraeis tam clare effari, quam tacite susurrare significat, videtur haec secunda expositio melius praesenti loco congruere. Nam ubi verba sua in genere proposuit David, ea videtur in obscuras querimonias et clamorem partiri. Sub priore autem membro notat confusum strepitum qualis in cantico Ezechiae describitur, ubi vocem articulata impedit dolor: Sicut grus et hirundo garriebam: gemebam instar columbae. Porro si quando vel ignavi sumus ad precandum, vel cito labascunt pii impetus, hinc stimuli ad nos pungendos petendi sunt. Deum quoque vocando regem suum et Deum suum, quia acrius se ad bene sperandum incitavit: discamus haec elogia in similem aptare usum, nempe ut Deum nobis familiarem reddamus. In fine testatur, se non fraenum rodere, ut solent increduli; sed ad Deum gemitus suos dirigere. Nam qui posthabito Deo, vel intus fremunt, vel apud homines querulantur, indigni sunt quos Deus ipse respiciat. Quidam vertunt: Quando ad te precor, sed mihi videtur potius esse causae redditio, in qua Davidi propositum fuit, amicum suum in fiduciam attollere, sumpto hoc generali principio: Quicumque Deum in suis malis invocant, nunquam ab ipso repulsam pati.

4. Ichova mane audias vocem meam: mane disponam tibi et speculabor.

Potest etiam haec sententia in futuro tempore modi indicativi legi. Ego tamen optantis potius esse sentio, quemadmodum reddidi. Postquam enim Deum rogavit ut suis votis annueret, nunc ad festinationem eum sollicitat. Nam etsi non improbo, quod quidam ipsum putant ad matutinas preces

alludere, quae in templo quotidie sacrificiis coniungi solebant ex legis praescripto: non tamen dubito quin longioris morae taedio compulsus, salutem suam accelerari cupiat: ac si dixisset: Simulatque expergiscar, haec prima futura est mea cogitatio. Tu itaque Domine opem qua indigeo, ne longius differas: sed mox respondeas votis meis. *Disponere Deo* tantundem valere interpretor, ac recta se ad eum applicare. Plerique, quasi ecliptica esset loquutio, subaudiunt orationem. Sed potius (meo iudicio) testari voluit David se minime flecti huc vel illuc, ac distrahi, sed hunc ordinem sibi esse statutum ut ad Deum confugiat. Est autem tacita antithesis inter vagos et erroneos eorum discursus qui ad mundi auxilia circumspiciunt, vel pendent ex suis consiliis, et rectum fidei ductum: quo fit ut pii omnes a vanis illecebris retracti, se ad unum Deum convertant. Nam עָרַךְ Hebraeis ordinare vel disponere, interdum comparare vel aptare significat. Optime autem convenit sensus quod profiteatur David se minime distractum iri per flexuosos circuitus, sed recta se ad Deum venturum. *Speculandi* verbo tam spem et patientiam, quam sollicitudinem designat. Nam quum פָּקַד apud Hebraeos tam expectare quam aspicere significet, non dubito quin dicere velit David, postquam suas curas in Dei sinum deposuerit, se suspensio animo quasi in excubiis fore, donec re ipsa pateat fuisse a Deo exauditum. Etsi autem desiderio semper inquietudo aliqua subest: qui tamen speculatur, quam expetit Dei gratiam, patienter eam expectat. Docet itaque hic locus frivolas esse preces, quibus non est spes annexa, quae montes velut in speculam evehat.

5. *Quia non Deus volens impietatem tu: non habitabit tecum malum.* 6. *Non stabunt insani coram oculis tuis: odisti omnes qui iniquitatem perperant.* 7. *Perdes qui loquuntur mendacium: virum sanguinarium et dolosum abominabitur Iehova.*

Hic sibi David ex hostium malitia et pravitate conciliat Dei favorem. Est quidem velut abrupta oratio, ut sancti precando saepe balbutiunt: verum haec balbuties Deo gratior est quam omnes quantumvis nitidae ac splendidae rhetorum figurae. Porro ad hunc scopum tendit David, quum ad summum crudelitatis et perfidiae venerint hostes sui, fieri non posse quin eos mature Deus compescat. Ratiocinatur autem ab ipsius Dei natura, nam quum illi placeat iustitia et rectitudo, inde colligit, de improbis et sceleratis omnibus vindictam sumpturum. Qui enim fieri potest ut impune effugiant eius manum, quandoquidem iudex est mundi? Locus notatu apprimè dignus. Scimus enim quantopere nos consternat effraenis impiorum protervia, nam quia Deus non statim eum cohibet, vel stupemus atto-

niti, vel desperatione concidimus. Atqui David hinc potius fiduciae materiam petit. Nam quo maiore licentia gassantur hostes, eo alacrius Deum vindicem implorat, cuius officium est improbos omnes perdere, quia odio habet omne scelus. Discant ergo pii omnes, quoties illis certamen est cum vi, fraudibus, et iniustitia, ad Deum assurgere, ut se ad certam spem liberationis animent: sicuti etiam eos hortatur Paulus 2. ad Thess. 1. 5. Documentum, inquit, est iudicii eius, quod nunc crucem suffertis: quia iustum est apud Deum rependere iis qui vos affligunt, afflictionem: vobis autem qui affligimini, relaxationem nobiscum. Et certe aliqui non esset mundi iudex, nisi impiis omnibus apud eum merces sua esset reposita. Nunc tenemus huius doctrinae usum: nempe dum improbis lascivientibus, nobis obrepat dubitatio an Deus curam nostri gerat: ut hunc clypeum opponere discamus, Deus, cui odio ac detestationi est omnis iniquitas, istos elabi inultos non sinet: licet vero ad tempus eos ferat, tandem conscendet tribunal, seque vindicem ostendet. Caeterum hinc colligitur etiam universalis doctrina, Deum, quamvis per Satanam et impios operetur, eorumque malitia utatur ad exsequenda sua iudicia, non tamen esse peccati autorem, nec peccatum ei placere: quia semper iustus ei finis propositus est: ut merito eos damnet ac puniat quos arcana sua providentia impellit quo visum est. Versu quinto וְיִי quidam in masculino genere accipiunt pro scelesto homine: sed ego malitiam potius intelligo. Simpliciter enim pronuntiat David, nullum Deo consensus esse cum iniustitia, postea ad homines ipsos descendit, negans *insanos coram eius oculis staturos*. Est autem optima consequentia, Deo exosa est iniquitas: ergo de omnibus iniquis iustam ultionem sumet. Insanos vocat, more scripturae, qui caeca cupiditate ad peccandum ruunt. Nihil enim magis furiosum impiis qui abiecto Dei timore, nocendi libidine feruntur: imo nulla est amentia deterior, quam Dei contemptus, quo fit ut fas omne pervertant homines. Quamvis autem hoc sibi ad consolationem proponat David, simul tamen inde elicitur utilis eruditio ad timorem Dei: nam spiritus Deum scelerum ultorem fore pronuntians, fratrum nobis iniicit, ne spe impunitatis peccemus.

8. *Et ego in multitudine misericordiae tuae ingrediar domum tuam, adorabo in templo sancto tuo in timore tui.*

Copulam adversativo positam esse quidam putant, quasi David se impiis comparans Deum sibi propitium fore praedicet: sed expendant lectores annon magis conveniat illative accipere, hoc modo, Quum impios ferro nequeas Domine, ego igitur manu tua servatus, solennes tibi pro liberatione

accepta gratias in templo tuo agam. Si prior expositio magis placeat, simpliciter suam erga Deum pietatem commendans propheta, se ab eorum ordine disiungit, de quibus loquutus est. Sed videtur circumstantia loci poscere ut Deo gratiarum actionem promittat: nam quia hostes suos nuper Deo exosos esse dixerat, nunc concepta salutis fiducia, se ad gratitudinem invitat. Veniam, inquit, ad templum *in multitudine misericordiae tuae*: ac si diceret, quamvis nunc fere perditus videri queat, se tamen Dei gratia salvum fore et incolumem. Docet itaque hic locus, quum nos urgent extremae tentationes, statuendam esse Dei gratiam ante oculos, ut inter summa quaeque discrimina bene speremus. Ad haec quia caro gratiam Dei vel maligne extenuat vel aestimat vulgari modo, discamus ingentem eius magnitudinem efferre, quae sufficiat vincendis terroribus. Quanquam autem consilium Davidis fuit, sibi certam salutem polliceri ex Dei misericordia: simul tamen ostendit, ubi fuerit servatus, gratum se et memorem fore. Iam quia hypocritae gratias agendo nihil aliud quam nomen Dei profanant, ut sunt impuri et polluti: ideo se asserit venturum cum *Dei timore*, ut sincero et integro corde eum adoret. Caeterum hinc colligere licet generalem doctrinam, donec suae bonitatis gustum Deus nobis praebuerit, accessum nobis ad eum non pateri nec quemquam rite orare, nisi qui gratiam eius expertus, sibi propitium fore statuit ac persuasus est. Adiungitur tamen Dei timor, qui rectam piamque fiduciam a carnis securitate discernat.

9. *Iehova deduc me in iustitia tua propter adversarios meos: dirige coram facie mea viam tuam.*
 10. *Quia non est in ore eorum rectitudo: intimum eorum pravitates, sepulcrum patens guttur eorum, linguas suis dolose agunt.* 11. *Fac eos errare Deus, cadant a consiliis suis, in multitudine scelerum suorum disperde eos quia rebelles fuerunt tibi.*

9. (*Iehova deduc me.*) Quidam ita exponunt: Ostende mihi quid rectum sit, et fac ut totus iustitiae tuae addictus sim, idque propter adversarios, quia periculum est ne sancti malis et fraudulentis impiorum artibus impuls, a recta via declinent. Pia quidem et utilis sententia est: sed altera expositio aptior, ut Deus servum suum per medias hostium insidias salvum deducat: et quum videbitur undique captus et constrictus, exitum ei patefaciat. Dei ergo iustitia hoc loco (sicuti plurimis aliis) pro fide et clementia eius capitur, quam in tutandis fidelibus ostendit. Ideoque praepositio In tantundem valet ac Pro, vel secundum. David enim Deum sibi itineris ducem esse optans, ex eius iustitia spem impetrandi sibi facit ac si dixisset, Domine, quia iustus es, auxilio tuo me protegas, ut pravos

hostium machinationes evadam. Idem sibi vult posterius membrum, ubi postulat *viam Dei coram facie sua dirigi*. Hoc est divinitus se eximi ab angustiis, quibus sic inclusus erat, ut secundum carnem nunquam se exiturum putaret. Sic autem fatetur se vitandis hostium insidiis parem non esse, nisi et prudentiam suppeditet Deus, et viam per invia aperiatur. Idem et nos eius exemplo facere convenit: ut nobis diffusi, quum nos consilium deficiet, aut invalescet hostium improbitas, ad Deum properemus, in cuius manu sunt exitus mortis, ut alibi videbimus.

10. (*Quia non est in ore eorum.*) Easdem querimonias denuo repetit, quo maiore odio suos adversarios apud Deum gravet: in se vero provocet ipsius Dei misericordiam, qui iniuste oppressis opem se laturum promisit. Atque hoc notandum est, quo crudelius in nos saeviunt hostes, vel magis scelerate nos vexant, eo maiore fiducia gemitus nostros in coelum esse tollendos: quia Deus non patietur ad extremum usque grassari eorum furorem: malitiam quoque et perversos astus in lucem protrahet. Primo loco accusat eos perfidiae, quod nihil rectum aut sincerum loquantur: causam assignat, quod intus referti sint iniquitate. Postea comparat eos sepulcris, ac si diceret, voracissimos esse gurgites: quo notatur inexplibilis fundendi sanguinis cupiditas. Tandem eorum fallacias iterum recenset: unde colligimus, non mediocribus iniuriis fuisse tentatum: sed illi certamen fuisse cum hostibus deterrimis, quibus nulla erat vel humanitas vel moderatio: tam misere oppressus, non modo continuat suas preces, sed ex statu confuso et desperato materiam sperandi petit. Quod autem paulus, Rom. 3, 13, locum hunc citans, ad totum genus humanum extendit, non facit praeter mentem spiritus: nam quum axioma istud pro confesso sumat, sub Davidis persona nobis describi ecclesiam tam in Christo capite quam in membris: sequitur, in hostium numero censi debere quicumque non regeniti sunt Dei spiritu, sive exteri sint, sive domestici. Neque enim David hoc loco vel Assyrios vel Aegyptios ad Dei tribunal vocat: sed Iudaeos degeneres, qui in carne circumcisi, se ex sancta Abrahae progenie esse gloriabantur. Non ergo detorquet Paulus haec verba a genuino sensu, ea ad cunctos mortales accomodans: sed proprie asserit, ostensum fuisse a Davide quales natura sint.

11. (*Fac eos errare.*) Quia *שׁוּׁא* Hebraeis, tam excindere vel perdere quam peccare, significat, et metaphorice pro Errare vel hallucinari capitur, uterque sensus praesenti loco apte quadrat: sed quia continuo post subiicit David, *cadant a suis consiliis*, non dubito quin hoc primum votum secundo affine sit ac simile. Duo itaque haec simul coniungo, tanquam causam et effectum, ut Deus

mente privatos in errorem impellat: deinde ut eos sua consilia frustrentur, unde enim fit ut impii frustra consultant, inconsiderate etiam ac sine iudicio ferantur, et turpiter impingant, nisi quia Dominus in astutia eos deprehendit? Intercipit eorum vafritiem, spiritu soporis et vertiginis eos inebriat, ut desipiant in rebus minimis. Ergo si nobis timeamus ab insidiis et fraudibus hominum, et qui nobis nocere cupiunt videmus sagaces et acutos esse: redeat nobis in memoriam haec sententia, perpetuum esse Dei munus, stupore et amentia eos percutere qui ad peccandum sapiunt. Sic fiet ut nobis dormientibus quamvis astutas eorum machinationes Dominus flatu suo dissipet, ac tandem prostituat eos ludibrio. In summa, optat David manum Dei iniici suis hostibus, ac prohiberi a pravis suis deliberationibus. Et certe necesse est, quum Satan, fraudum omnium artifex, omnes nocendi modos impiis suggerat, quae callide excogitant, divinitus in nihilum redigi. Cadere a consiliis, intelligit, non assequi neque efficere quod statuerant. Poenam deinde illis imprecatur quam meriti sunt: quia dum homini innoxio inique et scelestae fuerunt infesti, Deo quoque *rebelles fuerunt*. Hoc quidem minime cogitant superbi, tanti esse miseros homunciones, ut laedatur Deus in ipsorum persona: neque enim ictus suos magis in coelum putant vibrari, quam si pulverem aut lutum pedibus calcarent. Atqui hanc inaeestimabilem mercedem suis cultoribus Deus rependit, quod in se recipit ipsorum causam. Quisquis ergo sibi recte conscius erit, nec ab integritate deflexerit, indigne vexatus, non est quod dubitet Deum instar clypei hostibus suis obiiicere.

12. *Et laetentur omnes sperantes in te, in aeternum exsultent: et protege eos, et oblectentur in te diligentes nomen tuum.* 13. *Quia tu benedices iusto Iehova, benevolentia quasi scuto circumdabis eos.*

12. (*Et laetentur omnes.*) Sive in futuro tempore, sive in modo optandi logantur haec verba, non ita multum ad sensum interest, utroque enim modo fixum manebit quod voluit propheta: nempe si Dei manu liberetur, fructum huius gratiae piis omnibus fore communem: ac si dixisset, Domine, si mihi opem tuleris, non in me solo residebit tuum beneficium, sed patebit ad omnes tuos cultores: quia sic fiet ut magis confirmetur eorum fides, nomenque tuum celebrent. Ergo ut facilius liberationem a Domino impetret, eam a fine vel effectui commendat, quod piis omnibus maiorem fiduciam suggeret, eosque animabit ad laudem et gratiarum actionem Deo reddendam. Docet autem hic locus, nos Deo ingratos esse, nisi accommodamus in usum nostrum quaecunque in proximos nostros confert

beneficia: quibus testatur bonitatem suam communiter piis omnibus semper expositam fore, ideoque additur ratio laetitiae, *quia Dominus eos proteget*. Nam quoties uni ex fidelibus se beneficium ostendit, statuere debent (ut diximus) eundem erga se fore. Porro docet hic locus, non aliunde quam ex Dei praesidio nasci verum gaudium: quia licet mille mortibus simul expositi, abunde nobis sufficere hoc debet, protegi nos Dei manu. Sed hoc fiet si nos inanes mundi umbrae non decipiant, ut sub illis delitescamus. Hoc etiam notandum est, quod in Deo sperantes dicit *nomen eius diligere*. Nec enim fieri potest quin suavis sit Dei memoria, nosque solide oblectet: imo rapiat in amorem sui postquam ipse nobis suae bonitatis gustum praebeuit. Sicuti rursum omnes increduli sepultum vellent Dei nomen, eiusque memoriam cum horrore fugiunt.

13. (*Quia tu benedices.*) Confirmat superiorem sententiam, quod scilicet ex sua persona commune documentum fidei sumpturi sint omnes Dei servi, quia ab uno exemplo iudicium de perpetua erga omnes pios gratia fieri velit. Atque iterum admonet non aliud esse legitimum gaudium, nisi quod ex sensu paternae Dei benevolentiae concipitur. *Benedicendi* verbum Hebraeis (quum de hominibus fit sermo) bene precari significat: quum vero ad Deum refertur, tantundem valet ac bene fortunare (ut loquuntur) vel bonis omnibus cumulare. Nam quia efficax est favor Dei, benedictio eius bonorum omnium affluentiam ex se producit. Nomen *iusti*, non ad unum hominem restringitur, sed indefinite omnes Dei cultores significat. Caeterum, iustos vocat scriptura, non qui tales operum meritis censentur, sed qui ad iustitiam aspirant: quia postquam Dominus eos favore suo complexus est peccata non imputando, rectum studium pro iustitiae perfectione illis fert acceptum. Eodem pertinet quod sequitur, *Coronabis eos gratuito favore* vel beneplacito, *tantum scuto*: intelligit enim probe fore undique munitos fideles: quia nulla ex parte illis deerit gratia, quae et invictum est propugnaculum, et certam secum salutem affert. Quanquam autem coronandi verbum quo utitur, saepe ornatum vel decus Hebraeis notat: quia tamen additur similitudo scuti, non dubito quin metaphorice pro munire vel circumdare sumatur. Sensus ergo est, quantumvis magna et varia pericula iustos obsideant, Deo tamen propitio salvos fore.

nui) non se vocat quia aegrotet, sed quia deiectus ac fractus sit. Quia autem hunc finem in poenis sumendis Deo propositum esse scimus, ut nos humiliet, simul ac ferulis eius subacti sumus, eius misericordiae aperta est ianua. Adde quod quum proprium sit eius munus infirmos sanare, iacentes erigere, fulcire debiles, mortuis denique vitam restituere: haec una ratio ad petendam eius gratiam nobis sufficit, si malis succumbimus. Ubi vero spem salutis non alibi quam in sola Dei clementia sibi repositam esse testatus est, suamque deiectionem flebiliter in medium protulit: causae subiicit suum effectum sanitatem a Deo petens. Atque hic ordo nobis tenendus est, ut quidquid petimus a Deo bonorum, sciamus ex fonte gratuitae bonitatis fluere: et poenis tunc demum eximi, postquam nostri misertus est. (*Quia territa sunt.*) Confirmat quod nuper attingi, se ex malorum gravitate spem concipere levationis: quia Deus ad opem miseris ferendam eo promptior est, quo magis urgeri et fere obrui cernit. Porro terrorem attribuit ossibus, non quod sensu praedita sint: sed quia ex vehementia doloris totum corpus concutitur. Nec carnem nominat quae tenerior est, sed ossium nomine intelligit praecipuum robur suum fuisse tremefactum. Causam deinde assignat, animam suam valde territam esse dicens. Nam copula, in eo iudicio, causalem particulam valet, ac si dictum esset: Tam gravis est ac violenta interior cordis anxietas ut totum corporis robur conturbet. Nam animam pro vita accipi, mihi non probatur, neque etiam convenit.

4. (*Et tu Iehova usquequo?*) Ecliptica oratio ad exprimendam doloris vehementiam facit, quae non animos modo tenet constrictos, sed fauces etiam: ut sermonem in medio cursu absorbeat. Sensus tamen hic in oratione abrupta ambiguus est. Quidam enim subaudiunt: Me affliges, vel corripere perges? Alii, quousque differes misericordiam tuam? Sed quae proxime sequitur ratio, hunc secundum sensum magis probabilem esse ostendit: nempe dum optat David se a Domino respici. Conqueritur ergo se nunc a Deo relictum esse, vel nullum haberi sui respectum sicuti longe a nobis abesse videtur quoties eius auxilium vel gratia re ipsa non appareret. Hoc autem nobis pro sua indulgentia concedit Deus, ut ipsum accelerare optemus ad opem nobis ferendam: ubi de mora conquesti sumus, ne votum nostrum vel dolor ultra metas erumpat, permittendum esse Dei arbitrio, ne aliter maturet quam visum fuerit.

5. *Convertere Domine, eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.* 6. *Quia nulla in morte memoria tui: in sepulcro quis confitebitur tibi?*

5. (*Convertere Domine.*) Sicuti absentiam Dei nuper deflevit, nunc postulat sibi dari signum eius praesentiae. Nam in eo sita est nostra felicitas, si a Deo respicimur. Putamus autem a nobis alienum esse, nisi probet se habere curam nostri. Ultimo in discrimine versatum fuisse tunc Davidem, ex his verbis colligimus, dum et animam suam eripi quasi ex mortis faucibus, et se in salutem restitui precatur. Morbi tamen nulla fit mentio: ideoque de genere afflictionis iudicium suspendo. Caeterum rursus confirmat David quod secundo versu attingerat de misericordia Dei: nempe liberationem se non aliunde quam ab ipsa sperare. Quare nunquam miseris suis remedium invenient homines, donec propria merita, quorum fiducia se decipiunt, obliti ad gratuitam Dei bonitatem confugere didicerint.

6. (*Quia nulla in morte.*) Postquam omnia gratis in nos contulit Deus, nihil vicissim exigit, nisi ut simus beneficiorum suorum memores. Ad hanc gratitudinem refertur quod dicit David, nullam in morte fore Dei memoriam, in sepulcro nullam fore eius laudem. Nam intelligit, si fuerit eius gratia a morte servatus, gratum se ac memorem fore. Deplorat autem hanc sibi facultatem ereptum iri, si fuerit e medio sublatus: quia amplius non versabitur inter homines, ut Dei nomen celebret. Porro hinc perperam et inscite quidam colligunt mortuos carere omni sensu, nec ullum in ipsis vigere: quia non nisi de mutua gratiae Dei praedicatione agitur in qua se vivi homines exercent. Scimus enim ideo nos in hac terra locatos esse ut uno consensu et ore Deum laudemus, huncque esse vitae nostrae finem. Nunc quamvis mors finem afferat talibus praconiis, non tamen sequitur, fideles animas corporibus exutas privari intelligentia, vel nullo tangi Dei affectu. Adde, quod in morte ipsa Dei iudicium apprehenderat David: quod eum obmutescere cogebat, quoad laudes Deo canendas. Nam quum sola Dei bonitas sensu percepta, os nobis ad eum celebrandum aperiat, ubi ablata est hilaritas, laudes quoque cessare necesse est. Quare nihil mirum si ira Dei, quae nos terrore absorbet, laudes eius exstinguere dicatur. Atque hinc solvitur altera quaestio, cur David mortem tantopere exhoruerit, quasi extra mundum nihil spei residuum foret. Docti viri tres causas numerant cur Patres sub lege tanto constricti fuerint mortis metu: nempe quod gratia Dei nondum Christi adventu patefacta nonnisi obscurae promissiones tenuem futurae vitae gustum dabant. Deinde, quod praesens vita, in qua se Deus patrem declarat, per se sit optabilis. Tertio, quod anxii erant ne qua post suum discessum accideret in religione mutatio. Atqui mihi non satis solidae videntur istae rationes, neque enim semper idem timor Davidis animum occupavit: utpote qui satur dierum, animam in sinum Dei placide suo

tempore deposuit. Secunda autem ratio nobis hodie esset cum vetustis patribus communis: quando magis illustribus documentis paternus Dei erga nos amor etiam in hac vita refulget. Ego vero (ut nuper dixi) in hac querimonia Davidis aliud considero: nempe quod Dei ultoris manum sibi adversam instare sentiens, metu obruitur, ut fere obstupescat. Idem et de Ezechia dicendum, quod non simpliciter mortem, sed iram Dei, et quidem non vulgarem, fuerit deprecatus, Ies. 38, 3.

7. *Laboravi in gemitu meo, natate faciam per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis culcitram meam madefaciam**). 8. *Caligavit prae indignatione oculus meus: consenuit in persecutoribus meis.*

Quaquam hyperbolicae sunt loquutiones, non tamen poetice amplificat David suum moerorem, sed vere et simpliciter, quam durus acerbisque fuerit, declarat. Nam semper illud tenendum est, non fuisse corporalibus malis tam graviter vulneratum, sed quod Deum sibi infestum cogitans, quasi apertos inferos cernebat: quae tristitia alias omnes superat. Atque ut quisque sincere Deo addictus est, eius ira durius percellitur. Quo factum est ut sancti, rara alias fortitudine praediti, tenerimam mollitiem hac in parte ostenderint. Nec aliud nos impedit, quam carnis nostrae stupor, quo minus in nobis experiamur quod David in se describit. Qui vero mediocriter experti sunt quid sit certare cum formidine aeternae mortis, nullum in his verbis excessum reperient. Quare sciamus Davidem conscientiae suae terroribus afflictum, non vulgari modo se ipsum cruciasse, sed fere iacuisse exanimem. Quod ad verba spectat, oculum sibi caligasse dicit: quia et animi dolor facile ad oculos penetrat, et illinc se maxime profert. Quia verbum פָּרַח, pro quo reddidi consenuit, interdum significat recedere e suo loco: nonnulli exponunt, evanuisse vel fugisse oculorum aciem. Alii intelligunt, tumore, qui ex fletu nascitur, absconditos fuisse oculos. Mihi tamen primum illud simplicius visum est, quod queratur David, quasi senio deficere oculos. Quod addit *per singulas noctes*, hinc colligimus quasi longo dolore contabuisse, et tamen nunquam destitisse a precibus.

9. *Discedite a me omnes operarii iniquitatis: quia audivit Dominus vocem fletus mei.* 10. *Audivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscipiet.* 11. *Pudefiant et turbentur valde omnes inimici mei, retrocedant et pudefiant repente.*

*) Je baigne, en marge: ou ie fay nager.

Postquam dolores suos et molestias exoneravit David in sinum Dei, nunc quodammodo induit novam personam. Porro, non dubium est quin diuturno languore confectus fuerit, antequam ad hanc fiduciam emergeret: quia nuper vidimus multas ab eo noctes in continuo fletu consumptas fuisse. Nunc quo molestius ei fuit morae taedium, alacrius ad canendum triumphum sese excitat. Sermonem vero in adversarios dirigens significat hanc non fuisse ultimam partem tentationis, quod impii homines tanquam perduto et desperato insultabant. Scimus enim quam insolenter se efferat eorum superbia et crudelitas contra Dei filios, ubi cruce oppressos vident. Et huc eos Satan impellit, ut ad desperationem adigat fideles, dum spem suam ludibrio haberi vident. Caeterum, docet hic locus gratiam Dei piis unicam esse vitae lucem: simul ac aliquod irae suae signum dedit Deus, non modo expavescere, sed fere demergi in tenebras mortis, rursus ubi Deum propitium agnoscunt, vitam illis protinus restitui. Notandum autem quod ter repetit David, exauditas fuisse suas preces: quo testatur liberationem se Deo ferre acceptam: et in hac fiducia se confirmat, quod non frustra se ad Deum contulerit. Atque ita statuere oportet, si quem ex precibus nostris fructum percipere volumus, non fuisse surdas Dei aures ad vota nostra. Per vocem *fletus* non modo vehementiam et ardorem designat, sed innuit se luctu et flebilibus querimoniis fuisse occupatum. Notanda quoque est confidentia et securitas Davidis, quam sibi ex Dei favore sumit. Nam hinc docemur, nihil esse in toto mundo quod non despicere liceat, si persuasi sumus nos a Deo amari. Et simul tenemus quid valeat paternus erga nos eius amor. Per adverbium *repente* significat, ubi deplorata videtur piorum salus, praeter spem divinitus ipsos eripi. Nam dum res confusas in laetum statum subito Deus convertit, eo magis illustrat, et admirabilem reddit suam potentiam.

PSALMUS VII.

ARG. David iniqua calumnia gravatus, Deum sibi patronum ac vindicem advocat, eique tuendam commendat suam innocentiam. Ac primum quidem testatur se non male conscius sibi esse. Deinde ostendit magni referre ad Dei gloriam, ut iudicium contra impios exercent. Tertio, ut se ad fiduciam animet, Dei bonitatem et iusticiam secum reputat, et promissionem in medium proponit. Postremo quasi voti compos, hostium suorum stultitiam et irritos conatus deridet: imo Dei auxilio fretus, sibi promittit, quidquid machinati fuerint, in eorum perniciem cessurum.

1. *Siggaion Davidis, quod cecinit Iehovae super verbis Chus filii Iemini.*

De voce Siggai non consentiunt inter se Hebraei interpretes. Quidam enim pro musico instrumento accipiunt. Aliis videtur esse concentus ad carmen modulandum. Alii putant initium fuisse tritae cantilenae, ad cuius modulos Psalmum hunc David cantari voluerit. Alii Hebraicum nomen latine oblectationem reddunt. Mihi secunda opinio videtur maxime probabilis, certam fuisse melodiam, vel cantici speciem: ac si quis vel Sapphicum, vel Phaleucium carmen dicat. Sed ego de re levis momenti non contendo. Porro, quod Psalmus fuisse compositus dicitur super verbis Chus, mihi non placet (quod vulgo tamen receptum est) per verba negotium intelligi. Fateor quidem Hebraeis usitatam osso loquendi formam, ut verbum pro re vel causa sumatur: sed quia paulo post exprimit David falsi criminis invidia se fuisse gravatum, non dubito quin de ipsa delatione vel calumnia hic loquatur, cuius autorem, vel certe ministrum fuisse interpretor Chus, aliquem ex consanguineis Saulis. Neque enim satis firma ratione moventur quidam, ut Saulem oblique sub nomine alieno perstringi dicant. A vero nomine secundum ipsos, ideo abstinuit David, ut regiae dignitati parceret. Plurimum (fateor) apud ipsum valuit sacrae unctionis reverentia: sed quum alibi diserte Saulem nominet, ubi non minus acriter in eum invehitur, nec minus atro carbone eum depingit, cur hic potius eius nomen supprimeret? Meo itaque iudicio, hic sine figura proprio nomine exprimitur improbus delator, qui Davidi odium ex ficto crimine conflaverat: sive a rege fuerit subornatus, sive favorem captans, ultro Davidem calumniatus fuerit. Scimus enim Davidem vulgo magna infamia flagrasse, quasi in regem et socerum suum ingratus ac perfidus fuisset. Quanquam autem Saul ex familia Iemini fuit, nihil tamen absurdi erit, si dicamus unum ex eius cognatis Davidem falso accusasse.

2. *Iehova Deus mi, in te confido, serva me ab omnibus persequentibus me, et libera me.* 3. *Ne forte rapiat tanquam leo animam meam: discerpit, et non sit qui liberet.*

Initio multos sibi hostes esse dicit: secundo autem versu unum quempiam singulari numero designat. Et certe quum omnium animi in eum accensi forent, merito ab omnibus suis persecutoribus eripi petiit. Sed quia impia regis crudelitas, instar facis, contra hominem innoxium totius populi odia inflammabat, merito etiam peculiariter in ipsum styllum convertit. Ita primo versu rem describit qualis erat: secundo autem versu fontem, vel causam mali ostendit. Porro, quod praefatur Deo se confisum esse, in hoc verbo magna subest emphasis. Est quidem praeteriti temporis, ideoque

proprie vertendum esset: In te confisus sum: sed quia tempora verborum subinde mutantur apud Hebraeos, malui vertere confido: praesertim quum satis constet, continuum (ut loquuntur) actum notari. Neque enim fiduciam iactat David a qua iam exciderit, sed quam constanter fovet in suis angustiis. Atque haec vera est fidei nostrae probatio, quum rebus adversis afflicti, in Deo tamen sperare non desinimus. Hinc etiam colligimus, clausam esse precibus nostris ianuam, nisi eam clavis fiduciae aperiat. Nec supervacuum est, quod Iehovam appellat Deum suum, sed hoc velut aggere opposito tentationum fluctus repellit, ne fidem suam obruant. In secundo versu, leonis similitudine Saulis saevitiam amplificat, quo propensior sit Deus ad opem ferendam: sicuti hoc sibi munus vendicat, miseris oves e faucibus luporum eripere.

4. *Iehova Deus mi, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis:* 5. *Si rependi pacem mecum colenti malum: et non eripui qui me affligebat sine causa:* 6. *Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat: et prosternat in terram vilam meam, et gloriam meam in pulvere detineat. Selah.*

4. (*Iehova Deus.*) Hic David, ut sibi Deum conciliet, se iniuste et nullum ob crimen vexari testatur. Et quo plus vehementiae habeat testimonium, imprecatione utitur. Nam si quid deliquit, paratum se esse dicit ad subeundam noxam: imo sese ad gravissima quaeque supplicia offert, nisi ab eo crimine prorsus immunis sit, cuius eum fere convictum omnes putabant. Quia autem non alia lege optat sibi a Deo succurri, nisi comperta fuerit sua integritas, docet nos suo exemplo, quoties ad Deum confugimus, dandam in primis esse operam ut probe nobis simus consci de causae nostrae iustitia. Magnam enim ei iniuriam facimus, si eum accersere velimus malae causae patronum. Pronomen *istud*, de re vulgo nota eum loqui significat. Unde colligere licet, calumniam quae a Chus perfecta erat, longe lateque sparsam esse. Quum autem iniustis hominum praeiudiciis damnatus nihil remedii in terra cerneret, sese ad Dei tribunal recepit: ac satis habuit, coram coelesti iudice suam innocentiam asserere, quod pios omnes imitari decet, ut contra perversos rumores unico Dei iudicio contenti sint. Clarius deinde profitetur nullum a se commissum fuisse crimen. Tandem duas species commemorat, quod iniuriam nullam intulerit: quin potius studuerit hostes suos iuvare, a quibus tamen sine causa laesus fuerat. Sic autem resolvo quintum versum: Si quem in pace laceravi, ac non potius suppetias tuli indignis qui me gratis persequabantur. Nam quum vulgo exosus foret David, ac si regnandi cupiditas eum ad perfidam defec-

tionem impulisset, et struendas Sauli insidias, cui obstricta erat eius fides: priore membro ab illa infamia se purgat. Ideo forte Saulem vocat pacatum suum, quia iure regio sanctus ac tutus esse decebat, ne quid hostile in eum tentare fas esset. Quanquam potest hoc nomen indefinite accipi: ac si dixisset: Nemo qui modeste se ab iniuria continuerit, ac se humaniter erga me gesserit, vere queretur se fuisse ullo meo maleficio offensus. Et tamen ita vulgo persuasi erant de Davido, in media pace eum movisse graves turbas, et causam dedisse bello. Unde melius apparet, modo probetur Deo, in hac sola consolatione acquiescere. In secunda parte versus longius progreditur, nempe quod non tantum bonis amicus fuerit, sed etiam improbis: nec tantum se cohibuerit ab omni vindicta, sed opem tulerit inimicis, a quibus graves iniurias perpassus erat. Et certe non admodum praeclara virtus esset, bonos et placidos amore prosequi, nisi in malis quoque patienter ferendis moderatio et acquitas accederet. Ubi vero quispiam non modo acceptas iniurias non retaliat, sed malum beneficentia vincere conatur, verum specimen divinae virtutis exhibet, atque hoc modo unum se ex filiis Dei esse demonstrat, quia nonnisi a spiritu adoptionis talis mansuetudo procedit. Quod ad verba spectat, quia *לֹא־אֶחָד* dividere significat, quidam ut nihil subaudiant, ita exponunt hunc locum: Si ego me subdixi a persecutoribus quin suppetias illis ferrem. Receptor tamen est altera interpretatio, ut sit eripere vel cruere a periculo: quia separamus quae volumus in tuto locare. Ita subaudienda erit negatio: quod in Psalmis non raro fieri videbimus.

6. (*Persequatur inimicus.*) Magnum optimae fiducia signum, quod nullam quantumvis atrocis poenae speciem recusat David, si in maleficio deprehensus fuerit. Talem conscientiam si possemus coram Deo afferre, promptior ad ferendum statim nobis auxilium esset eius manus. Sed quia saepe fit, ut qui nos infestant, provocati a nobis fuerint: vel quia offensi ardemus studio vindictae, indigni sumus, quibus Deus succurrat: imo ianuam nostra intemperies precibus nostris claudit. Primo David hostium libidini subiici paratus est, ut vitam suam comprehendant, et prosternant in terram: deinde prostitui eorum ludibrio, ut etiam mortuus aeternae ignominiae subiaceat. Quanquam nomen *כָּבֹד* quidam pro vita sumi volunt, ut ter idem repetat. Sed mihi plenior videtur fore sensus si referas ad memoriam: ac si dixisset: Non modo me hostis perdat, sed mortuum quoque afficiat probris omnibus, ut nomen meum in luto vel stercore habitet.

7. *Surge Iehova in furore tuo, evahere in hostium meorum indignationibus, et evigila super me ad iudicium quod mandasti.* 8. *Et congregatio populorum*
Calvini opera. Vol. XXXI.

circumdabit te: et propter hanc in excelsum revertere. 9. *Iehova iudicabit populos: iudica me, o Iehova, secundum iustitiam meam, et secundum integritatem super me.*

7. (*Surge Domine.*) Hostium suorum indignationibus iram Dei opponit, atque idem nobis in similibus nostrarum statu agendum. Nam dum ardent impii, et ad nos perdendos furoris sui flammam proiciunt, rogandus est Deus ut ipse quoque incalcescat: hoc est, re ipsa ostendat non minus sibi esse zeli et potentiae ad nos servandos. Surgendi verbum metaphorice sumitur pro Conscendere tribunal, vel se accingere ad resistendum: quia dormire videtur Deus quamdiu auxilium suum differt. Ideo rogat etiam paulo post David ut expurgetur: quia hoc instar oblivioniserat, miserum et oppressum omni ope destituere. In fine versus ostendit, se nihil petere nisi ex Dei praescripto. Atque haec nobis in precibus tenenda est regula, ut vota nostra formemus ad eius voluntatem, sicuti etiam Ioannes admonet, I. Ioh. 5, 14. Nec sane aliter ex fide concipitur oratio, nisi dum in primis respicimus quid Deus praecipiat, ne temere vel fortuito prosiliant animi nostri ad appetendum plus quam licet. David ergo ut rite precetur, in verbum Dei et promissionem recumbit: ac si diceret, Domine non me aliqua ambitio, vel stultus impetus, vel pravum desiderium impellit ut inconsiderate petam quidquid carni meae arridet: sed mihi praelucet verbum tuum, cui secure innitor. Nam quum Deus ultro ipsum vocasset ad spem regni, eiusdem partes erant servum, quem dolegerat, tueri et asserere. Itaque perinde est ac si dixisset: Quum ego privata sorte contentus essem, tibi placuit me regem creare: nunc ergo tuum est causam hanc suscipere contra Saulem et eius assecclas, qui tuum decretum evertere moliantur, dum me oppugnant. Verbum *עָרָה* posset etiam transitive accipi pro Erigere, vel stabilire Davidi ius suum. Summa tamen huc redit, quod Dei vocatione fretus, manum sibi ab eo porrigi cupit. Ideoque fidelibus cavendum est, ne has motas excedant, si Dei praesidium sibi adesse cupiunt.

8. (*Et congregatio populorum.*) Quidam locum hunc ad populum Israëliticum restringunt, ac si promitteret David, simulac in regni solium evectus foret, se operam daturum ut populus antea dissipatus, iterum coalesceret in purum Dei cultum. Nam sub Saule vel neglecta fuerat religio, vel tanta scelerum licentia grassata fuerat ut pauci ad Deum respicerent. Ergo secundum illos interpretes sensus est: Domine ubi regem me constitueris, totus populus ex vaga confusaque alienatione in viam redibit, ut agnoscant omnes te in medio sui praesidere, teque ut regem unicum adorent. Sed hoc

potius communiter de multis populis dictum accipio. Fructum enim liberationis suae hic commendat David: quia longe lateque patebit eius fama: ac si dixisset: Domine regnum mihi asserendo, non privatim modo beneficium hoc conferes in meam personam, sed commune multis populis documentum erit iusti tui iudicii, ut oculos convertant ad tuum tribunal. Alludit enim David ad coronam populi quae regem suum in solenni conventu circumdat. In eodem sensum continuo post subiicit, ut Deus qui ad tempus in silentio iacuit, in sublime se attollat, ut gloriam suam conspicuam reddat non uni vel alteri, sed totis populis. Subest enim tacita comparatio, etiamsi unius hominis ratio habenda non sit, esse tamen consentaneum ut Deus mundum in metu et reverentia iudicii sui contineat.

9. (*Dominus iudicabit populos.*) Pendet haec sententia ex proximo versu. Precatus fuerat David ut Deus se populis iudicem ostenderet: nunc sumit hoc pro certo et confesso, proprium esse Dei munus iudicare populos. Nam futurum verbi tempus, ut in generalibus sententiis, continuum actum denotat. Neque hic de populo uno tantum loquitur, sed cunctas gentes comprehendit. Nam quia Deum agnoscit totius mundi iudicem, inde postea ratiocinatur, causae suae et iuris assertorem fore. Atque hoc nobis, quoties deserti oppressique videmur, in memoriam redire debet, quia Dei est mundum gubernare, nequaquam posse fieri ut munere suo se abdicet: nihilo scilicet magis quam ut abneget se ipsum. Ex hoc fonte, quantumvis longa malorum series nobis incumbat, fluet perennis consolatio: quia tuto colligere licebit, tutandae nostrae innocentiae illi fore curam. Abeurdum enim foret, eum qui multis populis praeest, hominem unum negligere. Neque enim idem quod terrenis iudicibus, illi contingit, ut in magnis et publicis negotiis occupatus privatas causas negligat. Porro iterum suam integritatem in medium profert, ne videatur, sicuti solent hypocritae, falso Dei nomen obtendere. Nam quia personas Deus non accipit, nonnisi ex causae bonitate sperandum est ut stet a parte nostra, nobisque faveat. Sed quaeritur quomodo suam integritatem iacet coram Deo David, qui alibi deprecatur eius iudicium. Solutio facilis est, quia hic non agitur quomodo respondeat, si exigit ab eo Deus totius vitae rationem: sed se hostibus suis comparans, non frustra se eorum respectu iustum esse asserit. Ubi autem pro se quisque sanctorum in Dei iudicium prodit, longo diversa est ratio: quia tunc unicum illis asylum superest in misericordia Dei.

10. *Cesset quaeso malitia impiorum, et dirigas iustum: quia probans corda et renes Deus iustus.*

11. *Clypeus meus super Deum, qui serrat rectos*

corde. 12. *Deus iudicans iustum, et contemptorem Dei quotidie.*

10. (*Cesset quaeso.*) Initio precatur ut Deus impiorum malitiae modum et finem imponat, unde sequitur, diuturnam non exigui temporis fuisse crucem. Aliis potius videtur dira esse imprecatio, qui verbum *מַלְּטָא* transitive accipiunt pro perdere vel consumere. Ita secundum eos optat David, ut malum quod concipiunt impii, Deus in ipsorum capita retorqueat. Mihi tamen simplicius illud videtur, ut David suis molestiis exitum dari postulet, ideoque votum a fine mox sequitur, ut Deus *iustum* vel *dirigat*, vel stabiliat. Nam utrovis modo legas, parum interest. Sensus enim est, ut Deus iustos iniuste oppressos restituat et fulciat: ut constet eos divinitus in suo statu manere. (*Quia probans corda.*) Copula hoc loco non inepte in causalem particulam resolvitur. Neque enim dubium est quin addita ratione precationem suam confirmet David. Quanquam autem iam tertio ostendit se bonae conscientiae testimonio fretum audacter accedere, plus tamen exprimit quam antea, quod non externis tantum operibus integer extiterit, sed arcano etiam cordis affectu puritatem coluerit. Ac videtur fiduciam hanc, hostium suorum insolentiae opponere, a quibus probabile est tales calumniarum nebulas fuisse in vulgus sparsas, ut miserum hominem cogerent *cor et renes* suos Deo in examen offerre. Fieri etiam potest ut fucosos illis praetextus excutiat, quibus satis habebant, homines decipere. Ostendit enim, licet theatri plausum tulerint, hoc nullius esse momenti: quia mox ad Dei tribunal venturi sint, ubi non de titulis, vel externo splendore operum, sed de cordis integritate erit cognitio.

11. (*Clypeus meus.*) Non mirum est quod subinde precibus meditationes permiscet David, quibus se ad fiduciam animet. Quantumvis enim alacriter ad Deum feramur, statim labascit, vel ad languorem inclinat ardor noster, nisi vires novas colligat. Ergo ut eodem tenore preces suas continuet David, sententias sibi ex communi pietatis doctrina suggerens, fidem suam fovet atque etiam excitat. Dicit autem, quia Deus *rectos corde servat*, se eius praesidio satis munitum esse. Unde sequitur, recte sibi fuisse conscium. Quum autem non iustos simpliciter, sed rectos corde dicit, videtur ad interius illud cordis et rerum examen respicere.

12. (*Deus iudicans.*) Alii legunt, Deus iudex iustus et Deus irascitur quotidie. Quanquam autem hunc quoque sensum verba admittunt, quia tamen in priore plenior est doctrina, libenter eum sequutus sum: sicuti et doctissimis quibusque magis probari video: adde quod ad praesentem causam melius quadrat. Quia enim hoc suis maledictis adepti

erant Saul et similes, ut Davidem totus fere populus damnaret, hac se una spe pius vir sustentat, quod Deus, rebus in mundo confusis, discernit tamen inter iustos et impios. Itaque a perversis hominum iudiciis ad eum provocat qui falli nunquam potest. Quaeritur tamen quomodo quotidianum iudicium Deo tribuat, quem videmus poenas in longum tempus saepe differre. Et certe scriptura non abs re eius μακροθυμῶν praedicat, sed quanquam non statim iudicia sua exsequitur, quia nullum tempus est, imo nullus dies praeterit, quo non certis documentis probet, quae permista sunt in mundo, a se discerni: fixum hoc manet, nunquam eum ab officio suo cessare. Quisquis enim oculos attollet ad considerandum mundi regimen, clare videbit, patientiam Dei longe a conniventia differre: certe fideles de die in diem ad eum intrepide confugient.

13. *Nisi conversus fuerit, gladium suum acuet: arcum suum telendit, direxit illum: 14. Et ei paravit vasa mortis, sagittas suas persequentibus aptabit. 15. Ecce parturiet iniquitatem, et concepit pravitatem, et pariet mendacium.*

13. (*Nisi conversus.*) Hi tres versus duobus modis exponi solent. Quidam enim putant, si perrexerint hostes Davidis in sua malitia, denuntiari vindictam quam meretur eorum obstinatio, ita in secundo membro nomen Dei subaudiunt; ac si dictum esset: Si non resipiscat hostis meus, sentiet tandem Deum suis armis instructum esse ad tuendam iustorum salutem. Si hoc modo accipias tertius versus erit causae redditio: quia impii quum meras violentias concipiant, parturiant iniquitatem, et fraudes pariant, recta Deum inpetunt, et ex professo in certamen provocant. Sed rectius (meo iudicio) alii uno contextu legunt istos duos versus: quanquam ne illi quidem in exprimenda mente Davidis mihi satisfaciunt. Neque enim dubito quin David, horribiles hostium conatus referens, Dei gratiam hac descriptione magis illustret. Nam quum validis copiis et armorum apparatu muniti, furiose in eum irruerent, nihil nisi exitium sperantes, quis non dixisset de ipso actum esse? Subest autem ironiae species, dum sibi mortis formidinem ab ipsis proponit. Nam tantundem est ac si dixisset: Nisi animi propositum mutaverit hostis meus, vel impetum suum ac vires alio converterit, quis impediet quominus sub eius manu peream? Nam quum illi arma suppetant, caedem meam modis omnibus machinatur. Saullem vero proprie designat, ideoque dicit sagittas aptasse persequentibus: quia multos ad manum habebat satellites, qui operam suam libenter ad perdendum Davidem locassent. Prophetæ igitur consilium fuit, ex periculi

magnitudine ingentem Dei gratiam extollere. Conversio hic non pro resipiscentia, sed tantum pro diversa voluntate accipitur: ac si dixisset, fuisse in arbitrio hostis, quidquid dictasset libido, perficere. Unde melius apparet quam admirabilis fuerit quae repente praeter spem sequuta est mutatio. Quum dicit Saullem parasse arcui suo instrumenta mortifera, significat nihil mediocre agitasse, sed illi fuisse decretum lethaliter vulnerare quem petebat. **וירקס** Ardentes quidam vertunt, quia haec quoque verbi significatio est apud Hebraeos: sed praesenti loco magis convenit quod reddidi. Conqueritur autem David, sibi non ab uno tantum homine fuisse timendum, sed a magna turba: quia Saul multos persequutores in hominem miserum et profugum armabat.

15. (*Ecce parturiet.*) Hactenus quam formidabile instaret discrimen, exposuit David: nunc superbos conatus Saulis cum magnifico apparatu deridens, irritos cecidisse praedicat. Adverbio demonstrandi miraculum amplificat in re inopinata: Ecce, inquit, quum iniquitatem enixus fuerit, sicuti molestiam conceperat, demum exiit inanis flatus ac vanitas: quia Deus prava eius consilia frustratus est. Iniquitas et molestia pro quibusvis iniuriis sumuntur, quas Saul Davidi inferre cogitabat. Quanquam autem in verbis ordinem esse inversum putant quidam interpretes, quia parturire ante ponitur, quam concipere: ego tamen existimo gradus apte fuisse distinctos, modo ita resolvas: Ecce iniquitatem parturiet, quia molestiam concepit, hoc est, sicuti pridem apud se meditatus est mihi perniciem, ita inferre conabitur. Postea addit peperisse mendacium, quia spe sua deceptus fuerat: quemadmodum Iesaias 26, 18 dicit, ventum parere incredulos, quorum pravae audaciae non respondet eventus. Quoties ergo videbimus impios de nobis perdendis consilia coquere, nobis in mentem veniat ipsos sibi mentiri. Caeterum patienter feramus, si usque ad partum non appareat frustratio.

16. *Puteum fodit, et effodit eum: et cecidit in foveam quam fecit. 17. Convertetur pravitatis eius in caput eius, et super verticem eius violentia eius descendet.*

Hic David non tantum successu caruisse dicit impias machinationes, sed mirabili Dei providentia in contrarium finem versas esse. Id metaphorice primum canit, similitudinem putei et foveae usurpans: deinde sine figura idem simplicibus verbis pronuntiat, quod scilicet iniquitas redierit in caput auctoris. Non dubito autem quin proverbialis fuerit apud Hebraeos loquendi forma, quisquis puteum fodisset, in eum cadere: quum notare vellent dolosos homines insidiis suis ac fraudibus capi, vel

necis artifices arte perire sua. Duplex autem est huius doctrinae usus, nam quibuscunque nocendi artibus polleant hostes nostri, sperandus est hic exitus quem Deus promittit, ut se ipsos proprio gladio confodiant, neque enim hoc fortuitum est, sed malum quod innoxii intendunt, Deus arcana manus suae directione in eorum capita retorquet. Rursum si quando nos carnis libido ad laedendos proximos, vel ad pravum aliquod facinus nos instigat, succurrat haec Dei ultio, qui foveam aliis parant, in eam deiici. Ita fiet ut quantum sibi quisque, suaeque saluti consulere volet, ab omni se cohibeat iniuria.

18. *Celebrabo Iehovam secundum iustitiam eius et canam nomini Iehovae excelsi.*

Quia in hunc finem suos Deus liberat ut sacrificia laudis ei vicissim rependant, David hic pro accepta liberatione se gratum fore promittit: et simul confirmat quod elapsus esset a morte, hoc minime esse dubium vel obscurum Dei opus. Neque enim vere et ex animo salutis suae laudem Deo ascriberet, nisi serio persuasus esset, aliter se quam humanitus fuisse servatum. Quare non modo debitam suo liberatori gratitudinem promittit, sed summam affirmat quod recensuit toto Psalmo, se vitam Dei gratiae debere, qui non passus esset sibi a Saule eripi. Iustitia Dei hoc loco pro fide accipitur quam servis suis praestat in tuenda eorum vita. Neque enim iustitiam suam Deus intus absconditam tenet, sed eam profert in usum nostrum, dum nos contra omnem iniustam vim defendit, ab oppressione liberat, et quamvis a scelestis hominibus oppugnemur servat tamen incolumes.

PSALMUS VIII.

ARG. David paternam Dei erga humanum genus beneficentiam reputans, simplici gratiarum actione non contentus, in admirationem eius rapitur.

1. *Praefecto super Haggithith canticum Davidis.*
2. *Iehova Domine noster, quam admirabile est nomen tuum in tota terra, ad ponendum decus tuum supra coelos.*

An גִּתִּית musicum instrumentum significet, an modulationis speciem, an vero celebris ac noti carminis initium, ego incertum relinquo. Nam qui Psalmum ita vocari putant, quod in urbe Gath fuerit compositus, coactam expositionem nimis procul accersunt. Ex tribus vero primis sententiis quam eligas, non magni interest. Quid vero con-

tineat Psalmus ipso, et quorsum spectet, praecipue videndum. Proponit quidem sibi David ante oculos miram Dei virtutem et gloriam in toto mundi opificio et gubernatione: sed hanc partem leviter tantum perstringens, in consideratione summae erga nos bonitatis insistit. Et certe quanquam in toto naturae ordine amplissima occurrit celebrandi Dei materia, quia tamen propria experientia magis afficimur, non abs re ex professo specialem erga humanum genus gratiam David commendat: quia hoc est maxime illustre speculum in quo perspicere licet eius gloriam. Mirum tamen est cur ab exclamatione incipiat, quum res ipsa prius narrari soleat, quam extolli eius magnitudo. Atqui si tenemus quod alibi dicitur, non posse verbis exprimi Dei opera, nequaquam mirum videbitur, Davidem hac loquendi forma se fateri narrationi imparem. Quia ergo David inaestimabilem gratiam, qua Deus humanum genus dignatus est, secum expendens, sensus omnes suos absorberi sentit vel obrui, exclamat rem admiratione dignam esse, quia verbis concipi non potest. Adde, quod spiritus sanctus, qui Davidis linguam direxit, non dubium est quin communem hominum torporem in illius persona excitet, ne immensum Dei amorem, et innumera quibus fruuntur beneficia parce tantum et frigide suo more laudent: sed potius nervos omnes intendant ad hoc pietatis exercitium. Nam hoc epiphonema quo usus est David declarat, ubi intenta ad hanc cogitationem fuerit tota humani ingenii facultas, longo infra subsistere. Nomen Dei hic positum esse interpretor pro celebri eius notitia, quatenus scilicet se nobis patefacit, nam arguta eorum speculatio mihi non placet, quibus nihil aliud est Dei nomen, quam Deus ipse. Nam hoc ad opera aut virtutes ex quibus cognoscitur, potius quam ad essentiam referri debet. Terram ergo admirabili Dei gloria plenam esse dicit, ut decus eius supra coelos conscendat. Recte enim (meo iudicio) verbum מְגִלָּה quidam accipiunt in machor, hoc est, infinitivo modo, pro locare. Nam in secundo membro amplificatio est: ac si dixisset minorem esse terram, quam ut decus vel magnificam Dei formam contineret. Atque hoc modo אֲשֶׁר non erit relativum, sed expletivam vel exogeticam particulam valebit.

3. *Ex ore infantium et lactentium fundasti robur propter adversarios tuos, ad profligandum inimicum et ultorem.*

Iam in ipsum argumentum quod tractandum suscepit, ingreditur: nempe quod Dei providentia ut se proferat in humano genere, non adultam aetatem expectet, sed a prima usque infantia clare iam refulgeat quantum satis sit ad refellendos omnes impios, qui profano suo contemptu Dei no-

men extinguere cuperent. Quod quidam תנן tantundem ac תנן valere putant, absurdum est: quia emphasin, qua usus est David, perperam diminuit. Sensus ergo est, Deum, ut providentiam suam commendat, non opus habere magna rhetorum facundia, ac ne formato quidem sermone: quia mutas infantium linguas ad eam celebrandam satis promptas et disertas habeat. Quaeritur tamen quo sensu pueros gloriae Dei faciat praecones. Stulte (meo iudicio) philosophantur, qui hoc fieri putant, dum pueri articulate incipiunt loqui, quia tunc quoque vis animae intellectiva apparet: nam ut demus parvulos ad septennium usque vocari, quomodo a mamma pendere fingent, qui distincte iam loquuntur? Nihilo melius convenit allegorice parvulos et lactentes sumi pro fidelibus, qui Dei spiritu renati nihil vetus sapiunt. Et quid attinet Davidis verba torquere, quorum genuinus sensus tam apte fluit? Parvulos et lactentes dicit satis validos esse patronos qui Dei providentiam asserant. Cur viris non mandat istas partes, nisi ut ostendat linguas infantiles antequam verbum effari queant, sonore tamen loqui quam liberalis sit Deus erga genus humanum? Unde enim statim ab utero egressis alimentum praesto est: nisi quia Deus mirabiliter sanguinem in lac transformat? unde etiam sugendi industria, nisi quia idem Deus arcano instinctu linguas eorum aptat? Ergo optima ratione David quamvis cessent omnes viriles linguae, os elinguae infantium ad celebrandam Dei laudem satis idoneum esse pronuntiat. Caeterum quod parvulos non solum testes vel praecones Dei gloriae inducit, sed eorum ori attribuit firmum robur, magna energia non caret. Perinde enim est ac si dixisset invictos esse Dei milites, qui totum impiorum exercitum, si ad conflictum ventum fuerit, facile dissipent ac proterant. Notandum enim est, contra quos infantibus munus iniungat tuendae gloriae Dei: nempe contra ferreos Dei contemptores, qui gigantum more bellum coelis indicare non dubitant. Quum ergo cyclopes isti furioso impetu convellant, ac pervertant quidquid est pietatis in mundo, suaquo duritie coelum ipsum perfringere conentur, David per ludibrium in aciem puerorum ora educit, et satis validis armis instructa esse, ac fortitudine pollere dicit ad prosternendam eorum superbiam. Ideo mox subiicit, *propter adversarios*. Neque enim forti potentia bellare necesse est Deo ad vincendos fideles, qui sponte vocem eius sequuntur, propensumque obsequium exhibent simul ac digito signum dederit. Fateor quidem lucere Dei providentiam praesertim fidelium causa, quia soli oculati sunt ad eam spectandam. Verum quia dociles se praebent, placide ipsos Deus erudit: contra hostes vero proprie se armat, qui nunquam nisi coacti cedunt. Quidam *Fundandi* verbum nimis restricte

accipiunt, quod scilicet in ipso partu vel generatione hominis Deus gloriae suae fundamenta iaciat. Ego enim pro stabilire positum esse non dubito, ac si dixisset propheta, pro bellicosus et firmis copiis, puerorum ora Deo ad perdendos impios sufficere. (*Ad profligandum.*) In verbo השבית variant interpretes. Proprie est facere cessare, nam est in coniugatione hiphil a neutro שבה, quod cessare significat. Sed metaphorice plerumque sumitur pro perdere vel redigere in nihilum: quia interitus finem affert. Alii vertunt: Ut compescas: quasi intelligeret David silentium illis imponi, ut maledicere vel obstrepere desinant. Sed quia ad hostile proelium plena gratiae allusio est in hoc loco (ut nuper exposui) mihi verbum militare placuit: *Ad profligandum*. Sed quaeritur quomodo hostes suos profliget Deus, quorum sacrilega petulantia violenter contra omnia divinae providentiae exempla impingere non cessat. Respondeo, non profligari quod ad modestiam cogantur: sed quia cum suis blasphemis et canino latratu turpiter confusi iacent. Summa est, a prima hominis generatione vel exortu ita conspicuum esse divinae providentiae fulgorem, ut infantes a matrum uberibus pendentes, eorum furorem prosternant: quia etiamsi centies crepent, frustra robur quod in illa debilitate se proferit, subvertere nituntur. Quanquam autem in omnibus incredulis regnat ulciscendi libido, sicuti Deus filios suos mansuetudinis spiritu regit: tamen pro loci praesentis circumstantia hoc epithetum propheta Dei contemptoribus attribuit, qui non modo truculenti sunt in homines, sed vesana rabie ad Deum quoque oppugnandum ardent. Quod ad explicandam prophetae mentem attinet, iam defunctus sum fidi interpretis officio. Tantum restat unus scrupulus, quia videtur Christus Matth. capite 21, 16, testimonium hoc alio trahere, dum id ad pueros decennes accommodat. Sed facilis solutio est, Christum a maiori ad minus ratiocinari: nihil scilicet absurdi esse si Deus, qui pueros adhuc infantes gloriae suae vindices constituit, postquam ad septem annos et ultra progressi sunt, praeconium ex eorum linguis eliciat.

4. *Quando video coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quas concinnasti, 5. Quid est homo, quod memor es eius, et filius hominis quia eum visitas? **

Quoniam particula ו apud Hebraeos, tantundem saepe valet ac latinis quia, et simpliciter affirmat, Graeci fere et Latini veteres seorsum legerunt quartum versum, ac si perfecta esset sententia: sed non dubium est quin sequenti conve-

*) que tu le visites, en marge: ou as souvenance de lay?

niat. Itaque duos versus contexere necesse est. Rursum tamen Hebraicum illud כִּי, adversative exponi posset pro quamvis, hoc sensu: Tametsi in coelesti machina incomparabilis Dei maiestas refulget, ac merito in sui intuitu detinet hominum oculos: peculiari tamen modo gloriam eius in tam benigno, quo homines prosequitur, favore spectari, nec sensus hic male quadraret: sequi tamen libuit quod magis receptum erat. Caeterum ad notandum prophetae consilium attentos lectores esse convenit, nempe quod hac comparatione ingentem Dei bonitatem amplificat: quia mirum sit coeli creatorem, cuius tam sublimis gloria sursum nos in sui admirationem rapit, eousque descendere ut curam generis humani suscipere dignetur. Atque haec antithesis ex voce אֲנִי colligitur, quia hominem a fragilitate potius quam virtute denominat. Videmus enim miseros homines in terra reptando vilissimis quibusque creaturis esse permistos, merito itaque despicere posset eos Deus nulloque loco ducere, si rationem haberet dignitatis. Ideo interrogative eorum sortem extenuat propheta, significans inde clarius perspicui mirificam Dei bonitatem, quod tantus opifex, cuius refulget in coelis maiestas, calamitosum hoc et nullius pretii animal, summa gloria ornare, et innumeris opibus locupletare velit. Neque enim, si in animo erat liberalitatem suam exercere, necesse ei fuit ex pulvere et luto deligere homines, quos praeferret aliis omnibus creaturis: quia suppetebat in coelis materia. Ergo quisquis non stupecit ad hoc miraculum, plus quam ingratus et stupidus est: huc spectat quod coelos vocat Dei, et opera digitorum eius. Qui fit enim ut ab illa tam nobili et praeclara opificii sui parte egressus, ad nos vermiculos se demittat, nisi ut bonitatem suam magis illustret? Unde etiam colligimus nimis perperam Dei gratia eos abuti, qui ex sua praestantia superbiendi ansam arripiunt. Quasi vero aut eam adepti sint propria industria, aut merito eam possideant: ac non potius sua eos origo admoneat, abiectis alioqui et sordidis prorsusque indignis esse collatam. Ergo quidquid in nobis honorificum cernimus, ad gratuitum Dei favorem celebrandum sensus nostros excitet. In fine quarti versus, pro eo quod alii vertunt praeparare vel fundare, reddere visum est concinnare: videtur enim respicere propheta ad pulcherrimum ordinem quo Deus stellarum positum tam apte distinxit et cursum moderatur. Deum memorem esse hominis tantundem valet, ac paterno amore hominem complecti, tueri ac fovere sub fide sua: et providentiam suam ad eum usque extendere. פֶּקַד quia omnes fere interpretes pro visitare accipiunt, nolui ab eis discedere, quum sensus optime congrueret. Quia tamen recordari interdum significat, et iteratio eiusdem sententiae sub diversis verbis frequenter in

Psalmis occurrit, non incommode ita vertetur, quasi dixisset, hoc mirum esse quod Deus assidue de hominibus cogitet.

6. *Quia minuisti eum paululum a Deo,*) et gloria et decore coronasti eum.* 7. *Praefecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus eius.*

6. (*Quia minuisti.*) Mihi dubium non fuit quin copula Hebraica כִּי in adverbium causale mutanda fuerit: quasi positum esset: Nam certe: confirmat enim quod nuper dixit de immensa Dei gratia erga homines, quod scilicet illis se propinquum et eorum memorem ostendat. Ac primo quidem tot decoribus ornatos esse dicit, ut eorum conditio divina et coelesti gloria non longe sit inferior. Deinde externum in omnes creaturas imperium et ius commemorat, ex quo apparet in quam altum dignitatis gradum eos Deus extulerit. Equidem non dubito quin praeclaras dotes commendet, quae declarant homines ad imaginem Dei formatos esse, et creatos ad spem beatæ vitæ et immortalis. Nam quod ratione praediti sunt, qua discernant inter bonum et malum, quod illis inditum est religionis semen, quod mutua est inter eos communicatio, sacris quibusdam vinculis astricta, quod inter eos viget honesti respectus et pudor, et legum moderatio: haec non obscura sunt summae et coelestis sapientiae signa. Quare non immerito exclamat David, gloria et decore ornatum esse humanum genus. Coronari enim metaphorice hic capitur, quasi dixisset vestitum esse et decoratum honoris insignibus, quae non longe a divino fulgore absint. Quod אֱלֹהִים Graeci verterunt angelos, mihi non displicet. Certe nomen hoc saepe ad angelos transferri notum est, et verba Davidis perinde valere interpretor, ac si dixisset, parum abesse homines a divino et coelesti statu. Quia tamen magis genuina videtur altera versio, et in eam fere Hebraei consentiunt, eam sequutus sum. Nec obstat quod apostolus ad Hebraeos 2, 7 Ab angelis, posuit, non autem: A Deo: quia scimus quam libere sibi permiserint apostoli citare scripturae locos: non quidem ut torquerent in alienum sensum, sed quia illis satis fuit digito monstrare, quod docebant, Dei oraculis esse sancitum. Quare modo de summa rei constaret, verba mutare nulla illis fuit religio. In modo altero solvendo plus est difficultatis, nam quum hic de praestantia hominum disserat propheta et dicat eos ad Deum prope accedero, apostolus ad Christi exinanitionem trahit. Primo videndum est qui conveniat, quod de toto genere humano dictum est, Christi personae aptari.

*) un peu moindre que Dieu, en marge: ou les Anges

Deinde quomodo exponere liceat, Christum fuisse imminutum in morte sua, dum sine forma et decore, sub crucis probro et maledictione quasi deformis iacuit. Tametsi vero sufficeret ad primam quaestionem solvendam, quod quidam dicunt, aptam et congruam esse anagogen a membris ad caput: ego tamen ultra progredior, quia non tantum omnis creaturae primogenitus est Christus, sed humani generis instaurator: nam quae hic recenset David proprie ad creationis initium et integram naturam spectant. Porro scimus Adae lapsu totum humanum genus a nativa sua origine excidisse: quia et prope deleta fuit Dei imago, et exuti fuimus praecipuis donis quae nos quasi semideos factura erant: denique ex summa excellentia ad tristem foedamque inopiam redacti. Tali corruptione cessavit Dei liberalitas quam hic David praedicat: saltem ut in puro suo nitore minime appareat. Quamvis enim non prorsus exstincta fuerit, quantula tamen portio inter miseras ruinas cernitur? Sed quia rursus donorum omnium plenitudinem coelestis pater in filium suum contulit, ut ex hoc fonte hauriamus omnes: iure in eum primo gradu competit quidquid per ipsum nobis Deus largitur: imo ipse est viva Dei imago, ad quam nos reformari oportet: unde reliqua omnia dependent. Si quis excipiat, Davidem prius rogasse, quidnam est homo, quia tam liberaliter Deus in animal contemptibile et nullius pretii favorem suum effudit, talem non esse in Christo admirationis causam, qui non unus quilibet est ex vulgo hominum, sed unigenitus Dei filius: facilis solutio est, quod humanae Christi naturae datum est, esse gratuitum: imo hoc maxime illustre misericordiae Dei speculum esse, quod mortalis homo et filius Adae, unicus est Dei filius, et Dominus gloriae, et angelorum caput. Et simul notandum est quidquid donorum accepit, ideo magis gratuitum censeri, quia magis ad nos pertinet. Ergo praestantia eius et coelestis dignitas ad nos quoque extenditur, in quorum gratiam ea ditatus est. Quod de brevi abiectioe deinde tractat apostolus, non est exegeticum, sed κατ' ἐπεξεργασίαν ad suum institutum deflectit quod alio sensu dictum fuerat. Neque enim dubitavit Paulus Rom. 10, 6 hoc modo per amplificationem ornare Mosis verba, ubi dicit: Quis ascendet in coelum, etc. Deut. 30, 12. Non ergo tantum spectavit apostolus quid David sensisset, verum ad nomen diminutionis et decoris alludens, illam in morte Christi, hoc in resurrectione constituit. Eodem fere accedit expositio illa Pauli, ad Ephesios capite 4, 8. qua locum Psalmi 68, 19 non tam interpretatur, quam pia deflexione ad Christi personam accommodat.

7. (*Prefecisti eum.*) Iam ad secundum illud quod nuper attigi, caput descendit: hinc scilicet constare quanto amore complexus fuerit Deus ho-

mines, et quanti eos fecerit, quum illis dominium contulit rerum omnium. Nam quum ipse nulla re indigeat, in illorum usus destinavit omnem cooli et terrae opulentiam. Rarus certe et incomparabilis honor, quod mortalis homo vice Dei in mundo tanquam suo iure dominatur: et quocunque flectat oculos, videt nihil sibi ad beatam vitam deesse. Porro quod primae ad Corinth. 15, 27 citatur hic locus, ubi de spiritali Christi regno agitur, si cui videtur ab hoc sensu nimis remotum: in promptu est responsio, nempe generale hoc esse, totum mundi ordinem ita esse compositum, ut hominum felicitati serviat. Quomodo id uni Christo proprie conveniat, iam ostendi paulo ante. Hoc videndum modo restat, quam longe pateat omnium subiectio. Certe si quid adversum est hominibus in coelo vel in terra, iam collapsa est illa ordinis integritas, unde sequitur humanum genus, postquam defectione Adae dissipatum est, non modo hac tam praeclara et honorifica sorte privatum esse, ac priori dominio non potiri: sed captivum teneri sub deformi pudendaque servitute. Quamquam autem Christus legitimus est coeli et terrae haeres, per quem recuperant fideles quod ipsis in Adam ablatum fuerat, non tamen adhuc re ipsa plenam imperii sui possessionem adiit. Unde colligit apostolus hoc solide completum non iri, donec abolita mors fuerit. Sic itaque ratiocinatur: Si Christo subiecta sunt omnia, nihil eius membris adversum esse debet. Atqui videmus mortis tyrannidem adhuc grassari. Sequitur ergo manere spem melioris status. Hoc autem ab illo quod dixi principio manat, naturaliter in hunc finem conditum esse mundum, ut ad felicitatem hominis spectent singulae eius partes tanquam ad suum scopum. Sic alibi probat, omnes nos ad Christi tribunal esse olim sistendos ultimo die, quia scriptum sit: Mihi flectetur omne genu. Subaudienda enim est minor propositio, multos adhuc superbe et contumaciter excutere iugum et minime ad genuflexionem esse propensos.

8. *Oves et boves universos, atque etiam iumenta agrestia.* 9. *Volucres coelorum et pisces maris, quod perambulat semitas marium.* 10. *Iehova Domine noster, quam admirabile est nomen tuum in tota terra.*

Nondum penitus soluta videtur proxima quaestio, nam si expositive narrat hic propheta quomodo Dens omnia nobis subiecerit, talis subiectio ad praesentem terrenae vitae usum restringitur. Respondeo prophetam hic non omnia complecti, de quibus loquutus erat: sed exemplum in parte una duntaxat vel specio proferre, imo eam maxime partem elegit, quae rudibus quoque et crassis satis conspicua est. Nemo enim tam hebeti vel tardo

est ingenio, qui si aperiat oculos, non videat mirabili Dei providentia fieri ut equi et boves hominibus sua obsequia praebeant: ut ad eosdem vestientes lanam producant oves, ut iisdem alimentum ex propria carne omne genus animalia suppeditent. Quo magis visibile est dominii huius documentum, quoties vel cibo vescimur, vel fruimur reliquis commodis, divinae gratiae sensu nos magis decet affici. Non ergo simpliciter intelligit David, omnibus Dei operibus praefectum esse hominem, quia se lana et pellibus vestiat, quia animalium carne vescatur quia eorum laborem ad sua commoda applicet: sed tantum demonstrat in hoc spectaculo dominium illud quo ipsum Deus ornavit. Huc autem spectat summa, Deum in homine creando specimen immensae erga eum gratiae et plus quam paterni amoris edidisse, quod merito nos omnes reddere debeat attonitos. Iam quamvis hominis defectione conditio illa fere pessum ierit, manere tamen adhuc quasdam illius divinae liberalitatis reliquias, quae ad creandam nobis admirationem sufficiant. Sed quia in hac lugubri dissipatione non amplius refulget legitimus ille naturae ordo, fideles tamen, quos Deus sub Christo capite ad se colligit, residua bonorum, quibus in Adam spoliati fuerant, parte sic potiri, ut ampla illis admirationis materia suppetat, quod tam benigne ab eo tractentur. Etsi autem David tantum in temporalibus Dei beneficiis subsidit, nostrum tamen est altius progredi, et inaeestimabiles coelestis regni thesauros, quos in Christo explicuit, et quaecunque ad spirituales vitam pertinent dona, reputare, ut haec consideratio corda nostra ad pietatis studium accendat, nec torpere nos sinat in celebrandis eius laudibus.

PSALMUS IX.

ARG. David postquam recensuit superiores quas adeptus erat victorias, ac in eorum successu Dei gratiam et virtutem magnifice extulit: nunc denuo surgentibus novis hostibus et periculis, implorat eiusdem Dei fidem quem liberatorem erat expertus, eorumque superbiam prosterni optat.

1. Praefecto Almuth Laben, canticum Davidis.

Inscriptio haec varie exponitur. Nonnulli enim transferunt: Super morte Laben: et hunc praecipuum aliquem ex ducibus hostium fuisse volunt. Alii malunt, fictitium fuisse nomen: putantque in hoc Psalmo notari Goliath. Alii musicum fuisse instrumentum docent. Mihi vero rectius, vel saltim (ut in re obscura) magis probabile videtur, initium fuisse celebris carminis, ad cuius

modulos compositus fuit Psalmus. Quod autem disputant interpretes quam victoriam hic praedicet David, meo iudicio inane est. Primum quod epinicion esse existimant, in quo simpliciter Deo gratias agat David, contextus eorum errorem coarguit. Etsi enim maior pars in canendis Dei laudibus consumitur, tamen hoc totum ad precationem referri debet, nam ut animum suum ad fiduciam erigat, more suo commemorat quam insigni Dei potentia ereptus ante fuisset ex vi et manu hostium. Quare absurdum est, gratiarum actionem, quam multas liberationes complecti voluit, ad victoriam unam restringere.

2. *Celebrabo Iehovam in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.* 3. *Lactabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, o Excelse.* 4. *Dum vertuntur inimici mei retrorsum, concidunt et prostrantur a facie tua.*

2. (*Celebrabo Iehovam.*) Ita praefatur ut Deum ad opem in praesentibus malis ferendam sibi conciliet. Nam quia Deus continuo tenore gratiam suam erga fideles prosequitur, quidquid in nos contulit, spem nostram in posterum tempus fovere debet. Est quidem in iis verbis gratitudinis professio, sed tamen se hac memoria simul animat David ad bene sperandum: et hoc modo ianuam suae precationis aperit. Totum cor pro integro accipitur, vel sincero, quod opponitur duplici. Ita se non solum a crassis hypocritis discernit, qui summis tantum labris, absque interiore affectu, Deum laudant: sed quidquid praeclare hactenus gessit, se in solidum testatur agnoscere profectum a mera Dei gratia. Nam quamvis profanos quoque homines, ubi aliqua memorabili victoria potiti sunt, Deum sua laude fraudare pudeat, videmus tamen postquam uno verbo confessi sunt a Deo se fuisse adiutos, statim ad vanam iactantiam relabi: et sibi ipsis canere triumphos, ac si Deo nihil deberent. Denique nihil aliud quam ludunt, quoties obtinent Dei nomen suis rebus gestis: quia post oblatum Deo libamen, sacrificant suis consiliis, industriae, virtuti, copiis: ita enim sub unius superbi regis persona, communis omnium ambitio scite perstringitur a propheta Abacuc capite 1, 16. Imo videmus veteres illos et famosos duces, quum suo nomine supplicationes decerni peterent, nihil minus quam falsorum deorum honorem curasse: sed tantum fallaci titulo ad suam iactantiam fuisse abusos. Quare merito David filiis huius saeculi se dissimilem esse affirmat, quorum fallaciam detegit prava illa partitio, dum eius laudis, quam se Deo tribuere finxerant, maiorem ad se partem rapiunt: nam certe hoc non est Deum laudare in toto corde, si vel minimum ex eius gloria delibat mortalis homo,

quod sibi arroget: tantum abest ut tolerabilis sit sacrilega eorum superbia, qui se ipsos efferendo gloriam eius, quantum in ipsis est obscurant. *Narrabo omnia mirabilia.* Confirmat hoc membro quod prius dixi, non de una tantum victoria aut liberatione verba fieri: quia sibi in genere meditanda proponit David quae Deus in eius gratiam miracula ediderat. Porro miracula appellat, non quaevis beneficia sibi divinitus praestita, sed liberationes illas magis insignes et memoratu dignas, in quibus coelestis potentiae specimen lucebat. Nam etiam Dominus bonorum omnium autor vult agnosci: quibusdam tamen donis clariores notas inculpit, quae sensus nostros alioqui torpentes melius expergefaciunt. Ergo perinde est ac si testetur David se non vulgari modo fuisse a Deo servatum, sed conspicuam illic fuisse Dei virtutem, quia manum suam supra communem et usitatum ordinem mirabiliter extulerit.

3. (*Lactabor et exultabo.*) En quomodo sincere et absque fuco Deum celebrent fideles: nempe dum in se ipsis minime acquiescunt, nec eos inebriat stulta carnis confidentia, sed in Deo solo laetantur, quod nihil aliud est quam laetitiae materiam ex mera eius gratia petere, quoniam in ea consistat tota felicitas. Tenenda est enim antithesis inter gaudium quod ex se ipsis captant homines, et quod in Deo quaerunt. Ac quo melius exprimat David, se nihil sibi facere reliquum quod ipsum vana delectatione detineat vel occupet: exultandi verbum addit, quo significat plenum laetitiae cumulum sibi in Deo omni ex parte constare, ut ne minima quidem gutta alibi quaerenda sit. Iam memoria quoque repetere convenit quod supra attigimus, Davidem priora gratiae Dei documenta sibi proponere, ut alacrius sua ad Deum vota concipiat: nam qui precationis suae exordio sibi laetitiae materiam in Deo suppetere affirmat, optima fiducia se praemunuit.

4. (*Dum vertuntur.*) His verbis causam reddit, cur Dei laudes suscipiat canendas: quia scilicet se toties victorem non propria nec militum suorum virtute, sed gratuito Dei favore fuisse agnoscat. Priore membro historice narrat, hostes fuisse prostratos vel in fugam compulsos: postea ex fidei sensu adiungit hoc non accidisse humanitus vel fortuito, sed quia Deus contra ipsos in acie steterit. Prudenter ergo David, quum hostes suos terga dare conspiceret, mentis oculos ad Deum extulit, ut sentiret non aliunde quam ex abscondito eius auxilio victoriam sibi manare. Et certe ipse unus est qui spiritu consilii regit simplices, rursumque astutos dementat, stuporeque percutit: qui mollibus et pavidis inspirat fortitudinem, audacissimos vero quosque metu percellit: qui infirmos instruit novo robore, robustos vero debilitat: qui manus imbelles

Calvini opera. Vol. XXXI.

sustentat, gladios vero a bellicosus defluere facit: denique qui prosperum vel tristem pugnae eventum quocunque vult inclinatur. Ergo quoties videbimus hostes nostros cadere, cavendum est ne sensus noster in hoc aspectu subsistat, sicuti profani homines videndo caecutiunt: sed nobis occurrat haec doctrina, quae retro aguntur, profligari a facie Domini. Verba futuri temporis in praesens converti, quia David Dei gratiam quae illi pridem ostensa fuerat, sibi ante oculos iterum proponit.

5. *Quia fecisti iudicium meum et causam meam: sedisti super solium iudex.** 6. *Increpasti gentes, profligasti impium, nomene orum delevisi in saeculum et semper.*

Ultra progreditur hoc versu, sibi manum adiutricem a Deo fuisse porrectam, quia iniuste affligebatur. Et certe videndum est ut militemus sub Dei auspiciis, si cupimus eum nobis adesse: ideo appellat ipsum iudicem iustitiae, vel iustum, quod idem valet: ac si diceret, Deum egisse pro more suo et ratione perpetua, quoniam bonas causas soleat tuendas suscipere. Epithetum Iusti malui reddere in nominandi casu, quia sic magis emphatica est loquutio: ac si dixisset, Deum tandem suscepisse iudicis personam, tribunalque conscendisse ut iudicis partes impleat. Ideoque ius et rectum a sua parte stetisse gloriatur, iuris sui et causae Deum vindicem fuisse dicens. Quo etiam pertinet quod proximo versu sequitur, profligatum fuisse impium. Neque enim hostes prostratos videns, eorum eladi simpliciter insultat: sed eos iniustitiae condemnans, dicit quas meriti erant poenas dedisse. Gentium nomine intelligit non paucos tantum impios fuisse deletos, sed ingentes copias, et quidem ex diversis partibus insurgentes. Hinc autem melius refulget Dei bonitas, quod in unius servi sui favorem ne totis quidem populis pepercerit. Quod famam eorum dicit in saeculum fuisse extinctam, sic accipe, quod sine spe resurgendi excisi, et aeternae ignominiae addicti fuerint. Neque enim alioqui discernere liceret quomodo sepeliat Deus nomen impiorum cum ipsis, nisi quia pronuntiat memoriam iustis semper in benedictione fore, Prov. 10, 6.

7. *Inimice, finitae sunt vastitates in saeculum, et urbes destruxisti: perit memoria ipsorum cum ipsis.* 8. *Et Iehova perpetuo sedet, solium suum ad iudicium paravit.* 9. *Et ipse iudicabit orbem in iustitia, iudicabit populos in rectitudine.*

7. (*Inimice, finitae.*) Varie exponitur septimus versus. Quidam enim literam 7, pro interrogationis

*) iuste iuge, en marge: ou pour iuger iustement.

nota accipiunt, ac si David hostes suos compellans, quaereret sintne impletae vastitates, sicuti ipsi statuerant omnia perdere. Nam verbum **נִסְּתָה** nunc perficere, nunc finem imponere significat. Ita ironice perstringeret David stultam hostium confidentiam. Alii sine interrogatione magis apertam ironiam faciunt, putantque duplicem statum describi: quia David priore loco hostes inducit saevo impetu grassantes, et obstinate pergentes in sua saevitia: ut videri possint nullum finem facturi, nisi penitus exciso Davidis regno. Deinde e regione statuit Deum in solio sedentem, ut furiosos illos conatus reprimat. Si placeat hic sensus, copula **וְ** in adversativam particulam resolvenda erit, hoc modo: Tu quidem hostis nihil nisi caedes et urbium ruinas spirabas: atqui demum se iudicem in coelo sedere Deus ostendit, qui res in terra turbatas componat. Aliis videtur David gratias Deo agere, quod quum impiis decretum esset omnia perdere, finem imposuerit eorum vastationibus. Coactius alii impletas vastitates exponunt, quod Deus iusta vindicta, quae in Davidem machinati fuerant impii, in eorum capita verterit. Alii primum Davidem conqueri existimant, quod Deus miseram populi sui dissipationem tacitus diu tulerit, atque ita factum sit ut impii pro libidine omnia perderent: postea consolationis loco subiicere, Deum tamen praeesse rebus humanis. Mihi non displicet, ironice primo describi quam formidabilis inter primos motus fuisset hostium potentia: deinde opponi Dei iudicium, quod illorum progressus repente praeter spem abruptit. Scimus enim impios, quamvis non aperte abrogent Deo imperium, tamen non minus audacter ad omnem scelerum licentiam ruere, quam si compedibus victus esset. Similem fere loquendi formam annotavimus Psalmo 7, 13. Atque haec comparatio auxilii divinitus allati miraculum optime illustrat, quod nec impii sibi nocendi modum statuerint, nisi omnibus funditus deletis, et initio visa fuerit instare ultima vastitas: rebus vero ita confusis tempestive apparuerit Deus. Ergo quoties nihil praeter interitum nobis occurrit, meminerimus oculos conicere ad coeleste solium, unde rebus humanis prospicit Deus. Omnes enim tentationum conflictus hoc clypeo repellere convenit: licet in mundo ad ultimam desperationem redacti simus, Deum nihilo minus in coelo iudicem sedere. Imo quum dissimulat, nec statim medetur malis nostris, fidei sensu apprehendere convenit occultam eius providentiam. Primo dicit Deum perpetuo sedere: quo intelligit, quantumvis alte se efferat hominum violentia, et sine modo prorumpat eorum furor, Deum tamen nunquam ex sua sede posse detrahi: nec fieri posse ut se iudicis officio et potestate abdicet, quod secundo membro clarius exprimit: dicit enim non ideo tantum regnare, ut sublimis emineat

eius maiestas et gloria, sed ut mundum iuste gubernet.

9. (*Et ipse iudicabit.*) Sicuti nuper testatus est David, Deum non otiosa potentia esse praeditum, ut deliciis indulgeat, sed ut in recta iustaque mundi gubernatione exerceat suum imperium: sic nunc huius doctrinae usum addit, quod scilicet coelo inclusa non sit Dei virtus, sed se ad homines iuvandos patefaciat. Atque haec vera theologia est, Deum non imaginari, cum Epicuro, vacantem otio vel deliciis, et qui se uno contentus humanum genus negligat: sed in solio potentiae et aequitatis locare, ut certo persuasi simus, etiamsi non statim succurrat iniuste oppressis, nunquam tamen eorum curam abiicere. Et certe ita statuendum est, quum dissimulat, non deserere suas partes, sed exercere suorum patientiam: ideoque pacatis animis exspectandum esse exitum. Pronomen demonstrativum apud me pondus habet: ac si diceret, non posse hoc Deo eripi quin ipse mundum iudicet, suaque iudicia ad omnes populos extendat. Unde sequitur, multo magis suorum fore iudicem. Et iudicia haec recta esse pronuntiat David, ut iniuste et crudeliter vexati, auxilium ab ipso certa spe petamus: quia quum populos in rectitudine iudicet, nec iniustas violentias semper impune grassari sinet, nec innocentiam ope sua fraudabit.

10. *Et erit Iehova munimentum pauperi, protectio opportunis temporibus in tribulatione.* 11. *Et sperabunt in te qui cognoscunt nomen tuum: quia non derelinquis quaerentes te, Iehova.* 12. *Psallite Iehovae habitatori Sion, annuntiate inter populos gesta eius.* 13. *Quia requirens sanguinem eius recordatus est, non est oblitus clamoris pauperum.*

10. (*Et erit Iehova.*) Occurrit tentationi quae duriter infirmos percellit, dum se ac sui similes impiorum libidini vident expositos, silente Deo. Nam admonet, ideo suam opem differre, et in speciem relinquere suos fideles, ut laborantibus et afflictis magis opportune tandem succurrat, unde sequitur ipsum minime cessare in suo officio, si quando bonos et innoxios ad inopiam redigi patitur, si in lacrymis et querimoniis eos exercet: quia hoc modo lucernam accendit, ut melius appareant sua iudicia, ideo etiam exprimit, praesidium suum tempestive in ipsa afflictione proferre: quo docemur eius providentiae dandum esse spatium, ut tandem se in necessitate proferat. Quare si nihil nobis melius est quam Dei manu protegi, paternumque eius favorem sentire, ne adeo molestum sit censeri coram mundo pauperes et miseros: sed dolorem nostrum leniat haec consolatio, non procul abesse Deum, quem ad nos iuvandos aerumnarum nostrarum accersunt. Quibusdam **בְּצָרָה** videtur esse simplex

dictio, quae Hebraeis prohibitionem significat: hic autem metaphorice pro angustia accipiunt, dum quis in arctum coactus, nullum exitum invenit. Magis tamen probabilis est eorum sententia, qui γ servilem literam esse docent, dicitur itaque praesto esse Deus ad opportunitates, nempe dum pios urget afflictio. Versu undecimo fructum hunc consequi docet, quoties iustos liberat Dominus, ut ipsi et reliqui omnes in fiducia gratiae eius magis ac magis proficiant: nisi enim persuasum nobis sit, Deo curae esse res humanas, continua inquietudine nos vexari necesse erit, sed quia plurimi ad Dei iudicia caecutiunt, profectum hunc David ad solos fideles restringit, et certe ubi nulla est pietas, nullus est operum Dei sensus. Notandum etiam quod fidelibus tribuit notitiam Dei quia hinc nascitur religio, quae ignorantia et stupore hominum exstinguitur. Porro, quamvis Dei nomen multi simpliciter pro Deo accipiunt, ego tamen (ut iam alibi dixi) amplius aliquid exprimi arbitror: nam quia occulta et incomprehensibilis est eius essentia, quatenus se nobis patefacit, maiestas eius in nomine statuitur. Sperandi causam deinde exponit, quia Deus non deserit qui ipsum quaerunt. Fit autem hoc duobus modis, vel invocatione et precibus, vel studio sancte recteque vivendi. Et hoc quidem semper cum illo coniunctum est: sed quia hic de praesidio Dei agitur, in quo sita est piorum salus: Quaerere Deum, interpretor, ad eius fidem confugere.

12. (*Psallite Iehovae.*) David non contentus privata gratiarum actione, fideles ad consensum laudandi Dei hortatur: non modo quia ad hoc pietatis officium alii alios incitare debent: sed quia liberationes, de quibus agitur, publico solennique praeconio dignae erant, quod etiam secundo membro clarius exprimitur, ubi eas annuntiari iubet inter populos. Sensus enim est, non satis pro sua dignitate celebrari, nisi sua fama totum orbem impleant. Quamvis autem hoc esset quasi surdis canere: hac tamen loquendi forma testari voluit David, magis angustos esse Iudaeae fines quam ut immensam illam laudem Dei amplitudinem possent capere. Deum *habitorem Sionis* vocat, ut eum a fictitiis omnibus gentium idolis discernat. Est enim tacita comparatio inter Deum illum qui foedus suum cum Abraham et Israële pepigerat, et Deos omnes qui passim in mundo temere colebantur. Neque enim satis est, confusum Dei numen in pretio et honore esse, nisi vero et unico Deo distincte tribuitur suus cultus. Porro, quia Deus locum illum delegerat ubi nomen suum invocaretur, merito David hoc illi quasi proprium domicilium assignat: non quod ipsum fas sit loco includere, quem coeli coelorum non capiunt: sed quia promiserat illam fore suam requiem in saeculum saeculi, ut alibi videmus. Neque enim David suo arbitrio sedem illic

Deo assignaverat, sed oraculo edoctus erat, Deo ipsi placere, sicut a Mose saepius praedictum erat. Quo etiam confirmatur quod prius dixi, Psalmum hunc non fuisse compositum de caede Goliath: quia nonnisi sub finem regni Davidis ex Dei mandato, arca foederis Sionem translata fuit. Durum enim et coactum est quod nonnulli coniiciunt, de re futura spiritu prophetico Davidem loquutum esse. Caeterum videmus sanctos patres, dum Sionem concurrerent ad offerenda Deo sacrificia, nihil aggressos esse proprio motu: sed in fide verbi fundatos suam obedientiam Deo probasse. Unde sequitur, perperam obtendi eorum exemplum ad excusandos cultus quos sibi superstitiosi homines sponte fabricant. Adde quod tunc non satis fuit a verbo Dei pendere fideles, nisi externis symbolis adiuti sursum mentes attollerent, ipsumque spiritualiter colebant. Vera quidem praesentiae suae signa exhibuit Deus in illo visibili sanctuario, sed non ut populi sensus terrenis elementis alligaret: quin potius externa illa symbola, scalarum loco esse voluit, quibus in coelum usque assurgerent fideles. Nam ab initio Deus et sacramenta et externa omnia pietatis exercitia ad hunc finem retulit, ut populi sui ruditati consuleret. Itaque hic legitimus hodie est illorum usus, si nos ad Deum spiritualiter in coelesti gloria sua quaerendum adjuvant: non autem occupant in mundo, vel retinent in carnis figmentis, qua de re posthac opportunior erit tractandi locus. Sicuti autem olim Dominus, quum se incolam Sionis vocaret, solidam fiducia, quietis, et gaudii materiam populo suo dare voluit: nunc postquam egressa est lex e Sion, et ex illo fonte ad nos foedus gratiae manavit: sciamus eum ubique praesidere in medio fidelium, qui eum pure et rite ex praescripto verbi eius adorant.

13. (*Quia requirens.*) Nomen Sanguinum plurali numero hic positum est: ideo relativum quod subiicitur, commode eodem referemus, quia tamen Hebraeis satis tritum est, ordinem antecedentis et relativi invertere, quidam de pauperibus exponunt hoc modo: Requirens sanguinem, recordatus est ipsorum: nempe pauperum de quibus paulo post loquitur. Quanquam autem ad summam rei parum interest utrovīs modo veritas: prior tamen sensus melius fluit. Est autem repetitio eius quod nuper dixerat, Dei virtutem in misericordia cum servis suis iniuste afflictis praecipue considerandam esse. Unam enim operum Dei speciem ex multis tanquam apprime memorabilem commendat, quod scilicet pauperes a morte liberet: et si quando ipsos affligi sinit, deinde tamen illatas iniurias ulciscatur. Quanquam autem verba quibus utitur, continuum actum designent: mihi tamen dubium non est quin Deum requirere innoxium sanguinem, et olamoris suorum memorem esse, ex illis, quae retulit, exem-

plis agnosci velit. Atque iterum inculcat quod prius attigi, Deum non semper mature, ut vellemus, occurrere iniuriis, neque inter ipsa initia frangere impiorum conatus: sed potius auxilium suum suspendere, ut irritus videri possit clamor noster: quod tenere operae pretium est: nam si Dei auxilium metimur sensu nostro, subinde nobis labascent animi, nec tandem guttam bonae spei retinebimus. Vellamus (ut dixi) ipsum procul extenta manu antevertere quas nobis parari videt molestias: ipse autem dissimulat, nec prohibet quo minus sanguis innoxius fundatur, sed haec consolatio nos sustineat, quod tandem re ipsa ostendet, pretiosum sibi fuisse sanguinem nostrum. Si quis obiiciat, serum esse Dei auxilium postquam malis omnibus defuncti simus: respondeo, ipsum non ultra quiescere quam nobis utile est sub cruce humiliari, nec ideo vindictam auxilio praeferre, quasi non semper ad nos iuvandos voluntarius sit ac paratus: sed quia manifestandae gratiae non semper idoneum esse tempus agnoscit. Interim hoc singulare est non modo paterni eius erga nos amoris, sed et beatæ immortalitatis testimonium, quod mortuos etiam curat. Nam si gratia sua nos semper praeveniret, quis non affixus esset praesenti vitae? Sed dum mortem nostram ulciscitur, hinc apparet coram ipso nos manere superstitēs, neque enim hominum more colit eorum memoriam quos servare vivos non potuit: sed re ipsa probat foveri in suo sinu et custodia qui videntur secundum carnem extincti. Haec ratio est cur dicat David, ipsum recordari sanguinis, dum eum requirit: quia licet suos in ipso articulo ex impiorum gladiis non liberet, caedes tamen inultas non patitur. Eodem et posterius membrum spectat, *non oblivisci clamoris*: quia licet ad suorum querimonias non statim se attendero effectum probet: tandem a se observatas fuisse demonstrat. Clamoris vero diserte fit mentio, ut vota sua, gemitus, et preces ad Deum dirigant quicunque eum cupiunt sentire liberatorem aut vindicem.

14. *Miserere mei Iehova, vide afflictionem meam ab iis qui me persequuntur, tu qui me exaltas e portis mortis*: 15. *Ut recitem omnes laudes tuas in portis filiae Sion, exsultem in salute tua*.

14. (*Miserere mei*.) Hanc existimo secundam esse partem Psalmi. Aliis secus videtur, quod scilicet David ut plerumque solet, inter agendas gratias simul etiam narret quid inter ipsas necessitatis angustias precatus sit: et fateor eiusmodi exempla passim occurrere. Sed dum omnes circumstantias proprius expendo, in diversam partem inclinare cogor: principio scilicet collatas sibi gratias celebrasse, ut viam sibi ad orandum sterneret, nam

Psalmus demum precatione claudetur. Non ergo hic obiter inserit quae prius inter media pericula et curas vota conceperat: sed ex professo Dei opem implorat, petitque ut idem ille, quem saepe liberatorem erat expertus, gratiae suae cursum continuat. Ac fieri potest ut hostes iam aliquoties victi, collectis novis viribus et animis, extrema tentaverint: ut saepe videmus desperatos tumultuosius et maiore impetu furere. Certum quidem est, quum precatus est David, oblatum fuisse illi maximum terrorem, neque enim abs re Deum suae afflictionis testem advocat. Notandum autem est, dum ad Dei misericordiam suppliciter confugit, aequo et modesto animo crucem sibi impositam ferre. Sed in primis, notandum est epithetum quo Deum ornat, suum exaltatorem a portis mortis vocans, neque enim melius nomen occurrit pro Hebraico מְרַחֵם. Nam primo fidem suam ab experientia confirmat, quia saepe ereptus fuerat e summis periculis: deinde salutem sibi promittit in ipsis mortis faucibus, quia consueverit Deus non tantum usitatis modis servos suos iuvare, eorumque malis mederi, sed ipsos e sepulcro educere, postquam spes vitae praecisa est. Portas enim mortis metaphorice appellat ultima discriminia quae interitum minantur, imo iam apertum sepulcrum ostendant. Ergo ne vel malorum praesentium gravitas, vel impendentium metus fidem nostram absorbeat, vel preces nostras abruptat: revocemus in memoriam, non frustra hoc Deo munus adscribi, quod suos extollat e portis mortis.

15. (*Ut recitem*.) Quanquam simpliciter intelligit David, per omnes coetus, et ubicunque erit maxima populi frequentia, se Dei laudes celebraturum (quia tunc in portis solebant agere conventus) videtur tamen allusio esse ad portas mortis, ac si dixisset, postquam ereptus est a sepulcro, se daturum operam ut Dei gratiam in maxima luce testetur. Sed quia non sufficit, Dei laudes in linguis nostris sonare, nisi ex animo profisciscantur, additur interior laetitia, ac si dixisset, non alium in finem sibi in animo esse, praesenti vita frui, quam ut gaudeat se a Deo servatum esse. Sub filiae nomine, populum vel civitatem intelligi notum est, sed urbem ipsam a praecipua parte denominat.

16. *Demersae sunt gentes in foveam quam fecerunt: in rete quod absconderunt, captus est pes eorum*.

17. *Notus est Iehova iudicium faciendo: in opere manuum suarum illaqueatus est impius. Higaion Selah*.

16. (*Demersae sunt*.) Iam David, fiducia erectus, hostibus suis insultat. Ac primum quidem metaphorice dicit, propria eos astutia et insidiis fuisse irretitos. Deinde hoc idem sine figura exprimit, quod in suo scelere illaqueati fuerint. Hoc

haec precandi forma, quantumvis impotenter superbiant hostes nostri, tamen in manu Dei esse, nec plus posse, quam illis permittit: nec dubium esse quin Deus, quoties volet, redditurus sit omnes eorum conatus vanos et irritos. Ideoque nomen hominis ponit quod ab aerumnis deductum est, ac si quis latine diceret mortalem hominem, vel caducum. Porro, Deus gentes coram facie sua iudicare dicitur, quum eas quodammodo ad tribunal suum stare cogit. Scimus enim incredulos, donec violenter trahantur in consepectum Dei, tergum illi obvertere, ut iudicem suum non cogitent.

21. (*Impone Iehova.*) מורה Graecus interpres legislatorem vertit: א ירה deducens, quod docere interdum significat. Sed circumstantia loci postulat ut pro metu vel terrore sumamus, idque inter omnes sani iudicii doctores convenit. Porro, videndum est de qua timoris specie loquatur, nam Deus communiter electos etiam suos timore subigit ad obsequium. Sed quia suum erga eos rigorem temperat, et simul emollit lapidea ipsorum corda, ut sponte et placide se submittant, proprie non dicitur eos metu cogere. Erga reprobos diversum agendi modum tenet, quia enim inflexibilis est eorum durities, ut facilius sit eos frangi quam corrigi, violenter indomitam ipsorum contumaciam subigit: non quod resipiscant, sed quia, velint nolint, illis exprimitur suae infirmitatis confessio. Quantumvis enim fremant, atque ebulliat ipsorum rabies, imo truculentia superent feras belluas: obiecto tamen Dei terrore, cum suo impetu sternuntur, atque etiam mole ruunt sua. Quod quidam exponunt de Davide, ut sub eius iugum Deus gentes mittat, eiusque imperio reddat tributarias, frigidum est ac coactum. Terror enim generaliter quaevis Dei flagella comprehendit, quibus retunditur eorum contumacia, qui Deo nunquam parerent nisi inviti. Sequitur deinde quorsum gentes adigi oporteat, nempe ut se mortales homines cognoscant. Quod etsi prima specie videtur levis esse momenti, non vulgarem tamen doctrinam continet. Quid enim est homo, ut digitum a se ipso movere audeat? Atqui perinde exultat impiorum omnium licentia, ac si omnibus impedimentis soluti essent. Sibi quidem falsa imaginatione arrogant quidquid Dei proprium est: denique nunquam eo intemperantiae ruerent, nisi illis ignota esset sua conditio. Non intelligit quidem David eo usque profecturos esse impios sub Dei ferulis, ut vere se et ex animo humilient: sed cognitio de qua loquitur, tantum est experimentalis: ac si dixisset: Fac Domine, quando eos ignoratio sui in furorem praecipitat, ut re ipsa sentiant vires suas stultae confidentiae esse imparos, ac ubi eos frustratae erunt vanae spes, pudefacti iaceant. Hoc vero saepe accidere potest, ut tamen non resipiscant, quibus ostensa est sua infirmitas: sed satis est cum ludibrio sacri-

legam eorum audaciam traduci, ut re ipsa appareat ridiculam fuisse quam de sua virtute fiduciam praesumpserant. Quantum ad electos Dei spectat, aliter eos proficere convenit, ut infirmitatis suae sensu deiecti, sponte se omni fiducia exinquant, hoc vero fiet si homines se meminerint. Scite enim et prudenter ab Augustino dictum est, totam hominis humilitatem in sui notitia positam esse. Porro quoniam omnibus ingenita est superbia, necesse est promiscue omnibus a Deo terrorem incuti, ut fideles modestia discant: reprobi vero, licet conscendere non desinant supra humanam sortem, cum dedecore retrocedant.

PSALMUS X.

ARG. Suo et piorum omnium nomine conqueritur David fraudes, rapinas, crudelem violentiam, omneque iniustitiae genus passim grassari in mundo: causamque assignat, quod impii et seclerati homines laeto et prospero rerum suarum successu ebrii, excusso Dei metu, sibi quidvis impune licere confidunt. Itaque opem Dei implorat, ut remedium afferat extremis malis. Tandem spe liberationis se et alios fideles consolatur. Porro haec descriptio vivam publici status corrupti et perversi imaginem quasi in speculo repraesentat. Quare ubi iniquitas instar diluvii exundat, ne fidem percellat temptationis novitas, ut animum despondeant filii Dei, oculos ad hoc speculum referre discant. Nam ad levandum dolorem, plurimum valet haec comparatio, nihil nobis hodie accidere quod non olim experta sit ecclesia Dei: imo in eadem arena nos exerceri cum Davide sanctisque aliis patribus. Deinde monentur fideles, in rebus ita confusis quaerendum esse Deum: quia nisi succurrerendi partes tribuant Deo, nihil caeco fremitu et iactis in aërem querimoniis proficiunt.

1. *Ut quid Iehova stas procul? connives ad opportuna tempora in angustia?*)* 2. *In superbia impius persequitur pauperem, comprehendantur in astutiis quas cogitant**.)*

1. (*Ut quid Iehova.*) Videmus ut propheta desperatis malis remedium quaerens, statim ab initio Deum recta compellet. Atque haec nobis tenenda est ratio, ut turbati et anxii solatium petamus ex Dei providentia: quia inter curarumstrarum agitationes et aestus fixa manere debet haec persuasio, proprium eius esse munus miseros et afflictos auxilio iuvare. Improperie tamen et per anthropopathiam***), Deum in loco remoto stare dicit, cuius oculos nihil

*) au temps que sommes en tribulation, en marge: Heb. aux opportunités, ou aux temps opportuna.

**) Le méchant en orgueil poursuit le pauvre, en marge: ou, le pauvre est persécuté, ou, il brûle en l'orgueil des méchants.

***) en marge: C'est quand nous attribuons à Dieu, les passions, affections et façons de faire des hommes.

fugit. Sed quia Dominus secum humano more agere nobis permittit, nihil absurdum continent istae loquutiones, modo sciamus figurate ad Deum transferri quod ex praesenti rerum intuitu sensus noster concipit, nam fieri quidem potest ut homo quispiam iustus iniuriam ante oculos suos pauperi factam non compescat, quia deest facultas: id autem in Deum non competit, qui semper armatus est invicta potentia: quare si dissimulat, perinde est ac si procul se subduceret. Verbum *סתר* quod abscondere significat, duobus modis exponitur, nam secundum quosdam expostulat David cum Deo, quod se occultet, quasi res humanas cura sua non dignetur. Alii accipiunt pro claudere oculos, quod simplicius videtur. Porro notandum est quamvis hic queratur David Deum longe abesse, de eius tamen praesentia certo fuisse persuasum, alioqui frustra eum advocasset. Interrogatio autem qua utitur huc tendit. Quid hoc sibi vult Domine, quum tuum sit mundum gubernare, et quem virtute tua sustines, iustitia quoque moderari, ut non citius contra tantam impiorum audaciam te vindicem ostendas? Quamquam David non tam expostulandi causa sic loquitur, quam ut se ipsum ad impetrandi fiduciam animet. Pro infirmitate quidem sensus sui minime consentaneum esse dicit ut Deus ab officio suo tandiu cesset: non desinit tamen interea suum illi honorem deferre, et tantum molestiae onus, quo gravatur, precibus in eius sinum deponit. Eodem pertinet quod sequitur: Ad opportunitates. Nam ut Deus singulis momentis manum suam non proferat: ubi tamen simplices et innoxios opprimi conspiciat, non est amplius cessandi tempus. Agendi enim opportunitas breviter definitur, quum versantur fideles in angustia. De qua loquendi forma diximus proximo Psalmo, versu decimo.

2. (*In superbia.*) Priusquam imprecationem concipiat contra impios, crimen eorum breviter exponit, quod scilicet miseros non alia de causa crudeliter vexent, nisi quia superbe eos despiciunt. Saevitiam vero non parum amplificat haec circumstantia, quod humanitatis obliti, pauperibus et afflictis contumeliose insultent. Superba quidem semper est crudelitas, imo superbia omnium iniuriarum mater est: quia nisi quis fastu se efferret supra proximos, et plus aequo sibi arrogans illos despiceret, nobis communis humanitas modestiae et aequitatis legem praescribit: sed hic exprimere voluit David, impiis, quos accusat, nonnisi altos et feroces spiritus in causa esse cur, non lacessiti, saeviant contra miseros et inopes. Quisquis ergo iuste et sine noxa versari cum fratribus cupit, ne sibi placeat cum aliorum contumelia, sed animum suum superbiae morbo in primis purgare studeat. *קרק* Hebraeis tam pati quam inferre persequutionem significat: ideo quibusdam magis placet in

neutro genere accipere. Non male etiam verti posset, pauperem ardere in superbia impii: quia haec frequentior est verbi significatio, nam fastus impiorum miseros homines instar ignis devorat.

3. *Quia se laudat impius super desiderio animae suae, et violentus sibi benedicit: spernit Iehovam.*
4. *Impius in altitudine naris suae non exquirat, omnes eius versutiae, non Deus.*

3. (*Quia se laudat.*) Varie exponitur hic versus. Quidam in accusativo casu vertunt Impium et violentum: quia durum esse putant, verba transitiva absolute posita esse, sed quum satis constet, frequenter apud Hebraeos casum subaudiri, ubi eadem patientis et agentis est persona, commodior (meo iudicio) et aptior erit illa interpretatio quam sequutus sum: nempe quod se impius laudet, vel gloriatur super desiderio animae suae, sibi que benedicat. Nunc quaeritur quale sit istud animae desiderium. Sic quidem fere accipi solet, impios sibi blandiri et applaudere, dum fortuna respondet eorum votis, et quidquid illis in mentem venit optare, consequuntur: sicuti paulo post subiiciet, prospero suo statu ad quidvis audendum abuti. Sed *desiderium animae* hic mihi libidinem et intemperantiam magis notat: ut sensus sit, suaviter eos sibi indulgere in pravis suis cupiditatibus et contempto Dei iudicio, secure a reatu se absolvere. Pro quo Moses Deuteronomii capite vigesimonono, versu 19. dicit benedicere animae suae super inventionibus vel figmentis cordis. Dicit quidem paulo post David impios sua prosperitate abuti, ut sibi delicias faciant: sed nunc gravius aliquid (meo iudicio) exprimit: quod scilicet laudem acquirant ex audacia, et in sceleribus suis gloriantur: quae securitas effraenis proterviae causa est. Itaque laudandi et benedicendi verba eodem sensu posita interpreto: sicuti Impius et Violentus synonyma sunt, quod ad praesentem locum attinet: licet inter se differant tantum genus et species. His convenit quod proxime additur in fine versus, impios illos Deum spernere. Nam quod aliqui Blasphemare vertunt, alii ad iram provocare, a contextu remotius est, quin potius David supinae illius indulgentiae causam esse docet crassum Dei contemptum. Nam qui Deum fore iudicem reputat, ei terror obicitur ne animae suae benedicere audeat, dum sibi male conscius est.

4. (*Impius in altitudine.*) Vertunt alii, prae violentia irae suae, vel in superbia quam prae se fert, Deum non requirit impius. Sed partim sensum depravant: partim extenuant quod exprimere voluit David. Primo verbum exquirendi absolute positum perperam restringitur, quum simpliciter intelligat David, impios sine examine sibi quidvis permittere, vel non discernere inter fas et nefas:

quia illis sua cupiditas pro lege est, imo tanquam legibus soluti licitum sibi esse fingunt quidquid libuit. Principium recte agendi in tota vita, inquisitio est: dum scilicet neque temere pro nostro ingenio, neque perversae carnis nostrae impetu rapimur. Studium vero inquirendi ex modestia nascitur, dum nobis Deum arbitrum et moderatorem praeficimus ut aequum est. Recte ergo propheta impios dicit, omni delectu posthabito quidquid concupiscunt secure aggredi: quia elati superbia nullam Deo iudicii potestatem relinquunt. אֵל non dubito hoc loco acceptum esse in proprio et nativo sensu, non autem metaphorice pro ira: quia fastuosi homines vultu quoque impudentiam suam produnt. In secundo membro durius eos vel saltem apertius accusat propheta, quod omnes eorum pravae cogitationes ostendant nullum illis esse Deum. Quibus verbis intelligo, sacrilega audacia fas omne et ius pervertere, ac si nullus sederet in coelo Deus. Nam si quem esse Deum persuasi forent, comprimeret eos futuri iudicii metus. Non quod distincte negent esse Deum, sed quia sua illum virtute spoliunt, idoli autem instar erit Deus, si otiosa essentia contentus, iudicis officio se abdicet. Deum itaque, quantum in se est, abolent quicumque mundum non subiiciunt eius providentiae, vel ad eum regendum non sentiunt manum eius esse extentam. Neque vero sufficit frigidam de iudicio Dei notitiam concipere: quia is demum verus est providentiae eius sensus, qui nos in eius reverentia continet. Maior pars interpretum generaliter hoc sumit, omnes impii hominis cogitationes tendere ad Deum negandum. Ego מִזְמוֹר (ut saepe alias) in malam partem accipi arbitror, pro astutis et iniquis cogitationibus: ut ille sit sensus quem notavi, quum impii nihil non machinari audeant, satis inde liquere, omnem Dei metum ex eorum cordibus esse deletum.

5. *Prosperantur viae eius omni tempore: altitudo iudicia tua coram ipso, in omnes inimicos suos sufflat.* 6. *Dicit in corde suo: Non nullo in generationem et generationem quia non in malo.*

In principio versus non parum variant Interpretes. Graecus, quia putabat a radice קָלַל deduci futurum קָלַל, vertit: Inquinatae sunt viae eius. Atqui inter Hebraeos satis convenit esse a radice קָלַל. Sed multi active sumunt pro Terrorem incutere, vel molestiam afferre: ac si dictum esset: Viae impii formidabiles sunt bonis, eosque excruciant. Quidam etiam ad Deum referunt, quod viae eius veniant, hoc est succedant omni tempore: nimis tamen coacte, meo iudicio. Sed quum in aliis scripturae locis idem valeat quod prosperari, miror de loco praesenti inter doctos esse controversiam, quum secundo membro mox clare osten-

dat propheta se de felici impiorum statu loqui, et continuo laetitiae tenore qui eos inebriat. Porro non tantum de ista felicitate conqueritur propheta, sed eorum crimen inde exaggerat, quod Dei benignitate se ad malitiam obdurent. Ideoque sic resolvo: Quoniam illis continua prosperitas fluit, Deum sibi obstrictum esse somniant, ita fit ut procul a se repellant eius iudicia. Quod si quis adversetur, statim se flatu posse discutere confidunt. Tenemus nunc simplicem prophetae sensum, quod scilicet Deo illudant impii, tolerantiae eius praetextu: sicuti nequam ille Dionysius in secunda navigatione iactabat deos sacrilegis favere. Hinc fit ut Dei iudicia longissime repellant. Nam quod alta illis esse Dei iudicia, nonnulli tantundem valere putant, ac si diceret propheta, nimis clementer ipsis ignosci: quemadmodum alibi conqueritur eximi a communibus miseriis: verbis non tam apte convenit, imo duram ac cortortum esse apparet. Dicuntur ergo iudicia Dei altitudo esse impiis, quia freti longa distantia, non modo sibi inducias in totam vitam, sed aeternum cum morte foedus promittunt. Videmus enim ut tempus sibi prorogando veternum sibi obducant: imo Deum coelo inclusum fingentes, quasi nihil sibi esset cum eo negotii, sese ad spem impunitatis confirment. Sicuti apud Iesaiam 22, 13 prophetarum minas suis sannis excoipiunt: Edamus et bibamus, cras moriemur. Nam quum severa denunciatione vindictae Dei populum terrerent prophetae, isti fabulas esse clamitabant. Ideoque acriter in eos invehitur Deus, quod se ad luctum, cinerem, et saccum vocante, ipsi ad citharam et epulas populum invitaverint. Tandemque iusiurandum subiicit: Vivo ego si unquam delebitur iniquitas haec. Attollunt quidem fideles in sublime oculos, ut Dei iudicia suscipiant: sed non secus metuunt ac si iam capitibus suis instarent. Impii vero contra, quamvis ea despiciant, ne tamen eorum metu vel cura turbentur, in coelum ablegant: sicut Epicurei Deum palam negare non audentes, fingunt in otio deliciari. Ex illo stupore manat confidentia de qua loquitur David, quod solo flatu se perdituros non dubitant quidquid hostium exstiterit. Nam verbum פָּרַח quod illaqueare interdum significat, hic pro sufflare aptius sumitur. Eandem sententiam proximo versu confirmat, quod statuunt in cordibus suis se extra omne mutationis discrimen versari. Quamvis autem superbas eiusmodi voces saepe evomant, solum tamen pravae arrogantiae occultum ulcus, quod intus foveat, perstringit David: ideoque non recitat quid ore loquantur, sed quid sibi in corde persuadeant. Quaeritur tamen cur in aliis accuset David quod de se ipso toties profitetur, nam Dei praesidio fretus, periculis omnibus animose insultat. Et certe filios Dei salutem suam in tuto locare convenit, ut mundo centies ruente, sta-

biles se mansuros cogitent. At solutio facilis est, fideles sibi stabilitatem non alibi quam in Deo promittere, et quidem talem ut se tamen omnibus procellis expositos esse noverint et patienter subiiciant. Longe vero duo haec inter se differunt, Dei contemptorem, qui prospera fortuna hodie fruitur, humanae conditionis oblivisci, ut sibi quietum nidum falsa imaginatione supra nubes figat: rursus pium hominum, dum vitam suam de filo pendere, milleque mortibus obsessam esse reputat, seque ad ferendas quaslibet aerumnas offert, nec secus in mundo agit ac si in mari procelloso naviget, solius tamen gratiae Dei fiducia molestias et anxietates suas lenire ac solari. Dicit impius: Non movebor, vel non nutabo in perpetuum, quia scilicet roboris sui duritiem ad omnes impetus sustinendos satis validam esse putat. Dicit fidelis: Ut nutare mihi contingat, imo etiam cadere subindeque in profundum demergi, non erit tamen exitialis ruina: quoniam supponet Deus manum suam. Hinc et altera quaestio solvitur, nam fideles in se ipsis trepidi, ad gratiae Dei asylum propere confugiunt: impii vero quamvis expavescent ad strepitum folii cadentis, et in continua inquietudine versentur, callum tamen stuporis sibi obducunt, vel accersunt sibi insanam vertiginem, ut extra se positi mala sua non sentiant. Causae redditio, quae sequitur, quia non in malo, duos sensus recipit, vel quod ex priori immunitate spem quieti et laeti status concipiant impii, vel quod se a communi hominum ordine, fallaci imaginatione, separent: sicuti apud Iesaiam 28, 15. dicunt: Quum transibit tempestas, nos tamen minime attinget.

7. *Exsecratione os eius plenum est, et fraudibus, et malitia: sub lingua eius, afflictio et iniquitas.*
 8. *Sedebit in insidiis pagorum, in latebris occidit innocentem: oculi eius ad pauperem collimabunt.*
 9. *Insidiabitur in abscondito, quasi leo in cubili suo: insidiabitur ad rapiendum pauperem: rapiet pauperem attrahendo eum in rete suum.* 10. *Atteret se, deiiciet: tum cadet, in fortitudinibus eius*) coetus afflictorum.*

7. (*Exsecratione os etc.*) Huc tendunt quatuor isti versus, si Deus servis suis succurrere velit, nunc opportunum adesse tempus: quia ad extremum usque licentiae proruperit impiorum licentia. Primo conqueritur, eorum linguas periuriis et fraudibus refertas esse, gestare vel occultare molestiam et iniurias: quia nihil cum ipsis negotii tractari queat nisi cum damno. מַלְיָא, quod maledictionem vertunt, non est verborum execratio quam in

alios torqueant, sed potius devotio proprii capitis: quia non dubitant sibi quidvis imprecari, quo melius fallant. Ideoque non male a quibusdam vertitur Periurium, debet enim hoc nomen allis duobus coniungi. Maledicunt ergo, quatenus ad fraudandum et nocendum expedit: hinc molestia et iniquitas, quia laqueos ex dolis, periuriis, et malitia contextos, sine suo incommodo simplices effugere nequeunt.

8. (*Sedebit in insidiis.*) Verba futuri temporis, quia continuum actum designant, consulto in aliud tempus mutare nolui: quia hic hebraismus in alias quoque linguas manavit. Describit ergo David quid facere soleant impii. Ac primo quidem latronibus eos comparat, qui viarum angustias obsident, et latebras sibi deligunt, ex quibus incautos viatores deprehendant. Dicit etiam oculos eorum intentos esse, similitudine a iaculatoribus sumpta, qui collimant, semiolaus oculis, ut rectius feriant. Neque vero hic de vulgo latronum sermo est: sed in magnos praedones stylum dirigit, qui sub honorificis titulis, pompaque et splendore flagitia sua occultant. Ideo מַלְיָא nonnulli vertunt palatia: quasi David eos ex magnificis atriis spoliaria fecisse dicat, in quibus miseros homines ingulgent. Ego vero ut allusionem esse concedam, continuum tamen similitudinis filum retineo: atque ita interpretor, non secus ac latrones villarum exitus obsident, ita istos, ubicunque sint, suas insidias tendere. Proximo versus alia comparatione eorum saevitiam gravius exaggerat, dicens eos ad praedam inhiare non secus ac leones in suis lustris: aequare vero truculentas bestias, maior est immanitas, quam latronum more grassari. Notandum autem quod fraudes et insidias semper violentiae coniungit, ut clarius exprimat, modis omnibus miseros fore Dei filios, nisi coelesti auxilio iuventur. Additur etiam altera similitudo quae dolosas captiones saevitia mixtas clarius exprimat. Dicit enim eos rapere, sed in rete suum trahendo, quibus verbis intelligit, non modo aperta vi et impetu ipsos ruere, sed simul tendere quoque retia quibus decipiant. Hoc totum decimo versu rursus inculcat, gestum ipsum quasi per hypotyposin oculis subiiciens. Atterunt se, inquit, et demittunt, ne scilicet truculentia sua procul terreant: quia potius illecebris suis captare volunt quos non possunt nisi propiore accessu laedere. Videmus ut duo simul coniungat, aucupia vel decipulas: deinde subitam violentiam, quoties in illorum manus incidit praeda. Nam secunda parte intelligit, saevo impetu praeter spem irruere, dum simplices vident suae libidini esse obnoxios, ac si leo ex sua cubatione furiose consurgeret ad praedam lacerandam. Sensus apertus est, undique metuendos esse impios, quia suam crudelitatem dissimulant, donec plagis suis irretitos teneant quos vorare cupiunt. In verbis

*) par ses forces, en marge: ou par ses forts, asçavoir membres.

Calvini opera. Vol. XXXI.

aliqua est obscuritas. Nam ubi vertimus Exercitum afflictorum, vox haebraica **הַלְכָאִים** quibusdam videtur esse quatuor literarum: rectius tamen sentiunt, qui docent esse compositam, et duas valere. Quamvis ergo verbum sit singularis numeri, collective tamen per **הַלְכָאִים** magnam turbam designat propheta, quae affligitur ab unoquoque istorum leonum. **עַצְמוֹם** substantivè reddidi Fortitudines: quia non dubium est, quin propheta hoc nomine unguis et dentes leonis denotet, in quibus praecipuum est belluae illius robur. Quia tamen proprie est nomen Toar, non male conveniet per similitudinem unguis ipsos et dentes vocari robustos milites. Eodem vero sensus redit, licet fraudulenta demissione vires suas tegant, fore tamen illis in promptu quasi armatam satellitum turmam, vel unguis et dentes, simul ac oblata fuerit nocendi occasio.

11. *Dixit in corde suo, oblitus est Deus: abscondit faciem suam ne videat in perpetuum.* 12. *Surge Iehova Deus, attolle manum tuam, ne obliviscaris pauperum.* 13. *Ut quid spernit impius Deum? dicit in corde suo: Non requires.*

11. (*Dixit in corde.*) Iterum fontem audaciae notat: quod scilicet impii ex Dei conniventia impunitatem sibi promittant. Quia vero non palam ore proferunt sacrilegam istam blasphemiam, Deum esse oblitum, et clausisse oculos ne unquam videat, sed profundas sibi cogitationes abscondunt, ut Iesaias 29, 15 loquitur: propheta eandem loquendi formam (quam prius) usurpat, et mox tertio repetet, impios sibi intus in cordibus dicere, res humanas a Deo minime curari. Notandum autem quod impii ex praesenti intuitu sic aestimant suam fortunam, ut Deum quodammodo sibi obstrictum imaginentur. Unde fit ut in perpetuum securi sint, quia non reputant, post longam Dei tolerantiam gravius instare iudicium.

12. (*Surge Iehova.*) Quanquam hoc morbo communiter laborant cuncti mortales, ut Deum pro carnis suae sensu otiosi vel iacere fingant, dum sua iudicia non exsequitur: longum tamen discrimen est inter fideles et reprobos: quia hi errorem ex carnis infirmitate obiectum foveant, sibi que blanditias ex stupore cupide accersunt, donec tandem impia pertinacia ad crassum Dei contemptum se obducent. Illi autem priores statim e suis mentibus falsam imaginationem excutiunt: seque castigant et ultro revocant ad sanam mentem, cuius rei illustre speculum nobis in hoc loco proponitur. Humanis enim loquendi formis propheta eundem sibi errorem obrepisse declarat, quem nuper in Dei contemptoribus damnavit. Sed mature ad eum corrigendum occurrit, et iniecta manu secum luctatur: vel mentem suam cohibet, ne quid concipiat Dei iustitia et

gloria alienum. Commune ergo tentationis semen omnibus est insitum, ut Deo manum suam et iudicium occultante, de eius providentia dubitare incipiant, sed longe differunt pii a reprobis: quia alii carnis sensum fide statim corrigunt: alii vero in perversa imaginatione sibi indulgent. Sic David Surgendi verbo non tam Deum excitat, quam evigilat ipse, vel se expergefaceri conatur, ut aliud speret de auxilio Dei, quam conspiciat. Continet itaque hic versus utilem doctrinam, quo magis supinae ignorantiae callum sibi impii obducunt, ut Deum res humanas non curare sibi persuadeant, nec scelerum fore vindicem, ut nos eo magis in contrariam partem nitamur. Imo nobis incitamento esse debet illorum impietas, ut acriter dubitationes repellamus, quas illi non modo admittunt, sed sibi data opera fabricant.

13. (*Ut quid spernit.*) Quanquam rationes Deo proferre supervacuum est, quibus eum persuadeamus: nobis tamen in precibus secum familiariter (non secus ac filius terrenum patrem alloquitur) agere permittit. Nam usus precandi semper notandus est: ut scilicet Deus omnium nostrorum affectuum testis sit: non quod alioqui ipsum lateant, sed quia, dum coram ipso effundimus corda nostra tantundem levantur curae nostrae, et augescit impetrandi fiducia. Sic David in praesentia sibi proponens quam absurdum et intolerabile esset, Deum impune sperni ab impiis, inde spem remedii concepit. Idem verbum nunc repetitur, quo prius usus fuerat: quod alii vertunt Provocare, alii blasphemare. Sed illa, quam praetuli, significatio haud dubie aptior est contextui: quia ubi Deo eripitur potestas et munus iudicandi, contumeliose ex suo solio detractus quasi in ordinem cogitur. Porro quum nuper conquestus esset, impios negare Deum, vel fingere, neglecta hominum cura, perpetuo domientem, nunc eodem sensu dicit non requirere.

14. *Vidisti, quoniam tu molestiam et vexationem consideras, ut ponas in manum tuam: super te relinquet pauper, orphano tu eris adiutor.* 15. *Contemere brachium scelerati et improbi: quaeres impietatem eius, non invenies.*

14. (*Vidisti, quoniam etc.*) Hic repente David sancto zelo accensus, in arenam prodit: fideque instructus, sacrilegas illas opiniones acriter repellit, caeterum quia nihil apud homines proficere poterat, se ad Deum convertit. Nam sicut impii protervam scelerum licentiam sibi facere volentes, procul se a Deo subducunt, et perverso mentis errore sibi fingunt longam distantiam: ita ex opposito fideles a vagis et erraticis opinionibus se colligere operae protium est, et sursum erectis mentibus Deum quasi praesentem alloqui. Merito itaque David, ne

patrum moribus desciverant, probrose vocare gentes: nec tantum incircumcisis conferri, sed etiam Chanaanais qui maxime erant detestabiles. Pater tuus Chanaan mater tua Chittaea, Ezech. 16, 3. Alii similes loci saepe occurrunt. Falsos ergo et adulterinos Abrahamae filios gentium nomine infamans, gratias Deo agit, quod tales corruptelas expulerit e sua ecclesia. Caeterum hoc exemplo docemur, non esse novum si hodie quoque profani homines ecclesiam Dei contaminant. Rogandus tamen est Deus ut domum suam cito repurget, nec sacrum suum templum porcis et canibus instar sterquilinii exponat.

17. (*Desiderium inopum.*) Confirmat his verbis propheta quod nuper dixi: nempe dum hypocritae in ecclesia regnant, vel sua multitudo fideles obrunt, assidue rogandum esse Deum ut eos exterminet, nam veros Dei cultores merito angere et urere debet tam foeda confusio. Et spiritus sanctus hoc oraculo cofirmat, quod olim Deus patrum precibus concessit, nos hodie impetraturos, si mode erimus (ut decet) de ecclesiae liberatione solliciti. Quod sequitur, *dirigis cor eorum*, varie exponunt interpretes. Tantundem quibusdam valet, ac dare votis successum. Aliis est cor formare, ne quid petant fideles, nisi quod rectum ac iustum est: sicuti Paulus docet spiritum intus dictare gemitus inenarrabiles, Romanorum 8, 26. Utraque forte expositio nimis est restricta. Primo enim Dei gratiam in eo commendat David, quia suos cultores in rebus turbatis sustinet, ne animos despondeant: fortitudine et patientia instruit, erigit in bonam spem, incitat etiam ad preces. Nam verbum כן non modo dirigere, sed stabilire significat. Est autem singulare Dei beneficium, dum in tentatione sensus nostros retinet, nec patitur alio reflecti. Mox sequitur alterum membrum, non frustra dirigi piorum affectus, ut cum spe et patientia ad obsequium compositi, ad Deum respiciant, ipsumque invocent: quia Dei aures ad exaudiendos gemitus nequaquam surdae erunt. Ita mutuis duplicis gratiae consensus hic laudatur, quod Deus cultores suos deficere, vel a fide excidere, vel precibus renunciare non sinat, sed ad se revocet, donec re ipsa appareat spem eorum non vanam nec irritam fuisse. Posset non male ita resolvi oratio, stabilies cor ipsorum, donec audiat aures tua.

18. (*Ut iudices.*) Proximam sententiam in hunc specialem usum accommodat, ne dubitent fideles ubi iniuste oppressi fuerint, Deum tandem fore vindicem qui ipsos liberet. Quibus verbis admonet fortiter durandum esse sub cruce et aerumnis: quia saepe Dominus non ante servis suis vult opitulari, quam ad extrema redacti fuerint. Id quidem factu difficile est, quia cuperet quisque nostrum prorsus immunis esse a molestia: ideoque nisi Deus

cito praeveniat, lentus et segnis videtur. Verum si locum dare cupimus eius auxilio, domandus est fervor noster, sedanda impatientia, mitigandi dolores, usquedum miseriae nostrae Dei gratiam provocent. *Ne pergat amplius.* Iterum Dei potentiam ad frangendos impios commendat, ut inter tumultuosos eorum impetus firmum nobis maneat istud principium, simul ac Domino visum fuerit, evanidum fore quidquid moliuntur. Verbum עץ quidam in neutro genere accipiunt, ut sit sensus, ne amplius mortalis homo timeat. Sed ratio postulat transitive exponi: nec absurdum est, impios, licet capita supra nubes extollant, vocari mortales, vel homines multis aerumnis obnoxios: quia oblique hoc modo perstringitur vesana eorum audacia, dum suae sortis obliti atroces minas spirant, efflant horrendos terrores, perinde ac si eorum libidini reprimendae ne Deus quidem sufficeret. Particula etiam *e terra*, tacitam continet antithesin inter humile terrae domicilium, et coelorum altitudinem. Unde enim oppugnandos Dei filios prodent? e terra scilicet, perinde ac si vermiculi e terrae fissuris emergerent. Atqui hoc modo Deum ipsum impetunt, qui e coelo auxilium servis suis promittit.

PSALMUS XI.

ARG. Duae sunt huius Psalmi partes: in priorē refert David quam duos exceperit tentationum insultus, et quanta anxietate constriktus fuerit quo tempore eum persequeretur Saul. Deinde sibi de salute divinitus oblata gratulatur, Deique institiam in mundo regendo praedicat.

1. *Praefecto Psalmus Davidis.* 2. *In Iehova confido: quomodo dicitis animae meae, migrate in montem vestrum sicut avis?* 3. *Certe ecce impii tendent arcum, aptarunt sagittas super nervum, ut iaculentur in occulto contra rectos corde.* 4. *Certe fundamenta destructa sunt: iustus quid fecit.*

1. (*In Iehova etc.*) Omnes fere interpretes querimoniam esse putant, in qua David populares suos accuset, quod latebras ubique quaeritans nihil usquam humanitatis inveniat. Et verum quidem est, quum huc et illuc erraret Saulis saevitiam fugiens, nusquam tutum illi fuisse perflugium, saltem ubi diu quietus staret. Quare merito cum sua gente expostulare potuit, quod nullus hospitio profugum excipere dignatus esset. Sed ego altius eum respicere existimo, nam quum certatim omnes ad desperationem eum impellerent, necesse fuit pro carnis infirmitate non leviter eum percelli, sed fide munitus, intrepide et constanter in Dei promissiones recubuit, ut tentationibus minime cederet. Has spirituales luctas nunc commemorat, quibus inter

ultima discrimina eum exercuit Deus. Itaque Psalmum (ut nuper admonui) in duo membra distinguere convenit. Antequam enim Dei iustitiam in tuenda piorum salute celebret David, se cum ipsa morte conflixisse exponit: et tamen fide rectaque conscientia adeptum esse victoriam. Initio quoniam suadebant omnes ut relicta patria in aliquod exilium se abderet, ut nulla spes vitae residua ei fieret, nisi se abdicaret a promisso regno, huic perverso consilio suae in Deo fiduciae clypeum opponit. Sed antequam de re plura dicam, operae pretium est verba interpretari. Verbum *נָחַ* quod vertimus migrare, scribitur in numero plurali: in singulari tamen legitur: quod corrupte fieri arbitror. Nam quia hoc sibi uni dictum refert David, doctores hebraei numerum pluralem non congruere putantes, ausi sunt aliter legere quam scriptum erat. Quod inde clarius colligitur, quia nonnulli eorum, sensum literalem retinere volentes, anxie se torquent cur migrate potius dictum sit, quam migra: et tandem ad frigidam argutiam confugiunt, quasi fugae auctores compellent tam corpus quam animam. Atqui in re non difficili tantopere laborare supervacuum fuit: quia certum est non dictum esse Davidi ut solus fugeret, sed una cum suis comitibus, quos omnes idem periculum manebat. Quamvis ergo unum Davidem prae aliis aggressi sint, socios tamen complexi sunt, quorum et communis erat causa, et simile periculum. In eo etiam quod sequitur, variant interpretes, multi vertunt, De monte vestro ac si esset *מִדְרֶכְךָ* et secundum eos est mutatio personae: quia dicendum erat, transmigra e monte nostro. Sed hoc per se durum ac coactum est. Nihilo etiam melius convenit quod ipsi volunt, Iudaeam vocari montem. Alii legendum putant *הַר כְּמוֹ צֶפֶר* hoc est, in montem sicut avis, absque pronomine. Verum si sequimur quod dixi, optime fluet contextus, *migrate in montem vestrum*, quia habitandi locus in patria non datur: neque tamen existimo quempiam certum montem notari, sed ablegatum fuisse Davidem in rupes desertas, quo illum sors duceret. Huius consilii autores damnans, testatur se Dei promissione fretum, ad tale exilium minime animum adiacere. Haec igitur fuit Davidis conditio, ut in extrema necessitate eum omnes procul in loca deserta extruderent. Caeterum, quia innuere videtur diffidentiae hoc fore signum, si in fuga salutem statuatur, quaeritur annon licuerit ei fugere. Imo scimus variis exiliis subinde fuisse circumactum: in speluncis quoque interdum latitasse. Respondeo, quamvis instar trepidae aviculae fuerit instabilis, et per diversos errores deflexerit ab hostium aucupiiis: tamen hic firmum in fide stetit, ut se a populo Dei nunquam alienaret. Quamvis enim aliis esset desperatus, quasi putridum membrum, se tamen ab ecclesiae corpore nun-

quam disiunxit. Et certe vox illa Fugite, ad meram desperationem tendebat. Huic vero trepidationi cedere non debuit, ut de eventu incertus aufugeret. Et ideo expressit animae suae hoc fuisse dictum, significans pectus suum penitus fuisse confixum probrosa illa reiectione: sicuti non alio (ut dixi) dirigi videbat, quam ad labefactandam fidem suam. Summa est, quum semper vixisset innoxius, ut decebat puram Dei cultorem, fuisse tamen aeterno exilio addictum. Docet autem hic versus, quamlibet nos mundus exagitet, semper tamen in statione nostra manendum esse, ne a Dei promissionibus excidamus, vel ne ipsae nobis excidant: atque, ut sursum et deorsum feramur, in fide nostra vocationis pedem esse figendum.

3. (*Certe ecce impii.*) Quidem hoc excusationis loco additum putant in eorum persona qui iubebant Davidem fuga sibi consulere. Secundum alios expostulat David cum suis popularibus, qui mortem illi undique intentatam videntes, hospitium tamen negabant: sed potius (meo iudicio) narrationem suam prosequitur. Consilium enim eius est, non modo pericula quibus obsessus fuit, sed mortem ipsam ante oculos ponere. Ideo dicit, quocumque se abdiderit, non posse tamen ex hostium manibus elabi. Porro, tam miseri status descriptio oblatam a Deo postea salutem magis illustrat. Quantum ad verba spectat, quod dicit intentos esse impios ad iaculandum in occulto, quidam metaphorice accipiunt, quia astute et per insidias eum circumvenire tentabant. Mihi tamen simplicior sensus magis arridet, nihil esse tam absconditum, quo non penetrent hostium iacula: ideoque mortem in omnes cavernas sibi fore individuum comitem.

4. (*Certe fundamenta.*) *הַשְׁחָתָה* quidam vertunt retia: quo sensu alibi saepe nomen hoc scriptura usurpat: et exponunt, dissipatas fuisse impias fraudes quibus Davidem adorti fuerant impii. Quod si recipimus, ubi continuo post addit: Iustus quid operatus est? sensus erit, minime sua opera vel industria factum esse ut salvus evaderet: quin potius quietum et quasi dormientem. Divinitus ex retibus vel plagis hostium fuisse ereptum. Sed nomen fundamenti contextui melius quadrat: quia referre pergit quibus angustiiis fuerit constrictus, ut iam nihil salvum esset. Nondum tamen inter interpretes de sensu convenit. Quidam exponunt, nusquam esse locum figendi pedis: alii, foedera in quibus debebat esse stabilitus, subinde a Saule rupta esse. Sunt etiam qui allegorice intelligunt, iustos Dei sacerdotes, qui erant terrae fultura, e medio sublato. Sed ego metaphoram ab aedificiis sumptam esse non dubito, quae, dirutis fundamentis, tota concidere et pessum ire necesse est: ut queratur David se coram mundo funditus eversum, ut nihil in suis fortunis salvum maneat. Postea iterum repetit se immerito tam crudeliter plecti:

idque facit partim ut bonae conscientiae testimonio se in malis soletur: partim ut sibi ad spem liberationis transitum faciat. Nam inde ad fiduciam animatus fuit, quod ex causae bonitate conciperet Deum a parte sua stare, sibi fore propitium.

4. *Iehova in palatio sanctitatis suae: Iehova in coelis solium eius: oculi eius videbunt, palpebrae eius considerabunt filios hominum.* 5. *Iehova iustum probabit, impium vero et qui diligit iniquitatem, odit anima eius.*

4. (*Iehova in palatio.*) Nunc sequitur illa quam dixi gloriatio, nam humanis auxiliis exclusus David, ad Dei providentiam se confert. Insignis vero (ut alibi dixi) haec fidei probatio est, quum tenebris undique in mundo circumdamur, lucem e coelo petere, quae nos in spem salutis dirigat. Nam etsi fatentur omnes divinitus mundum regi: ubi tamen tristis rerum confusio caliginem obducit, pauci sunt quorum animis haec persuasio firma penitus insideat. Atqui Davidis exemplo sic nobis reputanda est Dei providentia, ut rebus perditis remedium ex eius iudicio speremus. Subest enim inter coelum et terram antithesis: quia si in tereno et visibili rerum statu fixus stetisset Davidis sensus, nullum exitum reperisset. Nunc vero quamvis in mundo prostrata iaceat omnis aequitas, perierit fides: tamen integrum in coelo sedere cogitat, a quo speranda sit collapsi ordinis restitutio. Neque enim simpliciter dicit Deum habitare in coelo, sed regnare tanquam in palatio regio, et solium iudicii illo tenere. Et certe non aliter iustus honor ei defertur, nisi quum hoc nobis certo persuasum est, miseris omnibus et iniuste oppressis sacrum esse asylum eius tribunal. Quare dum in terra grassantur fraudes, doli, perfidia, crudelitas, violentiae, et rapinae, denique omnia iniustitiae et scelerum tenebris permista sunt, praeleceat tamen nobis fides ad conspiciendum coeleste Dei solium: atque hic intuitus nobis ad tolerantiam sufficiat. Templum sanctitatis, vel sanctum (quod saepius pro Sione capitur) hic haud dubie coelum significat: quod etiam repetitio ostendit. Certum enim est idem bis dicere. *Oculi eius videbunt.* Ex proxima sententia colligit, nihil Deum latere: ideoque facta hominum in rationem tandem cum ipso ventura. Nam si Deus in coelo regnat, et illic locatum est eius solium: sequitur, fieri non posse quin rebus humanis intentus sit, ut tandem iudicium suum exerceat. Nam Epicurus et similes, qui otiosum fingunt, potius sternunt illi cubile, quam tribunal erigant. Haec autem fidei gloria est, Deum mundi opificem minime negligere ordinem a se conditum. Quanquam autem ad tempus iudicia suspendat, in solo tamen eius intuitu

acquiescere nos decet: sicuti nunc Davidem videmus unico hoc solatio contentum esse, quod Deus praesideat humano generi, et quaecunque in mundo geruntur, observet: quamvis non protinus appareat eius cognitio. Clarius etiam expositio mox additur, Deum inter iustos et iniustos discernere: et quidem ut minime sit ignavus spectator. Probare enim iustum dicitur, et odio prosequi impios. Verbum *יָבִין*, quod probare vertimus, examen saepe notat: sed hoc loco simplicius interpreto, Deum sic inquirere de uniuscuiusque causa, ut iustos ab impiis distinguat. Exosos autem ei esse dicit qui iniuriis et noxis student: quia sicuti 'mutuam inter homines consuetudinem instituit, eam vult a nobis illaesam coli. Ergo ut sanctum suum ordinem tueatur, improbis, qui aliis molesti sunt, hostem esse oportet. Iusto etiam Dei odio amor iniustitiae opponitur, ut sciamus eos qui sibi in maleficiis placeant, talibus blanditiis nihil proficere.

6. *Pluet super impios, laqueos, ignem et sulphur et ventum turbinum: pars calicis eorum.* 7. *Quia iustus Iehova iustitias diligit, rectum*) probat facies eius.*

6. (*Pluet super etc.*) Iam postremo constituit David, licet paulisper cesset Deus ac differat, venturum tamen ultionis tempus. Ita videmus gradatim eum ad spem felicitis exitus conscendere, ne rerum omnium dissipatio fidem eius labefactet: quia Deo stabile manet in coelo tribunal, eius intuitu se sustinet. Deinde expendit quid requirat iudicis officium, unde colligit facta hominum Dei oculos non effugere: et quamvis non statim poenam exigat de maleficiis, odio tamen prosequi omnes improbos. Tandem subiicit, quum armatus sit Deus potentia, irritum vel inane non fore illud odium. Ita quantisper a poenis quiescit Deus, agnitio iustitiae eius spem nostram probe fovebit, donec effectu probet se nunquam a sua specula discessisse. Scite autem quas Deus infligit poenas pluviae comparat, sicuti enim non sunt continuae pluviae, sed eas Dominus, quoties visum est, emit: imo ubi maxima est serenitas, repente grandinem aut violentum imbrem excitat: ita repentinam vindictam significat impiis instare, ut hilares et deliciis suis ebrii momento pereant. Interea tamen verum est Davidem ad Sodomae et Gomorrae excidium alludere. Sicuti enim prophetae, quum Dei gratiam electis promittere volunt, redemptionem semel factam commemorant: ita dum reprobos terere volunt, minantur Sodomae et Gomorrae exitium, nec abs re, quum in eo perpetuum irae Dei documentum exstare admoneat Iudas in sua epistola.

*) la droicture, en marge: le droiturier.

Prudenter etiam et concinne, antequam ad ignem et sulphur veniat, laqueos ponit. Scimus enim implos, quamdiu illis parcit Deus, nihil metuere, sed proterve exultare quasi in libero campo: deinde si quid adversi impendet, effugia sibi comminisci: denique semper illudere Deo, quasi deprehendi nequeant, donec laqueis suis constringat. Deus ergo vindictae suae exordium a laqueis facit, omnia impiis subterfugia praecludens: ubi autem irretitos et vinotos tenet, diris et horrendis modis in eos fulminat: sicut igne coelesti Sodomam et vicinas urbes consumpsit. Nomen *וְלֵפָפָה* alii vertunt Incensiones vel ardores: alii Commotiones vel terrores: sed contextus quam adduxi interpretationem postulat: quia ventis procellosi movetur tempestas, quam sequitur fulminatio. *Pars calicis eorum.* Hoc verbo testatur certa fore et rata Dei iudicia, utunque fallaci adulatione impii se deludant. Frequenter occurrit in scripturis haec metaphora. Quia enim nihil difficilius sibi persuadet caro, quam clades et miseriae, quae fortuitae videntur, divinitus iusto temperamento accidere, Deus personam patrisfamilias sibi induit, qui singulis distribuat suam mensuram vel demensum. Hoc itaque loco significat David, repositam certo mercedem impiis, frustra repugnaturus quum Dominus irae suae calicem bibendum porrexerit: nec vero paratum esse calicem quem guttatim delibent: sed quem sorbere totum cogantur, sicut illis denuntiat propheta Ezech. 23, 34: Usque ad faecem hauries.

7. (*Quia iustus Iehova.*) Nuper ab officio Dei ratiocinatus est, vindictam sumpturum de reprobis: nunc ab eius natura, bonis et rectis auxiliatorem fore colligit. Nam quia iustus est, consequens esse ostendit ut iustitiam diligat, alioqui enim se ipsum abnegaret. Frigida etiam speculatio esset, iustitiam in Deo inclusam concipere, nisi in mentem nobis veniret, Deum agnoscere quidquid suum est, atque huius rei specimen in mundi gubernatione edere. Quidam rem ipsam pro personis accipiunt, ac si dixisset: Homines iustitiarum: sed melius convenit literalis sensus, Deo gratam esse rectitudinem, ideoque favere bonis causis, unde concludit, rectos homines ab eo adspici. Paulo ante dixerat alio sensu, Deum intueri filios hominum, nempe quia iudicaturus est de cuiusque vita: hic vero rectos et simplices peculiari cura dignari significat, ut fide sua tueatur. Atque haec clausula satis declarat quid toto Psalmo voluerit: nempe Dei praesidio salvos fore omnes qui eius gratiae innixi iustitiam sincere colunt: ex quorum numero ipse unus, adeoque praecipuus erat. Quanquam autem varie exponitur hoc postremum membrum: *Rectum probat facies eius:* genuinum tamen sensum esse non dubito, quod Deus rectorum perpetuam rationem habeat, nec unquam ab illis avertat oculos. Illud

enim coactum est, rectos visuros faciem Dei. Sed ego in refutandis aliis opinionibus non insisto.

PSALMUS XII.

ARG. David perditum statum populi deplorans et extremam recti ordinis dissipationem, precatur, ut Deus suis mature succurrat. Deinde ut se et omnes pios soletur, postquam Dei promissionem retulit de ferendo suis auxilio, fidem eius et constantiam in servandis promissis commendat. Unde concludit tandem etiam in maximis corrupteliis piorum liberatorem fore.

1. *Praefecto super octavam Canticum Davidis.*
2. *Serva Iehova, quia defecit misericors, quia consumpti sunt veraces ex filiis hominum.* 3. *Fallaciam loquitur quisque cum socio suo, labiis blanditiarum in corde et corde loquuntur*).*

1. (*Praefecto super octavam.*) De octava duae sunt interpretum sententiae, quibusdam musicum est instrumentum: alii tonum esse malunt. Quia autem parum interest utramvis eligas, in hac re non adeo laboro. Quod initium carminis nonnulli fuisse divinant, non adeo mihi probabile videtur, hoc quidem convenit ad modulationem referri. Initio conqueritur David, terram sceleratis hominibus, et ad omne scelorum genus projectis ita fuisse coopertam, ut nullum recti et aequi studium vigeret, nemo bonorum esset defensor: nulla denique humanitas vel fides amplius restaret. Credibile autem est tempus notari quo eum persequeretur Saul: qua tunc summi et infimi quique ad insontem et miserum hominem perdendum conspiraverant. Horrendum tamen dictu est, sic in populo electo eversam fuisse iustitiam, ut omnes uno consensu bonae causae infensi ad saevitiam et crudelitatem ferrentur. Neque enim hic alienigenas accusat, sed hoc iniquitatis diluvium grassari in ecclesia testatur. Quare ne hodie in tristi corruptissimi et prorsus confusi status adspectu animos despondeant fideles, ferendum patienter cogitent, si eadem sit sua conditio, quae olim fuit Davidis. Notandum vero quod Deum hac de causa inclamat David ad opem ferendam, quia nulla superest inter homines rectitudo: ut eius exemplo in summa desperatione ad Deum confugere discamus. Nam et hoc statuendum est, quo res magis in mundo confusae sunt, Deo maxime opportunum esse servandi tempus.

*) ils parlent des lèvres de flatteries en coeur et coeur, en marge: ou de coeur double.

2. (*Defecit misericors.*) Querimoniam nonnulli esse putant de indigna caede iustorum: ac si dixisset, quicumque aequitatem fidemque colebant, crudeliter a Saule fuisse occisos. Ego vero simplicius accipio, nihil amplius beneficentiae aut veritatis esse residuum inter homines. Duabus autem vocibus expressit unde constet vera iustitia. Quemadmodum enim duae sunt iniustitiae species, violentia et fraus: ita iuste vivitur, quum bona fide versantur inter se homines absque iniuria, et mutuam inter se societatem rite foveant, quum neque leones sunt, neque vulpes. Quod si tamen quae hic describitur confusio nos premit, cavendum est ne ululemus cum lupis, vel communis scelerum licentia nos abripiat: sed potius ad exemplum Davidis nos referamus.

3. (*Fallaciam loquitur.*) Partem illam iniustitiae hoc versu notat quae veritati contraria est. Dicit in eorum sermone nihil esse sincerum vel simplex, quia ad fallendum intenti sint. Modum postea definit, quia scilicet blanditiis quisque socium illaqueat. Fontem quoque et primam causam designat, quia corde duplici loquantur. Haec vero cordis (ut ita loquar) duplicitas bilingues et flexilquos homines reddit. Unde et blanditias Hebraei חלקלקא a divisione nominant. Nam ut integrum cor ingenue expandunt quibus propositum est veraciter agere cum proximis: ita perfidi et fallaces partem affectus sui reconditam tenent, et simulationis fuce tegunt, ut nihil certi queat ex eorum sermone colligi. Sit ergo simplex sermo noster, ut character sit recti animi.

4. *Excidat Iehova omnia labia blanditiarum, linguam magnificentias loquentem.* 5. *Qui dixerunt: Linguis nostris roborabimur: labia nostra penes nos sunt: quis noster dominus est?*

Querelae imprecationem annectit, ut Deus abscindat perfidas linguas. Quanquam vero dubium est optetne destrui perfidos homines, an privari tantum nocendi facultate: contextus tamen ad priorem sensum magis nos deducit, ut Deus quoquo modo aboleat pestem illam. Quod autem praeterita malitia tam ardentem in linguas virulentas invehitur, hinc colligimus quanto ex his plus noxae senserit: et certe gladiis ac telis omnibus magis exitiales sunt fraudes et calumniae. Caeterum ex secundo membro clarius patet quales illae fuerint adulationes quarum proximo versu facta fuit mentio. Quidam enim serviliter et putide adulantur, ut parati sint quidvis facere et pati: sed hic diversum genus David notat, nempe qui blandiendo se tamen magnifice iactant, et captionibus audaciam permiscunt. Non ergo de sordido et plebeio adulatorum grege loquitur, sed aulicos calumniatores porstringit, qui non modo suaviter se insinuant, sed grandiloqua mentiendi libidine obruunt miseros homines. Quod et sequenti

versu melius confirmat, nam summa autoritate praeditos esse oportet, qui in mendaciis sibi satis esse praesidii statuunt. Atque hic est summus impietatis cumulus, cum tali fiducia insurgere, ut improba verborum iactantia ius et fas omne pervertere nihil pudeat: perinde enim faciunt ac si aperte Deo ipsi proelium indicerent. Quod quidam legunt: *Linguas nostras roborabimus: etsi tolerabile est, minus tamen cum ratione grammatica convenit propter additam literam ה.* Deinde aptior est hic sensus, linguis suis instructos quovis prorumpere: quemadmodum genus hoc hominum suis calumniis omnia deformans, solem tenebris tantum non obducit.

6. *Propter vastationem inopum, propter gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Iehova; ponam in salute quem illaqueat*).* 7. *Eloquia Iehova eloquia pura: argentum fustum in eximio catino terrae, purgatum septies.*

6. (*Propter vastationem.*) Iam sibi materiam consolationis proponit David, quod non passurus sit Deus impios sine fine et modo ita grassari. Verum ut se et alios in hac doctrina efficacius confirmet, Deum ipsum inducit loquentem. Est enim hoc magis emphaticum, ubi in medium prodit Deus, et ore suo liberatorem se miseris adesse pronuntiat. Subest etiam magna emphasis in adverbio *nunc*, quo significat Deus salutem apud se nobis ita esse repositam, ut non statim eam proferat: se enim hactenus iacuisse dicit, donec suorum miseriis et clamoribus expergefactus fuerit. Ergo quoties iniuriarum hostium, rapinae, et vastationes nihil nobis praeter lacrymas et gemitus reliquum facient, meminerimus iam adesse tempus quo Deus ad iudicium surgere velit. Haec eadem doctrina animos nostros ad tolerantiam formare debet, ne molestum nobis sit inter miseros et inopes censer, quorum Deus se vindicem fore promittit. In secundo membro versus variant interpretes. *Ponere in salute* nonnullis tantundem valet ac salutem dare vel afferre ac si ה super vacuum esset, sed potius iniuste oppressis restitutio in integrum promittitur. Sed quod sequitur plus difficultatis in se continet. Verbum מנחם nunc sufflare, nunc illaqueare, interdum etiam loqui significat. Qui pro Loqui hoc loco positum putant, ipsi quoque inter se dissentiunt. Quidam vertunt: Loquetur sibi Deus, hoc est, apud se decernit: quae supervacua foret ac frigida repetitio, quia iam retulerat Dei decretum. Magis etiam coactum est quod alii ad quemlibet piorum referunt: quasi David vicissim ipsos de fide et constantia Dei loquentes

* celui à qui le méchant tend des laqs, en marge: Hébr.: il luy tend des laqs.

inducat. Nam huic verbo contextunt proximam sententiam: *Eloquia Domini, etc.* Magis probabilis aliorum opinio qui decreto Dei sermonem subiici volunt qui ad pios dirigitur. Neque enim satis foret, Deum apud se statuere quid facturum sit in salutem nostram, nisi recta nos et nominatim compellet, nam inde nobis spes salutis affulget, quum Deus voce sua ostendit se nobis fore propitium. Alloquitur quidem ipsos quoque incredulos, sed sine fructu, quia surdi sunt: sicuti etiam sine fructu liberaliter ipsos tractat, quia stupidi sunt ac sine sensu eius beneficia devorant. Ego autem quia sub verbo אִמְרֵי promissiones commode et apte comprehendere posse video, ne idem bis dicatur, libenter illum quem posui sensum amplector, Deum se surrecturum dicere, ut in salutem restituat qui undique hostium laqueis impliciti et capti videntur: ac si dictum esset: Quamvis inopes et miseros impii irretitos teneant quasi partam praedam, ego tamen eos locabo in tuto. Nec vero novum est, demonstrativum pronomen loco relativi sumi. Si quis Sufflandi verbum malit, non valde repugno: nam hoc modo scite impiorum superbiam perstringeret David, qui solo flatu quidvis se posse confidunt, ut visum est Psalmo 9.

7. (*Eloquia Iehovae.*) Nunc Deum in suis promissis certum, fidum ac constantem esse praedicat. Hoc autem verbi Dei encomium frustra interponeret, nisi prius se et alios vocasset ad meditandas Dei promissiones in rebus adversis. Itaque haec series tenenda est, postquam retulit, Deum servis suis spem propinquaе liberationis facere in ultimis angustiis, iam ad fidei et spei fulturam subiicere, nihil futiliter vel frustrandi causa a Deo promitti. Quanquam autem leve hoc in speciem videtur, si quis tamen propius et attentius expendat quam propensa sint ad diffidentiam et impias dubitationes hominum ingenia, facile agnoscet quam utile sit fidem nostram hoc testimonio fulciri, quod Deus fallax non sit, nec inanibus verbis nos lactet, nec immodice vel potentiam vel bonitatem suam iacet: sed verbo offerat quod re ipsa praestare vult. Nemo quidem est qui non ex animo se idem sentire profiteatur quod tradit David, Eloquia Domini pura esse: sed qui in umbra et otio verbi Dei fidem suis praeconiis liberaliter extollunt, ubi ad serium conflictum ventum est, etiam si palam blasphemias in Deum evomere non audent, saepe tamen malae fidei eum insimulant. Simul enim ac opem suam differt, fidem eius requirimus: ac perinde obstrepimus, ac si nos fraudasset. Quanquam ergo nihil generali omnium consensu magis receptum est, quam Deum esse veracem: pauci tamen solide in rebus adversis in hanc eius laudem subscribunt: ideoque magnopere expedit, ansam diffidentiae nostrae praecidere: et quoties de fide promissionum

Calvini opera. Vol. XXXI.

Dei obrepit aliqua dubitatio, statim hunc clypeum opponere convenit, sermones Dei esse puros. Similitudo argenti quam subiicit, tantae quidem rei dignitate et praestantia longe inferior est: sed optime sensus nostri modulo respondet. Nam argentum si probe excoctum est, in legitimo pretio apud nos habetur. At Dei verbum cuius inaeestimabile pretium est, non pari honore dignamur: ac vilior nobis est eius puritas, quam corruptibilis metalli. Quin etiam bona pars scorias in suo cerebro fabricat, quibus nitorem qui in Dei verbo relucet, deformet vel obscuret. Multi vocem כְּעֵלִיל, quasi simplex esset, Dominum interpretantur: secundum eos hic esset sensus, Verbum Dei instar esse argenti purissimi, quod exacte summaque arte et cura omni faece purgatum est, non in usum vulgarem, sed principis terrae. Ego tamen aliis magis assentior, qui כְּעֵלִיל servilem literam esse dicunt, et כְּעֵלִיל nitidum vel bene politum vas, vel catinum esse docent.

8. *Tu Iehova custodies eos, servabis eum a generatione hac in aeternum.* 9. *Circumcirca impii ambulat, dum exaltantur opprobrium filiis hominum.*

8. (*Tu Iehova custodies.*) Quibusdam repeti videtur precatio, ideoque verba in optativo modo vertunt. Ego autem magis probo, Davidem fiducia animatum gloriari de certa piorum salute, cuius se fore custodem asserit Deus, qui nec fallere ne mentiri potest. Neque tamen eos penitus improbo, qui rursus precari sentiunt, ad sermones vero Dei improprie hoc torquetur. Mihi certe dubium non est, Davidem ad pauperes illos de quibus loquutus erat, redire. Quod vero numerum mutat Hebraeis satis tritum est: nec ideo ambignus sensus redditur. Idem ergo significant haec duo: *Custodies eos*, et *servabis eum*: nisi forte secundo loco sub unius hominis persona dicamus exprimi bonorum paucitatem: quod a ratione non discrepat: ac si dixisset, etiamsi unus tantum bonus in mundo superstes maneret, Dei tamen gratia et praesidio salvum fore. Sed quia Hebraei dum indefinite loquuntur, subinde numerum mutant, liberum relinquo iudicium lectoribus. Hoc quidem extra controversiam est, per nomen Generationis, ingentem turbam impiorum et totum fere populi corpus notari. Nam quum כָּל־יְרֵךְ Hebraeis tam homines qui eodem saeculo vivunt, quam spatium temporis significet: hoc loco haud dubie David intelligit, non aliter salvos fore Dei servos, quam si Deus eos tueatur contra totius populi malitiam, et ab improbis perversisque aetatis suae hominibus eos eripiat. Unde colligimus adeo corruptum fuisse saeculum, ut probrose David quasi in unum fasciculum omnes ad unum coniciat. Porro iterum memoria repetere convenit quod

prius dixi, hic verba non fieri de exteris gentibus, sed de Israelitis et electo populo, quod notatu dignum est, ne immensa impiorum multitudo nos examinet, si quando magna paleae congeries appareat in area Domini, subtus vero pauca tantum grana lateant. Deinde quantumvis exiguus sit bonorum numerus, fixa haec haereat in animis nostris persuasio, Deum fore eorum custodem, et quidem perpetuum. Nam ideo additur עוֹלָם, ut fiduciam nostram procul extendere discamus: quia non semel, neque ad unum modo diem Deus opem a se sperare iubet, sed quamdiu grassabitur hostium improbitas. Quo tamen simul monemur, non ad breve tempus duntaxat paratum nobis esse bellum, sed quotidie in acie standum esse. Quod si occulta erit Dei custodia, patienter expectent fideles donec exsurgat Deus: et quo maius diluvium exundat, sese in metu et sollicitudine contineant.

9. (*Circumcirca.*) מָכִיב Hebraeis circuitum significat: ideo quidam allegorice exponunt, impios occupare omnes exitus, ut bonos undique obsideant, alii etiam subtilius, ambagibus et flexuosis artibus insidias oblique tendere. Ego simplicem sensum esse arbitror, sic occupare totam terram, ut per omnes eius plagas vagentur: ac si diceret, quocunque vertantur oculi, ipsorum turmas hinc inde occurrere. Proximo membro conqueritur, ipsorum tyrannide contumeliose opprimi humanum genus: si tamen placet disiunctio, nam hic dissentiunt interpretes: videtur tamen propius hoc accedere ad prophetae mentem. Quidam ita vertunt uno contextu: Impii passim volitant per circuitum, dum probra inter filios hominum, hoc est nihili homines, vel quisquiliae exaltantur: quae expositio non male convenit. Contingit enim ut plurimum, sicuti morbi a capite in membra defluunt, ita a principibus ad totum populum manare corruptelas. Quia tamen magis recepta est prior expositio, et doctissimi grammatici זָלוּר nomen singulare esse docent, ego illam sequutus sum: non quod posterior displiceat, sed quia alterutram eligere oportuit.

PSALMUS XIII.

ARG. Eiusdem fere argumenti est hic Psalmus cum proximo. David enim non solum extremis angustiis constrictus, sed oppressus longa ac multiplici malorum congerie, quod unum remedium ei supererat, Dei fidem implorat et auxilium, tandemque collecto animo inter mortis terrores certam vitae fiduciam ex Dei promissione concipit.

1. *Praefecto canticum Davidis.* 2. *Usquequo Iehova, oblivisceris mei in aeternum? usquequo abscondes faciem tuam a me?* 3. *Usquequo ponam*

consilia) in anima mea? anxietatem in corde meo quotidie? usquequo exaltabitur inimicus meus super me?*

2. (*Usquequo Iehova.*) Verum quidem est, tanto passim odio ob falsas calumnias gravatum fuisse Davidem, ut omnes fere putarent Deum non minus ei esse infensum, quam Saulem et reliquos hostes. Sed hic non tam ex aliorum opinione, quam ex proprio sensu a Deo se negligi conqueritur: non quod in eius animo extincta esset promissionum Dei fides, vel in eius gratiam non recumberet: sed quia fieri aliter non potest, ubi diu malis urgemur, nec apparet ullum opis divinae signum, quin se ingerat haec cogitatio, Deum nostri oblitum esse. Neque enim humano modo vel naturae sensu in nostris miseriis agnoscimus, Deo nostri esse curam: sed fide invisibilem eius providentiam apprehendimus. Sic David, quantum ex re ipsa aestimari poterat, sibi visus est a Deo deseri. Simul tamen, praecunte fidei luce usque ad Dei gratiam (quamvis esset abscondita) mentis oculis penetravit. Itaque nihil usquam bonae spei cernens, quam longe se humani ingenii captus extendere poterat, dolore coactus, exclamat se non respici a Deo: hac tamen eadem querimonia testatur, fide se altius attolli, ut praeter carnis iudicium, salutem suam in Dei manu esse statuatur, alioqui quomodo gemitus suos ad ipsum votaue dirigeret? Sic nobis cum tentationibus luctandum est, ut ipso conflictu fides nobis dicat superanda esse mala quae nos ad desperationem sollicitant: quemadmodum Davidem non prohibuit a quaerendo Deo carnis infirmitas, sed affectus in speciem contrarios optime coniunxit. Porro impropria loquutio est: *Quousque in aeternum*: sed cui multo plus subest efficaciae, quam si usitato loquendi more rogasset, cur tamdiu? Significat enim ut spem suam foveret, seque animaret ad patientiam, procul respexisse: ideoque non conqueri de malo paucorum dierum, quemadmodum solent teneri et pusillanimes, qui tantum cernunt ante pedes, et ad primum insultum statim succumbunt. Quare suo exemplo nos docet quam longissime extendere mentes nostras ne praesens dolor spem nobis praescindat.

3. (*Usquequo ponam.*) Scimus in rebus adversis homines aestuare, ac circumspicere huc et illuc ad quaerenda remedia: praesertim ubi se destitui vident, anxie torquentur ac distrahuntur in varias partes: atque in magnis periculis sollicitudo et metus subinde consilia mutare cogunt, ubi nulla certa occurrit ratio. Conqueritur ergo David, dum hinc inde accersit consilia, tali congerie frustra se fatigari:

*) mettray-ie conseils (en mon ame), en marge: ou Con-sulteray-ie.

dolorem quotidianum coniungens, fontem huius inquietudinis designat. Nam sicuti in morbis acutis cuperent aegroti ad singula momenta locum mutare: et quo acrius dolores urgent, magis subiti sunt et fervidi ad novos motus aut mutationes: sic ubi animos occupat dolor, raptantur miseri homines, ac illis levius est sine profectu se cruciari, quam sedatis et quietis animis mala sua perpeti. Quamquam autem Dominus spiritum consilii fidelibus se daturum promittit (Ies. 19, 20) non tamen semper ipsum in primo articulo suppeditat, sed quasi per flexuosas ambages ad tempus discurrere patitur, vel perplexos inter spinas haerere. **וְיִי** nonnulli pro toto die accipiunt: sed mihi potius notari videtur alia assiduitas, nempe quod singulis diebus recurat dolor. In fine versus aliud malum deplorat, quod adversarii audacius insultent, dum ipsum vident diuturno languore prorsus confici. Plurimum autem in precibus valet haec ratio, quia Deo nihil minus est tolerabile ista crudeli insolentia, dum hostes non solum miseriis nostris pascuntur, sed quo nos magis deprimi vident, eo altius insurgunt.

4. *Respice, responde mihi Iehova Deus meus: illumina oculos meos, ne quando dormiam in morte.*
5. *Ne quando dicat inimicus meus, praevalui contra eum: qui me affligunt, exsultent si lapsus fuero.*

4. (*Respice, responde.*) Quoniam ideo videtur Deus non protinus auxilium suis ferre, quia eorum necessitates non respicit, priore loco petit David ut respiciat Deus: secundo, ut succurrat. Neutrum quidem in Deo prius aut posterius est: sed iam prius dictum fuit, saepiusque erit posthac iterandum, spiritum sanctum precandi formas ad sensum nostrum data opera accommodare. Nisi persuasus fuisset David se esse sub Dei oculis, nihil profuisset ad Deum clamare: sed haec erat fidei cognitio. Interim donec re ipsa Deus ad opitulandum manum exserat, clausos esse eius oculos dictat carnis ratio. Caeterum tantundem valet loquutio ac si Dei misericordiam priore loco statueret: deinde adiungeret eius auxilium, quia tunc demum nos exaudit Deus, dum nostri misertus ad nos iuvandos flectitur. Illuminare oculos, Hebraeis tantundem valet ac dare spiritum vitalem, vitae enim praecipuus vigor in oculis apparet. Hoc sensu dicit Salomon, Prov. 29, 13 tam miseri hominis, quam rapacis, oculos a Domino illuminari. Et quum Ionatas prae inedia deficeret, dicit sacra historia caliginem fuisse offusam eius oculis: rursus postquam favum mellis gustavit, lucem eius oculis fuisse redditam, 1. Sam. 14, 27. Similis fere metaphora est in verbo Dormiendi, quum ad mortem trahitur. Caeterum in summa fatetur David, nisi a Deo affluat lux vitae, se

mortis tenebris statim iri obrutum: ac se iam esse quasi exanimem, nisi Dominus vigorem inspiret. Hinc vero nobis vitae fiducia, quod licet mille mortes nobis intentet mundus, tamen est in manu Dei vitae nostrae instauratio.

5. (*Ne quando dicat inimicus.*) Iterum repetit quod de hostium superbia nuper dixerat: indignum scilicet esse, ut Deus servum suum impiis ridendum propinet. Erant autem quasi in excubiis Davidis hostes, ut ludibriis insectarentur eius ruinam. Atqui quum proprium Dei sit munus, compescere improborum proterviam, quoties in suis sceleribus gloriantur, merito a tali iactantia arceri postulat David. Sed notandum est, suae integritatis probe fuisse conscium, ac fretum etiam causae aequitate: ut indignum esset atque absurdum deseri in periculo, et ab hostibus opprimi. Quare tunc demum cum eo nobis communis erit haec precatio, si sub Dei imperio et auspiciis militamus, ut nos vincere hostes nequeant, quin de ipso Deo impios agant triumphos.

6. *Ego autem in bonitate tua confido: exsultabit cor meum in salute tua, cantabo Domino, quia mihi benefecit.*

Tametsi nondum sentit propheta quantum profecerit orando, spe tamen liberationis ex verbo Dei concepta fretus, spei clypeum tentationibus opponit, quarum terrore percelli poterat. Quamvis ergo duriter angatur ac multae curae ipsum ad desperationem sollicitent, se tamen in fiducia gratiae Dei et salutis staturum pronuntiat. Haec vero eadem fiducia praeditos suffultosque esse convenit pios omnes, ut in precibus rite perseverent, unde etiam colligimus quod prius admonui, fide apprehendi Dei gratiam, quae carnis iudicio abscondita est. Quanquam autem ex diversis verborum temporibus elicere diversos sensus liceat: ego tamen non dubito quin testetur David, se firmum stetisse in spe promissae salutis, et staturum usque in finem quamlibet grave tentationum onus incumbat. Itaque in verbo exsultandi futurum tempus continuum actum designat: quod scilicet fidei gaudium nullus unquam moeror ei excutiet. Notandum vero quod Dei bonitatem ordine priorem statuit, tanquam salutis causam. *Cantabo Domino.* Hoc postremum refero ad futurum tempus. Quamvis enim nondum votis suis potitus sit, Deum tamen iam adesse liberatorem non dubitans, ad gratias agendas se obligat. Et sane ita nos ad precandum accingi decet, ut simul ad canendas Dei laudes parati simus: quod fieri non potest, nisi certo persuasi simus, vota nostra non fore irrita. Quamvis enim non simus a dolore immunes, necesse tamen est ut emergat haec fidei alacritas, quae futurae laetitiae canticum

nobis dietet: sicuti David ad celebrandam Dei gratiam prius se comparat quam appareat malorum exitus. Verbum **לֹא** quod alii retribuere vertunt, non aliud hic significat, quam merum beneficium conferre, sicuti et pluribus aliis locis. Qualis enim esset ista gratiarum actio, Deum mercedem servo suo debitam rependisse? quo inepta eorum et frivola argutia refellitur, qui ad probanda operum merita locum hunc detorquent. Denique ad canenda Dei beneficia, antequam ea perceperit, festinans, salutem quae tunc procul remota erat, sibi ante oculos statuit.

PSALMUS XIV.

ARG. Principio impium Dei contemptum describit, ad quem se totas fere populus proiecerat: et quo plus gravitatis habeat querimonia, sub Dei persona eum iudicat. Deinde spe remedii quod divinitus instare persuasus est, quamvis anxie interim suspiret, se et alios consolatur.

1. *Praefecto Davidis. Dixit stultus in corde suo, non est Deus, corruerunt, abominabile fecerunt opus: non est qui faciat bonum.*

Plerique ex Iudaeis vaticinium in hoc Psalmo editum esse volunt de futura gentis suae oppressione: ac si David in spiritu ecclesiam Dei sub gentium tyrannide afflictam defferet. Itaque quod hic dicitur, ad praesentem suam dissipationem referunt, ac si essent pretiosa illa Dei haereditas quam devorant ferae bestiae. Sed facile apparet, dum gentis suae dedecus tegere volunt, ad gentes sine ratione torquere quod de perversis Abrahae filiis dictum est. Certe nullus Paulo apostolo magis idoneus erit interpres, qui ad populum legalem diserte accomodat, Rom. 3, 19. Deinde ut nobis desit illud testimonium, contextus clare demonstrat domesticos potius fidelium tyrannos et hostes, quam externos a Davide notari, quod tenere nostra magnopere refert. Scimus enim quam duriter nos cruciet haec tentatio, quum in media ecclesia grassari scelerum colluviem, bonos et simplices iniuste affligi, improbos crudeliter pro sua libidine dominari cernimus. Triste enim hoc spectaculum nos fere exanimat: quare exemplo, quod nobis David proponit, nos muniri non parum utile est, ut in deploratis ecclesiae ruinis fiducia liberationis nos sustentet. Ego quidem non dubito confusum et perditum Iudaeae statum hic describi, quem invexit Saul quum palam furero coopisset: tunc enim, perinde ac exstincta Dei memoria, pietas omnis diffuxerat, nec maior vigeat inter homines integritas. *Dixit stultus.* Quum **לֹא** Hebraeis non stultum modo, sed perversum quoque et nequam hominem significet,

non incommode posset ita exponi in hoc loco: ego tamen quod magis receptum est, libenter sequor, ut vesaniae damnentur omnes profani homines, qui abiecto Dei metu, se ad iniustitiam proiciunt. Neque enim vulgaris stultitiae hostes suos insinuat David, sed in eorum vecordiam, insanamque duritiam invehitur, quos mundus valde sapere iudicat. Nam qui maxime prudentes et consulti tam sibi quam aliis videntur, eos ut plurimum videmus fodere astutiae latebras, ut Deum spernendo ac ridendo ingenii sui acumen exerceant. Primo itaque sciendum est, quantumvis mundus versutis et nasutis hominibus applaudat, qui sibi quidvis licentiae indulgent, insaniae tamen ipsos a spiritu sancto damnari: quia nullus est magis brutus stupor, quam Dei oblivio. Simul tamen notandum est, unde colligat eos exuisse omnem pietatis sensum: nempe quia ordinem omnem perverterint, ut nullum maneat iusti ac iniusti discrimen, nulla honesti cura, nullum humanitatis studium. Non igitur de abscondito cordis affectu pronuntiat David, nisi quatenus impii suo iudicio se produnt: ac si diceret, qui fit ut homines isti adeo importune lasciviant, nulla sit recti vel aequi apud eos ratio, denique ut immaniter ruant in omne scelerum genus, nisi quia excusso pietatis sensu omnem Dei memoriam, quantum in se est, ex animis suis delerunt? Nam quorum animis insidet aliqua religio, eos semper necesse est aliquo modestiae fraeno retineri, ne quidvis audeant, unde sequitur, ubi suae libidini absque pudore impii tam praeferre et audacter indulgent, exuisse Dei notitiam. Dicit autem eos in corde suo loqui: quia licet execrabilem hanc blasphemiam ore non evomant, effraenis tamen vitae licentia clamat, corda ipsorum omni pietate vacua, hanc sibi cantilenam suaviter canere. Non quod subducta ratione, vel formati (ut aiunt) syllogismis nullum esse Deum statuunt (Deus enim sceleratissimos etiam quosque, ut magis sint inexcusabiles, arcanis conscientiae punctionibus subinde excoet, ut suum numen et imperium agnoscere cogantur) sed ipsi quidquid rectae notitiae Deus instillat, partim suffocant sua malitia, partim adulterant, donec emortua iaceat religio. Quamvis enim non plane Deum esse negent, coelo tamen includunt iustitiam et virtute sua spoliatum: quod est idolum loco Dei fingere. Nam perinde ac si nihil unquam sibi futurum esset cum eo negotii, a singulis vitae actionibus procul eum repellunt. Ubi autem detrahitur e solio suo Deus, ut iudex esse desinat, ad summum cumulum pervenit impietas: ut verissime dictum sit a Davide, qui secure omnium scelerum impunitatem sibi promittunt, in corde suo Deum negare. Caeterum quia Psalmus 53 paucis mutatis verbis, nihil aliud quam huius repetitionem continet, quid inter se differant, suis locis monebo. Ubi hic con-

queritur David, eos abominabile fecisse opus: illic pro opere ponitur iniquitas. Observent autem lectores, non de uno vel altero opere Davidem loqui, sed quemadmodum dixerat eos pervertisse, vel corrupisse omnem legitimum ordinem, ita nunc addit, totam vitam suam foedasse, ut sit abominabilis, cuius rei probationem adducit, quia nullam inter se iustitiam colant, sed omnis beneficiæ sint obliti.

2. *Iehova e coelis prospexit super filios hominum, ut videret an sit qui intelligat, qui requirat Deum.*
3. *Quisque recessit, simul putridi facti sunt: non est qui faciat bonum, ne unus quidem.*

2. (*Iehova e coelis.*) Hoc magis emphaticum est, Deum loquentem induci, quam si sententiam tulisset David in sua persona. Nam quum Deus in solio suo cognitor locatur, prodigiosum in modum stupidi sumus, nisi terrorem incutiat eius maiestas. Facit enim peccandi consuetudo ut obdurescant homines in suis peccatis, ac tanquam in densa caligine nihil discernant. David ergo ut talibus blanditiis nihil eos proficere doceat, dum impune regnant scelera in mundo, Deum e coelo testatur speculari et inquirere, ut ipsum non lateat quid inter homines agatur. Etsi autem nulla inquisitione opus est Deo, non tamen frustra terreni iudicis formam suscipit, ut pro modulo nostro paulatim arcanam eius providentiam apprehendamus, quæ statim sensu nostro concipi non potest. Atque utinam huc usque nos deducat hæc loquendi ratio, ut discamus nos citare ad Dei tribunal ac nobis torporem excutiat hæc sententia, dum sibi delicias mundus facit, ac reprobi sua vel socordia, vel hypocrisi, vel impudentia peccata sua sepeliunt, et caecutiunt in temulenta sua perviciacia, Deum tamen e coelo prospicere. *An sit qui intelligat.* Quia hinc pendet bene et iuste vivendi ratio, ut luce intelligentiæ regamur, merito David initio Psalmi, stultitiam docuit esse omnium scelerum radicem, et hoc loco integritatis et rectæ vitæ exordium a sana mente facit. Sed quia perperam maior pars ingenium suum ad vafritiem applicat, continuo post David veram intelligentiam definit uno verbo, nempe si quaeritur Deus: quo significat non aliter probe vitam institui posse, nisi homines se totos Deo addicant. Quidam nimis restricte accipiunt nomen מְשִׁכִּל quum in genere pronuntiet David omni ratione et iudicio reprobos prorsus destitui. *Quisque recessit.* Verbum רָץ quidam Foetere vertunt, ut proximo verbo respondeat, quod Hebraeis est Putridum fieri. Sed nulla necessitas cogit duo verba eodem modo exponere, ac si idem bis dicatur. Imo melius convenit, damnari homines impiae defec-tionis quia alienati sint, vel procul recesserint a

Deo: postea notari foetidam corruptelam in tota eorum vita: sicuti apostatae nihil nisi putridum spirant. Et verbum Hebraicum ubique fere in hoc sensu capitur. Deinde Psalmo 53. ponitur verbum רָץ quod idem valet. In summa, pronuntiat David sic omnes vagis cupiditatibus fuisse abreptos, ut nihil in eorum vita sincerum vel integrum maneat. Hæc est universalis defectio, quæ omnem pietatem exstinguit. Porro non partem aliquam duntaxat perstringit, sed omnes pariter in eundem coniecit reatum. Hoc vero detestabile portentum fuit, omnes Abrahamæ filios, qui in sacram Dei peculium electi erant, a primo ad ultimum sic esse corruptos. Sed quaeritur quomodo exceptionem tollat David, ut ne unus quidem integer supersit: quum tamen paulo post miseros et afflictos commemoret in Deum sperare. Deinde, si omnes impii erant, quisnam fuit ille Israël, cuius futuram redemptionem prædicat in fine Psalmi? Imo quum ipse unus esset e corpore populi, cur saltem a reliquis se non excipit? Respondeo: Quia invehitur in carnales Abrahamæ filios, in eorum ordine exiguum semen, quod sibi Deus segregaverat, non censi. Atque hæc ratio est cur Paulus ad Rom. 3, 10 ad totum humanum genus extendat hanc sententiam. Quamquam enim David confusam vastitatem, quæ sub Saule fuit, deplorat: minime tamen dubium est ab eo tacite conferri cum Dei filiis quicumque non sunt spiritu regeniti, sed feruntur carnis suæ ingenio. Quidam ita solvunt, non urgeri a Paulo testimonium Davidis, quasi dixisset naturaliter vitiosos esse homines sed proponi hanc similitudinem, quod procures electi populi scelerati fuerint: ne mirum sit iniustitiam passim regnare in mundo. Verum nimis frigida solutio est: quia illic minime disputat Paulus qualis sit maior pars hominum, sed quicumque suapte natura feruntur et aguntur. Notandum igitur est, quum se et exiguas piorum reliquias toti populo David opponit, manifestum statui discrimen inter Dei filios, qui spiritu eius reformati sunt, et omnes posteros Adæ, in quibus dominatur corruptio et pravitas. Unde sequitur, nos omnes quum nascimur amentiam hanc quæ describitur a Davide, et totius vitæ foetorem afferre ex utero, talesque manere donec arcana sua gratia nos Deus in novas creaturas refingat.

4. *An non cognoscunt omnes operarii iniquitatis? comedentes populum meum, comedunt panem: Dominum non invocant.*

Interrogatio hæc addita est, quæ superiorem doctrinam amplificet. Nam quum dixisset propheta, Deum e coelo facta hominum notare, ac deprehendisse omnes esse perversos: nunc inducit cum admiratione clamantem: Quænam est ista dementia,

quod ferarum more absque ullo humanitatis sensu, in populum meum grassantur qui eum fovere et omnibus officiis prosequi debebant? Porro hanc Deo tribuit personam, non quod ei novum quidquam sit vel inopinatum, sed quo eius indignationem magis exprimat. Sic et propheta Ies. cap. 59 vers. 16, idem fere argumentum tractans, dicit etiam ipse, Deum vidisse et miratum esse quod nemo intercederet. Tales quidem affectus in se Deus non suscipit, sed eorum induit formam ac similitudinem, quo maiori horrore nos percellat, dum scelorum nostrorum portentis se quodammodo turbare dicit. Nos vero, nisi plus quam saxeii sumus, totos expavescere convenit, quum Deus tale detestationis signum nobis proponit. Iam vero confirmat hic versus quod initio dixi, non de externis tyranniis, vel professis ecclesiae hostibus haberi sermonem, sed de proceribus ipsius populi, qui potentia et honore pollebant. Neque enim hoc apte in homines a Dei cultu prorsus alienos competeret: quia nihil mirum esset, eos qui vivendi regulam non tenent violenter praedari. Sed hac circumstantia non parum augetur indignitas, quod ipsi pastores gregem crudeliter devorant: ac ne Dei quidem populo et haereditati parcunt. Similis etiam querimonia legitur Mich. 3, 1: Audite principes domus Israel, an non vestrum est scire iudicium? Raptis vero pellem a populo meo, et carnem ab ossibus eius, etc. Si in Babylonios vel Aegyptios ita saevirent qui Deum se colere profitentur, minime tamen excusabilis esset eorum iniustitia: sed dum sanguine et carne fidelium pascuntur non secus ac pane, hoc vero monstrum est, quod merito tam angelos quam homines reddat attonitos, nam si gutta illis maneret sanae mentis, retraheret eos a tanto furore. Necesse igitur est a diabolo esse excaecatos, ut nihil penitus sentiant, dum scientes et volentes tam atrociter excoerant ac deglutiunt populum Dei. Docet autem hic locus quantopere displiceat Deo et abominabilis sit crudelitas, quam adversus pios exercent larvati pastores. In fine versus, ubi ipsos dicit Deum non invocare, iterum fontem et causam designat tam effraenis iniustitiae, quod scilicet nulla tangerentur Dei reverentia. Nam religio mutuae inter nos aequitatis optima est magistra, ubi vero extinctum est eius studium, concidit etiam omnis iustitiae respectus. Caeterum Dei invocatio, quia praecipuum est pietatis exercitium, non hic solum sed pluribus scripturae locis totum Dei cultum per synecdochen complectitur.

5. *Illic trepidarunt trepidatione, quia Deus in*) generatione iusta.* 6. *Consilium inopis probro afficitis, quod Iehova sit spes eius.*

*) en, en marge: ou avec, ou pour.

5. (*Illic trepidarunt.*) Nunc propheta se et reliquos fideles optima consolatione animat, quod Deus non deseret suos ad extremum usque, quin tandem appareat eorum vindex. Adverbium loci quidam ita exponunt quasi Deus in sanctorum conspectu poenas sumpturus sit de reprobis: quia in illos exercuerunt suam tyrannidem, sed potius exprimitur poenae, quam daturi sunt, certitudo, ac si eam digito monstraret. Quanquam ex Psalmo 53 colligere licet subitum quoque et inopinatum Dei iudicium notari, illic enim additur: Non est, vel, non fuit timor. Scio quidem membrum illud ab interpretibus varie accipi. Quidam enim subaudiunt, nullum parem esse timorem: alii referunt ad caecas perturbationes, quibus vexantur mentes impiae. Nam et hoc legis suae transgressoribus tormentum Deus minatur, ut fugiant nemine persequente, Levit. 26, 17 et pavescant a strepitu folii cadentis: sicuti videmus ipsos esse suos carnifices, ac intus secum tumultuari sine externo motu. Sed ego aliam esse Prophetarum mentem iudico: quod scilicet rebus tranquillis et prosperis repente in ipsos Deus fulminet. Nam ubi dixerint Pax et securitas, eorum capitibus subitum et incredibile exitium impendet, 1. Thess. 5, 3. Ergo hac spe fideles erigit ac sustinet Propheta, quod impii, dum se immunes putabunt ab omni periculo, imo secure triumphos suos agent, subita ruina perdentur. Additur ratio, quia Deus iustos suo patrocinio tueri velit. Porro ut salutem eorum asserat, necesse est ipsum contra iniustos et violentos eorum hostes e coelo fulminare. Est tamen in voce *לִלִּי* aliqua ambiguitas, nam quia Hebraeis nomen hoc seaculum, vel cursum humanae vitae interdum significat, posset hic elici sensus: Quamvis Deus ad tempus dissiulet iniurias, ipsum tamen semper adesse suis servis, suaeque gratia eos per totam aetatem prosequi. Simplicius tamen videtur, Deum a parte iustorum stare: ut *לִלִּי* idem hoc loco valeat quod interdum Latinis, Natio. Psalmo 53, 6 addit: Quoniam dissipavit Deus ossa obsidentis te, pudore afficies: quoniam Dominus reiecit eos. Quibus verbis clarius explicat propheta quomodo iustis praesideat Deus: nempe dum eos eripit e mortis faucibus, ac si quis obsidione liberet qui in angustum redacti erant. Unde sequitur, patienter nobis ferendam esse oppressionem, si cupimus Dei manu opportune servari. Ossa autem metaphorice robur vel potentiam significant: quia non aliter satis pateret, Dei manu conteri impios, nisi opibus et copiis essent formidabiles. Hortatur deinde fideles ad sanctam gloriationem, ne dubitent reprobis instare probrosum interitum: quia scilicet Dominus ipsos reiecit, quo adverso omnia infelice cedere necesse est. Quia *וְנִסְתָּ* spernere interdum significat, quidam ita vertunt: Quia Deus sprexit eos: sed improprie, meo

iudicio. Magis quadraret: Contemptibiles eos reddidit, vel, probro et ignominiae subiecit. Unde sequitur nihil sibi quam dedecus accersere, dum in sublime quasi Deo invito contendunt.

6. (*Consilium inopis.*) Invehitur in istos gigantes quibus ludibrio est fidelium simplicitas, dum in suis miseriis Deum liberatorem quieti exspectant. Et certe nihil carni videtur magis absurdum, quam ad Deum confugere, dum malis nostris non succurrit: quia scilicet Deum ex praesenti gratiae eius intaitu aestimat. Ideo increduli quoties malis obrui vident Dei filios inanem (ut ipsis quidem videtur) confidentiam illis exprobrant, sannisque suis exagitant hanc securitatem, quod in Deum, a quo nihil sentiunt auxilii, recumbant. Itaque huic superbiae insultans David, hanc quoque exitii causam illis fore denuntiat, quod stultitiae damnent pauperes et miseros, quia freti Dei praesidio malis non succumbant, ac simul admonet nihil magis esse consultum, quam a Domino pendere: atque hanc esse optimam prudentiam, quamvis simus afflicti, quiescere in salute ab eo promissa.

7. *Quis dabit ex Sion salutem*) Israel? ubi converterit Iehova captivitatem populi sui, laetabitur Iacob, exsultabit Israël.*

7. (*Quis dabit.*) David proposita consolationis doctrina, iterum ad vota et gemitus redit. Quo docet, etiamsi diu languere nos Deus sinat, non debere tamen nos taedio frangi, quin semper in ipso gloriamur: deinde hoc in diuturnis molestiis optimum esse solatium, vota subinde repetere. Porro non respicit ad dextram vel sinistram, ut ab uno Deo oculos deflectens alium liberatorem quaerat: sed seiscitando quis dabit salutem, tantum fervorem desiderii exprimit: ac si dixisset: Quando tandem Deus salutem suam proferet? nam addito Sionis nomine, spem suam in Deo fixam esse testatur, nam ille erat sacer locus unde promiserat Deus se exauditorium servorum suorum preces: illud erat domicilium arcae foederis, quae arrha et symbolum erat praesentiae Dei. Non ergo dubitat quisnam futurus sit salutis autor: sed anxie rogat quando tandem prodibit salus illa, non aliunde speranda quam ab uno Deo. Quaeritur tamen, si haec precatio pertinet ad tempus Saulis, qui conveniat Sionem nominari tanquam Dei sanctuarium. Si cui placeat, spiritu prophetico fuisse praedictum a Davide quod nondum palam factum erat, non repugno, mihi tamen probabile videtur, postquam arca foederis in monte Sion locata erat, compositum fuisse hunc Psalmum. Scimus enim Davidem, ut posteris consuleret, per otium aeternae memoriae

*) Salut, en marge: ou delivrance.

mandasse quae longo ante tempore acciderant. Ceterum quod Israël liberari cupit, hinc cognoscimus non tam privatim de se cogitasse, quam de communi ecclesiae salute fuisse sollicitum. Quod eo diligentius notandum est, quia dum proprius dolor unumquemque occupat fere negligitur publica fratrum salus. Atqui singulos suis malis Deus admonet, ut curas suas ad totum ecclesiae corpus convertant, quemadmodum David secum Israël complectitur. (*Ubi converterit.*) Statuit his verbis David, Deum minime passurum ut sub perpetuo moerore tabescant fideles, sicut alibi dicitur, Psal. 126, 5: Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Neque enim dubium est quin se et pios omnes rursus confirmet atque hortetur ad spem liberationis promissae. Primo itaque dicit, Deum, licet moram trahat, vel saltem non festinet pro nostro desiderio, vindicem tamen fore qui suos a captivitate redimat. Deinde a laetiore exitu mitigat eorum dolorem, quia in gaudium tandem vertetur. Captivitas porro cuius meminit, non est babylonica, vel dispersio inter profanas gentes, sed domestica potius oppressio quum tyrannice in ecclesia dominantur improbi. Quare docemur his verbis, dum tales bestiae Dei gregem vastant ac disperdunt, vel superbe conculcant, ad Deum confugere, cuius proprium munus est ex dissipatione colligere suum Israël. Ipsum vero *captivitatis* nomen docet, ubi impii pro sua libidine rectum ordinem pervertunt, in medio ecclesiae sinu Babylonem esse vel Aegyptum. Quamvis autem sancti populi laetitiam David in tempus liberationis differat, consolatio tamen haec non modo ad temperandum dolorem nostrum valere debet, sed etiam laetitia concludendum.

PSALMUS XV.

ARG. Docet hic Psalmus qua lege Deus sibi Iudaeos in populum delegerit, suumque sanctuarium locaverit in medio ipsorum: nempe ut iuste recteque vivendo se peculiaritatem et sacrum eius populum esse testentur.

1. *Canticum Davidis. Iehova quis habitabit in tabernaculo tuo? quis requiescet in monte sanctitatis tuae?* 2. *Qui ambulat integer et facit iustitiam, et qui loquitur veritatem in corde suo.*

1. Domine quis etc. Quia nihil magis tritum est in mundo quam falso obtendere Dei nomen idque sibi magna para hominum secure indulget: consulto David, hominibus relictis, Deum ipsum compellat, significans, cunctos mortales, si fallaci titulo abutantur, suis blanditiis nihil proficere, quia Deus semper manet sui similis: et quemadmodum

fidelis est, ita mutuo fidem vult sibi praestari. Quamvis enim gratis adoptaverit Abraham, stipulatus tamen est ut viveret integer: atque haec est generalis regula foederis quod ab initio cum tota ecclesia pepigit. Summa est frustra ab hypocritis, qui locum in templo Dei occupant, praetexti Dei nomen: quia neminem inter suos agnoscit, nisi qui iustitiam et rectitudinem colit tota vita. Videbat David templum ingenti hominum multitudine refertum quae eundem cultum profitebatur, seque externo ritu in Dei conspectum sistebat: ideo admirantis personam suspicit, et sermonem convertit ad Deum, qui in confusa hominum mistura suos ab alienis discernit. Triplex autem est huius doctrinae usus. Primo enim si vere censeri cupimus inter Dei filios, admonet spiritus sanctus vitae integritate hoc esse probandum: quia non sufficiat caeremoniis Deum colere nisi recte et innoxie vivamus. Secundo, quia saepe contingit ecclesiam Dei multis inquinamentis deformem cernere, ne quis ad hoc scandalum impingat, discrimen ponitur inter perpetuos ecclesiae cives, et inquilinos qui ad tempus sunt illis permisti. Valde necessaria admonitio, ne, si Dei templum multis sordibus infectum sit, fastidium et morositas nos ad defectionem impellant. Sordes intelligo, vitae impurae et corruptae vitia. Nam modo pura religio quoad doctrinam et ritus vigeat, hominum delictis non ita nos offendi convenit, ut propterea scindamus unitatem. Atqui omnium temporum experientia docet quam gravis sit ista tentatio, ecclesiam Dei, quae abstersis omnibus maculis pura nitere debebat, multos impios hypocritas vel sceleratos homines in sinu suo fovere. Haec olim Catharis, Novatianis et Donatistis fuit occasio ut a societate piorum desciscerent. Et eadem hodie dissidia renovant Anabaptistae: quia non putant veram esse ecclesiam, quae vitia tolerat. Verum non frustra Christus Matth. 25, 32 sibi munus vindicat segregandi agnos ab hoedis: quin potius admonet ferenda esse mala quae corrigere non licet, donec maturum adveniat purgationis tempus. Simul tamen iubentur fideles, pro se quisque dare operam, ut a corruptelis purgetur Dei ecclesia. Atque hic tertius est quem notavi, doctrinae usus. Quanquam enim non ante ultimum diem perfecte mundabitur sacra Dei area, dum Christus suo adventu foras paleam eiiciet: hoc tamen facere nunc incipit evangelii sui doctrina, quam ideo ventilabrum nominat. Quare minime torpendum est in hac parte: sed acriter potius eniti convenit ut se in casta puraque disciplina contineant quicumque nomen Christo dederunt. Sed illud praecipue memoria tenendum est arceri iniustos omnes a sanctuarii ingressu: et sacrilegam eorum audaciam damnari, dum sine ulla reverentia prorumpunt in coetum piorum. Tabernaculi meminit, quia nondum exstructum erat temp-

lum. Summa tamen est, non patere ad Deum accessum nisi puris eius cultoribus.

2. (*Qui ambulat integer.*) Notanda est tacita antithesis inter inanem tituli iactantiam, vel nudam professionem quae caeremoniis constat: et hoc solidum pietatis testimonium, quod commendat David. Quaeri tamen posset, quum Dei cultus caritatis officia ordine praecedat, cur hic nulla fidei ac precationum fiat mentio, nam certe istis notis decebat legitimos Dei filios ab hypocritis distingui. In promptu solutio est fidem, Dei invocationem, spiritualia sacrificia minime a Davide excludi: sed quia multis caeremoniis hypocritae se ut plurimum venditant (quorum tamen impietatem coarguit vita exterior, dum pleni sunt fastu, crudelitate, violentia, fraudibus et rapinis dediti) ut in lucem trahantur quicumque tales sunt, verae et sinceræ fidei probationem peti ex secunda legis tabula. Nam ut quisque iustitiam et aequitatem cum proximis suis colit, re ipsa demonstrat se Deum timere. Non ergo politica iustitia contentus est David, quasi satis sit hominibus reddere quod suum est, Deum vero fraudare iure suo liceat: sed probos Dei cultores designat a iustitiae fructibus. Ac primo quidem loco sinceritatem requirit ut simpliciter et sine malo astu in negotiis versentur: deinde iustitiam, ut studeant proximis benefacere, neminem laedant, et abstineant ab omni noxa. Tertio, fidem in suis sermonibus, ne quid fallaciter vel captiose loquantur. *Loqui in corde*, dura quidem et impropria est locutio, sed quae melius exprimit sensum Davidis, quam si dixisset, ex corde. Talem enim cordis et linguae consensum et symphoniam notat, ut sermo sit viva latentis affectus effigies.

3. *Qui non detrahit lingua sua, non infert socio suo malum, et opprobrium non tollit contra proximum suum.*

Postquam breviter complexus est David, quibus dotibus praeditos esse oporteat quicumque locum in ecclesia tenere cupiunt, vitia quaedam enumerat, a quibus puros esse convenit. Ac primo quidem denuntiat, ne sint obtrectatores: deinde ut ab omni maleficio et iniuria sibi temperent: tertio, ne calumnias et falsa probra suo patrocínio adiuvent. Reliqua deinde videbimus. Maledicentiam ergo David tanquam primum iniustitiae caput quo laeduntur proximi, statuit. Nam si nomen bonum multis divitiis praecellit, Prov. 22, 1 nulla gravior noxa inferri potest hominibus, quam dum violatur eorum fama. Porro non quodlibet convicium hic damnatur, sed obtrectandi morbus ac libido, quae ad spargendas calumnias malignos homines incitat. Quanquam non dubium est quin spiritus sancti consilium sit, falsas omnes vel improbas crimina-

tiones damnare. Quod proxime sequitur, debere a filiis Dei procul abesse omnem iniustitiam, latius patet: ne quid scilicet damni fratribus suis inferant. Socios autem et proximos intelligit, non eos tantum quibuscum familiaris usus vel necessitudo intercedit, sed omnes etiam qui communi humanitatis vinculo devincti sunt, ac coniuncti: idque facit augendae invidiae causa, quo magis abhorreant fideles ab omni maleficio: quandoquidem ius humanae societatis violat quisquis alteri nocet. In tertio membro non consentiunt interpretes, nam levare probum quidam pro comminisci accipiunt: quia improbi calumnias de nihilo suscitant, ita esset repetitio eiusdem sententiae, ne sibi fideles lingua detrudere permittant. Sed ego aliud vitium reprehendi puto, nempe credulitatem nimiam, qua sinistros de proximis sermones vel avide haurimus, vel temere admittimus: quibus suppressendis danda potius erat opera. Nam qui ficta mendacia repudiant, quasi patiuntur in terram excidere: qui vero spargunt, et de manu in manum tradunt, non inepte tollere dicuntur.

4. *Contemptus in oculis eius reiectus:*) qui vero timentes Dominum honorat, quum iuraverit ad damnum inferendum**), non mutat.*

Prima pars huius versus varie exponitur. Quidam sensum hunc eliciunt, quod Dei cultores apud se contemptibiles sint, nulloque in pretio, quem si recipimus, subaudienda erit copula, quam David non exprimit. Ego praeterquam quod asyntheton video durum esse, alia ratione adducor ut Davidem aliud voluisse credam. Nam res duas inter se oppositas comparat, perversos et nihili homines despiciere, iustos autem et pietatis studiosos honore prosequi. Haec duo membra ut inter se respondeant, non aliter possum quod de contemptu dicitur accipere, quam impios a filiis Dei contemni, et referre quam merentur ignominiae mercedem. Verum quidem est, fideles, quamvis magna cum laude vivant, non tamen efferri confidentia: quin potius sibi displicere, quia sentiunt quantum adhuc ad perfectionem sibi desit. Sed dum expendo quid postulet circumstantia loci: non tam humilitatem vel modestiam laudari puto, quam ingenuum et sincerum iudicium, ubi neque improbis parcitur, et virtuti debitus habetur honor. Nam adulatio quae vitia tegendo alit, non minus pestiferum est quam vulgare malum. Fateor quidem, si dominantur improbi, non ita spernendos esse quin illis pareamus quantum feret officii nostri ratio: cavendum tamen est ne servilis assentatio eodem nos cum

ipsis reatu implicet. Nam qui eorum scelera non modo dissimulat, sed etiam honore dignatur, sibi probari quantum in se est, ostendit. Ideo docet Paulus Ephes. 5, 11 speciem impiae communicationis esse ubi scelera non coarguimus. Et certe hoc nimis perversum est, in hominum favorem oblique Deo illudere: quod faciunt quicunque improbis gratificari student. Quanquam non tam personas respicit David, quam delicta ipsa. Nam qui honorifice coli impios videt, ac mundi applausu obstinatior reddi in malitia, si consensum sponte adiungat: quid aliud quam regnum vitii attribuit? Vae autem qui dicunt malum esse bonum, et tenebras lucem, inquit Iesaias 5, 20. Caeterum, quod reiectos posuit David pro turpibus et flagitiosis, etiamsi in alto honoris gradu locati sint, non debet asperum videri, vel coactum. Nam si aruspicius et aliis profanis vatibus repulsos vocare licuit homines nequam et perditos, licet dignitate et opibus pollerent (quemadmodum autor est Cicero de aruspiciis responsis) cur coelestis interpres non probrosis annumeret quicunque reprobantur a Deo? Summa igitur est, filios Dei libere iudicare de cuiusque factis, neque gratia ad pravam assentationem inflecti, ut improbos in sua malitia foveant. Non vulgaris etiam virtus est, quae proxime sequitur, honore prosequi pios homines et iustos. Nam quia saepe sunt quasi mundi catharmata, saepe fit ut qui sunt illis amici, passim mundi odia in se excitent. Ergo maior pars bonorum amicitiam reiiicit, et contemptos iacere patitur: quod fieri non potest sine gravi et atroci Dei iniuria. Discamus ergo non a censu, vel pecunia, vel fluxis honoribus aestimare, sed pietatem habere in pretio. Et certe nemo ad pietatis studium unquam animum adiciet, nisi qui Dei servos reverebitur: sicuti vicissim eorum observantia ad imitationem quoque incitat. (*Quum iuraverit ad damnum.*) Optime quadraret graeca versio, nisi puncta obstarent: quibus tametsi nunquam caruerunt Hebraei, credibile tamen est non semper scribendo ab illis fuisse expressa. Ego tamen receptam lectionem sequor. Sensus autem est, fideles potius iacturam facturos, quam ut a fide discedant. Nulla enim fidei approbatio est, ubi quisque stat suis promissis, quatenus sibi commodum esse videt: atqui nihil magis tritum est, quam ex levi aliquo damno praetextum captare ad pacta rescindenda, simul ac quidpiam alii aliis polliciti sunt. Seorsum expendunt singuli quid sibi utile sit: et, si gravantur promissis stare, ingeniose excogitant longe plus damni, quam timendum sit. Honestam quidem excusatio videtur, ubi quis conqueritur iacturam se facturum nisi a pacto resiliat. Hinc tanta perfidiae licentia inter homines, quod se, fide data, non ultra obstringi putant, quam ferat cuiusque utilitas. David ergo ista levitate damnata,

*) le reietté, en marge: ou meschant ou vilain et abominable.
**) quand il a iuré pour faire dommage, en marge: ou, encores qu'il y eust dommage et perte pour luy.

aliam in promissis constantiam a filiis Dei requirit. Hic iam oriuntur quaestiones, si latroni promissis redemptionis pretium, atque ita dimissus fueris, an praestanda sit fides. Deinde, si quis indigne fraudatus fuerit, an iusiurandum rescindere liceat. Quod ad latronem spectat, qui pecuniam illi afferet, in aliud incurret vitium: quia communem humani generis hostem non sine publica perniciie sumptibus suis alet. Nec vero hanc necessitatem fidelibus imponit David, sed tantum privatis commodis sua promissa, maxime si iuramento sancita sint, praeferi iubet. Ubi quis dolo malo circumventus iuravit, tanti debet esse nominis Dei sanctitas, ut damnum potius patienter sustineat, quam violet iusiurandum: modo tamen privatae utilitatis respectu non ducatur, fraudem sibi factam detegere licebit, nulla etiam ratio impediet quo minus cum parte adversa placide transigat. Perperam multi Hebraei interpretes locum hunc ad vota restringunt: quasi hortetur David fideles ad implenda vota, ubi promiserint se ieiunio affligere. Nihil enim magis remotum ab illius mente: quia non nisi de secunda legis tabula et mutua inter homines rectitudine disserit.

5. *Pecuniam suam non ponit in fœnore, et munus super innocentem non accipit: qui facit haec, non morietur in saeculum.*

Hoc versu fidelibus David praecipit ne vel fœnore gravent proximos suos, vel muneribus corrupti iniustis causis faveant. Quod ad prius membrum spectat, quia videtur David in genere et sine exceptione damnare usuras omnes, nomen ipsum passim detestabile fuit. Sed quum astuti homines sibi fabricassent speciosos titulos, hoc artificio elapsos se putantes, maiore licentia praedati sunt, quam si palam et aperte fœnerati essent. Atqui Deus sophistico et fucosis coloribus minime vult secum agi, sed rem ipsam simpliciter respicit, quare nulla deterior est fœneris species, quam iniusta contrahendi ratio, ubi mutua aequitas non colitur. Sciamus ergo, contractus omnes quibus alter ex alterius damno lucrum inique captat, quocunque tandem nomine vestiantur, damnari. Quaeritur tamen an hoc loco habendae sint omnes usurae. Si praecise damnentur, periculum est ne multi in eas angustias putantes se redactos, ut quocunque se vertant, undique imminet peccatum, ipsa desperatione audaciores facti, absque delectu se praecipitent, simul vero ac quidpiam concessum fuerit, multi sibi habonas laxabunt, fœnerandi licentiam sine modo putantes sibi factam esse. Primo itaque loco admonitos esse lectores velim, ne ingeniosi sint ad captandos fraudandi colores: nec sibi fingant quidquam esse licitum, quod aliis grave et damnosum sit. Iam quod ad fœnus spectat, vix fieri potest ut inveniatur in mundo fœnerator, qui non

idem sit rapax et iniquo turpique quaestui deditus. Itaque non immerito olim Cato in eodem fere gradu posuit fœnerari et hominem occidere: quia huic hominum generi propositum est alienum sanguinem exsugere. Est etiam valde indignum, dum singuli laboriose victum sibi acquirunt, dum se agricolae quotidianis operis fatigant, opifices multum sudando aliis serviunt, mercatores non modo se exercent laboribus, sed multa quoque incommoda et pericula subeunt, solos trapezitas sedendo vectigal ex omnium labore colligere. Ad haec soimus, ut plurimum non eos qui divites sunt fœnore exauriri: sed tenues homines, qui potius levandi erant. Quare non abs re Deus Levit. 25, 25 fœnerari vetuit, rationem hanc addens, si attenuatus fuerit populus meus, non gravabis eum usura. Videmus finem legis, ne crudeliter opprimantur pauperes, qui potius misericordia digni erant. Quamquam autem politica fuit lex quam Deus peculiariter Iudaeis tulit: communis tamen gentium et aetatum omnium est ista aequitas, ne miseros homines et attritos devoremus. Unde sequitur, sub illicito fœnore non comprehendi lucrum, quod sine cuiuspiam iniuria facit qui mutuo dat pecuniam. Nomen etiam נֶשֶׁךְ quo utitur David, a mordendo deductum, satis ostendit, usuras, quantenus furandi et praedandi licentiam secum trahunt, damnari. Ezechiel quidem 28, 4 quodvis augmentum videtur damnare: sed non dubium est quin ad iniustas et captiosas lucrandi artes respiciat, quibus divites egenam plebem rodebant. Summa haec sit, modo cordibus nostris insculpta sit, quam Christus Matth. 7, 12 praescribit, aequitatis regula: Quod quisque sibi fieri vult, ut proximis faciat. longa disputatione de usuris minime opus fore. Quod postea sequitur in contextu, proprie quidem ad iudices spectat, qui mercede conducti, ius et fas omne pervertunt: longius tamen extendi potest, quia saepe contingit privatos quoque homines lucro corrumpi, ut solum patrociniū malis causis accommodent. Tales igitur corruptelas, quibus a vero et recto abducimur, in genere complectitur David. Quidam iudicum rapacitatem notari putant, dum redemptionis pretium extorquent ab innoxiiis, quos gratis iuvare debuerant: sed diversum esse sensum ex simili Ezechielis loco patet. (*Qui facit haec.*) Haec clausula rursus admonet, non omnes qui se ingerunt in sanctuarium, perpetuos esse cives Hierosolymae, sed cum Ismaele (cui similes sunt) eiectum iri hypocritas et quicumque sanctorum titulo mendaciter se venditant. Quod autem Psalmus 46 toti ecclesiae tribuit, ad unumquemque fidelium hic David accommodat. Ratio illic exprimitur, quia Deus in medio Hierosolymae habitat: scimus autem a perfidis et improbis, qui ore tantum et labiis fiete ad eum accedunt, longe remotum esse.

PSALMUS XVI.

ARG. Initio David se Dei tutelae commendat: deinde ex meditatione beneficiorum eius ad gratias agendas se accendit. Et quamquam suo cultu nihil Deo commodet, se tamen ei uni addicit, et a superstitionibus alienum fore testatur. Causam quoque adducit, quia plena et solida sit felicitas, in uno Deo acquiescere, qui nihil suis deesse patitur.

Mictham Davidis.

De voce Mictham non convenit etiam inter Hebraeos interpretes. Quidam a מִיכָם deducunt, ac si esset aureum insigne. Alii putant initium esse carminis tunc celebris et noti. Aliis potius videtur esse modulationis species: quibus ego assentior. Sequitur mox:

Custodi me Deus, in te confido.

Precatio, qua se David in Dei fidem committit. Nec vero (ut alibi saepe) Dei auxilium in aliquo certo periculo implorat, sed in totam vitam petit sibi esse custodem: sicuti non aliter quam sub eius praesidio tuti sumus tum in vita, tum in morte. Quod de fiducia sequitur, tantundem valet ac si nobis ore Davidis promitteret spiritus sanctus, Deum ad opem nobis omnibus ferendam paratum esse, modo certa fide et stabili in eum recumbamus, non alios vero in tutelam ab eo suscipi, nisi qui se ei ex animo commendant. Simul tamen monendi sumus, Davidem, quibuscunque malorum procellis agitato fuerit, stetit hac fide subnixum.

2. *Dices Iehovae: Dominus meus es, beneficentia mea non ad te.* 3. *Sanctis qui in terra sunt et praedictis, omnis voluntas mea in ipsis.*

2. (*Dices Iehovae.*) Praefatur David se nihil posse Deo conferre, non modo quia nulla re indigeat, sed quia ad eum suis obsequiis promerendum nulla suppetat facultas homini mortali. Interea tamen animum colligit: et quia gratam habet Deus nostram pietatem, se unum ex cultoribus eius fore profitetur. Porro ut se ad hoc officium efficacius hortetur, animam suam compellat. Est enim verbum feminini generis quod nonnisi in animam competit. Si cui magis placeat in tempore praeterito legere, dixisti, non reclamo: quia de continuo animi sui sensu disserit, ac si dixisset: Mihi quidem penitus infixum est ac persuasum, nihil utilitatis vel fructus ad Deum ex me redire: Sanctis tamen me adiungam socium, ut eum laudum sacrificiis simul colamus. Duo autem hic distincte ponuntur, Deum iure suo posse omnia a nobis exigere, quos sibi tenet in solidum obstrictos, nam herile impe-

rium ei tribuens David, se et sua omnia eius esse praedicat. Postea inopiam suam fatetur. Quanquam hoc posterius membrum duobus modis exponunt interpretes. Nam quia תְּלֵי verti potest: Super te, quidam sensum hunc eliciunt, Deum nullis nostris beneficiis onerari, ut quidquam nobis debeat: ac beneficentiae nomen passive accipiunt, ac si David assereret, quidquid sibi divinitus collatum est, non provenire ex obligatione aliqua vel merito. Sententia tamen (meo iudicio) latius patet, quod homines quantumvis sedulo se impendere Deo conentur, nihil tamen praestare queant: quia scilicet ad eum usque non pertingat quidquid in manu nostra est: non modo quia ipse nullius rei indiget, se uno contentus, sed quia nos honorum omnium vacui et egeni sumus: nec quidquam nobis suppetit, quo simus erga eum liberales. Ex hac tamen doctrina sequetur illud quod prius attigi, Deum nullius meritis obstringi posse, ut sit hominibus debitor. Summa est, quum ad Deum accedimus, exuendam esse omnem confidentiam. Nam si quid penes nos esse fingimus, quia praecipuum honoris sui partem ei detrahimus, non mirum est si nos repudiet. Si vero nostra obsequia agnoscimus per se nihili esse, nulloque pretio digna, haec humilitas quasi suffitus est boni odoris, qui illis gratiam conciliet.

3. (*Sanctis qui in terra sunt.*) Uno fere consensu omnes accipiunt hunc locum, ac si subiiceret David, unum hunc Dei rite colendi modum esse, si de sanctis eius servis bene mereri studemus, et certe quia nulla nostra beneficia ad Deum perveniunt, fideles subrogat in suum locum, erga quos se exerceat nostra caritas. Hic ergo legitimus est Dei cultus, quum homines inter se mutuo sunt beneficii. Etsi autem ad indignos quoque extendere se caritas nostra debet (sicuti pater coelestis solem suum oriri facit super bonos et malos, Matth. 5, 45) merito tamen David sanctos aliis praefert, ac in gradu altiore locat. Ego vero licet hanc doctrinam sub verbis Davidis comprehendere non negem, longius tamen eum progredi arbitror: nempe quod se applicabit ad pios Dei cultores, et illis socius erit, vel comes: sicuti omnes Dei filios fraternae coniunctionis nexu inter se devinctos esse oportet, ut eodem affectu et studio patrem suum colant. Nunc videmus, Davidem, postquam confessus est nihil se reperire quod Deo afferat, cui se totum debet, ideo ad sanctos animum adiicere, quia Deus a coetu fidelium in mundo celebrari velit, et in hunc finem eos adoptaverit, ut sub auspiciis suis et spiritus sancti ductu unanimes agant. Docet itaque hic locus, nullum gratius Deo sacrificium esse, quam ubi serio animum adiicimus ad societatem fidelium: ut sancto pietatis vinculo coniuncti, fraternam benevolentiam colamus. Haec est sanctorum com-

municatio, quae ipsos a profanis mundi pollutionibus separat, ut sacrum sint Dei peculium. Sanctos autem qui in terra sunt, diserte exprimit, quia Deus etiam in hoc mundo illustres gloriae suae notas exstare vult, quibus nos ad se deducat. Ac ideo fideles imaginem eius gestant, ut nos suo exemplo incitent ad coelestis vitae meditationem. Eadem causa praeclaros vocat, vel magnificos, quia iustitia et sanctitate, in quibus relucet spiritus eius claritas, nihil pretiosius esse nobis debet: sicuti proximus Psalmus praecepit in pretio habendos esse qui Deum timent. Quare summa attentione observandi sunt nobis sinceri Dei cultores, ut nihil pluris nobis sit quam in eorum coetum nos aggregare, quod ita demum fiet, si prudenter reputemus quatenam vera sit praestantia et dignitas, nec vanus mundi splendor et fallaces pompae oculos nobis perstringant.

4. *Multiplicabuntur eorum dolores qui offerunt alieno:*) non libabo libamina eorum de sanguine,**) nec tollam nomina eorum labiis meis.*

Iam rationem definit colendi cum sanctis fraterni consensus, pronuntians cum incredulis et superstitiosis nihil sibi fore commune. Neque enim aliter in unum ecclesiae corpus coalescimus sub Deo, quam dum abrumpimus omnes impios nexus, disiungimus nos ab idololatriis, et ab omnibus inquinamentis, quae purum Dei cultum corrumpunt ac vitiant, integri sumus ac immunes. Huc quidem certum est tendere Davidis consilium, sed in verbis variant interpretes. Nam עֲצֻבוֹת quidam vertunt Idola, ut sensus sit, postquam semel falsos deos sibi comminisci stulti homines coeperunt, nullum esse insaniae modum, donec immensam deorum turbam accumulent. Sed quia nomen hoc in genere feminino positum legitur, potius retineo dolores vel molestias, quanquam multiplex adhuc potest esse sensus. Nonnullis videtur esse imprecatio, ac si David sancto zelo accensus iustae Dei vindictae superstitiosos addiceret. Alii (quibus libentius subscribo) non mutant futurum verbi tempus: sed mihi non videntur satis distincte exprimere quales molestias designet David. Dicunt quidem miseros homines nova assidue figmenta sibi accersere in quibus se anxie torqueant: verum ego finem simul notari puto, quod scilicet non modo sine profectu se macerent, sed etiam misere et infelicitate satagent in suam perniciem. Nam quo se longius abducat ab eorum consortio, hoc axioma

sumit, adeo nihil ipsos proficere vanis suis superstitionibus, ut strenue laborando gravioribus subinde malis se involvant. Quis enim eventus manet miseros homines, qui sponte se diabolo mancipant, nisi ut eos spes sua frustretur? quemadmodum Deus conqueritur apud Ieremiam: Dereliquerunt me fontem aque vivae, et foderunt sibi cisternas aridas, quae rimis undique perfluunt: Ier. 2, 13. In proximo etiam membro aliqua est ambiguitas. Verbum מָדָה Hebraeis in coniugatione cal, significat dotare vel dare: sed quia in coniugatione hiphil saepius accipitur pro currere, vel festinare, multis placuit haec posterior interpretatio, quod superstitiosi homines cupide festinent post alienos deos. Et certe videmus illos, tanquam furore percitos, praecipites ruere: atque hunc importunum ardorem prophetae illis saepe exprobrant. Itaque mihi placeret hic sensus si eum communis linguae usus admitteret. Caeterum, quia notant Grammatici alium similem locum non occurrere, alteram sententiam in versione sequutus sum. Haec vero summa erit, dum substantiam suam profundunt ac dilapidant increduli, non modo perdere quaecunque idolis suis offerunt dona, sed iram Dei in se provocando, novis subinde molestiis se obruere. Forte etiam ad communem scripturae doctrinam allusit propheta, quod idololatrae spiritualis cum vero Deo coniugii fidem violando cum idolis paciscantur. Nam Ezechiel cap. 16, vers. 33 non abs re Iudaeis exprobrat, quum amator scortum donis alliciat, ipsos mercedem obtulisse idolis quibus se prostituerent. Optime tamen constat simplex sensus, dum falsos deos muneribus ornant increduli, non modo sumptum perdere, sed cumulare sibi alios atque alios dolores, quia infelix tandem erit exitus. (*Non libabo libamina.*) Nonnulli sacrificia ex sanguine intelligunt vel cruenta vel ex rapinis parta. Sed quoniam propheta hic non invehitur in homines crudeles et sanguinarios, sed in genere fictitios ac vitiosos cultus damnat, deinde non simpliciter sacrificia nominat, sed designat libandi ritum: minime dubito quin tacite legali caeremoniae opponat sanguinis libamen. Scimus enim gustum sanguinis tam in victu communi quam in sacrificiis, veteri populo fuisse vetitum, quo magis a caedibus et omni saevitia abhorreret. Rursus testantur historiae gentes in suis sacrificiis sanguinem libare solitas. Pronunciat ergo David se non modo alienum fore a pravis erroribus, qui idololatrae seducunt, sed in externa quoque professione sibi curae fore ne ullum det signum consensus. Eodem spectat quod continuo post sequitur: Non sumam eorum nomina in labiis meis. Tanto enim odio et detestationi sibi fore idola dicit, ut ab eorum nominibus, tanquam a nefando sacrilegio, sibi caveat: non quod fas non sit eorum nomina proferre, quae subinde

*) à l'étranger. *En marge*: ou à un Dieu étrange et autre que le vrai Dieu.

**) leurs sacrifices de sang. *En marge*: Le mot signifie proprement bruvages accoustumés en sacrifices.

in prophetis occurrunt, sed quia non aliter exprimere potuit David summam detestationem, qua falsos deos persequi debent fideles. Quod etiam apparet in loquendi forma qua utitur, relativa enim tantum ponens, idola ipsa subicit. Quare suo exemplo praecipit fidelibus non modo ut errores caveant ac impias opiniones, sed etiam ut ab omni consensus simulatione absterneant. Palam enim est de externo cultu eum loqui, qui vel purae vel perversae religionis testimonium est. Quod si fidelibus fas non est ullo symbolo ostendere sibi cum superstitionis esse consensum, non est quod sibi indulgeant larvati Nicodemitae frivolo isto praetextu, occultam se fidem intus fovere, dum se papistarum sacrilegiis adiungunt. Sunt qui *alienos, et eorum nomina* de cultoribus falsorum deorum exponant: sed David potius ipsos deos (meo iudicio) intelligit. Nam hic scopus est: Quamvis superstitionum colluvie referta sit terra, et increduli in ornandis suis idolis sine modo prodigi sint: piis tamen et sanctis abominabile semper fore quidquid illi confingunt.

5. *Iehova pars portionis meae et calicis mei, tu sustentas sortem meam.* 6. *Funes ceciderunt mihi in amoenis: utique haereditas pulchra est mihi.*

(5. *Iehova pars, etc.*) Clarius nunc sententiam suam explicat, causam enim ostendit cur se ab idololatriis disiungens in ecclesia Dei manere velit: et societatem errorum cum detestatione fugiens, ad purum Dei cultum aspiret: nempe quia in uno vero Deo acquiescat. Nam inde misera illa inquietudo, ut phrenetico impetu huc illuc discurrant ac vagentur caeci homines, quia vera Dei notitia privati sunt. Nec certe fieri aliter potest quin saepe vacillent quicumque non sunt in Deo fundati: et qui rectam fidem non tenent, intra cuius metas se contineant, quin eos abripiat errorum impetus. Casterum docet hic locus eos demum rite in vera pietate edoctos esse, quibus unus Deus sufficit. Nam David partem sortis suae et haereditatem vocando, et calicem, se eo uno ita contentum affirmat, ut nihil appetet extra ipsum, nec pravis desideriis titilletur. Discamus ergo, ubi se Deus nobis offert, ita eum amplecti, ut omnes salutis nostrae partes ac numeros in eo quaeramus, nam ex hoc fonte omnes quae unquam in mundo grassatae sunt superstitiones manasse certum est, quia superstitionis hominibus unus Deus non satisfecit. Atqui non aliter a nobis possidetur, quam si portio sit sortis nostrae, hoc est, si nos sibi in totum addictos teneat, ne ulla amplius infidelitatis cura nos sollicitet. Ideo Iudaeos apostatas accusans, quod post idola discurrerent: *Ipsi, ipsi, inquit, sint portio tua.* Quibus verbis ostendit se idolis locum cedere, nisi in solidum nobis sufficiat. Ac tres quidem similitudines ponit David,

nam primum haereditati Deum comparat: deinde calici: tertio vindicem possessionis facit. Alludit autem ad haereditates, quas scimus inter Iudaeos divinitus fuisse ita distributas, ut suae quemque sorte contentum esse lex iuberet. Iam sub voce calicis, vel haereditarii fundi proventus notatur, vel (per synecdochē) ordinarius victus: ac si dixisset, Deum et proprietate et fructu suum esse. Nec supervacua est tertia comparatio: quia plerumque contingit a sua possessione depelli iustos dominos, quia nullus eos tuetur. Deus vero ita se nobis in haereditatem dedit, ut eiusdem virtute salva nobis maneat fruitio. Parum enim iuvaret nos semel ipso potitos esse, nisi contra quotidianos diaboli impetus possessionem assereret. Quod exponunt quidam: Tu fundus es in quo sita est mea portio, mihi frigidum videtur.

6. (*Funes ceciderunt mihi.*) Melius confirmat quod iam dixit proximo versu, nempe sedato ac tranquillo animo se in uno Deo acquiescere: imo ita gloriari, ut magnifice despiciat quidquid extra ipsum optabile sibi mundus fingit. Nam honorifico elogio Deum extollens, se quidquam amplius expetere negat. Casterum multiplex huius doctrinae usus est: quia non tantum ab omnibus superstitionum figmentis retrahere nos debet, sed etiam ab omnibus carnis et mundi illecebris. Quoties ergo nobis obrepunt quae nos ab uno Deo abducant, ex opposito haec sententia occurrat: Praeclare nobiscum actum esse, quod se nobis fruendum dederit ille qui perfectam in se continet bonorum omnium summam. Sic fiet ut nobis semper iucunda sit ac suavis nostra conditio: quia nulla beatæ vitae parte destituitur qui Deum possidet.

7. *Praedicabo Iehovam qui mihi dat consilium: etiam noctibus erudiunt me renes mei.*

Postremo fatetur David hoc quoque mera Dei gratia sibi fuisse datum, ut in tanti boni possessionem fide veniret. Nihil enim prodesset, Deum se nobis liberaliter offerre, nisi fide eum reciperemus: quando reprobos et electos communiter ad se invitat, sed priores sua ingratitude tanto bono se fraudant. Sciamus ergo utrumque provenire ex gratuito Dei dono, quod ipse nostra est haereditas, et eum fide possidemus. Hoc *consilium* est cuius David meminit: interior scilicet spiritus illuminatio, ne pro carnis nostrae caecitate salutem ad quam nos vocat respuamus. Unde colligimus, non minus noscite quam imple gratiam Dei lacerari, ubi eius optio vel relectio inlibero hominis arbitrio statuitur. De externa vero doctrina hic non agi, ex verbis clare patet: quia dicit se nocte erudiri, dum remotus est a conspectu hominum. Deinde quum hoc dicit fieri in renibus suis, non dubium est quin arcanas

inspiraciones designet. Iam ubi dicit hoc fieri noctibus, observa numerum pluralem. David enim non fidei modo initium adscribit Deo, sed assidue se in eius schola proficere agnoscit, quemadmodum necesse est mentis nostrae vanitatem tota vita corrigi, accendi clarius fidei lumen, et modis omnibus nos ad spiritualem prudentiam altius provehi.

8. *Posui Iehovam coram me iugiter: quoniam a dextris meis est, non movebor.* 9. *Propterea gaudet cor meum, laetatur lingua mea: etiam caro mea habitat confidenter.*

8. (*Posui Iehovam.*) Iterum fidem suam praedicat, nam Deum in conspectu statuere, nihil aliud est quam tenere suos omnes sensus ligatos, ne alio diffuant. Necesse quidem est aliis quam carnis oculis ipsum conspiceret: quia raro apparet, nisi supra mundum conscendimus, sed fides tamen nos coërcet, ne tergum ei obvertamus. Sensus ergo est, Davidem sic intentum fuisse et affixum Dei providentiae, ut certo persuasus esset, quoties instaret aliqua necessitas, illum sibi praesto fore ad opem ferendam. Addit etiam *iugiter*, ut sciamus constanter innixum fuisse Dei auxilio, ut variis certaminibus agitatum nullus metus alio reflectere oculos cogeret. Atque ita nos a Deo pendere convenit, ut certo statuamus, etiam quum longissime abesse videtur, eum nobis propinquum esse, hic conspectus efficiet ne inanibus huius mundi spectris ludamur. (*Quoniam a dextris meis est.*) Hoc secundum membrum disiunctim lego, nam quod alii contexunt: Posui Dominum in conspectu meo, quia a dextris mihi est, frigidum videtur, et doctrinam multum extenuat: ac si diceret David se experientia metiri Dei praesentiam: quod minime decet. Meo itaque iudicio, plena fuit haec sententia, quod sibi Deum prae oculis statuerit, ut se in omnibus periculis ad eum reciperet. Nunc ut alacrior sit ad bene sperandum, quid valeat Dei auxilium et paterna cura, sibi proponit: nempe ut suos quibus adest, in firmo statu contineat. Securus ergo est ab omni discrimine, et sibi certam salutem promittit: quia Deum fidei oculis quasi praesentem intuetur. Porro hoc loco evertitur sorbonicum illud commentum, fideles de perseverantia finali dubios esse: quia David gratiae Dei fiduciam in futurum tempus clare extendit. Et certo misera esset conditio, in singula momenta trepidare, ac si de continuo gratiae progressu nihil nobis exstaret.

9. (*Propterea gaudet cor meum.*) Commendat hoc versu incomparabilem fidei fructum, cuius passim meminit scriptura: nempe quod non modo tranquillum, sed laeti etiam et hilares sub Dei praesidio degimus. Scimus praecipuum beatæ vitae caput esse εὐδωμῶν, sicuti nihil infelicius est quam inter

varias curas et pavores aestuare. Atqui impii, quantumvis spiritu vecordiae aut stuporis se inebrient, nunquam tamen vera laetitia fruuntur, nec serena mentis quiete: quin potius turbidos motus intus sentiunt, qui subinde illos perturbant, ac excutiunt torporem. Denique nemini placide gaudere contingit, nisi qui recumbere didicit in unum Deum, suamque salutem in eius manu reponere. Quum ergo nos innumerae perturbationes undique obsideant, sciamus hoc unicum esse remedium, oculos nostros ad Deum dirigere: nec modo animos nostros placabit fides, sed pleno etiam gaudio perfundet, quanquam David non tantum se intus gaudere affirmat, sed linguam quoque suam, imo carnem huius gaudii participem facit. Et merito, quia fideles non modo in arcano cordis affectu spirituale gaudium foveant, sed lingua etiam proferunt quatenus Deum salutis suae custodem esse gloriantur. Nomen כבוד quod proprie gloriam significat, non dubito hic pro lingua sumi, sicuti Genesis 49, 6. nam alioquit trimembris partitio non quadraret. Quamvis autem corpus ab incommodis et molestiis immune non sit quia tamen non solum animas nostras, sed etiam corpora Deus tuetur, non temere David carni suae commune facit hoc beneficium, ut secure habitat.

10. *Quia non deseres animam meam in sepulcro: nec pones sanctum tuum ut videat foveam.*

Pergit in explicatione superioris doctrinae: ideo scilicet nihil sibi ad plenum laetitiae cumulum deesse, quia ab interitu sibi non metuat. Unde sequitur, neminem vere Deo fidere, nisi qui salutem sibi a Deo promissam ita apprehendit ut mortem despiciat. Porro notandum est, Davidem non de certa aliqua specie liberationis restricte loqui (quemadmodum Psalm. 49, 16: Redemit Deus animam meam e manu sepulcri, et aliis similibus), sed aeternae salutis fiduciam certo concipere, quae anxietate et metu eum liberet: ac si dixisset paratum sibi semper fore exitum e sepulcro, ne in corruptione maneret. Nam Deus suos ab aliquo discrimine liberans, non nisi ad breve tempus vitam illis prorogat. Quantula vero et quam ieiuna consolatio haec esset, paulisper respirare, donec mors tandem sine spe salutis nos absorbeat? Hinc sequitur, Davidem fuisse ita loquutum, eo quod se attolleret supra communem generis humani sortem. Nam quando in omnes Adae filios lata est sententia, quia pulvis sunt, redituros in pulverem, Gen. 3, 19, eadem sine exceptione omnes manet conditio. Quare nisi in medium prodeat Christus, qui est primitiae resurgentium, sub putredine semper iacebunt. Unde merito colligit Petrus, Actor. 2, 30, non potuisse Davidem ita gloriari, nisi spiritu prophetico, et in

autorem vitae sibi promissum respexisset, qui solus hoc privilegio ornandus erat. Hoc tamen non obstat quin David iure sibi immunitatem a morte promiserit: quia Christus non sibi privatim resurgendo immortalitatem peperit, sed nobis omnibus. Quod autem Petrus Actorum 2, 30 et Paulus 13, 33 in sola eius persona impletum fuisse hoc vaticinium contendunt, sic accipe, ipsum a sepulcri corruptione fuisse prorsus et solide exemptum, ut membra sua gradatim, et pro cuiusque mensura in societatem suam vocet. Nam quum Davidis cadaver in pulverem redactum sit, apte colligunt apostoli ipsum a corruptione non fuisse immunem. Eadem ratio ad fideles omnes pertinet, quorum nemo a putredine intactus, vitae incorruptibilis sit particeps. Unde sequitur, vitae plenitudinem quae in capite solo residet, guttatim solum vel per partes ad membra defluere. Posset tamen de Christo eadem fere quaestio obici (qui et ipse in sepulcrum descendit) sed quae ad solvendum facilis est. Notanda est enim utriusque vocis etymologia. Sepulcrum enim שֵׁמֶט vocatur, tanquam inexplebilis gurgis quae omnia consumit: שֵׁמֶט vero a corruptione, quare non tam locus hic notatur quam qualitas: ac si dictum esset vitam Christi a sepulcri iure fore immunem, quia ne mortuum quidem eius corpus corruptioni erit obnoxium. Porro sepulcrum Christi vivifico spiritus eius odore scimus perfusum fuisse, ut ei ianua foret ad immortalem gloriam. Fateor veteres tam graecos quam latinos interpretes haec verba in diversum sensum traxisse, quod anima Christi ex inferis reducta fuerit: sed praestat in genuina illa simplicitate manere, ne ridiculi simus Iudaeis, deinde ne una argutia plures alias gignens, nos in labyrinthum coniciat. Certe in secundo membro minime dubium est, fieri corporis mentionem: atqui scimus Davidi nihil magis esse tritum quam idem bis repetere. שֵׁמֶט autem, licet latine Anima vertamus, Hebraeis tamen nihil aliud est quam vitalis spiritus, vel ipsa vita.

11. *Notam mihi facies viam vitae: satietas laetitiarum in facie tua, iucunditates in dextra tua semper.*

Confirmat sententiam proximi versus, modumque explicat quo Deus a mortis servitute eum eximet, nempe quia eius ductu, certo ad vitam perveniet. Unde iterum colligimus quod prius dixi, hic fideles ab extraneis et reprobis discerni quoad perpetuum statum, nam si quis ostensam viam vitae Davidi fuisse dicat, quia vivendi tempus prorogatum ei fuerit, merum erit cavillum. Nimis enim extenuatur Dei gratia, si dicamus eum suis ad pauculos tantum annos vitae esse duce: quia hoc modo nihil a reprobis differrent, quibus commune est

solis lumen. Quod si hic peculiarem Dei gratiam, qua nonnisi filios suos dignatur, commendat David: haec vitae ostensio haud dubie ad beatam immortalitatem extenditur, imo ille demum vitae tenet viam, qui sic Deo coniunctus est, ut in ipso, non extra ipsum vivat. Postea subiicit, Deo propitio nihil ad plenum felicitatis cumulum deesse. Quamquam autem Dei facies, pro adpectu tam passivo quam activo potest accipi, ego tamen utrumque simul complector: quia ad laetitiae causam ordine praecedit paternus eius favor, dum nos sereno vultu adspicit: neque tamen ante nos exultat, quam vicissim amabilem eius vultum conspiciamus. Quin etiam hoc membro diserte exprimere voluit David ad quos pertineant deliciae, quarum plena in manu Dei reposita est copia. Qui fit enim, quum penes Deum sint amoenitates quibus totum mundum repleat, ut tristis et mortifera caligo maiorem humani generis partem occupet, nisi quia non omnes peraeque Deus serenis et paternis oculis adspicit, neque etiam omnibus aperit oculos, ut non alibi quam in ipso gaudii materiam quaerant? Porro satietas fluxus mundi illecebris opponitur, quae postquam aliquamdiu luserunt miseros homines, ieiunos tandem et famelicos relinquunt. Quantumvis enim se in voluptates ingurgitent, fastidio tamen potius languent quam satiantur: deinde temporales deliciae non secus ac somnia evanescent. Testatur ergo David, nusquam inveniri solidum gaudium in quo acquiescant hominum mentes, nisi in solo Deo: ideoque solos fideles qui unica eius gratia contenti sunt, numeris omnibus beatos esse.

PSALMUS XVII.

ARG. Psalmus hic continet tristem querimoniam de crudeli hostium superbia. Deinde testatur David, praeter meritum ita se inhumaniter vexari, quia nullam illis saeviendi causam dederit. Simul Deum vindicem implorat, ut eius manu liberetur. Etsi autem inscriptio nullum tempus designat, probabile tamen est Davidem hic de Saule et eius assolis conqueri.

1. *Precatio Davidis. Audi Iehova iustitiam, attende ad clamorem meum: ausculta preceationem meam, quae non est in labiis fraudulentis.* 2. *A praesentia vultus tui iudicium meum prodeat: oculi tui adspiciant rectitudines.*

Initio causae suae bonitatem in medium adducit, quia promisit Deus se minime passurum ut innoxii opprimantur, quin tandem illis succurrat. Nam quod iustitiae nomen quidam exponunt Preceationem iustam, mihi frigidum videtur. Potius David ex sua integritate fiduciam concipiens, inter

se et hostes Deum statuit quasi arbitrum, ut de causa cognoscat. Alibi enim vidimus, ubi cum per-versis hominibus nobis negotium est, licere coram Deo innocentiam nostram testari. Sed quia non sufficeret fidelibus, sibi esse recte conscios, pre-cationem secundo loco adiungit. Saepe enim contingit, profanos quoque homines iure gloriari de bona causa: quia tamen non agnoscunt divinitus mundum gubernari, subsidunt in conscientiae suae theatro, (ut loquuntur) ac fraenum rodentes, contumaciter magis quam constanter ferunt iniurias, quia ex fide et invocatione Dei nullum petunt solatium. At fideles non tantum nituntur causae suae bonitate, sed eam Deo tuendam commendant: et quoties aliquid contingit adversi, confugiunt ad eius auxilium. Haec igitur ratio est contextus, ut Deus, si Davidem cognoscat iuste et sine noxa officio fuisse perfun-ctum, ideoque inique vexari ab hostibus, eum respi-ciat: praesertim quia fretus eius auxilio bene sperat, et interea sincere ipsum precatur. Per *clamorem et pre-cationem* idem significat: sed vox clamoris et eiusdem sententiae repetitio ad vehementiam notandam valent. Porro quia hypocritae se magnifice iactant, et in fiducia signum vocem tumultuose efferunt, negat David se dolose loqui, hoc est fumos obtendere tegendis suis delictis, sed ingenue prodire in con-spectum Dei. Ergo hac precandi forma spiritus sanctus nos ad studium recte vivendi instituit, ut si qui nobis infensi sint, gloriari liceat nos extra culpam esse. Deinde quoties improbi nos oppugnant, idem spiritus ad precandum nos invitat: quia si quis bonae conscientiae testimonio fretus preces negligat, Deum fraudat legitimo suo honore, iudi-candi munus ei non deferens. Discamus praeterea, ubi ad Deum accedimus, fucose agendum non esse: quia tota rhetoricae nostrae gratia coram Deo mera est simplicitas.

2. (*A praesentia vultus tui.*) Ad verbum est: Ab ante faciem tuam, vel Coram facie tua: quibus verbis intelligit David, nisi Deus exsurgat vindex, ius suum calumniis obrutum latere, seque pro damnato haberi. Tacite enim mendaciorum tenebris opponitur Dei cognitio: ac si dixisset se non alium expetere iudicem quam Deum, nec fugere eius tri-bunal, quia et cor purum et bonam causam afferat. Eodem spectat quod mox subiicit de adspectu. Neque enim Deum caecitatis insimulat: sed tantum precatur ut re ipsa ostendat, minime se connivere ad hominum scelera, vel susque deque habere miseros homines qui praeter meritum male trac-tantur. Iudicii nomen quidam nimis restricte pro iure regni promissi accipiunt, ac si peteret se Dei manu in solio locari, quia et ab ipso rex electus erat, et eius auspiciis ac nomine per manum Samuelis unctus. Sed non dubito quin multis ac variis iniuriis, op-pressus, in fidem ac patrocinium Dei se conferat.

3. *Probasti cor meum, visitasti nocte: examinasti, non invenies: cogitatio mea non transibit os meum.*
4. *Ad facta hominum, in verbo labiorum tuorum ego custodi vias dissipatoris.*

3. (*Probasti cor.*) Quidam praeteritum tempus in primis tribus verbis loco futuri positum existi-mant: rectius ac magis perspicue ita resolvunt alii, si cor meum probes, ac visites nocte, et penitus examines, non reperietur ulla fallacia. Caeterum ut nihil mutetur, non male sensus quadrabit hoc modo: tu Domine qui arcanos omnes cordis mei sensus tenes, sicuti tuum est probare homines, optime nosti me non esse duplicem, nec quidquam fraudis intus alere. Certe consilium Davidis ambiguum non est, quia enim perperam falsa invidia gravatus nullam apud homines aequitatem impetrare poterat, provocat ad Deum iudicem: sed ne temere id faciat, serium examen sibi indicit, quia externa specie non fal-latur Deus, cuius proprium est occultos cordis reces-sus excutere. Tempus noctis in Dei visitatione expri-mit, quia ubi subductus est ab hominum oculis, clarius videt quae alioqui laterent vitia: sicuti rursum hominum conspectus pudore vitia nostra obducit: ac si dixisset: Domine, quum noctis tene-brae conscientiam sublatis integumentis magis ape-riant, et tunc sine testibus et arbitris liberius se proferant affectus, si eo articulo me examines, nihil in corde meo reperietur perfidiae. Hinc colligimus quanta fuerit Davidis sinceritas, qui se ipsum intus colligens, tam intrepide se Dei iudicio explo-randum permittit. Nec vero se ab externis tantum criminibus purgat, sed etiam ab omni clandestina malitia: quod scilicet ingenue prae se tulerit quae agitabat in animo. Nam cogitare nostrum dicitur *os transgredi*, quum fallendi causa aliud versat ani-mus, quam lingua affirmet, quanquam *מכח* potest in malam partem accipi pro captiosis et fallacibus consiliis.

4. (*Ad facta hominum.*) Varie hunc versum exponunt interpretes. Quidam enim *א* pro contra sumi putantes, vertunt: ad facta hominum, quae contra verbum tuum perperant: sed ego aliis potius assentior, qui hic rectum iudicium laudari dicunt, quod ad praescriptum verbi Dei exigitur. Sunt enim qui solertia praediti, sedulo quidem observant facta hominum, sed non secundum verbum Domini. Nondum tamen plenum huius loci sensum tenemus. adhuc enim videndum est quasnam *vias* dicat *dissi-patoris*. Videtur quibusdam suos sodales notare, qui statim ad rapinas praedonum more volassent, nisi eos compescuisset: utpote qui ad ultima redacti, desperatione erant audaces. Scimus enim quam acris sit stimulus necessitas. Verum illa etiam expositio videtur mihi coacta: potius itaque ad hostes refero. Iam et in verbo observandi,

variant interpretes. Quidam enim ita accipiunt, quasi David se protervis hominibus et per scelera grassantibus strenue opposuerit. Alii, quod intentus fuerit ad discrimen recti et iniqui, ut sibi caveret a malis exemplis: quae autem videret verbo Dei congruere, illa imitaretur. Atqui non dubito aliam fuisse Davidis mentem, nempe quod testari voluit, quantumvis eum improbi homines ad malum impellerent, se tamen retentum fuisse Dei verbo, ne vi et iniuriis certaret, vel malum pro malo rependeret. Dicit igitur, qualiacunque fuerint opera hominum, se ita semper addictum fuisse verbo Dei, et quasi ab ore eius pependisse, ut sibi licitum minime putaret, quamvis esset provocatus iniuriis, parum mercedem hostibus referre. Scimus quam dura sit haec tentatio, et ad vincendum difficilis, non respicere qualiter se nobiscum gerant homines, sed quid Deus vetet aut iubeat. Nam qui ad aequitatem propensi sunt, ut prodesse omnibus studeant, neminem vero laedere velint: ubi sunt lacesiti, prorumpunt caeco impetu ad vindictam: praesertim ubi videmus ius et fas omne perverti, talis confusio nos excaecat, ut non dubitemus ululare cum lupis. Ergo exemplo Davidis, haec nobis optima erit moderationis ratio, ubi nos suis maleficiis hostes ad nocendum stimulant, oculos in verbum Dei conicere. Ita enim fiet ut nunquam caecitiant mentes nostrae, quin sibi caveant a viis perversis: quia Deus non tantum praeceptis suis affectus nostros fraenabit, sed promissionibus quoque ad patientiam erudiet. Neque enim tantum nos vetando prohibet a maleficiis, sed vindicem nostrum se fore pronuncians, simul admonet ut demus locum irae.

5. *Sustenta gressus meos in semitis tuis, ne labantur plantae meae.* 6. *Ego invocavi te, certe exaudies me Deus: inclina aurem tuam mihi, audi sermonem meum.*

5. (*Sustenta gressus.*) Si Deus semitas accipimus pro legis praeceptis, sensus clarus erit, nempe quod David, licet vere gloriatus sit se inter gravissimas tentationes constanter iustitiam coluisse puro animo, propriae tamen infirmitatis sibi conscius Deo se regendum tradat, sibi que dari petat perseverandi gratiam: ac si dixisset, sicut hactenus te duce in recto cursu perrexerim, ita in futurum tempus retine gressus meos, ne labantur. Et certo ut quisque maxime excellit, sibi a praecipio metuere debet. Haec enim Satanae astutia est, ex virtute fabricare carnis confidentiam quae torporem inducat. Quanquam autem hunc sensum non prorsus repudio: probabilius tamen mihi est, Davidem hic felicem a Domino successum precari: ac si dixisset: Domine quando vides me integritati fuisse

Calvini opera. XXXI.

deditum, ita me governa ut omnibus appareat te meum esse custodem, nec me sinas hostium libidine deiici. Ita per vias Domini intelliget non doctrinam qua vita nostra regitur, sed virtutem qua nos fulcit, ac praesidium quo nos conservat: nec tantum ideo sic vocat, quod omnes eventus in eius sint manu, sed quia ubi curam nostri habet, fluunt omnia nobis commode. Quum addit, *ne labantur plantae meae*, significat singulis momentis multos casus adversos instare, et periculum esse ne pereamus, nisi nos Dei manus sustineat.

6. (*Ego invocavi.*) Verbum hoc praeteriti temporis continuum actum designat, ideoque praesens tempus complectitur. Si particula *כי* hoc loco est causalis, sensus erit, Davidem inde sumpsisse precandi fiduciam, quia fretus Dei promissione, vota sua non fore irrita sperabat. Nisi forte magis placeat mutare tempus verbi (sicuti quidam faciunt) hoc sensu: Orabo, quia expertus sum hactenus preces meas abs te fuisse exauditas. Ego tamen quod mihi visum est simplicius, elegi: David enim, meo iudicio, hic se bona spe ad Deum invocandum hortatur et animat: ac si dixisset: Quum ego te invocem, certe, o Deus, vota mea non spernes. Mox tamen postulat sibi concedi quod dixerat se sperare.

7. *Mirifica misericordias tuas servator, sperantium ab his qui se efferunt contra dexteram tuam.*

8. *Custodi ut pupillam filiam oculi, in umbra alarum tuarum absconde me.* 9. *A facie impiorum qui me perdere conantur, inimicorum meorum qui in anima obsident me.*

7. (*Mirifica misericordias.*) Quoniam verbum *מִרְפָּלָה* nunc admirabilem vel eximium reddere, nunc segregare significat, uterque sensus praesenti loco non male conveniet. Nam (ut dicitur Psal. 31, 20) bonitas Dei recondita est eius cultoribus instar peculiaris thesauri, ut eam opportune depromat etiam in ultimo desperationis articulo. Ergo si vertere placeat, segregare: sensus erit, ut Deus illam gratiae speciem, qua solos electos dignatur, erga servum suum Davidem proferat. Nam quum promiscue in discrimen coniiciat bonos et malos, diverso exitu tandem probat se non confuse miscere paleam tritico, quia suos separatim colligit. David tamen (meo iudicio) quia videbat nonnisi raro et insolito modo se posse liberari, ad mirificam Dei virtutem confugit. Nam qui putant eum optare ut Deus persecutoribus gratiam suam arceat, nimis violenter contextum torquent. Porro hac circumstantia, periculi magnitudo exprimitur: quia alioqui satis fuisset usitato et vulgari modo Davidem iuvare, sicuti suos quotidie Deus favore suo prosequi et auxilio suo tueri solet. Cogit ergo eum gravissima anxietas miraculum in sua

salute expetere. Elogium quo hic ornatur Deus, ad spem impetrandi facit, nam quum sibi Deus servandi partes asserat quotquot in ipso confidunt, merito David qui unus erat ex illorum numero, salutem promittere sibi potuit. Ergo quoties ad Deum accedimus, primum nobis in mentem veniat, quia non frustra vocatur Deus sperantium servator, modo in eius gratiam recumbat fides nostra, minime timendum esse quin paratus sit ad opem nobis ferendam. Quod si clausae sint omnes viae, simul etiam in mentem veniat, penes ipsum esse incredibiles auxiliandi modos qui eius potentiam melius illustrent. Caeterum quia participium sperantes sine adiectione ponitur, quidam interpretes cum fine versus coniungunt, ac si inversus esset verborum ordo. Sic ergo resolvunt: Servator sperantium in dextera tua ab iis qui insurgunt. Sed quia hoc durum est, expositio vero quam attuli melius fluit, et magis est recepta, eam sequamur. Uno itaque complexu Deo tribuit suos tuendi et servandi munus contra omnes impios qui ad oppugnandam eorum salutem insurgunt. Dicuntur autem se efferre contra Dei manum, quia molestiam piis, quos Deus servandos suscepit, inferendo aperte bellum ei intentant. Atque haec sententia doctrinam continet apprime utilem, violari Deum in nostra persona, quia se nostrae salutis custodem semel professus, quoties iniuste oppetitur, manum suam pro clypeo opponit. Atque huc spectant duae similitudines quas David subiunxit de pupilla oculi et avium pullis. Nam quum Deus exprimere volens quantam curam suorum habeat, se gallinae et aliis avibus similen faciat, quae fovendis et tegendis suis pullis alas extendunt: ac pronunciet sibi non minus caros esse quam est hominibus oculi pupilla, pars tenerima corporis: sequitur, bellum contra ipsum moveri quoties ad laedendos fideles consurgitur. Nam quum haec precandi forma a spiritu sancto dictata sit, promissionem in se continet. Incredibilis vero Dei bonitas, quod se eousque demittit, et quodammodo transformat, ut fidem nostram supra omnes carnis sensus extollat.

9. (*A facie impiorum.*) Iterum hostes suos accusans, gratiam Dei ab innocentiae suae commendatione sibi conciliat: simul tamen conqueritur de ipsorum saevitia, quo Deus ad auxiliandum propensior sit. Dicit enim primo, vastandi et perdendi libidine ipsos ardere. Deinde addit se obsideri in anima: quo significat, non alio pretio quam morte sua contentos fore. Itaque quo plus terroris nobis incutit hostium crudelitas, eo etiam magis precandi studium acuere debet. Quanquam autem monitore opus non habet Deus, hic tamen est precationis usus et finis, ut fideles dum sua mala et sollicitudines exonerant in Dei sinum, certo statuunt suas necessitates ab ipso respici.

10. *Adipe suo se clausurunt, ore suo loquuti sunt cum superbia.* 11. *In vestigiis nostris nunc circumdederunt me: oculos suos posuerunt ad depri-mendum in terram.* 12. *Similitudo eius ut leonis, expetit ad rapiendum, atque ut catuli leonis habitantis in occultis.*

10. (*Adipe suo.*) Si quis vertere malit ut faciunt alii, adipem suum clausurunt, eodem redibit sensus. Nam quod Hebraei quidam exponunt: Adipe refer-tos, quia impeditum erat eorum guttur, caruisse libera voce, nimis dilutum est. Ego vero per vocem adipis, fastum quo non secus ac pinguedine turge-bant notari existimo. Est autem conciuna meta-phora, pectus eorum ferocia non secus ac pingue-dine fuisse obturatum. Neque tamen nego, conqueri Davidem, opulentia et deliciis fuisse inflatos: sicuti impios videmus, quo pinguius saginantur, magis contumeliose superbire: sed interius vitium hic puto describi, quod scilicet confidentia undique stipati, se et ab omni humanitate subducunt, eius deinde signum in lingua exstare dicit. Summa igitur est, intus superbia tumere: neque vero eam dissimulare, dum verborum ampullas proiciunt. Nam in oris nomine hic non est pleonasmus, ut saepe alibi: quia intelligit David, palam et plenius buccis efflare contumelias, quae testes sunt eorum superbiae.

11. (*In vestigiis nostris.*) Confirmat quod prius dixit de furiosa nocendi libidine, qua flagrabant hostes, dicit enim tam crudeliter fuisse intentos ad machinandum exitium, ut quocunque deflecteret, non desinerent a tergo instare. Quum dicit gres-sus nostros, haud dubie suos comites complectitur, quanquam statim ad se unum redit: nisi quis forte alteram lectionem magis probet, quia nonnulli codices habent כרכונו plurali numero. Sed in eo parum est momenti: simpliciter enim conqueritur David, nisi Deus e coelo manum porrigat, iam sibi nullum effugium restare, quia simul ac pedem movit, insectantur hostes, gressusque omnes obser-vant. Per adverbium temporis Nunc significat non solum in praesenti periculo se versari, sed singulis momentis, quamcunque in partem se vertat, gressus suos ab hostibus insisteri et urgeri. Posterius membrum ita exponunt quidam, ac si venatoribus hostes conferret David, qui oculis in terram deiec-tis, taciti praedae inhiant. Gestum ergo notari putant in oculis deorsum fixis. Et certe fraudu-lenti homines saepe ita composito sunt vultu: rec-tius tamen intelligunt alii hac figura notari con-tinuum et infatigabilem ardorem quo feruntur impii ad evertenda omnia. Ponere itaque oculos, nihil aliud erit quam applicare totum suum acumen, et conatus intendere. Quod autem sequitur, ad deiiciendum in terram tantundem valebit atque

ad prosternendum. Nam impii, quasi stante mundo sibi concidere necesse esset, totum humanum genus eversum cuperent: ideoque ad omnes posternendos strenue se comparant. Id similitudine amplificat proximus versus, ubi dicuntur similes esse leonibus et catulis leonum. Tenenda autem illa ratio est, quo insolentius contra nos saeviunt impii, propiorum nobis esse Deum manum ut eorum truculentiae se opponat: cuius haec propria laus est, feras et sanguinarias belluas compescere. Lustra, vel occultas latebras ideo nominat, quia hostes eius variis laedendi artibus pollebant: et facultas etiam ad manum erat, ut difficile esset resistere.

13. *Surge Iehova, praeveni faciem eius, prosterne eum: eripe animam meam ab impio, gladio tuo.* 14. *A viris manu tua Iehova, a viris qui sunt a saeculo:*) quorum portio est in vita, quorum ventrem imple bonis tuis reconditis: saturantur filii, et residuum suum dimittunt parvulis suis.*

Quo violentius premebatur David, subitum quoque Dei auxilium implorat: *faciem* enim pro rapido impetu accipit, ad quem arcendum summa festinatione opus erat. Quibus verbis docet spiritus, ubi iam mors se prope ostendat, Deum praesentibus remediis esse instructum, quae momento interponere poterit. Nec tantum liberandi partes tribuit Deo, sed ad impios conterendos simul armat potentia. Quanquam eorum deiectionem non optat, nisi quatenus humiliari necesse fuit, ut a maleficiis cessarent: quemadmodum ex sequenti membro colligimus, ubi iterum postulat animam suam eripi: facile enim passus esset integros stare, nisi viribus suis iniuste et crudeliter abusi essent. Sciamus ergo Deum suis consulere, dum impios evertit, frangitque ipsorum robur: ut scilicet ab exitio liberet innoxias animas. Caeterum quod interpretes appositively legunt *Ab impio, qui gladius tuus est: item, A viris qui sunt manus tua, mihi non probatur.* Fateor quidem, undecunque proveniant mala, nos Dei manu castigari, impiosque esse eius flagella, atque hoc aptissimum esse patientiae argumentum: sed quia modus loquendi hoc loco esset asperior, deinde precationi non admodum quadraret, aliam expositionem libentius amplector: nempe ut Deus gladio suo ipsum eripiat, viros quorum nimis diuturna fuit potentia et felicitas, manu sua percutiat. Gladium enim Dei humanis subsidiis opponit: ac si diceret, nisi Deus prodeat ipse vindex, gladiumque suum exserat, nullam spem liberationis reliquam esse. Quod proximo versu sequitur: *A viris manu tua Domine, a viris qui sunt a saeculo, ita*

contexto: Domine vindica me tua manu, vel ope coelesti, a viris, a viris inquam, quorum tyrannidis nimis diu vigit, et quos nimis diu in prosperitatis suae faecibus residere passus es. Haec autem repetitio emphatica est: quia David indignitate retentus, primo suspendit sententiam: deinde collecto spiritu, qua de re angatur, exponit. Caeterum quia numero singulari nuper usus fuerat, iam declarat complures sibi esse infestos, et quidem validos ac potentes: ut nulla nisi a Dei ope spes supersit. Particula a saeculo, varie exponitur. Quidam vertunt: Temporales, ac si negaret David eorum statum fore durabilem: quod minime consentaneum videtur. Alii sic vocari putant qui penitus mundo sunt dediti, ac nihil nisi terrenum sapiunt. Itaque secundum eos David brutis animalibus hostes suos comparat: atque huc quoque referunt quod proxime sequitur: Partem eorum esse in vita: quia scilicet spiritu vacui, bonisque caducis affixi, supra mundum non conscendunt. Portio enim cuiusque dicitur, in quo suam quisque felicitatem locat. Sed quum *לחיי* Hebraeis saeculum, vel humanae vitae cursum significet, non dubito quin David queratur hostes suos viguisse ultra iustum tempus. Nam ut tolerabilis sit ad exiguum tempus impiorum protervia, eos tamen, dum contra Deum lasciviunt, stabiles manere absurdum est. Atque hunc sensum confirmat praepositio *מן* qua exprimit David, non a triduo duntaxat, vel nuper emersisse, sed iam a saeculo durasse eorum felicitatem, quam momento evanescere oportuit. Nisi forte a saeculo eos denominet, quia rerum potiuntur inter homines, honoribus et copiis exultant: ac si in eorum tantum gratiam conditus esset mundus. Quod vero dicit, portionem eorum esse in vita, sic interpretor, ab omnibus incommodis esse immunes, ac deliciis affluere, adeoque a communi sortio esse exemptos: sicut vicissim miseri hominis portio in morte esse dicitur. Hoc ergo minime consentaneum esse dicit, impios volitare laetos et alacres extra mortis metum, sibi quoque quasi iure haereditario vendicare quietam ac beatam vitam. Eodem spectat quod mox adiungit David, Deum bonis suis additis farcire eorum ventres: ut certe videmus eos non tantum communi luce, et spiritu, alimentis, et reliquis commoditatibus promiscue frui, sed lautius saepe ac splendidius tractari a Domino ac si praec aliis delicatos filios in gremio foveret. Itaque abscondita Dei bona vocantur rarae et magis exquisitae lautitiae. Dura haec tentatio est, si quis Dei favorem a terrena felicitate aestimet, itaque non mirum est hac circumstantia vehementer fuisse turbatum. Sed meminerimus ex pia querimonia levationem eum petere, non autem obstrepere Deo, ut nos quoque eius exemplo gemitus nostros discamus in coelum dirigere. Quidam subtilius

*) des gens qui sont du monde, *en marge*: ou des un monde, ou un siecle.

exponunt, vocari abdita Dei bona, quae impii ipsi cum stupore vorant, vel quia non apparet ratio cur tam liberaliter sua bona Deus in ipsos profundat. Sed illa quam attuli expositio, ut simplex ac genuina est, alias per se satis refellit. Ultimus gradus est, quod continua successione divitias suas ad filios et nepotes usque transmittunt. Nam quum ex filiis Dei non sint; quibus promissa est haec benedictio, sequitur in diem mactationis eos saginari. Ideoque finis querimoniae est, ut mature vindictam suam exserat Deus, quando tamdiu abusi sunt eius indulgentia.

15. *Ego in iustitia videbo faciem tuam: satiabor quum evigilavero effigie tua.*

Postquam anxie molestias quae ipsum urebant et torquebant coram Deo exposuit, ne tentationum mole obruatur, alis fiducia se attollit in serenam tranquillitatem, in qua res legitimo suo ordine compositas videat. Nam hic primum tacita comparatio est inter statum bene ordinatum, ubi Deus suo iudicio restituet quae nunc confusa sunt, et turbulentam caliginem, quae tacente Deo faciemque suam occultante mundum occupat. Nam David inter illas quas retulit afflictiones videri poterat in aeternas tenebras demersus: impii enim prospera fortuna, honoribus et divitiis florentes, videntur Deo propinqui. Atqui David superbae ipsorum iactantiae insultat: et quamvis in speciem procul a Deo sit reiectus, sibi tamen familiarem eius conspectum promittit. Pronomen *Ego* emphaticum est: ac si dixisset suas aerumnas et probra non fore obstaculo quominus ex paterno Dei amore plenam laetitiam rursum percipiat. Nam et hoc notandum est, hoc uno contentum esse ad summam beatitudinis, si Deum sibi propitium sentiat, quo adverso impii frustra se felices imaginantur. Dei enim conspectus nihil aliud est, quam paterni favoris sensus, quo nos non modo exhilarat, absteris nostris doloribus, sed in coelum usque rapit. Iustitiae nomine significat se bonae conscientiae mercede nequaquam frustratum iri. Quamdiu enim cruce et miseriis suos humiliat Deus, mundus eorum simplicitati petulanter illudit, ac si temere et stulte puritati studerent. Cum hoc ludibrii genere David nunc luctatur, sibi que repositum pietatis fructum esse asserit, modo ab obedientia Dei non discedat: quemadmodum Iesaias cap. 3, vers. 10 fideles hortatur ut se hac persuasionem sustineant: Iusto bene erit. Neque tamen ideo salutis suae causam adscribit operibus, quia non disputat quibus meritis recipiendus sit in Dei gratiam: sed tantum hoc statuit, operam non perdere quicumque Deum colunt: quia utcumque ad tempus faciem ab illis suam subducit, opportune lucidum

eius conspectum tandem restituit. (*Satiabor.*) Argute quidam interpretes magis quam proprie ad ultimam resurrectionem hoc restringunt, ac si David spem beatæ laetitiae differret, ac desiderium suspenderet usque in futuram vitam. Et satietyas quidem haec de qua loquitur non ante ultimum Christi adventum suis omnibus numeris constabit, fateor: sed quia sancti, ubi Deus amoris sui notitia eos irradiat, in hac luce acquiescunt, merito hanc pacem David, vel gaudium spiritus, satietyatem vocat. Nam etsi impii sua abundantia crepent, quia tamen inexplebilis est eorum cupiditas, vel quia vento pascuntur, vel quia attoniti bona sua non sentiunt, vel quia diris conscientiae tormentis laborant, nunquam animis sunt sedatis et tranquillis, sed inter caecas agitationes aestuant. Una est igitur Dei gratia quae nobis sufficit, ne intempestivis desideriis huc illuc raptemur. Itaque non dubito quin David ad inanes mundi laetitias alludat, quae nihil quam appetitus irritant: ut non alios solido gaudio frui ostendat, nisi quibus unus Deus satisfacit. Quia autem ad verbum hebraice dicit: Satiabor in evigilando faciem tuam, vel facie tua: nonnulli priorem sensum magis probantes, evigilare faciem Dei vel expergisci intelligunt, quum lumen gratiae eius quod prius nebulis obductum erat, emergit. Verum mihi aptius videtur, referre verbum Evigilandi ad Davidem, ut tantundem valeat ac respirare a tristitia. Etsi enim stupore nunquam fuerat oppressus, fieri tamen non potuit quin post longam fationem quasi sopitus iaceret. Neque enim omnes conflictus tam animose sustinent ac repellunt sancti, quin pro carnis infirmitate languescant ad tempus, vel tanquam offusis tenebris expavescant: hanc igitur perturbationem David sopori comparat. Ubi autem iterum affulserit Dei favor, se recepto vigore tranquillum fore dicit. Vere quidem dicit Paulus, 2. Corinth. 5, 7, quamdiu in mundo peregrinamur, per fidem incedere, non per adspectum: sed quia nihilominus effigiem Dei non tantum in evangelii speculo, sed in tot documentis gratiae eius quotidie cernimus, se quisque a torpore excitet, ut nos satiet spiritualis felicitas, donec facie ad faciem se nobis fruendum exhibeat Deus.

PSALMUS XVIII.

ARG. Scimus per quas difficultates, et quam ardua obstacula David ad regnum pervenerit, nam usque ad mortem Saulis exsul et profugus, trepide vitam inter multas mortes protraxit. Deinde quum Deus iam eum sua manu in solio locasset, exceptus fuit intestinis discordiis: et quum potentior esset adversa factio, parum saepe abfuit ab interitu. Hostes vero externi eum ad senium usque duriter excrucierunt. His malis, nisi Dei

virtute adiutus, nunquam superior fuisset. Multas ergo et insignes victorias adeptus, non sibi (ut solent profani homines) triumphum canit: sed Deum illarum autorem iustis encomiis celebrat. Psalmus ergo hic initium est, quo magnifice David tam in regno suo auspicando, quam in tuendo eius statu admirabilem Dei gratiam extollit. Deinde ostendit in regno suo adumbratam fuisse regni Christi imaginem, ut statuunt fideles, quamvis invito et reluctante toto mundo, Christum incredibili Patris potentia semper fore victorem.

1. *Praefecto, servi Iehovae Davidis, qui recitavit Iehovae verba cantici huius, die quo eum Iehova eripuit e manu omnium hostium eius, et e manu Saulis.*

Non parum ad rem facit temporis notatio, ut sciamus Davidem rebus pacatis non luxuriasse in ebria laetitia: sicuti profani homines, ubi data est illis a malis relaxatio, excussa beneficiorum Dei memoria, vel se immergunt in crassas voluptates, vel cristas erigunt, vel iactantiae suae fumis Dei gloriam obscurant. Refert enim sacra historia, quum iam aetate fere confectus esset, defunctusque omnibus molestiis quietus sederet, cecinisse hoc canticum Domino, 2. Sam. 22. capite. Convenit etiam inscriptio haec, quam non temere fuisse appositam, ex istis rationibus colligimus. Tempus vero designat, postquam eum Deus eripuerat ab omnibus inimicis, ut sciamus tunc prorsus tranquillam fuisse regni possessionem, et non semel, neque in uno tantum hostium genere Deum illi opem tulisse, quum subinde renovarentur certamina, finis unius belli initium esset alterius: imo saepe multiplices copiae adversus eum surgerent. Vix enim quisquam alius reperietur a mundo creato, quem tam varie exercuerit Deus. Sed quia eum crudelius quam reliqui omnes, maioreque furore et pertinacia Saul persequutus fuerat: ideo diserte exprimitur eius nomen, quum prius generalis facta esset omnium hostium mentio. Neque enim postremo loco ponitur quasi esset recentior, qui iam ante annos circiter triginta mortuus erat, a cuius morte complures externos hostes debellaverat ipse David, et coniurationem filii Absalom exstinxerat. Quia ergo apprime hanc esse memorabilem Dei gratiam novemat, quod per tot annos ab innumeris mortibus elapsus esset: imo quot fere dies sub regno Saulis transegerat, totidem se miraculis fuisse divinitus redemptum, non sine causa praecipue huius liberationis historiam celebrat. *Servum* Dei se nominans, de sua vocatione haud dubie testari voluit: ac si negaret se temere involasse in regnum, sed tantum Dei oraculo paruisse. Haec autem in tot procellis maxime necessaria fultura: imo in naufragiis hic unicus portus fuit, sibi de coelesti mandato probe esse conscium. Nihil enim in rebus adversis homine miserius, si ingenii sui motu discrimen subiit. Optimo itaque consilio David testatum esse voluit,

se neque ambitione fuisse impulsus ad haec certamina, quibus graviter perculsus fuit, neque malis artibus praeter fas quidquam tentasse: sed praeluxisse Dei mandatum. Quod nobis cognitu non parum utile est, ne immunitatem speremus ab omni molestia, ubi sequimur vocantem Deum, sed nos potius ad duram militiam paremus. Ergo servi nomen ad publicum munus hoc loco (ut saepe alibi) refertur: sicuti quum prophetae et apostoli se Dei servos vocant, ac si diceret se non esse regem a se ipso creatum, sed divinitus electum. Interim digna observatu est eius modestia, quod tot victoriis nobilis, tot gentium domitor, tanta dignitate et opulentia praeditus, non alio quam servi Dei elogio se insignit: ac si hoc omni mundi praestantia magis honorificum censeret, fideliter munus a Deo iniunctum obisse.

2. *Et dixit: Diligam te Iehova fortitudo mea.*

3. *Iehova petra mea, munitio mea, et liberator meus: Deus meus, rupes mea, sperabo in eo: clypeus meus, et cornu salutis meae, refugium meum.*

2. *Et dixit.* Ego hic vel syllabas, vel paucas voces curiosius non persequar, in quibus ab hoc Psalmo differt canticum illud quod 2. Sam. refertur. Tantum si quod maioris momenti occurreret discrimen suo loco perstringam: sicuti notabilis est huius sententiae omissio: Diligam te Domine fortitudo mea. Porro, quia verbum דָּלֵק non nisi in coniugatione pihel scriptura usurpat pro Diligere: hic autem positum est in coniugatione cal, Hebraei quidam interpretantur misericordiam quaerere, ac si dixisset David, Domine quando te misericordem sum toties expertus, perpetuo in tuas misericordias recumbam, atque haec quidem expositio non male quadraret: nolui tamen ab altera magis recepta discedere. Notandum vero est, amorem Dei tanquam praecipuum pietatis caput hic poni: quia nulla re melius colitur Deus. Fateor quidem Reverentiae nomine magis exprimi quem illi debemus cultum, ut in suo gradu emineat eius maiestas: sed quia nihil magis requirit quam ut omnes cordis nostri affectus possideat, nullum ei praestantius sacrificium est, quam ubi liberalis et spontanei amoris vinculo nos sibi devinctos tenet: sicuti vicissim nusquam melius, quam in gratuita bonitate, eius gloria refulget. Ideo Moses Deut. 10, 12 summam legis colligere volens, Nunc, inquit, Israël quid a te petit Dominus Deus, nisi ut ipsum diligas? Quamquam simul ostendit David, se non ita affixum esse Dei beneficiis, ut in autorem sit ingratus, quod vitium omnibus saeculis fuit nimium vulgare. Et hodie videmus ut maior pars mundi, neglecto vel posthabito Deo, suaviter in eius donis se oblectet. David autem ne in hanc ingratitudinem incidat, his verbis quasi nuncupat solenne votum, Domine,

quia tu fortitudo mea es, sincere amore tibi ad-
dictus ero.

3. *Dominus petra mea.* Quod multa elogia con-
gerit quibus Deum ornet, non est supervacuum.
Scimus enim quam difficile sit mentes et corda
hominum tenere Deo addicta. Nam vel Deum sibi
non sufficere imaginantur, ut semper alibi subsidia
requirant: vel primo quoque tentationis impulsu ab
eius fiducia exoidunt. David ergo varios servandi
modos Deo tribuens, modo eum habeat salutis suae
praesidem, satis superque se munitum esse testatur:
ac si diceret, non modo contra unum discriminis
genus tutos esse quos Deus auxilio suo vult
tueri, sed omni ex parte ita septos esse va-
lido praesidio, ut nullae mortes metuendae sint.
Videmus ergo non modo gratitudinis causa hic
celebrari Dei laudes, sed instrui firma et constanti
fide animos, ut subinde ad Deum recurrant, quid-
quid acciderit: et certo persuasi sint multiplicem
esse eius virtutem, prout varias nocendi species ex-
cogitant impii. Nec vero abs re (ut nuper admonui)
in hac parte tam copiosus est David, nam si nos
uno modo adiuverit Deus, simulac exorta est nova
tempestas, non secus expavescimus, ac si nunquam eius
auxilium essemus experti. Et qui in una molestia
defensionem ab eo expectant, postea maligne restrin-
gunt eius potentiam, perinde faciunt ac si quis in con-
flictum descendens, de pectore securus sit, quia thorace
et clypeo munitus est: capiti vero metuat, quia caret
galea. Ideo David panoplian hic suppeditat fidelibus,
ut sentiant se ad nullos ictus esse expositos, modo
armati sint Dei virtute. Atque hunc consilii sui
finem declarat quum dicit: *Sperabo in eo.* Quare
discamus eius exemplo, quacunque nos anxietates
impetant, obicere hos Dei titulos: imo nostrae me-
moriae insideant, ut quidquid timoris ingerat Satan,
procul ab ingressu arceatur. Neque enim tantum
in malis praesentibus vacillamus, sed fingimus otiam
nobis vana pericula in futurum tempus, quae frustra
nos conturbent. 2. Sam. 22, 3 pro *Deus meus*
rupes mea, habetur *Deus rupis meae*. Et post
nomen *refugii* habetur *Arx mea*, servator meus, a
violentia servabis me: quae plenior efficiunt
sententiam, sed eodem spectant.

4. *Laudatum invocabo Iehovam, et ab inimicis*
meis servabor. 5. *Circumdederant me funes*) mortis,*
*torrentes impietatis**) terruerant me.* 6. *Funes se-*
*pulcri***) circumdederant me, praevenerant me laquei*
mortis. 7. *In angustia mea invocavi Iehovam, et ad*
Deum meum clamavi: et audivit de templo suo

*) les cordeaux, *en marge*: ou brisemens.

**) les torrens de meschanceté, *en marge*: Hébr.:
de béliel.

***) du sepulchre, *en marge*: ou de corruption.

voce meam, et clamor meus coram eo pervenit ad
aures eius.

4. (*Laudatum invocabo.*) Quanquam invocatio
Dei (ut alibi dictum est) totum saepe cultum com-
prehendit, quia tamen hic sequitur precationis effec-
tus, non dubito quin hic significet conferre se in
fidem Dei, et salutem ab eo petere. Atque hoc
spei suae testimonium David subiecit, quia Dei
opem implorat in necessitate quisquis in eo sperat,
pronuntiat igitur se salvum fore, et omnium hostium
victorem, quia ad Deum confugiet. Vocat autem
Deum laudatum, non modo quia dignus sit laude,
ut omnes fere exponunt: sed ut significet preces
suas laudibus mistas fore. Sic enim videtur exigere
loei circumstantia, quod de superioribus beneficiis
gratias agens, eius opem novis votis expetet. Et
certe nisi qui gratiae Dei memoria se eriget, nun-
quam libere precabitur. Ideo Paulus Philip. 4, 6
hortatur fideles, ut in omni precatione cum gra-
tiarum actione curas suas et petitiones deponant in
sinum Dei. Adde quod obstrepunt Deo, et cum eo
expostulant quicunque laudem eius suis votis non
coniungunt.

5. (*Circumdederant me.*) Iam narrare incipit
David quam certis et illustribus documentis ex-
pertus sit, manum Dei satis esse ad repellendum
quodvis malorum genus validam et robustam. Nec
mirum est, poetice et splendido verborum ornatu
amplificari quae simplicius, et aequabili stylo de-
scribi poterant: nam spiritus sanctus cum malignis
et pravis hominum ingeniis certare volens, Davidem
hic quasi hyperbolica facundia instruxit, quae ad
consideranda Dei beneficia mundum expergefaceret.
Vix ullum est tam palpabile Dei auxilium, quod
non obscuraret nostra malignitas. Ergo David, ut
efficacius sensus nostros penetret, salutem sibi divi-
nitus allatam, in toto mundi opificio conspicuam
fuisse dicit. Hoc eius consilium tenendum est, ne
putemus in stylo altiore modum excedere. Porro
summa est, quum iam redactus esset in ultimas
angustias, confugisse ad opem Dei, et mirabiliter
fuisse servatum. Quod ad verba attinet, *חבלים*
vocat Hebraei vel funes, vel dolores: vel etiam
quodvis exitiale malum: quia hominem corrumpit,
ac tendit in eius interitum. Ut psalmus respon-
deat cantico, mihi non displicet pro contritione ac-
cipi, quia illic habetur *משברי מות*, quod nomen
a conterendo deductum est. Sed quia verbo circum-
dandi aptior erat methaphora sumpta a funibus vel
laqueis, ac si dixisset se mortis periculis fuisse
undique implicitum: hanc interpretationem libenter
sum amplexus. Quod sequitur de torrentibus,
tantundem valet ac si dixisset, violento impetu non
secus ac naufragio se fuisse obrutum. Caeterum
torrentes Belial vocat, quia in eum conspiraverant

caret. Prudenter etiam et recte quidem observant, eum in hac tota descriptione ad communem ecclesiae redemptionem alludere. Nam quum tunc perpetuum documentum statuerit Deus, unde colligerent fideles salutis suae esse vindicem, quaecunque postea vel publice, vel privatim beneficia in populum suum contulit, primae illius redemptionis quaedam fuerunt velut appendices. Ideo aliis quoque locis, ut auxilia populo divinitus praestita commendat, illud tam memorabile specimen quasi archetypum gratiae Dei proponit. Et certe quum eum extorrem a patria multi ludibrio haberent, quasi abdicatum a Dei familia, multi fremerent regnum violenter fuisse ab eo raptum, optima fuit ratio cur suae salutis praesidium sub communi populi liberatione includeret: ac si diceret se immerito repudiari tanquam alienum quem Deus re ipsa probasset coram se nobile et eximium ecclesiae membrum censi. Videmus enim ut prophetae, quoties spem salutis facere volunt populo, eum ad primum foedus revocent, quod miraculis illis in Aegypto, in transitu maris rubri, et in monte Sinai editis sancitum fuerat. Terram irato Deo tremuisse dicit impiorum respectu. Sic enim saepe loquitur Deus, se indignatione et zelo accensum pro asserenda fidelium salute arma induere.

9. (*Adscendit fumus.*) נִשָּׁן Hebraeis vel nasum vel nares proprie significat: sed quia metaphorice interdum pro iracundia capitur, quidam ita vertunt, adscendit fumus in furore eius: meo iudicio parum apposite. Nebulas enim et vapores, quibus coelum obtenebrescit, David crassiori fumo comparat, quem exhalant nares irati hominis. Atque hic melius cognoscitur quam formidabilis sit ira Dei, dum flatu suo coelum obnubilat, solisque et stellarum omnium fulgorem nobis auferens, tenebris nos opprimit. Nec vero aliter quadraret quod proxime sequitur, ignem ex ore eius profectum consumere, significat enim Deum absque maiore conatu, simul ac flatum emisit e naribus, et os aperuerit, ignem excitaturum, qui fumo suo totum mundum obscuraret, deinde ardore devoret. Nam quod addit, carbones esse succensos, ad distinctionem evanidae flammae valet. Inclinatione coelorum, tempus obnubilum designat. Nam ubi densi vapores medium aërem occupant, videntur nubes capitibus nostris incumbere: neque id solum, sed Dei maiestas propiore accessu nobis horrorem incutit, et anxietate constringit, qui sereno coelo late effusi eramus in laetitiam. Caeterum meminerimus sub coeli caligine iram Dei nobis depingi: quia sicuti pura luce iucundo Dei facies nos exhilarat: ita coelo turbido, quasi minacibus superciliis in nos rueret, frontem contrahere prae tristitia cogimur. Interea monemur nullam in coelo vel terra mutationem fieri, quae Dei praesentiae non sit testis.

11. (*Et equitavit super Cherub.*) Quemadmodum in nubibus et aëris contractione signum irae Dei nobis depinxit, ac si fumum e naribus efflaret, ac minitabundus descenderet ad homines terribili virtutis suae mole urgendos, item in fulguribus et fulgetris ignem flammantem ab ore eius exire dixit: ita nunc super ventos et turbines equitantem inducit, ut celeri cursu, vel pernicioso volatu potius totum orbem perlustret. Similis etiam descriptio Psalmo 104, 3 habetur, ubi dicitur Deus vehi super alas ventorum, et illos quaquaversum ut celeres nuntios emittere. Caeterum non simpliciter Deum facit ventorum moderatorem, et qui sua virtute eos impellat, sed simul dicit equitare super Cherub: ut sciamus ipsos ventorum impetus eius mandato per angelos gubernari. Scimus enim sub figura Cherubim repraesentatos fuisse angelos. Itaque non dubito quin Davidis consilium fuerit ad arcam foederis alludere. Sic enim Dei potentiam in naturae miraculis hic spectandam proponit, ut tamen a templo non recedat, ubi sciebat peculiari modo Deum se filii Abrahae patefecisse. Non igitur Deum mundi opificem solum modo celebrat, sed qui cum Israël foedus pepigit, sibi in medio eius elegit sacrum domicilium. Poterat enim suo nomine vocare angelos: sed consulto visibile arcae symbolum posuit, ut fideles ad templi cultum animos referrent. Quod sequitur de obscuro Dei tentorio, repetitio est superioris sententiae sub aliis verbis: quod scilicet Deus tenebris aërem obducens, homines quodammodo prohibeat a sui conspectu: perinde ac si rex quispiam populo infensus, in recessum et latebras sese abdat. Falluntur enim qui generaliter hunc versum trahunt ad probandam arcanam Dei gloriam, ac si David, humanae curiositatis audaciam cohibere volens, Deum latere in tenebris diceret. Habitat quidem Deus lucem inaccessam, fateor: sed non dubito quin haec loquutio ad loci praesentis circumstantiam restringi debeat, eo quem attuli sensu.

13. *Præ fulgore in conspectu eius nubes eius transierunt, grando et carbones ignis.* 14. *Et intonuit in coelis Iehova, excelsus edidit vocem suam, grando et carbones ignis.* 15. *Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: et fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.** 16. *Et apparuerunt gurgites aquarum, et relecta sunt fundamenta orbis ab increpatione tua Iehova, a flatu spiritus naris tuae.*** 17. *Misit e sublimi, assumpsit me: eduxit me ex aquis magnis.* 18. *Eripuit me ab hoste meo robusto, et ab adversario meo: quoniam prae me roborati erant.* 19. *Praevenerant me in die confractionis meae: et fuit Iehova*

*) les mit en desarray, en marge: ou les estourdit.

**) de ton nez, en marge: ou de ton ire.

in firmamentum mihi. 20. *Et eduxit me in latitudinem: eripuit me, quia mihi bene volebat.*

13. (*Prae fulgore etc.*) Iterum redit ad fulgetra, quae discussis nubibus coelum aperiunt, ideoque dicit nubes Dei (hoc est, quas sibi opposuerat in signum irae, ut luce vultus sui privaret homines) transisse prae fulgore eius, vel a fulgore, nam subitae istae mutationes vehementiore Dei sensu nos afficiunt. Addit, grandinem subsequutam esse cum carbonibus ignis, nempe quum scinduntur nubes tonitru, vel erumpunt fulmina, vel nubes se in grandinem resolvunt.

14. (*Et intonuit.*) Idem aliis verbis inculcat, Deum e coelo tonuisse: ipsum vero tonitru appellat vocem Dei, ne putemus vel fortuito, vel naturalibus causis gigni absque coelesti imperio. Vident quidem philosophi medias vel inferiores causas, nempe ubi frigidi et humidi vapores siccis et calidis exhalationibus in sublime tendentibus viam claudunt, ex conflictu etiam nubium fragore sonitum excitari: sed David supra meteora spiritu conscendens, Deum praesidem statuit, qui suo iussu penetret in abditas terrae venas, ac inde educat exhalationes: deinde in species distribuens, per aërem spargat, conglomeret inde vapores, eosque cum raris et siccis caloribus in pugnam committat, quasi vocem ipse emitteret ex ore suo. Hanc repetitionem canticum prosequitur: sensus tamen per omnia convenit. Tenendum vero est quod prius dixi: Davidem sub his figuris terribilem Dei potentiam nobis describere, quo gratiam eius in sua liberatione melius illustret. Et ipse mox consilium suum exponit, quum hostes suos scribit *fuisse dissipatos* sagittis Dei: ac si diceret, non manibus hominum vel gladiis fuisse prostratos, sed Deum in ipsos palam fulminasse: non quod rem ita fuisse gestam historice asserat, sed quia rudes et maligni aliter adduci non poterant ut Deum sentirent esse eius liberatorem: ac si diceret, Deum e coelo tonare negent, ac in toto naturae ordine, praesertim vero in mirandis vicibus potentiam eius aboleant quicumque non agnoscunt eius manu me fuisse servatum. Quia autem fulgura Deus tanquam sagittas iaculatur, metaphoram priore loco posuit, deinde rem expressit suo nomine.

16. (*Et apparuerunt.*) Hoc versu haud duie ad miraculum in transitu maris rubri editum alludit, quo consilio id fiat, prius admonui. Nam quia specialibus beneficiis, quaecunque olim Deus in singulos Abrahae filios contulit, foedus suum semel cum toto populo sancitum subinde revocavit in memoriam, ut de continua eius gratia certo persuasi essent, atque una liberatio specimen illis vel pignus esset perpetuae salutis: David opportune

Calvini opera. Vol. XXXI.

auxilium sibi privatim e coelis oblatum eum illa antiqua ecclesiae redemptione coniungit. Quia enim gratia illa quam sibi exhibitam fuisse praedicat, a prima redemptione non erat separanda, quum pars eius et appendix esset: quasi uno momento et miraculum siccati maris rubri, et auxilium sibi praestitum intuetur. Summa est, Deum qui semel viam per mare suis patefecit, et hac lege se vindicem eorum ostendit, ut confiderent sub eius custodia perpetuo se fore incolumes, iam rursus in uno homine servando admirabilem suam virtutem exseruisse, ut antiquae illius historiae memoriam renovaret. Unde melius liquet, Davidem in his hyperbolis non poetice fabulari, sed methodum fidelibus a Deo praescriptam tenere. Simul etiam notanda est illa ratio quae ad amplificandam Dei gratiam eum coegit, quod maior pars populi eam clausis oculis praeteriret sive malitia, sive stupore. Nomen hebraicum אֲפִיקִים, quod ego verti *gurgites*, proprie alveos significat: sed minime ambiguum est quin hoc loco significet David, ipsas aquarum scaturigines fuisse conspicuas, atque ita potuisse discerni unde fluminibus ad continuum cursum inexhausta vis et copia aquarum suppetat.

17. (*Misit e sublimi.*) Hic breviter tam splendidae narrationis finis ostenditur: nempe ut sciamus Davidem ex profundis abyssis non propria industria, neque etiam hominum opibus emersisse, sed Dei manu fuisse extractum. Dicitur enim Deus e sublimi auxilium mittere, ubi mirabiliter et modis insolitis nos servat: atque ita haec missio terrenis subsidiis opponitur, quibus perperam solemus mentes nostras affigere. Non improbo eorum sententiam qui de angelis exponunt, latius tamen extendo: quia quibuscunque servemur modis, Deus creaturas suas, quae praesto sunt ad eius nutum, nobis destinat, eosque ad opem nobis ferendam accingit. Caeterum licet e coelo proficiscatur quodvis auxilii genus, non immerito David manum sibi ab excelso fuisse porrectam affirmat, ut beneficium hoc incredibilo aliis magis communibus κατ' ἐξοχήν praeferat, est enim tacita comparatio inter hanc virtutem insolitam et alios vulgares ac quotidianos iuvandi modos. Quod se dicit ex aquis magnis fuisse divinitus eductum metaphorica loquutio est, hostium enim saevitiam rapidis torrentibus similem faciens, quibus centies absorberi poterat, periculi magnitudinem clarius exprimit: ac si diceret se ex alto naufragio praeter spem fuisse ereptum. Proximo versu rem ipsam absque figura simpliciter narrat, quod scilicet liberatus fuerit ab hoste robusto, qui eum capitaliter oderat, ac persequabatur. Nam inde commendat Dei potentiam, quod nullae hominum vires obstiterint quo minus salutem in ultima desperatione afferret. In fine versus quia habetur particula וְ apud Hebraeos ut plurimum causalis,

in hanc fere sententiam conveniunt interpretes: Mihi Deus ex alto succurrit, quia magis invaluerant hostes, quam ut sperandum quidquam esset ab hominibus. Unde etiam colligitur utilis doctrina tunc maxime opportunum esse Deo tempus ad suos iuvandos, quum sustinendis hostibus sunt impares: imo fracti et afflicti eorum violentiae succumbunt, non secus ac si naufragus, spe enatandi amissa, in profundum raperetur. Posset tamen etiam adversative exponi: quamvis superior esset hostis, Davidem fuisse nihilominus servatum.

19. (*Praevenerant me.*) Aliis verbis confirmat proximam sententiam, quia suffultus fuerit Dei auxilio, ubi iam nulla evasio erat. Undique enim se fuisse circumventum refert: neque id vulgari obsidione, sed ut hostes miserum urgendo affligerent. Ex qua circumstantia melius apparet, nonnisi Dei manu eductum fuisse in latitudinem. Unde enim tam subita a morte in vitam restitutio, nisi quia Deus testari voluit penes se esse mortis exitus? Causam demum adscribit non aliam fuisse quam merum Dei beneplacitum, ut tota et solida laus penes ipsum resideat. Beneplaciti vero meminit, ad vocationem suam respiciens. In hoc enim praecipue incubuit, certamina quibus agitatus fuerat, non aliunde fuisse excitata, nisi quod paruerat Deo vocanti, eiusque oraculum obedienter amplexus fuerat. Ambitiosi enim et turbulenti homines, qui sua cupiditate, praecipites ad quidvis audendum feruntur, sibi quoque temere pericula accersunt, quamvis strenue et animose luctando saepe votis potiantur, infelicitate tamen ad extremum concidunt, quia indigni sunt quos fulciat Deus, quum ipsi insanas moles sine vocationis fundamento in coelum efferrant. In summa, testatur David sibi paratam semper fuisse opem Dei, quia non sponte se ingesserat: sed quum tenui fortuna contentus foret, libenterque in caulis ovium vel patris tugurio lateret, unctus fuerat manu Samuelis: quod gratiae electionis Dei symbolum erat.

21. *Retribuit mihi Iehova secundum iustitiam meam: secundum puritatem manuum mearum rependit mihi: 22. Quia custodi vias Iehovae, et non imple defeci a Deo meo: 23. Quia omnia iudicia eius coram me, et edicta eius a me non reieci: 24. Et fui integer cum eo*), et custodi me ab iniquitate mea. 25. Et rependit Iehova mihi secundum iustitiam meam, secundum puritatem manuum mearum coram oculis eius.*

21. (*Retribuit mihi.*) Videri posset David primo intuitu secum pugnare: nam qui nuper Dei beneplacito omnia accepta retulit, nunc sibi iustam mercedem repensam fuisse iactat. Verum si tene-

mus in quem finem haec suae integritatis elogia subiungat Dei beneplacito, facilis erit utriusque sententiae consensus. Prius testatus est se non nisi Deo duce venisse in spem regni, neque hominum suffragiis fuisse eVectum, vel proprio motu prorupisse, sed quoniam ita Deo placuerat: nunc secundo loco addit, se fidele obsequium praebuisse Deo, ut nunquam ab eius nutu deflexerit. Utrumque enim fuit necessarium, ut gratis Davidem suo favore praeveniret Deus, ipsumque regem eligeret: David autem vicissim obedienter et pura conscientia regnum sibi divinitus oblatum suscipere: deinde quidquid tentarent impii ad labefactandam eius fidem, constanter teneret rectum vocationis suae cursum. Nunc videmus adeo nihil esse dissidii inter duas istas sententias, ut aptissime inter se respondeant. David hic Deum velut agonothetam statuit, cuius auspiciis et ductu productus fuerit ad obeunda certamina, hoc vero ab electione pendet, quia favore suo eum complexus, regem creaverat. Postea addit, se iniunctas sibi partes quo debuit obsequio ad finem usque obiisse. Non mirum ergo si Deus athletam suum quem ipse ultro adsciverat, et quem videbat bona fide officio defunctum, praesidio suo tutatus sit, atque etiam apertis miraculis testatus sit eius se esse vindicem. Nec vero hic captandae laudis causa inanem iactantiam effutivit, sed per os eius utilem nobis doctrinam dictare voluit spiritus, nunquam defore nobis auxilium Dei, modo nobis constet vocationis nostrae ratio, nec quidquam iniussu eius tentemus. Interim quoque illud fixum maneat, initium recti cursus esse, beneplacitum quo nos Deus adoptat, et vocationem qua nos ultro praevenit. Adhuc tamen restat una quaestio. Nam si Deus mercedem iustitiae rependit, videtur ut quisque promeritus est, ita in quemque esse liberalis. Respondeo, mercedis nomine non ostendi quid Deus nobis debeat, ideoque perperam et falso meritum vel operum dignitatem ex eo colligi, sic enim Deus iustus iudex cuique retribuit secundum sua opera, ut tamen omnes sibi teneat obnoxios, nemini vero sit ipse adstrictus. Ratio est non ea solum quam Augustinus reddit, nullam eum iustitiam in nobis invenire cui praemium roddat, nisi quam gratis donavit: sed etiam quia operum nostrorum maculis ignoscens, iniustitiam imputat quod iure respuere posset. Quod si nihil operum nostrorum absque venia Deo placet, sequitur non meriti, sed indulgentiae esse mercedem. Caeterum hic specialis notanda est ratio, neque enim hic David quasi legitima iustitia fretus, coram Deo se ingerit: sed studium suum, quod Deo probari sciebat, contra impias hostium calumnias asserere volens, arbitrium defert ipsi Deo. Scimus enim quam indigne falsa invidia gravatus fuerit: neque vero tam eius fama probris istis impetebatur, quam

*) avec luy, en marge: ou envers, ou devant luy.

communis totius ecclesiae salus. Quamvis enim Saulem privatus dolor in rabiem ageret, alique omnes ut regi navarent operam acriter et violento impetu contra Davidem ruerent: minime tamen dubium est, Satanae impulsu regnum illud tantopere fuisse oppugnatum: quia in unius hominis persona Deus spem publicae salutis posuerat. Haec ratio est cur tam sollicite et vehementer contendat David in asserenda causae suae iustitia. Porro ubi ad tribunal Dei cum hostibus suis litigat, non agitur de tota vita, sed de certa causa. Tenendus ergo est disceptationis status, quod Davidem scilicet multis criminibus onerabant, primum defectionis et perfidiae, quia a rege et socero suo desciverat: deinde latrocinii, ac si instar praedonis, regnum occupasset: seditionis etiam, quasi tranquillum regni statum turbasset: postremo crudelitatis et multorum scelerum, quasi causam dedisset caedibus, et multis illicitis artibus conspirationem suam prosequutus esset. Ipse autem coram Deo suam innocentiam tueri volens, affirmat se integre et sincere in hac causa fuisse versatum: quia neque aggressus sit quidquam praeter Dei mandatum, et quidquid moliti sint hostes, se tamen intra suas metas continuerit. Hinc stulte infertur, Deum hominibus propitium esse prout dignos favore suo iudicat: quia tantum hic asseritur causae bonitas contra improbos calumniatores: non autem in examen vocatur tota hominis vita, ut gratiam quis obtineat, iustusque censeatur. In summa, David ab effectu colligit, suam causam placuisse Deo, non quod una victoria perpetuum sit bonae causae signum: sed quia manifestis signis auxilii sui ostenderit Deus se stare a parte Davidis.

22. (*Quia custodivi.*) De puritate manuum suarum dixerat: quia tamen videbat perversa de se iudicia fieri, vias Domini se servasse affirmans, provocat quodammodo ad eius tribunal. Solent idem confidenter iactare hypocritae, imo nihil illis promptius est quam per lusum obtendere sacrum Dei nomen: sed David nihil in medium profert, quod non re ipsa compertum esset hominibus, si qua vigneret inter ipsos aequitas. Quare eius exemplo danda in primis opera est ut nobis bene conscii simus. Accedat deinde haec magnanimitas, ut spreto hominum falsis iudiciis, vindicem nostrum in coelo quaeramus. Addit se non impie defecisse a Deo: quia semper ad metam vocationis suae recta tendebat, quamvis multa impii ad evertendam eius fidem machinarentur. Verbum enim quo utitur, non lapsum unum denotat, sed defectionem, quae hominem a Deo prorsus alienat. Quamvis autem David pro carnis infirmitate interdum deliquerit: nunquam tamen recessit a studio pietatis, vel mandatam sibi militiam deseruit.

23. (*Quoniam omnia iudicia.*) Iam ostendit

unde illa recte agendi inflexibilis constantia inter tot gravissimas tentationes: quia scilicet mentem suam retulerit ad Dei legem. Sicuti enim novos assidue insultus nobis movet Satan, ita etiam ad arma confugere necesse est, arma autem nobis suppeditat divinae legis meditatio. Discant igitur quibus cordi est integritas, se in verbi Dei studio quotidie exercere, simul enim ac negligitur doctrina, facile socordia obrepit, et evanescit omnis Dei timor. Inter iudicia et edicta subtilius hic non distinguo: si cui tamen libeat ponere discrimen, iudicia ad secundam legis tabulam referre conveniet: statuta autem, quae Hebraeis מִצְוָה vocantur, de cultu pietatis accipere. (*Fui integer cum eo.*) Verba haec apud Davidem omnia sunt futuri temporis: quia non de evanido aliquo actu gloriatur, sed de firma perseverantia. Quod autem prius admonui, quia iniuste se David damnari ab hominibus videbat, Deum sibi ferre iudicem, hinc clarius patet, quum dicit se fuisse integrum cum eo. Sic quidem de sanctis aliquando scriptura loquitur, ut eos ab hypocritis discernat, quibus satis est externam caeremoniae larvam praeferre: sed hoc loco David ad refutandos sinistros rumores secure Deum appellat. Quod etiam confirmat repetitio quae paulo post sequitur, *secundum munditiam manuum coram oculis eius*: in quibus verbis non obscura antithesis apparet inter Dei oculos et confusum vel malignum mundi intuitum: ac si diceret se iniquas calumnias nihil morari, modo coram Deo sit integer, cuius iudicium nulli maligni et praeposteri affectus pervertunt. Porro integritas quam sibi asserit, non perfectio est, sed sinceritas quae simulationi opponitur, quod etiam ex proximo membro licet colligere, ubi dicit, *custodivi me ab iniquitate mea*. Tacite enim fatetur se non ita a vitiosis affectibus purum fuisse et immunem, quin saepe hostium improbitas eum pungeret. In testinum igitur ei bellum fuit eum multis tentationibus: quia (ut homo erat) fieri non potuit quin multas carnis punctiones sentiret. Sed haec fuit virtutis eius probatio, manum sibi iniicere, et quidquid sciebat verbo Dei adversum, cohibere: neque enim quiesquam in pietatis studio pergit, nisi qui sedulo se custodiet ab iniquitate sua.

26. *Cum mansueto mansuete ages, cum viro integro integrum te praestabis.* 27. *Cum*) puro purus eris, et cum perverso perverse ages.* 28. *Quia tu populum afflictum servabis, et oculos superbos deicies.*

26. (*Cum mansueto etc.*) Eandem sententiam prosequitur. Dei enim gratiam, qua liberatus fuerat, suae integritatis testem adducens, de caecis et indignis hostium calumniis triumphum agit. Fateor quidem hoc hypocritis quoque solenne esse,

*) avec, en marge: ou envers.

prosperi, enim successus eos ita efferunt ut non modo contra homines, sed contra Deum ferociter exsultent. Sed quum illi Deo palam illudant, ubi eos sua tolerantia ad poenitentiam invitat, improbae eorum confidentiae nihil affine habet haec Davidis gloriatio. Neque enim ex Dei indulgentia fucum induxit suis sceleribus, sed tot auxilia, quibus certo expertus erat sibi propitium esse Deum, pro illustribus favoris eius documentis iure sumpsit. Atque hoc discrimen tenendum est, quod impii rebus prosperis ebrii, impudenter iactant se Deo placere: quum tamen Deo posthabito, fortunae potius sacrificent: fideles autem ex interiore conscientiae sensu, Dei gratiam praedicant in rebus prosperis. Ita hoc loco David propter causae suae aequitatem se divinitus fuisse adiutum gloriatur. Primo enim ad contextum accommodanda est haec sententia, quod Deus hominem innoxium toties a praesenti morte eripiens, benignum se erga benignos, et purum erga puros re ipsa probaverit. Deinde communem doctrinam elicere convenit, Deum nunquam frustrari servos suos, quin benigne eos tractet, si modo eius auxilium cum mansuetudine et patientia expectent. Sic dicebat Iacob, Gen. 30, 33. Reverti faciet ad me Deus iustitiam meam. Finis est, ut bona spe fideles se ad colendam integritatem animent, quia ad unumquemque redibit iustitiae suae fructus. Posterius membrum, ubi dicitur perverse agere Deus cum perversis, licet asperius sit, nihil tamen absurdi continet: imo non sine optima ratione hunc loquendi modum spiritus usurpat, ut hypocritas et crassos Dei contemptores a sua somnolentia expergeficiat. Videmus enim, ubi de severis et tremendis Dei iudiciis concionatur scriptura, ubi Deus ipse horribilem vindictam denunciat, quam secure haec omnia transsiliant. Hic ergo brutus et quasi prodigiosus stupor Deum cogit excudere novas loquendi formas, et quasi alienam personam induere. Sic etiam Levitici 26, 21: Si mecum ambulabitis perverse vel temere, ego vicissim contra vos perverse vel fortuito ambulabo. Ac si diceret, pervicaciam eorum in causa fore ut solitae moderationis oblitus quaquaversum in eos irruat. Hoc enim proficiunt tandem sua duritie prae fracti homines, ut Deus ad eos conterendos sese magis obduret, ac contra saxeos ferreus reddatur. Adde quod spiritus sermonem ad impios dirigens, ex eorum sensu ut plurimum loquitur. Atqui ubi serio Deus in ipsos fulminat, caccis suis terroribus eum transfigurant, quia nihil in ipso concipiunt nisi saevum, atrox, et immane. Iam videmus cur David non simpliciter Deo tribuat iudicis nomen et officium, sed violento impetu armet: sicuti proverbio dicitur, malo nodo quaerendum esse malum cuneum.

28. (*Quia tu populum afflictum.*) Hic versis

continet speciem correctionis, quia enim experientia demonstrat saepe duriter affligi mansuetos et sinceros involvi tristissimis molestiis, ne quis falso dici putet Deum clementer agere cum mansuetis, admonet David finem esse expectandum: quia etsi non protinus accurrat Deus ad opem bonis ferendam, ubi tamen eorum patientiam aliquandiu exercuit, prostratos erigit, et desperatis salutem affert: unde sequitur non nisi ab exitu aestimandum esse quomodo placide et humaniter agat Deus cum mansuetis, et purum se gerat cum puris. Nisi enim suspensos expectatione teneret fideles, proprium eius non esset affictos servare. Atque hoc non vulgare in rebus adversis solatium est, consulto differri quod alioqui paratum est Dei auxilium, ut afflicti servemur. Nec vero nimis acerbae nobis esse debent quas perferimus iniurias, quae salutiferum Dei favorem nobis conciliant. In secundo membro diversa est lectio cantici: ubi habetur: oculi tui contra superbos ad deiiciendum. Sed haec varietas in sensu nihil mutat: nisi quod illic superbis spiritus sanctus magis aperte denunciat, quum ad ipsos evertendos advigilet Deus, non posse ruinam effugere. Utriusque vero loci haec summa est, quo magis securi impii sibi indulgent, magisque proterve miseros sub pedibus suis despiciunt, eo propiores esse exitio. Quoties ergo nobis crudeliter insultant, sciamus hoc tantum obstare, quominus praefactam eorum contumaciam retundat Deus, quia nondum ad cumulum usque pervenit eorum superbia.

29. *Quia tu illuminabis lucernam meam Iehova: Deus meus illuminabit tenebras meas.* 30. *Quia in te*) perrumpam cuneum turmae, et in Deo meo transsiliam murum.* 31. *Dei integra via est: sermo Iehovae excoctus, clypeus est omnibus confidentibus in ipso.* 32. *Quoniam quis Deus praeter Iehova? et quis fortis praeter Deum nostrum?* 33. *Deus qui praecinxit me virtute, et posuit**) integram viam meam.*

29. (*Quia tu illuminabis.*) Paulo expressior est loquendi forma in cantico, ubi Deus non lucernam dicitur accendere, sed ipse vocatur lucerna, sensus tamen eodem redit, nempe factum esse Dei gratia ut David tenebris immersus in lucem rediret. Neque enim simpliciter gratiae ei aguntur quod Davidi praeluxerit, sed quod illustraverit eius tenebras. Itaque fatetur David in eas angustias se redactum, ut similis esset perduto ac desperato: res enim confusas tenebris comparat. Potest quidem hoc per anagogen ad spirituales mentis illuminationem

*) en toy, en marge: ou par ta vertu.

**) a mis, en marge: ou fait.

transferri: sed interim spectandum quid agat David, ne a genuino eius sensu recedamus. Quemadmodum autem agnoscit se Dei favore, non secus ac luce vivifica, fuisse recreatum, nos quoque eius exemplo statuamus nullum rebus nostris adversis exitum fore, nisi Deus caligine discussa lucem laetitiae nobis restituat. Interim ne molestum sit per tenebras iter facere, modo lucernae vices nobis praestet Deus. Proximo versu suas victorias Deo adscribit quod ipso duce perfregerit cuneos hostium vel phalanges et urbes munitas expugnaverit: ita videmus, quantumvis strenuus esset bellator, eum tamen nihil sibi arrogare. In temporibus verborum hoc semel teneant lectores, praeteritum et futurum subinde in hoc psalmo promiscue usurpari: non tantum quia diversas historias complectitur David, sed quia se statuit velut in re praesenti, et continuum tenorem gratiae Dei simul contextit.

31. (*Dei integra via est.*) Via Dei hic non pro doctrina, sed ratione agendi quam tenet erga suos, capitur. Sensus ergo est, Deum nunquam frustrari servos suos, neque in ipso articulo deserrere, sicuti homines clientibus suis opem non ferunt nisi quatenus expedit: sed bona fide tueri quos suscepit in suam fidem. Caeterum quia nobis cum Deo nihil esset negotii, nisi cum verbo suo nobis occurreret: ideo David postquam asseruit, Deum non fallaciter iuvare suos, simul addit, sermonem eius esse purgatum. Sciamus, minime esse dubitandum quin se Deus integrum effectum ipso erga nos praestet, quia pollicitus est fore salutis nostrae custodem: eius autem promissio certa est veritas. Porro hic per sermonem, non praecepta, sed promissiones intelligi, ex proximo membro colligitur, ubi dicit *clypeum esse confidentibus*. Videtur quidem vulgare hoc elogium, sermonem Dei purum esse omni fraude et fallacia, instar argenti a scoria sua purgati: sed nostra infidelitas facit ut Deus sub hac similitudine fidem suam magnifice commendat: quia nihil magis proclive est, quoties spei nostrae eventus non respondet, quam ut impiae de verbo Dei dubitationes statim nobis obrepant. Reliqua petant lectores ex Psalmo 12.

32. (*Quoniam quis Deus.*) Hic David vanis hominum figmentis insultans, qui temere sibi fabricant tutelares deos, confirmat quod prius dixi, se nihil unquam nisi Dei auspiciis et mandato fuisse aggressum, nam si progressus esset ultra vocationis metas, non licuisset tanta fiducia Deum in partes suas trahere. Quanquam autem uni vero Deo fictitios omnes opponit: simul tamen prosternit omnes vanas spes quibus mundus circumagitur, ne in Deo acquiescat. Neque enim hic de nudo Dei titulo agitur: sed pronunciat David, nihil aliunde auxilii quaerendum esse, quia solus ipse potentia sit pra-

ditus. Consilium tamen eius quod notavi, tenendum est: quod scilicet omnibus suis hostibus Deum tanquam ducem, sub quo militavit intrepide, opponens, se nihil libidinoze vel mala conscientia tentasse affirmat.

33. (*Deus qui praecinxit.*) Metaphora est vel a balteo sumpta, vel ab ipsis renibus, in quibus scriptura interdum vigorem aut robur locat. Perinde est igitur ac si diceret se virtute Dei fuisse fortem, qui alioqui futurus erat mollis et enervis. Postea de successu ipso loquitur: quia non sufficeret animis promptos esse et alacres, viribus etiam pollere, nisi accederet felix eventus, quem profani homines vel a sua prudentia, vel a fortuna provenire imaginantur: David autem uni Deo adscribit. Nam *via* pro cursu actionum ponitur: ac si diceret, quidquid aggressus est, Deum prospere sua benedictione direxisse.

34. *Ponens*) pedes meos sicut cervarum, et super excelsa mea statuit me.* 35. *Instituens manus meas ad proelium, et conteretur arcus chalybeus brachiis meis.* 36. *Et dedisti mihi scutum salutis tuae, et dextera tua fulcivit me, et clementia tua auxit me.* 37. *Dilatasti gressus meos sub me, et non nutarunt tali mei.*

Quia multas arces occupaverat David, quae ob arduum et difficilem accessum inexpugnabiles creditae fuerant, Dei gratiam hac in parte extollit. Nam *pedes sicut cervarum* sibi datos fuisse dicens, celeritatem insolitam notat, et quae in homines naturaliter non competit. Sensus ergo est extraordinario modo fuisse divinitus adiutum, ut instar capreae pernici cursu rupes inaccessas transcendere. Vocat autem *excelsa sua* arces quibus victor iure belli potitus est: quia merito gloriari potuit se nihil alienum occupare, quum se divinitus illuc vocatum sciret. Quum dicit *manus suas edoctas*, et formatas fuisse *ad proelium*, fatetur pugnandi dexteritatem sibi propria industria non fuisse partam, vel exercitatione et usu: sed obtigisse singulari Dei dono. Etsi autem generaliter hoc verum est, vim et peritiam bellandi non nisi ab arcano Dei instinctu esse: continuo tamen post ostendit David se praeter communem et usitatum hominum morem fuisse ad obeunda certamina fortitudine instructum: quia brachia ad frangendos arcus aeneos satis valida fuerint. Nam ut fuerit homo nervosus, humilis tamen describitur eius statura: et ipsa similitudo aliquid humana virtute altius designat. Proximo versu se una Dei gratia tutum et salvum fuisse praedicat. Nam sub *clypeo divinae salutis* significat, nisi a Deo mirabiliter servatus esset, ad multos letales ictus

*) mettant, *en marge*: ou faisant, aşcavoir me donnant legeret  de pieds.

se fuisse expositum: atque ita clypeus salutis Dei, tegumentis omnibus et armis quibus munitus erat, tacite opponitur. Eius rei causam iterum refert ad gratuitam Dei bonitatem, qua dicit se auctum fuisse, vel magis ac magis proVectum. Augendi enim verbo continuos favoris Dei progressus notat. Per dilatationem ingressus intelligit viam sibi aequabilem per invia fuisse patefactam. Subest enim antithesis inter latum spatium et angustias, ex quibus pedem movere non licet. Sensus est, quum in extremam desperationem coniectus esset, divinitus fuisse expeditum. Atque haec ad corrigendam nostram diffidentiam apprime utilis est admonitio, nisi enim nobis amoena sit ante oculos planities in qua libere exsultet caro, trepidamus ac si nos terra deficeret. Teneamus ergo, non frustra munus hoc Deo adscribi, ut vias nostras dilatet ac complanet. Huius gratiae effectum subiicit, quod pedes sui non nutarint, hoc est, nullo adversu casu deiectus fuerit.

38. *Persequar inimicos meos, et comprehendam eos: nec revertar donec consumpserim eos.* 39. *Affixi eos, nec potuerunt surgere, ceciderunt sub pedibus meis.* 40. *Et accinxisti me fortitudine ad proelium: incurvastis inimicos meos subtus me.* 41. *Et inimicorum meorum dedisti mihi cervicem, et oses meos perdidisti ipsos.*

In hoc totus est David ut ab effectu demonstret, Deo se propitio in omnibus victoriis usum esse: unde sequitur, rectam et iustam fuisse eius causam. Nam etsi impiis quoque et sceleratis prosperos successus interdum Deus concedit, exitu tamen ostendit, se illis adversum fuisse et infensum. Signa autem favoris qualia patefecit erga Davidem, soli eius servi sentiunt: ut hoc modo testetur eos sibi probari et gratos esse. Quanquam autem nimium militariter videtur loqui, dum pronunciat se finem caedibus non facturum, nisi omnibus hostibus consumptis: imo videtur mansuetudinem illam oblivisci, quae lucere debet in cunctis fidelibus, ut patrem coelestem referant: quia tamen nihil tentabat praeter Dei mandatum, et spiritus eius freno affectus suos regebat, sciamus has non esse hominis sanguinarii vel truculenti voces, sed qui iudicium sibi a Deo iniunctum fideliter exsequitur. Et certe scimus tanta ingenii mansuetudine fuisse praeditum, ut vel a gutta sanguinis fundenda abhorruerit, nisi quatenus ferebat officii ratio et necessitas. Ergo tenenda est Davidis vocatio: deinde purus zelus, et ab omni carnis perturbatione vacuus. Notandum praeterea est, hic vocari hostes quorum indomabilis pertinacia talem Dei vindictam provocavit. Nam quatenus sustinuit Christi personam, nonnisi de obstinatis ultimam poenam sumpsit, qui humano imperio in ordinem cogi non poterant, res enim ipsa

demonstrat nihil ei magis cordi fuisse, quam ut resipiscantibus parceret. Sicuti Christus ad poenitentiam comiter omnes invitans, ferro scepro conterit qui pervacaciter ad extremum resistunt. Summa est, Davidem, quum militaret sub Dei auspiciis, rex ab ipso electus, et nihil nisi ex iussu eius agendum suscipiens, fuisse quoque divinitus adiutum ut invictus staret contra omnium hostium insultus, imo ingentes et validissimas copias profligaret. Porro sub hoc typo sciamus invictam regni Christi statum fuisse adumbratum, ut Dei virtute fretus prostratis suis hostibus emergat semper superior, rexque maneat invito mundo. Quum vero nobis communes sint eius victoriae, sequitur, inexpugnabile nobis praesidium contra omnes diaboli conatus, omnes peccati machinas et carnis tentationes promitti. Quamvis itaque tranquillum regnum Christus nonnisi bellando obtineat, nobis satis sit ad eius conservationem, semper paratam fore Dei manum. Profugus quidem ad tempus fuit David, ut vitam suam ferarum cavernis vix tegeret: sed Deus tandem terga hostium vertit, nec modo coniecit in fugam, sed etiam profligandos tradidit. Ita quamvis ad tempus immineant cervicibus nostris hostes, faciet tandem Deus ut non solum terga nobis vertant, sed ante oculos nostros pereant ut digni sunt. Memores interim simus ad quam militiam nos Deus vocet, cum quo hominum genere configere nos velit et quibus armis instruat: ut nobis sufficiat, spirituali eius virtute diabolum, carnem, et peccatum sub pedibus nostris posterni. Quibus autem gladium dedit, si modo sub Christo capite regnent, eos etiam tuebitur, nec iniuste opprimi sinet. Quod attinet ad verba, interpretes fere uno consensu vertunt: Dare hostes dorsum, pro in fugam conicere, sed quia *אָרָץ* proprie cervicem Hebraeis significat, non incommodus erit sensus, datam fuisse hostium cervicem, quia Deus mactandos tradiderit.

42. *Vociferabuntur, et nullus servator: ad Iehovam, nec respondebit illis.* 43. *Et comminuam eos tanquam pulverem a facie venti: velut lutum platearum calcabo eos.* 44. *Eripies me a contentionibus populi: constitues me caput gentium; populus quem non novi, servient mihi.* 45. *Ad auditum auris obedient mihi:*) filii alienorum**) mentientur mihi***).* 46. *Filii alienorum deficient, trepidabunt ex penetralibus suis.*

42. (*Vociferabuntur.*) Mutatio temporis in verbo contextum narrationis non abrumpit, sic itaque re-

*) à l'oreille de l'oreille ils m'obéiront, *en marge*: ou, si tost que le bruit de mon nom viendra à leurs oreilles.

**) les enfans des estrangers, *en marge*: ou les peuples estranges.

***) me mentiront, *en marge*: on feront semblant d'estre des miens s'humilians de crainte.

solvi debet: Quamvis ad Deum clamarent, reiectas fuisse eorum preces. Prosequitur vero quod prius dixerat, tandem exitu patefactum esse quam falso iactarent hostes Dei nomen, qui se ab illis aversum ostendit. Verum quidem est, sic eos interdum prospere agendo fuisse elatos, ut vulgo creditum fuerit Deum illis favere, quum interea David nocte et die clamando nihil proficeret: sed ubi servi sui patientiam satis exercuit Deus, illos spe vana deiecit ac frustratus est: imo nec preces eorum dignatus est audire. Tenemus nunc consilium Davidis: quia enim diu perperam Dei nomine abusi fuerant impii, fallacem eorum iactantiam deridet. Porro notandum est, de hypocritis, qui nunquam sincero affectu Deum invocant, haberi sermonem, nunquam enim fallit promissio, Deum prope esse omnibus qui eum in veritate quaerunt, Psal. 145, 18. Non ergo repudiatis fuisse hostes suos dicit David, quum serio cordis affectu ad Deum confugerent, sed quum solita impudentia putarent eum sibi obstrictum ad sceleratos conatus iuvandos. Nam dum vota in ultima necessitate concipiunt impii, etsi pavore deiectionis metuque tremantes, humilitatem prae se ferunt: non tamen mutant propositum ut resipiscant. Adde quod illis audacia et durities pro fide est, vel dubitando querimonias suas profundunt, magis ut Deo obestrepant, quam ut suam fiduciam in eius sinu deponant. Caeterum hinc colligenda est utilis admonitio, quicumque miseris crudeliter insultaverint ac superbe reiecerint supplices, Deum etiam ad sua vota surdum sensuros. Proximo etiam versu decemur, postquam impios Deus abiecit, proicere ad omnem contumeliam, et instar luti calcandos tradere. Neque enim tantum denuntiat, superbis et crudelibus clausas fore suas aures, sed minatur etiam se facit ut mercedem eadem mensura recipiant.

44. (*Eripies me e contentionibus.*) Summatim colligit David se Dei auxilium modis omnibus expertum esse: nam et magnum ei discrimen ex domesticis turbis instabat, nisi mirabiliter sedatae essent, ferocia populi in ordinem coacta. Hoc etiam secundum praeter communem opinionem accidit, ut longe lateque victor gentes vicinas posterneret, quae nuper totum fere Israël fregerant. Fuit enim illa incredibilis renovatio: quod non modo populum clade affectum subito restituit, sed tributarios sibi reddidit, a quibus pax impetrari non poterat. Fuisset iam hoc praeclarum, si populus accepta gravi clade incolumis stetisset, ac viribus iterum collectis recuperasset priorem statum: sed hoc longe praestantius beneficium ex insperato Deus contulit, ut subigeret suos victores. Utrumque David commemorat, quum tumultuaretur in eum populus, illos intestinos motus nonnisi divinitus fuisse compositos: deinde eiusdem Dei auspiciis et virtute, validis gentibus sub iugum redactis, propa-

gatum fuisse imperium, quod debile et semifractum fuerat sub Saule, hinc patet, non minus intus et domi, quam contra externos hostes fuisse adiutum. Porro, quum nobis in hoc typo spiritus sanctus regnum Christi depingat: sciamus hunc tam erigendi quam conservandi eius esse modum, ut Deus non solum exserto brachio pugnet contra professos hostes qui aliunde insurgunt, sed etiam domesticos tumultus et rixas compescat. Quod etiam in Christi persona palam ostensum fuit ab initio, quia primum ei obstaculum fuit ab insana gentis suae contumacia: iam temporum omnium experientia ostendit, dissidia et contentiones, quibus ecclesiam scindunt et lacerant hypocritae, non minus noxia esse ad labefactandum Christi regnum, quam violentos hostium conatus, nisi Deus manum suam opponeret. Ergo ut regnum filii sui promoveat ac tueatur, non modo externos hostes coram ipso prosternit, sed eum liberat a domesticis contentionibus. In cantico aliud verbum habetur pro: In caput gentium ponere, nempe *השמרני* quod custodire significat, ideoque ad stabilem et diuturnam regni possessionem refertur. Scimus enim quam difficile sit in officio retinere qui iugo nondum assuefacti sunt. Ideoque nihil frequentius quam imperia nuper parta novis motibus concuti. David autem in cantico Deum pronuntiat dignitatis, quam ipso auspice adeptus erat ut gentibus dominaretur, fuisse custodem.

(*Populus quem non cognovi.*) Totus hic contextus optime confirmat quod nunc attigi, non restringi narrationem hanc ad Davidis personam, sed vaticinium esse de futuro Christi regno. Potuit quidem gloriari David, populos quorum mores et ingenia non penitus noverat, sibi fuisse subiectos: sed quoscumque devicit, non fuisse vel prorsus incognitos, vel tam procul dissitos, certum est. Quare tunc Deus nonnisi sub obscura umbra delineavit immensum Filii sui regnum, cuius amplitudo ab ortu solis usque ad occasum patet, totumque mundum occupat. Eodem etiam facit quod proxime sequitur: *Ad solam famam obedient mihi*, nam etsi nomen adeo celebre sibi conciliaverat David ex victoriis, ut multi armis depositis ultro ad deditionem descenderent: quia tamen armorum potentia illi quoque fracti fuerunt, quam sub oculis ipsorum infelicitate experti erant vicini, proprie non dicuntur obsequium praestitisse ad solam famam. Verius hoc in Christum competit, qui verbo subigit sibi mundum, et ad solum auditum morigeros sibi reddit qui prius rebelles fuerant. Ergo quatenus Christi personam sustinuit David, Deus gentes remotas, et quae prius Israël, quoad consuetudinem, fuerant incognitae, eius imperio subiecit. Sed fuit illud praeludium promissae Christo dominationis cuius fines ad ultimas usque mundi plagas oportuit extendi. Armis etiam et bellica virtute tantum nomen sibi David

peperit, ut multi ex hostibus metu fracti deditionem facerent. Sed ita sub typo ostensa fuit gentium subiectio, quae solo evangelii praeconio in ordinem coactae sunt. Nam fidei obedientia, in qua fundatum est Christi imperium, ex auditu est, Rom. cap. 10, vers 17.

45. (*Filii alienorum.*) Hoc loco describitur quod in novis dominationibus ut plurimum accidere solet, ut scilicet victorem suppliciter adorent qui redacti sunt in potestatem: sed ficta et coacta humilitate, quia serviliter non sponte parent. Nam quod mentiendi verbum quidam interpretes alio transferunt, quasi diceret vel inani spe delusos fuisse hostes, vel ut poenam effugerent, mendaciter negasse quidquam hostile se machinatos, non satis exprimere videtur Davidis mentem. Quare generaliter, ut alibi (meo iudicio) pro serviliter humiliari capitur. Nam verbum *שָׁחָה* quod Hebraeis est mentiri, metaphorice interdum tantundem valet atque humiliari, vel subiectionis iugum suscipere, ficto tamen et liberali modo. Filios autem alieni vocat, vel alienorum, qui prius sui iuris prorsus ab Israël divisi fuerant. Hoc vero videmus etiam in Christo impleri, ad quem multi supplices accedunt duplici et perfido animo: quos ideo apte spiritus alienigenas vocat: quia etsi electo populo permixti sunt, sincera tamen fide non coalescunt in idem corpus, ut ecclesiae filii censi debeant. Verum quidem est, cunctos gentiles initio ex alienis fuisse adscitos sed ubi induunt novum affectum, qui prius erant hospites et advenae, fiunt cives sanctorum, et domestici Dei. Quod additur continuo post: *Filii alieni defluent, trepidabunt ex suis penetralibus*, terrificum illud nomen de quo diximus amplificat. Est enim hoc reverentiae non vulgare signum, qui latebris teguntur, altisque munitionibus sunt incolui, metu percussos in lucum prodire. Porro, sicuti hostes Davidis ex suis penetralibus extraxit timor, ut supplices occurrerent: ita incredulos Evangelium timore percussos ad praestandum Christo obsequium cogit. Haec enim (teste Paulo 1. Cor. 14, 24) vis est prophetiae, ut conscientias arguens, et manifestans occulta cordium, qui rebelles ante fuerant metu prosternat, ad dandam Deo gloriam.

47. *Vivat Iehova**), et benedictus fortis meus**), et exaltetur Deus salutis meae. 48. *Deus qui dat vindictas mihi, et subigit populos sub me.* 49. *Liberator meus ab inimicis meis: etiam ab his qui contra me insurrexerant extulisti me, a viro violento eruisti me.* 50. *Propterea celebrabo te in gentibus Iehova, et nomini tuo canam.* 51. *Magnificans salutes***)*

*) Vive le Seigneur, *en marge*: ou, le Seigneur vit.

**) mon fort, *en marge*: ou celui qui me donne force.

***) les saluts, *en marge*: ou, délivrances.

regis sui et praestans misericordiam Christo suo Davidi et semini eius in perpetuum.

47. (*Vivat Iehova.*) Si placet in optandi modo legere: Vivat Deus: aspera erit loquutio, quam tamen sumpta ab hominibus translatio excusat quibus moris est in hunc modum non tantum bene precari, sed etiam honorifica acclamatione suos duces in sublime extollere, ita esset quasi triumphale elogium. Non male tamen quadrat simplex affirmatio qua David pronuntiet Deum vivere, hoc est summa virtute esse praeditum. Caeterum, vita haec ad Dei essentiam non restringitur, sed potius ex operibus aestimanda est quae vitam eius nobis manifestant. Simul enim ac virtutem suam ab oculis nostros subduxit, evanescit etiam ex animis sensus ac notitia vitae eius. Itaque vivere dicitur, quatenus claris potentiae suae documentis mundum sua manu contineri demonstrat. Hanc Dei vitam quia experimento senserat David, laudibus et gratiarum actione prosequitur. Nam si in praesenti modo legamus: Vivit Dominus, copula quae sequitur, illationem valet: ideoque sic resolvenda est, ergo benedictus sit fortis meus. Iam epitheto *fortis*, deinde servatoris, confirmat quod prius dixi, Deum non clam vivere in se ipso duntaxat, sed vigorem suum proferre in gubernatione totius mundi. *צַדִּיק* enim transitive hic ponitur pro eo qui robor confert.

48. (*Deus qui dat vindictas.*) Rursus acceptas Deo refert quas adeptus est victorias, sicut enim nunquam eas sperasset nisi fretus Dei auxilio: ita nunc eundem agnoscit unicum autorem: ac ne defunctorie laudis partem adspargere videatur, diserte repetit nihil se habere nisi quod datum est. Ac primo quidem fatetur se virtute coelesti fuisse instructum, ut de hostibus quas meriti erant poenas exigeret. Quia autem primo intuitu absurdum videri posset, a Deo armari fideles ad vindictam, tenenda est (ut prius admonui) Davidis vocatio. Neque enim privatus homo erat, sed pro regia potestate, iudicium quod exsequutus est divinitus ei iniunctum erat. Quisquis laesus est, si ad se ulciscendum prosilit, Dei partes occupat, itaque non sine sacrilega temeritate illatas sibi iniurias retolant privati homines: sed Deus qui se vindicem esse pronuntiat, reges et magistratus gladio armans, ultionum suarum ministros constituit. Itaque vindictas posuit David pro iustis poenis quas Dei mandato reposcere licuit: modo tamen rite composito spiritus zelo ageretur, non carnis impetu. Nisi enim ad vocationem talis moderatio accedat, frustra iactabunt reges sibi ultionem a Deo mandatam: quia non minus praeposterum est, permissio gladio ad carnis libidinem abuti, quam eum Dei iniussu arripere. Ecclesiae sub Christi auspiciis militanti

non alia quam adversus obstinatos vindicta permittitur. Iubemur beneficiis certare cum hostibus, pro eorum salute precari: ergo simul optanda illis est resipiscentia, et sanitas mentis, donec certo constet perditae esse ac desperatae malitiae, interim resignanda est arbitrio Dei vindicta, ne ante tempus praecipites feramur. Deinde ex periculis et difficultatibus colligit se aliter non potuisse salvum evadere, nisi Dei manu servatus esset. Huc enim pertinet elevatio de qua loquitur, mirabiliter fuisse sublatum, ne victrici hostium violentiae succumberet.

50. (*Propterea celebrabo te.*) Hoc versu docet beneficia Dei quae retulit, novo et insolito praeconio digna esse, ut eorum fama ad gentes usque penetret. Subest enim tacita comparatio inter ordinarium Dei cultum quo tunc solebant fideles in templo defungi, et hanc gratiarum actionem quae tam angustis finibus capi non poterat. Sensus est igitur: Domine non tantum ex praescripto legis ritu gratias tibi agam in coetu fidelium: sed longius manabunt laudes tuae, sicuti per totum orbem memorabilis est tua in me gratia. Caeterum hinc vaticinium de futuro Christi regno elicitur: quia nisi in societatem electi populi allectae fuissent gentes, frustra inter surdos et absurdae cantatae fuissent laudes Dei. Quare scite Paulus et apposite hoc testimonio probat non esse fortuitam gentium vocationem, Rom. 15, 9. Pluribus enim locis postea videbimus Dei laudibus sacrum domicilium assignari in ecclesia. Quare alibi quam in Iudaea non potuit rite et cum fructu celebrari Dei nomen, donec perforatae essent aures gentibus: quod factum est nbi eas Deus per evangelium adscivit.

51. (*Magnificans salutes.*) Versus hic a fine demonstrat cur tam liberaliter Deus egerit cum Davide: quia scilicet eum unxerat in regem. Nam se regem Dei vocando, se nec temere irrupisse, nec pravis factionibus obtrusum fuisse testatur, se iure legitimo regnasse, quia sic Deo placuit. Id unctionis symbolo probat, quia Deus, Samuelis manu eum ungendo, non secus ius regnandi asseruit, quam si manu sua palam e coelo exserta in regio solio locasset. Hanc electionem continua salutem serie magnifice fuisse sancitam dicit: unde sequitur, ex professo cum Deo bellare omnes quibus rata non est eius vocatio. Causam simul adscribit Dei clementiae: ut sciamus in mero Dei beneplacito fundatum fuisse illud regnum. Iam ex clausula apertius constat quod prius dixi, Davidem non tam historice narrare mirificas et varias gratiae Dei species quas in se expertus erat, quam de perpetuo regni statu vaticinari. Ac notandum est: Seminis nomine non quoslibet posteros intelligi, sed peculiariter notari successorem illum cui se fore in patrem Deus pollicitus fuerat. Nam quum praedicta esset regni stabilitas, quamdiu sol et luna in coelo ful-

Calvini opera. Vol. XXXI.

gerent, 2. Samuel. cap. 7, vers 12 necesse fuit ad eum descendere, qui rex aeternus non temporalis futurus erat. Itaque semen suum nobis commendat David eximia illa promissione ornatum, quae nec in Solomonem, nec in alium quempiam ex successoribus perfecte competit, sed in filium Dei unigenitum: sicuti apostolus Hebr. capit 1, vers 4 huc dignitate ipsum angelis antecellere docet. Ita recte proficiemus in hoc Psalmo, si umbra nos ad corpus deducat.

PSALMUS XIX.

ARG. David fideles ad considerandam Dei gloriam hortari volens, primo eius speculum in coelorum machina et exquisiti ordinis artificio proponit: deinde ad legem nos revocat, in qua magis familiariter se Deus patefecit electo populo. Itaque hanc peculiarem gratiam pluribus verbis prosequitur, legis usum commendans. Tandem Psalmum precatione claudit.

1. *Praefecto canticum Davidis. Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat expansio*).* 2. *Dies ad diem eructat sermonem, et nox ad noctem annuntiat scientiam.* 3. *Non sermo et non verba, ubi non audiat vox eorum.* 4. *In omnem terram evixit scriptura ipsorum, et ad extremitatem orbis, sermones ipsorum: soli posuit tabernaculum in ipsis.* 5. *Et ipse tanquam sponsus egreditur e thalamo suo: exsultat tanquam vir robustus ad currendum spatium.* 6. *Ab extremitate coelorum egressus eius, et circuitus eius super extrema eorum: nullusque absconditur a calore eius.*

1. (*Coeli enarrant.*) Dixi iam huius Psalmi duas esse partes, quarum in priore Dei gloriam celebrat David ab operibus: in altera autem notitiam plenius in verbo relucentem praedicat. Quamquam autem nonnisi coelorum meminit, non tamen dubium est quin sub nobilissima parte, et cuius excellentia magis conspicua est, totum mundi opificium per synecdochen designet. Nihil certe tam est obscurum vel contemptibile in minimis terrae angulis, in quo non aliqua virtutis et sapientiae Dei nota cernatur: sed quia coelis insculpta est expressior imago, hos praecipue David elegit, quorum splendor nos ad totum mundum lustrandum dirigeret. Nam ubi quis ex coeli intuitu Deum agnoverit, non modo in terrae superficie, sed in minimis quibusque plantulis eius sapientiam et virtutem reputare et mirari discet. Primo versu rem unam suo more bis repetit. Coelos enim inducit tanquam testes ac praecones gloriae Dei, personam mutae creaturae alienam

*) l'estendue, en marge: ou l'entour du ciel et de l'air.

attribuens, quae magis ingratitude exprobrat hominibus, si tam clarum testimonium surdis auribus praetereunt. Efficacius enim movet ac afficit haec loquutio, quam si dixisset coelos monstrare. Est quidem hoc magnum, in coelorum splendore oculis nostris offerri vivam Dei imaginem: sed quia sensus melius excitat sonorae vocis praedicatio, vel certius saltem ac maiore cum profectu docet, quam simplex conspectus cui nulla coniuncta est admonitio: notanda est huius figurae emphasis, quod coelos suo praeconio Dei gloriam enarrare dicit. Repetitio quae secundo membro additur, exegetica est. Exponit enim David quomodo gloriam Dei coeli nobis praedicent: quia scilicet aperte testentur non se fortuito conflatos esse, sed ab opifice praestantissimo mirabiliter conditos. Fieri enim non potest quin ad ipsum usque autorem nos attollat coelorum intuitus, ac mirabilis quae illic apparet distinctio, ornatus et splendor luculentum eius providentiae testimonium reddant. Creationis quidem tempus et modum scriptura explicat: sed etiam Deo tacente, coeli ipsi eius manibus se compositos fuisse clamitant: quod ipsum ad testandam eius gloriam abunde sufficit. Simul enim ac Deum agnoscimus mundi opificem, mentes nostras in admirationem immensae eius bonitatis, sapientiae et potentiae rapi necesse est.

2. (*Dies ad diem.*) Quanquam subtilius intelligunt philosophi quam pulchre distincti sint stellarum ordines, ut in tanta multitudine nihil sit confusum, huius tamen providentiae Dei rudibus et illiteratis certius documentum est continua dierum successio. David ergo hic a coelis non descendit ad alias mundi partes, sed ab effectu magis sensibili et propinquo confirmat quod nuper dixit, in coelis non solum splendere, imo etiam resonare Dei gloriam. Etsi autem varie exponi possunt verba, sensus tamen fere idem manet. Nonnulli sic resolvunt, nullum diem praeterfluere, quo non insigne aliquod documentum suae virtutis Deus edat. Alii vero notari volunt doctrinae incrementa, ut semper dies posterior novi aliquid afferat. Durius est quod intelligunt quidam, dies et noctes inter se colloqui, et de conditoris sui gloria disserere. Neque vero dubito quin David ex ordinatis dierum et noctium vicibus solis et lunae stellarumque cursum et revolutionem mirabili Dei consilio temperari doceat. Sive autem diem de die vertamus, sive diem ad diem, parum interest: quia tantum notatur concinna temporum series quam dierum et noctium successio efficit. Dies quidem unus, si satis attenti essemus ut decebat, nobis idoneus esset gloriae Dei testis: nox etiam una idem officium praestaret. Sed quum videmus solem et lunam quotidie suo ambitu mundum complecti, interdum solem super capita nostra exstare, lunam succedere vicibus, gradatim solem adscendere,

et simul propius ad nos accedere, postea iter suum reflectere, ut a nobis paulatim recedat, hinc dierum vel noctium longitudinem confici, et hanc varietatem aequabili lege ita esse dispositam ut quotannis recurrant: haec longe clarior testificatio est. Quare non immerito David, quamvis Deus nullum verbum faciat, dierum tamen et noctium tam bene aptatam seriem de gloria Dei magnifice concionari dicit: nec iam ignorantiae praetextum reliquum esse hominibus, quia quum doctorum officio tam probe fungantur dies et noctes, satis scientiae ex eorum magisterio consequi possint.

3. (*Non sermo.*) Duns fere contrarias interpretationes recipit hic versus, quarum tamen utraque est probabilis: quia ad verbum sic legitur: Non eloquium et non sermones, non auditur vox eorum. Quidam simul contextunt duos versus, ac si suspensa esset sententia usque ad posterius membrum: *In omnem terram etc.* Itaque secundum eos sensus est, quamvis muti sint coeli, nec loquendi facultate praediti, satis tamen alta et canora voce praedicare Dei gloriam. Sed si hoc voluit David, quorsum attinebat ter repetere, non esse illis articulatam sermonem? frigida sane esset rei notae inculcatio. Altera igitur expositio, ut magis recepta est, ita melius congruere videtur. Nam in lingua hebraica, quae concisa est, saepe aliquid subauditur: praesertim Hebraeis tritum est relativa omittit. Adde quod tertia negatio *לֹא* exceptionem magis denotat a membris prioribus: ac si dictum esset, non obstat linguarum discrepantiam quin ubique exaudiatur coelorum praeconium. Facit enim linguarum dissonantia ut cesset mutua inter varias gentes communicatio: et qui facundissimus est in sua gente, inter externos obmutescat, vel barbarus sit si loqui tentet. Imo si quis linguarum omnium notitia sit instructus, non poterit tamen graecum simul et latinum compellare: imo simulac sermonem ad hos vel illos converterit, ab aliis intelligi desinet. David ergo tacita comparatione amplificat huius testimonii efficaciam quod coeli creatori suo reddunt: ac si diceret, quamvis inter se populi linguis differant, tamen ad omnes pariter docendos communem coelis sermonem esse: nec quidquam praeter socordiam obstat quo minus alienissimi quique quasi ex ore unius doctoris proficiant.

4. (*In omnem terram exivit.*) Hic declarat quomodo coeli apud omnes populos sine discrimine promiscue concionentur: quia ubique terrarum intelligant homines coelos ad celebrandam Dei gloriam propositos esse testes. Caeterum, quia nomen *קו* nunc lineam, nunc structuram Hebraeis significat, quidam hunc sensum eliciunt, quod coelorum architectura, quasi lineatum ad regulam composita, longe lateque Dei gloriam praedicet. Sed quum metaphorice coelestis machinae splendorem David

hic instar doctoris de gloria Dei concionantem in-ducatur, frigida esset ista loquutio, lineam coelorum exire in ultimos usque terrae fines. Adde, quod statim proximo membro verba ubique exaudiri subiicit, quid autem verbis affine cum specie aedificii? Quod si vertamus scripturam, haec duo optime convenient, in coelis, tanquam in volumine omnibus conspicuo, descriptam esse Dei gloriam, et simul inditam illis esse sonoram vocem quae ad omnium aures perveniat. Atque ita monemur, visualem (ut ita loquar) esse sermonem illum, cuius facta prius fuit mentio. Oculis enim, non auribus loquuntur coeli: ut merito eorum speciem tam distincte ordinatam scripturae comparet David. Porro, quod nomen $\eta\psi$ versum in scriptione significet, satis patet ex Isaia. 28, 10 ubi Deus Iudaeos pueris nondum satis per aetatem docilibus comparans, sic loquitur: Erit illis praeceptum ad praeceptum, praeceptum ad praeceptum, versus ad verum, versus ad verum, paulisper ibi, paulisper ibi. Itaque (meo iudicio) sensus est, gloriam Dei non obscuris literulis notatam, sed splendido caractere expressam esse, cuius lectio omnibus exposita sit ac facilis. Hactenus genuinum prophetarum sensum exposui. Nam quod pars ista Psalmi ad allegorias detorta fuit, nulla ratione factum esse lectores facile agnoscent. Initio monui, quod etiam ex contextu patet, antequam David ad legem veniat, Dei gloriam in mundi opificio spectandam proponere. Nunc si ex coelis apostolos, et ex sole Christum facimus, locum amplius non habebit illa partitio, adde quod praepostera fuisset ratio, legem in contextu evangelio postponere. Sed quia nihil magis clarum est quam Dei notitiam hic tractari, quae in mundi speculo naturaliter omnibus offertur, a longiori disputatione supersedeo. Tantum, quia ex Pauli verbis occasionem sumpserunt allegorici isti interpretes, nodus hic solvendus erit. Paulus de gentium vocatione disserens, principium illud sumit: Salvum fore quisquis invocaverit nomen Domini: deinde addit non posse invocari, donec ex evangelii doctrina cognitus fuerit. Caeterum, quia Iudaei specie sacrilegii non carere ducebant, quod Paulus salutis promissionem gentibus vulgaret, quaerit an non ipsi quoque audierint. Ac respondet, ex hoc loco apertam illis fuisse scholam in qua pietatem et Dei cultum discerent, quia in omnem terram exivit, etc. Verum intempestive tunc Paulus dixisset evangelii vocem ex ore apostolorum fuisse in toto mundo auditam, quae vixdum ad paucos pervenerat. Certe illorum praedicatio nondum exierat in regiones longinquas, sed Iudaeae finibus adhuc manebat inclusa. Porro eius consilium minime ambiguum est: dicere enim voluit, iam anteactis saeculis Deum patefecisse gentibus suam gloriam, atque hoc amplioris doctrinae fuisse praeludium. Nam etsi ad tempus separata

fuit electi populi conditio a gentibus, mirum tamen videri non debuit quod utrisque tandem Deus promiscue se patefecit. quos pridem communiter ad se invitaverat: sicuti alibi dicit, quo tempore passus est Deus gentes errare per vias suas, non tamen se reliquisse ἀμαρτυρον, Act. 14, 17. Unde colligimus, nimis crasse deceptos fuisse qui Paulum a literalis sensu discessisse finxerunt. Quod lectores facilius etiamnum ex nostris in locum illum commentariis intelligunt. (*Soli posuit tabernaculum.*) Sicuti ex tota mundi machina coelos praecipue elegit David in quibus imaginem Dei spectandam proponeret, quia illic tanquam in sublimi theatro melius conspicitur: ita nunc solem in altissimo gradu positum demonstrat, quia in eius fulgore luculentius se profert Dei maiestas. Nam etsi aliis planetis sunt etiam sui cursus et quasi stadia, et firmentum stellas omnes fixas in suam revolutionem trahit: rudibus tamen et indoctis astrologiae arcana David frustra conatus esset tradere. Itaque satis habuit crasso stylo ingratitude arguere totum mundum, nisi ex solis conspectu in pietate proficiat. Haec ratio est cur dicat tentorium ei paratum esse: deinde egredi ipsum ab una coeli extremitate, et transire celeriter in partem oppositam. Neque enim argute inter philosophos de integro solis circuitu disputat, sed rudissimis quibusque se accommodans, intra ocularem experientiam se continet. Ideoque dimidiam cursus partem quae sub hemisphaerio nostro non cernitur, subicit. Tria vero in sole consideranda proponit, formae splendorem ac praestantiam: deinde cursus celeritatem: tertio incredibilem vim caloris. Dignitatem et ornatum similitudine sponsi commendat: addit deinde similitudinem cursoris. Mira enim fuit olim eorum pernicitas qui vel quadrigis vel pedibus in stadio certabant: quae etsi longissime abfuit a celeritate solis, nihil tamen in communi hominum usu invenire potuit David quod propius accederet. Quod vegetativum calorem in tertio membro notari quidam putant, mihi non probatur. Est quidem mirabile hoc Dei opus, et insigne bonitatis specimen, quod vis solis in terram usque penetrans, sua inspiratione eam foecundat: sed quia dicit, nomen vel nihil abscondi ab eius calore, de violento aestu, quo tam homines quam reliqua animantia, plantae etiam et arbores torrentur, potius intelligo: quia vivificum calorem, quo nos vegetari sentimus, effugere nullus cupit.

7. *Lex Domini perfecta, instaurans animam: testimonium Iehovae fidele, erudiens in sapientia parvulum.* 8. *Statuta Iehovae recta, exhilarant cor: praeceptum Domini purum illuminans oculos.* 9. *Timor Iehovae sincerus, permanens in saeculum: iudicia Iehovae veritas, iustificata simul.*

7. (*Lex Domini etc.*) Sequitur nunc pars secunda Psalmi. Postquam enim totum humanum genus ostendit satis a mutis magistris doceri de unico Deo, Iudaeos nunc aggreditur, quibus magis Deus innotuerat per verbum suum. Nam quod de ipso testantur coeli, non eo usque deducit homines, ut veram pietatem perdiscant: sed tantum huc valet, ut reddantur inexcusabiles. Verum quidem est, nisi essemus nimis hebetes, esse in mundi theatro satis multa documenta quae nos ad pietatem invitent: sed quia in luce clara caecutimus, sine verbi subsidio nihil nobis prodesset splendida ista gloriae Dei repraesentatio, licet sonorae concionis loco esse debeat. Itaque Deus quos ad salutem vocare statuit, peculiari gratia dignatur: sicuti olim, quamvis omnibus sine exceptione testatus sit se esse Deum: tamen Abrahae filiis seorsum legem dedit, quae certiore et magis propinqua notitia eos imbueret, unde sequitur Iudaeos duplici vinculo ad Deum colendum obstrictos esse. Nam quum gentes, quibus tantum per mutas creaturas loquutus est Deus, nulla ignorantia excuset, quanto minus tolerabilis est eorum stupor, qui vocem ex sacro eius ore profectam audire negligunt? Hic ergo finis est ut se alacrius addicant Iudaei in Dei obsequium, quod sanctiore vinculo sibi devinxit. Porro sub legis nomine non tantum intelligit regulam iuste vivendi vel decem praecepta: sed comprehendit totum foedus quo Deus populum illum a reliquo mundo distinxerat: ac totam Mosis doctrinam, cuius partes deinde enumerat sub vocibus testimonii, statutorum, et alii. Neque enim elogia haec, quibus legem commendat, solis decem praeceptis quadrarent, nisi accederet adoptio gratuita, et quae ex ea dependent promissiones: denique totum illud doctrinae corpus ex quo constat vera religio et pietas. Quantum ad voces hebraicas, ideo curiose in cuiusque significatione tradenda non laboro, quia ex aliis locis colligere promptum est interdum confundi. **עדות** quidem generaliter pro conventionem accipitur, quia Deus, ubi se in Deum fore pollicitus est Abrahae filiis, vicissim ab ipsis fidem et obedientiam stipulatur. Est igitur mutua inter Deum et populum pactio. **פקודים** quae ego alios sequutus Statuta verti, quidam ad caeremonias restringunt, non recte (meo iudicio) qui pro edictis in genere passim video accipi. Itaque **מצוה** quod proxime sequitur, fere synonymum est. De aliis videbimus suo loco. Prima legis commendatio est, quod sit integra vel perfecta: quo verbo significat David, si quis in lege Dei rite sit edoctus, ei ad perfectam sapientiam nihil defore. Quamvis enim profanis scriptis adpersa sint verae et utiles sententiae, et Deus aliquam iustitiae notitiam indiderit hominum animis, facit tamen naturae corruptela ne qua inter homines

reperiatur pura lux doctrinae, sed mutila quaedam principia, et quidem implicita ignorantiae tenebris. Unde merito David laudem hanc vendicat legi, quod in se perfectam et absolutam sapientiam contineat. Quia animae conversio, quam paulo post subiicit, procul dubio pro instauratione ponitur, non dubitavi ita vertere. Sunt enim qui nimis argute hic philosophantur de poenitentia et reformatione hominis. Fateor quidem non recreari animam Dei lege, quin renovetur in iustitiam: sed tenendus interea est simplex Davidis sensus, quod sicut anima vegetat corpus, sic etiam lex vita sit animae. Dicit autem animam restitui, ad miserum statum alludens in quo omnes nascimur. Etsi enim quaedam primae originis reliquiae adhuc supersunt, quia tamen nulla pars ab inquinamento et labe pura manet, sic vitiata animae conditio parum a morte differt, prorsusque ad mortem tendit. Itaque necesse est ut Deus adhibito legis suae remedio succurrat: non quod per se id praestet legis litera, ut postea fusius dicetur: sed quia Deus ad restituendas animas, verbi sui organo utitur. Dum vocat *testimonium Iehovae fidele*, repetitio est proximae sententiae, ut legis integritas et fides aut veritas testimonii idem valeant, nempe ubi nos Dei verbo regendos tradimus, non esse errandi periculum, quia certo hac via Dominus suos in salutem dirigit. Eruditio in sapientia videtur adiecta esse tanquam instaurationis animae principium. Nam quum praestantissima animae facultas sit intelligentia, eam David ex lege petendam docet, quia naturaliter ea destituimur. Neque enim parvulorum nomine una tantum hominum speciem designat, ac si alii per se satis saperent: sed primo admonet, nullos recta intelligentia praeditos esse, donec in lege Dei profecerint. Simul etiam ostendit quales Deus discipulos postulet: nempe qui stultescant apud se, et in puerorum ordinem descendant, ne impediatur proprii sensus altitudo quominus Dei verbo se penitus dociles afferant.

8. (*Statuta Iehovae.*) Quanquam nihil nisi vulgare dicere videtur, quum statuta Domini recta vocat: si quis tamen antithesim consideret inter rectitudinem legis et flexuosas vias quibus se involvunt homines dum sensum proprium sequuntur, hoc elogium non parvi esse momenti intelliget. Scimus quantopere sibi quisque addictus sit, et quam difficile sit falsae prudentiae confidentiam ex animis nostris revellere. Emphatica igitur doctrina est, rite aliter non posse institui vitam hominis, quam si formetur ad Dei legem, extra quam semper in tortuosis ambagibus erratur. Addit secundo, *statuta Dei exhilarare cor*: quia nulla alia est nisi bonae conscientiae solida laetitia: qua tunc demum fruimur, ubi certo sumus persuasi vitam nostram Deo placere. Vere quidem pacis

gustu iustitiam Dei respuimus. Caeterum hinc iterum colligere licet, non de nudis praeceptis et mortua litera haberi sermonem: sed promissiones quibus offertur gratia, simul comprehendere: nam si lex tantum iubendo terreret, quomodo esset amabilis? Certe si a spe veniae et Christi spiritu separetur, tam procul abest a mellis dulcedine, ut sua potius amaritudine miseras animas interficiat.

11. (*Etiā servus tuus.*) Quanquam hoc generaliter ad quoslibet pios extendi potest, recte tamen de ipso Davide accipitur, ut testetur se proprio experimento probe tenere quidquid haecenus docuit. Et certe nemo de coelesti doctrina vere et serio disseret, nisi qui eam penitus animo infixam alit. Fatetur ergo David se quidquid habet prudentiae ad regendam et formandam vitam, ex Dei lege adeptum esse. Quamvis tamen de se proprie loquatur, generalem in suo exemplo regulam proponit, si ratio vitae bene instituendae quaeritur, unam Dei legem satis superque sufficere: simul atque ab ea disceditur, multis erroribus obnoxium esse cursum. Ac notandum est quod David ex abrupto sermonem ad Deum convertens, eum sui dicti testem citat, quo certius persuadeat sincere se et ex intimo affectu loqui. Quia verbum *וְיָי* tam docere quam cavere significat, quidam hoc loco vertunt: Docetur, vel admonetur servus tuus per legis mandata. Sed quia plenior sententia est, circumspectum reddi vel cautum qui se Deo regendum tradit, mihi haec versio magis placuit. Secundo membro declarat, quicumque se Deo addicunt ad servandam quam praescribit iustitiam, minime operam ludere, quia ampla illis merces apud eum reposita est. Porro haec quoque non vulgaris est commendatio legis, quod in ea Dominus nobiscum paciscitur, seque ad remuneranda nostra obsequia quodammodo obligat. Etsi enim iure suo a nobis exigit quidquid lex continet: liberaliter tamen quam non debet mercedem, servis suis promittit. Verum quidem est, irritas esse legales promissiones nostro vitio, quia longe a plena iustitia vel perfectissimus quisque abest: nulla autem hominibus speranda est operum merces, donec legi in solidum satisfecerint. Ita haec duo bene inter se conveniunt, vitam aeternam operum mercedem fore, si quis legem omni ex parte impleat: et tamen in lege denunciari maledictionem cunctis hominibus, quia totus mundus operum iustitia destituitur. Quod etiam mox ex proximo versu patebit. Postquam enim hoc legis beneficium celebravit David, quod Dei cultoribus amplam mercedem offert, statim alio sermonem transferens exclamat, delicta quis intelligit? ubi reos aeternae mortis pronuncians cunctos homines, quidquid ex operum meritis concipi potest fiducia in nihilum redigit. Si quis obiiciat,

frustra legem isto encomio ornari quod effectu caret, prompta responsio est: quia in foedere adoptionis inclusa est gratuita peccatorum venia, ex qua dependet iustitiae imputatio, fidelium operibus mercedem quamvis indebitam rependi. Nam quod in lege Deus perfectis iustitiae observatoribus promittit, fideles paternae eius indulgentiae obtinent, dum illorum conatum et pium obsequendi studium pro iustitiae perfectione gratum habet.

12. *Errores*) quis intelligit? ab occultis meis munda me.* 13. *Etiā a superbis**) contine servum tuum, ne dominentur mihi: tunc integer ero, et mundabor a scelere multo.* 14. *Sint ad beneplacitum eloquia oris mei, et meditatio cordis mei coram te Iehova, fortitudo mea et redemptor meus.*

Haec exclamatio ostendit quomodo legis promissiones, quibus addita est conditio, accipere conveniat: nempe simul ac in medium prodeunt, ut quisque vitam suam examinet, nec facta modo sua, sed cogitationes etiam exigat ad perfectam illam iustitiae normam quae in lege traditur. Sic fiet ut ad unum omnes, spe mercedis abscissa, ad Dei misericordiam confugere necesse habeant. Neque enim reputare satis est quid legis doctrina contineat, nisi etiam veniamus ad nostras personas in quibus reperietur defectus. Papistae simul ac audiunt: Qui fecerit haec, vivet in ipsis, (Levit. 18, 5) secure operum suorum meritis aeternam vitam alligant, ac si in eorum arbitrio esset legem praestare, cuius omnes sumus transgressores, non tantum in uno apice, sed in singulis partibus. Ideoque David quasi labyrintho obsessus, delictorum multitudine se obrui cum admiratione fatetur. Hoc igitur primo tenendum, quia legis iustitia destituimur in nostris personis, ideo etiam a spe mercedis quae illic promittitur, excludi: deinde non uno aut altero delicto, sed innumeris nos coram Deo reos constringi: ut cum acerbissimo dolore deflenda sit nostra pravitas, quae non tantum Dei benedictione nos privat, sed vitam convertit in mortem: sicuti non dubium est quin David, postquam Deum liberaliter praemium offerre dixerat omnibus qui legem observant, horrore percussus eruperit in hanc vocem. Per *שְׁגִיאוֹתַי* vel errores, quidam minora delicta notari putant: verum David (meo iudicio) simpliciter dicere voluit, pluribus Satanae fallaciis nos implicari, quam ut quisque centesimam malorum suorum partem sentiat. Errore quidem et incogitantia saepe delinquant sancti: sed contingit etiam Satanae laqueis irretitos non perspicere crassa peccata. Unde merito

*) ses Fautes, *en marge*: ou erreurs, ou ignorances.

**) des arrogances *en marge*: ou pechez commis par contumace ou rebellion.

actum erumpant, sed ut linguam quoque et animum formet in obsequium legis suae. Scimus quam difficile sit etiam perfectissimis, verba et cogitationes ita fraenare ut 'nihil Dei voluntati adversum vel animo vel ore concipiant: et tamen haec interior puritas praecipue a nobis in lege exigitur. Quo autem rarior est virtus, exacta haec cordis et linguae continentia, eo magis discamus quam necessaria sit nobis spiritus gubernatio ad vitam recte probeque instituendam. Per nomen beneplaciti ostendit non aliam esse bene vivendi regulam, quam si Deo placere ac se probare homines studeant. Quod in clausula vocatur Deus fortitudo et redemptor, ad impetrandi fiduciam valet.

PSALMUS XX.

ARG. Communis ecclesiae precatio pro rege Israël, ut ei Deus auxilium in discrimine ferat: et pro statu regni, ut eum tueatur incolumem, quia publicam salutem in se continet. Cui adiungitur promissio, Deum regni istius, cuius autor est, fore praesidem, ut perpetuae eius conservationi invigilet.

1. *Praefecto canticum Davidis.* 2. *Exaudiat te Iehova, in die tribulationis protegat te nomen Dei Iacob.* 3. *Mittat auxilium tibi e sanctuario, et e Sion sustineat te.*

Quamquam inscriptio ostendit Psalmum a Davide fuisse compositum, nihil tamen absurdi est quod de se in aliorum persona loquitur. Nam quum iniunctum ei esset prophetae munus, merito fidelibus dictavit precandi formam, non tam imperio vel regio edicto se ipsum commendans, quam ex doctoris officio ostendens, ad totius ecclesiae studium et curam spectare, ut regnum quod erexit Deus, salvum maneat. Quod vero multi interpretes ad certum tempus precem hanc restringunt, mihi non probatur. Fieri potest ut prima occasio sumpta ex uno bello fuerit, sive contra Ammonitas, sive contra alios hostes. Consilium tamen spiritus sancti (meo iudicio) fuit, ordinariam precandi formam ecclesiae tradere, cuius usum ex verbis fuisse colligimus quoties discrimen aliquod instabat. Caeterum quamquam filiis suis in genere praecipit Deus pro regibus orare, peculiaris tamen fuit huius regni et ab aliis omnibus distincta ratio: quia Deus populum suum non nisi per manum Davidis et seminis eius gubernare et tueri statuerat. Praecipue vero notandum est sub typo regni temporalis descriptum fuisse longe melius regimen, unde pendebat plena ecclesiae laetitia et felicitas. Itaque huc consulto respexit David ut omnes Dei filios hortetur ad piam sollicitudinem pro regno Christi gerendam, quae nos ad continuas preces exstimulet.

2. (*Exaudiat te Iehova.*) Spiritus sanctus populum orantem inducens, ut Deus regis votis respondeat, simul admonet reges ipsos officii, ut in suis negotiis fidem Dei implorent. Diem tribulationis nominans, a molestiis non fore immunes ostendit, ne animos despondeant si quando eos periclitari contingat. Summa est, quod fideles, ne a capite corpus separatur, communibus suffragiis preces regis adiuvant. Quod nomen Dei pro Deo ipso ponitur, ratione non caret: nam quia nobis incomprehensibilis est Dei essentia, quatenus nobis patefacta est eius gratia et virtus, in eum sperare convenit. Itaque ex nomine invocandi fiducia nascitur. Cupiunt ergo fideles regem protegi Dei auxilio, cuius nomen invocatur inter filios Iacob. Neque enim eorum opinioni assentior, qui putant mentionem patriarchae fieri, quem Deus non absimili modo ac servum suum Davidem exercuit. Potius existimo, usitato scripturae more, populum electum hac voce intelligi: quia haec quoque adoptionis pars erat, sub tutela regis divinitus praefecti degere. Hinc tenenda est anagoge quam attigi. Quando enim Christus rex noster pro aeterni sacerdotii ratione apud Deum intercedere non desinit, totum ecclesiae corpus eius precibus succinere convenit: sicuti etiam nulla spes est nos exauditum iri, nisi ipso praeunte. Haec vero non exigua leniendis nostris doloribus consolatio est, quod nostras angustias, quoties affligimur, suas esse ducit: modo simul in mentem veniat, animos in tribulatione colligere, quia hic spiritus oraculo praedictum est, regnum Christi periculis et incommotis obnoxium fore.

3. (*Mittat auxilium e sanctuario.*) Hoc est, auxilietur tibi e monte Sion, ubi arcam foederis locari iubens domicilium sibi illic delegit. Nam quia non patitur carnis infirmitas ut in coelum usque homines evolent, obviam ipse prodit, et per externa fidei exercitia ostendit se illis propinquum. Sic arca foederis praesentiae eius pignus fuit populo veteri: et sanctuarium coeli imago. Sed quia Deus montem Sion designans, ubi perpetuo ipsum colerent fideles, regnum sacerdotio coniunxerat, hoc sacrum vinculum David haud dubie spectavit. Atque hinc coniicio Psalmum hunc a Davide iam sene sub extremum vitae tempus fuisse compositum. Nam quod prophetice quidam de Sione loquuntur putant, priusquam in eo delecta esset arcae statio, coactum videtur, parumque probabile.

4. *Recordetur omnis oblationis tuae, et holocaustum tuum pingue reddat. Selah.* 5. *Det tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum impleat:* 6. *Ut exsulemus in salute tua, et in nomine Dei nostri trophaeum erigamus, ubi implebit Iehova omnes petitiones tuas.*

reliquo mundo conferri arbitror. Hoc enim cunctis fere mortalibus videmus esse ingenitum, ut quantis quisque opibus, potentia, vel militaribus copiis praeditus est, tantum concipiat animi et fiducia. Testatur ergo populus Dei se non vulgari hominum more spem locasse in armis vel bellico apparatu, sed tantum in auxilio Dei. Quum autem haec duo inter se opponit spiritus, notandum est, simulac mentes nostras occupat carnis fiducia, Dei oblivionem quodammodo obducere. Fieri enim non potest ut qui sua virtute confusus victoriam sibi promittit, in Deum respiciat. Ideo recordandi verbo utitur propheta, ut ostendat fideles nonnisi vacuos omnibus impedimentis ad Deum confugere. Porro haec Dei recordatio primum fideles, quibuslibet copiis polleant, retrahit tamen a vana confidentia, ne quid aliunde quam ex mera Dei gratia expectent. Deinde si omnibus subsidiis orbat sint ac destituti, confirmat tamen ut intrepide et constanter Deum invocent. Sicuti rursum profani homines, ubi viribus pollent, superbia excaecati, non dubitant secure Deum contemnere: ad inopiam vero redacti, misere expavescunt. Denique nobis hic Dei memoriam commendat spiritus, quae tam in nuditate quam in copiis vigorem suum retinens, vanas spes quibus inflari solet caro, subigat. Verbum גִּזְכֹּר quia est in coniugatione hiphil, transitive quidam exponunt, recordari faciemus. Sed quia novum non est neutraliter etiam accipi verba apud Hebraeos, quae proprie transitiva sunt, amplexus sum quod praesenti loco melius quadrabat.

9. (*Hi incurvati sunt.*) Probabile est hic tanquam digito monstrari Israëlites hostes, qui divinitus prostrati fuerant, quum nihil minus futurum putarent. Subest autem tacita antithesis inter ferociam qua ad tempus elati fuerant hostes, quum audacter irruerent ad omnia perdenda, et populi Dei oppressionem. Sicuti enim surgere non nisi eorum est qui prius iacebant, ita incurvari et cadere proprie dicuntur quos prius sua securitas in sublime extulit. Ergo ab eventu docet propheta, quanto satius sit spes omnes nostras ad Deum unum applicare, quam propriis viribus inniti.

10. (*Iehova serva.*) Quidam uno contextu legunt, Iehova serva regem: forte quia absurdum illis videtur ad regem terrenum, quod Dei proprium est, transferri, ut scilicet invocetur atque exaudiat. Verum si in Christum, ut oportet, coniicimus oculos, non erit cur miremur Davidi et eius successoribus, quatenus personam eius gestarunt, per similitudinem attribui quod in ipsum competit. Quia autem per eius manum nos regit Deus ac servat, non aliunde speranda est salus. Sicut etiam fideles olim ad regem suum, tanquam salvificae Dei gratiae ministrum, confugere solebant. Hinc illud Ieremiae Thren. 4, 20 quod prius citavi: Spiritus

oris nostri Christus de quo diximus, in umbra tua vivemus inter gentes. Ideo etiam quoties restitutionem ecclesiae suae promittit, Deus symbolum salutis proponit in regno. Nunc videmus, non absque optima ratione fideles induci, auxilium a rege petentes, cui in fidem et custodiam dati sunt, et qui Dei loco in capite eorum praesidet. Sicuti Micheas dicit 2, 13: Transibit rex coram ipsis, et Iehova in capite eorum. Quibus verbis significat, regem fore instar speculi, in quo affulgeat Dei imago. Redeo nunc ad praesentem locum. Ecliptica loquutio, quum dicitur, serva Domine, maiorem continet emphasin, quam si adiectum fuisset nomen: quia hoc modo ostendit David, communiter ad totum ecclesiae corpus spectare salutem istam. Et Psal. 118, 25 eadem verborum forma concipitur precatio, quam eandem esse certum est. Summa est, ut Deus regem suum benedicendo totius populi servator appareat. Deinde exprimitur salutis modus, ut rex Dei virtute instructus sit ad liberandum populum, quoties eius opem imploraverint: quia non aliter quam eius manu et opera promiserat Deus suos fore salvos. Hodie manifestato Christo discamus hunc honorem deferre, ne aliam salutem, nisi quam nobis a patre afferet, speremus. Eius vero tunc demum futuri sumus participes, si omnes sub communi nostro capite in unum corpus collecti, mutuam alii pro aliis curam geramus, non autem seorsum quisque sibi consulat.

PSALMUS XXI.

ARG. Psalmus hic publicam gratiarum actionem pro felici regis statu continet. Eius autem et superioris similis fere est ratio: nam sicuti illic dictata fuit communis precandi forma, ut totus populus pro capitis sui salute esset sollicitus: ita nunc ostenditur, incolumem regis statum ad publicam laetitiam spectare: quia hoc modo Deus totum corpus servare integrum volebat. Praecipue vero spiritus sanctus fidelium mentes in Christum direxit, qui regni huius finis erat et perfectio: ut scirent, non aliter quam sub capite divinitus ordinato se fore salvos.

1. *Praefecto canticum Davidis.* 2. *Iehova in virtute tua laetabitur rex, et in salute tua quam exsultabit valde?* 3. *Desiderium cordis eius dedisti ei, et quod protulit labiis suis, non negasti. Selah.* 4. *Quoniam praevenies eum benedictionibus boni: impones capiti eius coronam auream.*

(*Iehova in virtute.*) Poterat David privatim gratias Deo agere pro victoriis et aliis insignibus donis quibus ornatus fuerat: sed testari propositum habuit, non modo se, Deo autore, regnare, sed etiam quidquid in eum Deus contulerat, in publi-

saecula in eius posteris successionem. Atque hoc non parum amplificat Dei gratiam, quod miserum hominem, fereque exanimem, quum trepide mortem deprecaretur, inaestimabili hoc honore dignatus sit, ut regale sceptrum ad posteros in saeculum usque transmitteret. Quod quidam exponunt, dedisti ei vitam quam petebat, et quidem ut dies eius protraheres in saeculum et perpetuo, frigidum est ac coactum. Tenenda est enim illa antithesis inter principium regni infirmum et ignobile, et illud inopinatum decus quo Deus servum suum ornavit, testem advocans lunam, si quando semen eius deficeret. Simile in Christo quoque specimen editum fuit, quem Pater a contemptu, ignominia, morte, sepulcro, desperatione, in coeleste imperium extulit, ut sedeat perpetuo ad eius dexteram, futurus tandem iudex mundi.

6. (*Magna gloria eius.*) Significat his verbis populus regem suum, quia Dei manu protegitur et auxilio liberatur, magis illustrem fore quam si vel tranquille cum omnium plausu regnaret, vel hominum opibus et praesidio defensus esset, vel sua denique virtute et industria stetisset invictus: quia inde clarius apparuit, non nisi Dei auspiciis et mandato dignitatem regiam adeptum esse. Hoc ergo regibus profanis relinquunt fideles, ut se rebus suis gestis nobilitent, famamque sibi comparent ex propria virtute, quia divinae gratiae approbationem pluris quam omnes mundi triumphos faciunt. Interim tale sibi promittunt Dei auxilium quod regi magnifice ornando sufficiat.

7. (*Posuisti eum benedictiones.*) Quidam simpliciter exponunt, regem hunc a Deo electum esse, in quem affatim gratias suas effundat: certum tamen est, plus aliquid hac loquendi forma exprimi: nempe tam ubere bonorum copiam affluere regi, ut merito divinae beneficentiae exemplar esse possit: vel etiam ut inter precandum vulgo futurum sit eius nomen celebre ad exemplum. Dicunt enim Hebraei poni in maledictionem qui sic redduntur detestabiles et quibus tam horribilis infligitur Dei vindicta, ut imprecationibus et diris serviat eorum nomen: ita vicissim dicitur in benedictionem poni, sub cuius nomine vota concipimus: quemadmodum si quis dicat, Deus te eodem favore quo servum suum Davidem prosequatur. Ego tametsi interpretationem hanc non reiicio, illa tamen sum contentus, quod rex omni genere bonorum abundans, praeclarum sit liberalitatis divinae exemplar. Quod proxime sequitur de laetitia, diligenter notandum est, non enim tantum intelligit populus Deum regi benefacturum, quia benigne et paterno oculo eum respiciet: sed hanc propriam designat gaudii causam, quod rex ipse Deum sibi propitium agnoscet. Neque enim sufficeret, Deum curam nostri gerere, nobisque prospicere, nisi vicissim nobis sereno suo

vultu irradians, bonitatis suae gustum praeberet: quemadmodum Psalmo 3 vidimus: multi dicunt, quis ostendet nobis bonum? Illustra Domine faciem tuam super nos, et salvi erimus. Et sane haec solida est felicitas, Deum nobis propitium sentire, ut quasi sub eius oculis habitemus.

8. *Quia rex sperat in Iehova, et in bonitate excelsi, non nutabit.* 9. *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet osores tuos.* 10. *Pones eos tanquam in fornacem ignis in tempore irae tuae Iehova: in ira sua opprimet eos et consumet eos ignis.* 11. *Fructum eorum e terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.*

8. (*Quia rex sperat.*) Hic rursum gloriantur sancti regem suum fore stabilem, quia Deo innititur: et modum quoque exprimunt, nempe in spe, vel fiducia. Ego uno contextu totum versum lego, ut tantum sit unum principale verbum, regem, quia spe fundatus erit in Deo eiusque bonitate, ruinis quae huius mundi regna evertunt, non fore obnoxium. Porro, quum ante dictum fuerit, quaecunque regi suo tribuunt fideles, spectare ad totum ecclesiae corpus, communis hic offertur promissio, quae nos inter varias mundi iactationes in tranquilla statione contineat. Quamvis enim tanquam in rota volvatur mundus, unde fit ut repente decidunt qui in summum culmen fuerant evecti: regnum tamen Iuda, et sub eius typo regnum Christi exorbitat. Sed meminerimus hac demum firmitate subniti qui certa fide in Dei gremium se coniiciunt, eiusque misericordia freti, salutem ei suam commendant. Nam et sperandi materia simul exprimitur, quod Deus elementer suos foveat, quos gratuito amplexus est.

9. (*Inveniet manus tua.*) Hactenus descripta fuit interior regni felicitas: nunc additur, sicuti necesse erat, invictum contra hostes robur, perinde enim hoc valet ac si rex hostium omnium victor praedicaretur. Dixi autem hoc membrum minime esse supervacuum, quia non satis esset intus florere regnum, et pace, opibus omniique bonorum copia refertum esse, nisi ab externa quoque violentia probe munitum foret. Atque hoc praesertim regno Christi convenit, cui nunquam hostes desunt in mundo. Etsi enim non semper oppugnatur aperto Marte, sed aliqua interdum relaxatio conceditur, malitiam tamen et nocendi libidinem nunquam exuunt Satanae ministri: ideoque eversionem regni Christi moliri nunquam desinunt. Bene autem habet quod rex noster, qui manum suam opponit ad nos protegendos, omnibus est superior. Porro, quia verbum נצח sufficere interdum significat, et hic in priore membro intericitur ה, propter diversam syntaxin verbum ipsum varie accipiunt qui-

dam interpretas: ac si dictum esset, manus tua omnibus inimicis sufficiet, dextera tua inveniet qui te oderunt. Ita gradatim adscenderet sententia: manus tua ad resistendum par erit, dextera tua hostes apprehendet, ut cladem non effugiant. Ad-ditur etiam horribilis vindictae species, ex qua colligimus non de quibushet hic fieri sermonem, sed de impiis et vesanis Dei contemptoribus, qui contra unigenitum eius filium gigantum more in-surgunt, ipsa enim poenae atrocitas sceleris gravi-tatem ostendit. Putant quidam Davidem alludere ad supplicii genus quod eum de Ammonitis sump-sisse refert sacra historia: sed magis probabile est metaphorice exponi horrendum exitium quod omnes Christi adversarios manet. Quamvis enim furore ardeant contra ecclesiam, et sua saevitia mundum inflamment: ubi tamen ad cumulum pervenerit eor-um impietas, haec illis merces reposita est apud Deum, ut in suam fornacem coniectos absumat. Primo autem membro rex ipse ultor vocatur, deinde transfertur munus hoc ad Dei personam: tandem ultionis exsequutio igni tribuitur, quae tria optime inter se conveniunt. Scimus enim Christo manda-tum fuisse iudicium ut hostes suos in ignem aeter-num praecipitet: sed operae pretium fuit diserte exprimi, non hominis hoc, sed Dei esse iudicium. Non minus etiam utile fuit extremam et terrificam vindictae speciem exponi, quo expergeret eorum torpor qui Dei minas aliqui secure contemnunt. Iam hoc idem ad piorum consolationem non parum valet: scimus enim quam formidabilis sit impiorum crudelitas, cui facile succumberet fides nostra, nisi ad Dei iudicium assurgeret. Tempus irae admonet patienter ferendam esse crucem, donec exercere nos et humiliare Domino placuerit. Discamus ergo, si non statim potentiam suam exserit ad perdendos impios, spem nostram ad tempus illud extendere, quod coelestis pater iudicio suo praefixit, et rex noster terrifica sua virtute armatus prodibit ad sumendam ultionem. Nunc enim quamdiu dissi-mulat, non oblitus est vel sui, vel nostri: sed ridet eorum amentiam qui impune grassando plus auda-ciae in dies colligunt. Etsi autem nobis parum suavis est iste Dei risus, militia tamen nostra de-fungi nos oportet, donec adveniat ultionis dies, qui idem redemptionis annus erit, sicuti Iesaias cap. 34, vers. 8 loquitur. Caeterum, non displicet, in postremo membro, Christi hostibus denuntiari exitium quo Sodomam et Gomorrhham olim Deus perdidit. Quia enim illud fuit prae aliis divini in omnes impios iudicii memorabile documentum, imo illa fuit visibilis imago aeternae gehennae quae reprobis parata est: frequenter in scriptura occurrit haec similitudo.

11. (*Fructum eorum e terra.*) Hac circumstantia amplificat David irae Dei magnitudinem, quia ad

ipsos quoque filios pervagabitur. Est autem hoc satis tritum doctrinae caput in scriptura, Deum non mode de primis scelerum autoribus poenam exigere, sed reiicere in sinum filiorum. Neque tamen dum ita vindictam suam persequitur in ter-tiam et quartam generationem, temere insontes scelestis involvit: sed quum maledictum sit impio-rum semen quod gratia sua privavit, et omnes sint filii irae ultimo exitio devoti: non minus filios quam in patres iusta est eius severitas. Quis enim litem intentet, si gratiam qua suos complectitur, ab indignis subducit? Utroque enim modo, quam sibi carum sit ac pretiosum Christi regnum, demon-strat: quod ad fidelium posteros misericordiam pro-ducit usque ad mille generationes, et in reprobis residet ira eius usque in tertiam et quartam gene-rationem.

12. *Quia expanderunt*) super te malum, cogita-verunt super te fraudem quam non poterunt perficere.*

13. *Quoniam pones eos tumulum, in funibus tuis praeparabis contra facies eorum.* 14. *Exaltare Iehova in virtute tua, cantabimus et psallemus forti-tudinem tuam.*

12. (*Quia expanderunt.*) Hoc versu pronunciat David quale praedixit excidium impios esse pro-meritos: quia non homini solum terreno molesti fuerint, sed impetum suae superbiae converterint in Deum ipsum. Quemadmodum enim Psalmo 2 dic-tum fuit, regnum illud in Davidis persona Dei mandato consecratum violare nemo potuit, quin Deo nefarium ac sacrilegum bellum inferret: multo autem magis in oppugnatione regni Christi violatur Dei maiestas, qui non nisi per eius manum domi-nari vult in mundo. Porro quia verbum נִמְךָ Hebraeis nunc expandere, nunc divertere significat, utroque modo non incommode verti potest: quod scilicet impii quasi expansis retibus conati sint Dei potentiam sibi subiicere, vel eius opprimendae causa malitiam suam deflexerint: quemadmodum si quis torrentem, cavata fossa, in locum aliquem derivet. Dicit postea cogitasse fraudem, vel consilium quod effectui carebit, quibus verbis perstringit caecam eorum audaciam, qui adversus Deum bellando quid-vis tentare non dubitant.

13. (*Pones eos tumulum.*) Quia שָׁכַם Hebraeis humerum proprie significat, quidam sensum illum retinent, ac si diceret capita ipsorum deiectionem iri, ut in corporibus curvatis humeri emineant: ita secundum eos metaphorice notatur futura hostium subiectio. Magis tamen altera expositio inter Hebraeos quoque recepta est, quod Deus in aliquem angulum retrusos a maleficiis arcebit. Nam שָׁכַם

*) expandu, *en marge*: ou decliné.

pro parte, vel regione, vel loco saepe accipitur: sed quia paulo post Deum producit arcu instructum, ut sagittas suas in eorum faciem dirigat, non dubito quin metaphoram continuans, eos tumulo comparet ubi figi solet scopus. Ita pulcore sensus fluat: Tu Domine statues eos instar tumuli in quem sagittas tuas emittas. Semper autem in hoc est ut nos ad patientiam erudiat, donec ad suum finem Deus opportune adducat impios.

14. (*Exaltare Iehova.*) Tandem Psalmus precatione clauditur, quae rursus confirmat regnum, cuius fit mentio, cum Dei gloria sic coniunctum esse, ut illic relucent eius potentia. Quanquam autem Deus in extollendo Davide virtutem suam olim extulit: quod tamen hic dicitur, nonnisi in Christo solide impletum est: qui ita nobis praefectus est in regem a patre coelesti, ut idem sit Deus manifestatus in carne. Caeterum ut reprobis merito terrorem incutere debet divina eius virtus, ita nobis suavissimae consolationis plena describitur, quae nos ad gaudium, cantica, et gratiarum actiones incitet.

PSALMUS XXII.

ARG. David hoc Psalmo in eas angustias redactum se conqueritur, ut similis sit homini desperato. Postquam tamen mala quae ipsum misere angebant recensuit, ex tentationum abyso emergens, animum colligit ad bene sperandum. Interim vero in sua persona typum Christi proponit, quem prophetico spiritu sciebat deiici oportere miris et insolitis modis, antequam eum pater extolleret. Ita Psalmus duobus membris illud Ieshaiae vaticinium explicat, e carcere et iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? Iesa. 53, 8.

1. *Praefecto, super cervam aurorae canticum Davidis.*

1. Quanquam haec inscriptio obscura est, ut tamen in ea se plus aequo torquerent interpretes, inde factum est quod mysterium nescio quod sublime in re parva quaerebant. אֵלֶּלֶךָ quidam pro stella matutina, alii pro fortitudine accipi volunt: rectius tamen pro cervam accipitur. Iam quia prophetiam esse de Christo, apostoli luculenti sunt testes: putarunt veteres non satis magnifice ornari Christi dignitatem, nisi cervae nomen allegorico sensu ad sacrificium transferrent. Idem tentarunt quibus magis placebat nomen aurorae, sed quia in istis argutiis nihil solidi reperio, praestabit quod simplicius ac magis genuinum est, eligere. Mihi certe credibile est initium fuisse cantilenae vulgaris: nam quomodo alioqui inscriptio Psalmi argumento conveniat, non video. Ex contextu autem apparet, Davidem hic non unam modo persecutionem, sed

quascunque sub Saule passus est, complexum esse: an vero rebus suis iam prosperis Psalmum hunc composuerit, incertum est: nisi quod statuere licet quae in mediis curis, anxietatibus, et moeroribus meditata est, hic describi.

2. *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me, remotus a salute mea, verbis rugitus mei?* 3. *Deus meus, clamo per diem, et non exaudis: et nocte, nec silentium est mihi.*

2. (*Deus meus, etc.*) Primus versus duas notabiles sententias continet: quae etsi in speciem videntur contrariae, quotidie tamen piorum animis simul obrepunt. Quod se a Deo relictum et abiectum dicit, querimonia videtur esse hominis desperati: quae enim residua est fidei scintilla, ubi in Deo nihil auxilii sentitur? Et tamen quod Deum suum bis appellat, suosque gemitus in eius sinum deponit, non obscura est fidei confessio. Atqui hoc intestino conflictu pios exerceri necesse est, quoties favoris sui signa Deus subducit, ut quocunque vertat oculos, nihil praeter noctis tenebras occurrat. Atque hoc fidelibus accidere dico, ut secum lutando tam carnis infirmitatem prodant, quam fidem tententur. Reprobos enim, quia diffidentiae suae indulgent, obruit sua anxietas, ut ad Dei gratiam fide non adspirent. Quod autem se David sustinuerit, neque a tentatione fuerit absorptus, ex verbis colligere promptum est: quia etsi eum graviter urgebat tristitia, non tamen in hanc vocem erupit, nisi strenue resistendo, Deus meus, Deus meus. Idem quotidie quisque fidelium in se experitur, ut pro carnis sensu, a Deo se reiectum et desertum existimet: fide tamen apprehendat absconditam gratiam. Ita fit ut in eorum precibus contrarii affectus simul permixti sint ac impliciti. Fieri non potest quin Deum vel propitium vel adversum carnis sensus ex praesenti rerum adpectu concipiat. Ergo ubi nos diu in moerere iacere et quasi tabescere sinit, perinde nos affici necesse est secundum carnem, ac si eum cepisset nostri oblivio. Ubi totam hominis mentem occupat talis anxietas, demergit in profunda incredulitate, ut ad remedium amplius non adspiret. Si vero ex opposito succurrat fides, idem ille qui ex re ipsa Deum sibi infensum vel alienum aestimat, in promissionis speculo latentem ac remotam eius gratiam conspiciat. Inter hos duos affectus alternant hi, dum Satan obiectis irae Dei signis, eos ad desperationem impellit, et praecipites agere molitur. Fides autem ad promissiones eos revocans, patienter quiescere, et in Deum recumbere docet, quousque paternam faciem rursus proferat. Nunc tenemus ex quo fonte profecta sit tam haec exclamatio, Deus meus, Deus meus, quam querimonia quae statim additur: *Ut quid me dereliquisti?* Nam

frustrati ad tempus fuerint, suas anxietates in eius sinum exonerent.

4. *Tu autem sanctus, inhabitans laudes Israël.*
5. *In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos.* 6. *Ad te clamaverunt, et servati sunt: in te speraverunt, et non sunt pudefacti.* 7. *At ego vermis, et non vir: opprobrium hominum, et contemptus populi.* 8. *Omnes videntes me subsannant me: diducunt labium, movent caput.* 9. *Devolvit ad Iehovam, eripiat eum, liberet eum: quia ei bene vult.*

4. (*Tu autem sanctus.*) Copula quae hebraice legitur, in adversativam particulam haud dubie resolvi debet. Sunt qui putant aeternam et immutabilem Dei statum opponi miseriis quas sentiebat David, quibus non subscribo: quia simplicior et magis genuinus occurrit sensus, nempe quod Deus se electo populo semper ostenderit propitium. Neque enim hic agitur qualis sit in coelo, sed qualem se hominibus ostenderit. Nunc quaeritur, suamne querimoniam his verbis exaggeret David, quod solus ipse nihil a Deo impetret: an vero tanquam clypei obiectu tentationem repellat, dum sibi Deum proponit perpetuum suorum liberatorem. Ego ut fatear hoc ad doloris auxesin valere, non tamen dubito quin diffidentiae remedium sibi accersat David. Quia enim periculosa erat tentatio, videre se a Deo deseri, ne eam assidua meditatione aleret, mentem ad continua documenta gratiae Dei reflexit, et quibus conciperet aliquod bonae spei fomentum. Non ergo tantum quaerere voluit qui fieret ut Deus, qui elementer semper egerat cum populo suo, nunc miserum hominem, quasi naturae suae oblitus, omni solatio et ope destituat: sed clypeum etiam arripere, quo se tegeret contra ignita Satanae tela. Deum vocat *sanctum* quia semper maneat similis. Dicit *inhabitare laudes Israël*, quia beneficis erga electum populum laudis materiam continuo gratiarum tenore suppeditet, nisi enim bonitatis suae gustum praebeat Deus nos obmutescere necesse est. Iam quum David sit unum ex membris, contra obstacula nititur, ut speret se in societatem corporis tandem receptum iri ad canendas Dei laudes.

5. (*In te speraverunt.*) Redditio causae est cur Deus inter laudes populi sedeat: quia scilicet ad fideles servandos manum semper habuerit exsertam. David enim (ut nuper dixi) aetatum omnium exempla colligit, quibus se erigat et confirmet, certoque sibi persuadeat, quando neminem unquam ex electo populo repudiaverit Deus, se quoque unum fore ex eorum numero quibus salus in Dei manu reposita est. Ideo diserte commemorat se ex eorum progenie ortum esse qui exauditi fuerant, significans se eiusdem quam experti erant gratiae haeredem esse. Respicit enim ad foedus quo Deus Abrahae

genus sibi adoptaverat: quia parum esset tenere quae Deus servis suis exhibuit misericordiae documenta, nisi se ad eorum ordinem quisque nostrum aggreget, sicuti David in Dei ecclesia se includit. Quod ter repetit, patres sperando salutem adeptos esse, non dubium est quin verecunde insinuet communem sibi cum illis spem esse: qua fit ut promissionum effectus ad nos perveniat. Nam ut in usum suum quis accommodet quae Deus olim servis suis praestitit beneficia, in promissiones gratuita et fidem illis subnixam oculos dirigere convenit. Porro ut fiduciam hanc non fuisse frigidam vel emortuam demonstret, simul dicit eos *clamasse*. Se enim Deo fidere, impudenter mentitur quisquis in malis suis torpens, eius opem non implorat. Ergo ex precibus cognoscitur fidei veritas, sicuti bonitas arboris ex fructu. Interim notandum est, non alias censeretur coram Deo legitimas preces, nisi quae ex fiducia manant, et cum ea sunt coniunctae. Neque enim temere David inter verba sperandi medium clamorem locat.

7. (*At ego vermis.*) Non obmurmurat Deo, quasi indigne secum agatur, sed sortem suam deplorans, quo magis Dei misericordiam provocet, dicit se non haberi hominis loco. Videtur quidem primo intuitu, ad deiiciendum animum, imo ad fidem abolendam id spectare: sed ex contextu certo patebit ex opposito proferre quam misera sit sua conditio, ut inde spem levationis concipiat. Ergo ab impossibili arguit, fieri non posse quin tandem manum porrigat Deus afflictissimo et desperato. Nam si omnium qui mediocriter fuerunt unquam afflicti, misertus est, quomodo servum suum desereret in profundissima omnium malorum abyssonem demersum? Hoc modo quoties ingenti afflictionum mole obruimur, inde petendum est sperandae liberationis argumentum potius quam desperationi nos dedamus. Quod si hunc praestantissimum suum servum tam duriter exercuit Deus, et eo usque deiecit ut locus ei non esset inter contemptissimos homines, ne molestum nobis sit eius exemplo humiliari. Quamquam in mentem nobis praecipue venire debet filius Dei, in quo et iam hoc fuisse impletum scimus: sicuti Iesaiæ vaticinio testatum fuerat: Contemptus fuit, nec reputavimus eum: vir fuit dolorum, non forma ei, neque decor: ut quisque absconderet ab eo faciem suam, Ies. 53, 3. Quibus verbis satis refellitur frivola eorum argutia, qui in vermis nomine philosophati sunt, ac si singulare aliquod mysterium in Christi generatione notaret David: ac non potius se infra homines deiectum fuisse et quasi ex animantium numero resectum diceret. Quod autem huc se redigi passus est Dei filius, imo ad inferos usque descendit, adeo coelestem eius gloriam non obscurat, ut potius illustre speculum sit incomparabilis erga nos eius gratiae.

8. (*Omnes videntes me.*) Est exegesis proximae sententiae: dixerat se infimis quibusque, et quasi populi quiescentibus esse probro: nunc quibus vulgo affectus fuisset probis recitat, nempe quod verborum probis non contenti, tum labia protrahendo, tum quatiendo capita, petulantiam in gestu ipso prodiderint. Nam quod aperire in labio, pro convitia proferre quidam exponunt, mihi congruere non videtur: Δ enim supervacuum est, ut saepe apud Hebraeos. Itaque vertere placuit, *diducunt labium*, quia hic gestus est palam et contumelioso illudentium. Sed quod sequitur longè atrocius fuit, quum obiicerent, Deum quem sibi patrem professus fuerat, ab eo esse aversum. Scimus enim Davidem, ubi se iniuste damnari in mundo videbat, huc confugere solitum, ut sibi bene conscius Deum haberet in coelo vindicem. Nunc illi exprobrant omnes, inani iactantia temere gloriatum esse de auxilio Dei: Ubi est ille Deus, inquit, in quem recubuit? ubi ille amor quo confisus est? Nullum est Satanae magis letale telum ad vulnerandas animas, quam dum promissiones Dei in ludibrium vertendo spem nobis excutere tentat. Quanquam non simpliciter irritas fuisse Davidis preces, et fallacem quem iactabat Dei amorem dicunt: sed eum oblique perstringunt tanquam hypocritam, qui falso Dei nomen a quo alienus erat, obtenderet. Quam acerba fuerit tentatio, quisque ex proprio sensu aestimare potest: sed remedio quo usus est sincerum fiduciae suae affectum probavit: quia nisi Deum habuisset certum testem, nunquam ausus esset querimoniam hanc ad eum deferre. Quare danda opera est quoties hypocrisin nobis obiectant homines, ut interior cordis sinceritas apud Deum pro nobis respondeat. Atque haec nobis sacra sit ancora, quoties mordacibus sannis fidem nobis excutere molitur Satan, Deum citare testem, ut suam in nobis tuendis iustitiam asserat: quando nulla foedior blasphemia inuri potest eius nomini, quam dicere, vana fiducia inflatos qui spem in eo reponunt, seque irrita opinione decipere qui se Deo caros esse persuasi sunt. Iam quum eodem telo appetitus fuerit filius Dei, nihilo magis fidelibus, qui eius membra sunt, parcat Satan. Quare hoc clypeo munitos esse convenit, quamvis deplorati sint apud homines, si tamen curas suas in Deum coniiciant, non fore irritas eorum preces. Verbo Δ optime exprimitur natura et vis fidei, quae in Dei providentiam reclinans, curarum et molestiarum oneribus animos nostros levat.

10. *Certe tu eductor meus es ex utero, fiduciae mihi autor super ubera matris meae* *). 11. *Super te pro-*

*) l'auteur de mon assurance sur les mammelles de ma mere, en marge: ou, qui m'as donné assurance lorsque je suçoye les mammelles de ma mere.

Calvini opera. Vol. XXXI.

iectus sum e vulva *), de ventre matris meae Deus meus es. 12. *Ne procul discedas a me, quia tribulatio propinqua est, quia nemo auxilium ferens.*

10. (*Certe tu eductor meus.*) Rursum novam munitionem erigit David, qua Satanae machinas sustineat ac repellat. Colligit enim Dei beneficia, quibus pridem didicerat ipsum sibi esse patrem. Imo antequam nasceretur, tale paterni amoris speciem sibi fuisse a Deo exhibitum refert, ut merito mortis caligine oppressus vitam ab ipso sperare audeat. Hanc enim prudentiam dictat spiritus fidelibus, ut in rebus trepidis testimonia divinae bonitatis colligant, quae valeant ad fulciendam fidem. Sic enim statuendum est, quum Dei nunquam fatigetur liberalitas, nec eius divitias exhaustiat largitio, sicut a prima infantia patrem eum experti sumus, talem ad ultimum usque senium nobis fore. Quod se fatetur manu Dei eductum *ex utero, et super ubera matris* sibi datam esse fiduciae materiam, sensus est, ita naturaliter in lucem prodire infantes, et lacte materno pasci, ut illic relucent admirabilis Dei providentia. Vilescit quidem hoc miraculum assiduo usu: verum nisi ingratitude stupore oculos nostros velaret, in sui admirationem nos raperent quotquot eduntur in mundo partus. Quid enim obstat quominus in suo foetore centies putrescat foetus, antequam instet nascendi maturitas, nisi quia Deus arcana et incomprehensibili virtute in sepulcro vivum custodit? Iam in lucem editus, quum sit obnoxius tot miseriis, digitum autem ad se iuvandum movere nequeat, quomodo ad diem unum viveret, nisi eum exciperet Deus paterno gremio fovendum? Merito itaque dicitur infans super eum proici: quia nisi teneros foetus pascat, praesitque omnibus nutricis officiis, in ipso nascendi articulo iam eos expectant centum mortes, quibus statim suffocarentur. Concludit tandem Deum suum fuisse, etsi enim ad bruta quoque animalia similis eius gratia in speciem ostenditur, patrem tamen humano tantum generi peculiariter se ostendit. Quamvis autem infantes non statim imbuat Deus sui notitia, dicitur tamen illis fiduciam dare: quia re ipsa ostendens sibi curae esse eorum vitam, ad se quodammodo eos revocat, sicuti alibi dicitur pullos corvorum qui eum invocant alere, Psal. 147, 9. Quum autem Deus ratione carentes ita praeveniat, quaesitus et rogatus spem suorum minime frustrabitur, quo etiam argumento luctatus est David ad tentationem domandam.

12. (*Ne procul discedas.*) Alia ratione provocat Dei misericordiam, quod urgeatur summis angustiis. Nec vero mihi dubium est quin sibi proposuerit

*) J'ay esté ietté sur toy dès la matrice, en marge: ou abandonné entre tes mains.

quod passim Deo officium tribuit scriptura, ut miseris succurrat, et paratior sit ad opem ferendam, quo res nostrae magis angustae sunt. Ergo ipsa desperatio instar scalae fuit, quae eius mentem ad precandi affectum attolleret. Ita nos malorum sensus colligere debet sub alas Dei, ut auxilii sui praesentia sollicitum se de salute nostra esse demonstret.

13. *Circumdederunt me tauri validi, tauri Basan obsederunt me.* 14. *Aperuerunt super me os suum, ut leo rapiens et rugiens.* 15. *Sicut aqua diffluxi, et dissoluta sunt omnia ossa mea: fuit cor meum instar cerae, liquefactum est in medio viscerum meorum.* 16. *Arui tanquam testa vigor meus, et lingua mea faucibus meis adhaeret: et in pulverem mortis posuisti me.* 17. *Quia circumdederunt me canes, coetus malignantium circumdederunt me: foderunt manus meas et pedes meos.*

13. (*Circumdederunt me etc.*) Iam de hostium suorum saevitia et truculento furore conqueritur: ac primo quidem tauris, deinde leonibus, tertio canibus eos comparat. Scimus, ubi accensa est taurorum ira, quam terribili impetu ferantur: leo etiam infestum et humano generi formidabile animal: iam canibus quam acris et infesta sit ad nocendum audacia, ubi in hominem irati insiliunt, notum est. Summa est, hostes Davidis adeo fuisse sanguinarios et crudeles, ut feris belluis similes magis essent quam hominibus. Non autem simpliciter vocat tauros, sed robustos. Nam quod quidam רבים Multos transferunt, mihi non placet. Verum quidem est, ingentibus copiis Davidem fuisse oppugnatum: sed ex secundo membro patet, de fortitudine, non de numero hic agi. *Tauros* enim *Basan* vocat quasi bene saginatos, ideoque proceros et fortes: quia montem illum scimus opimis et pinguibus pascuis fuisse nobilem.

15. (*Sicut aqua diffluxi.*) Hactenus dixit se a feris belluis obsessum non procul a morte abfuisse, ac si singulis momentis vorandus esset: nunc interiorum quoque moestitiam deplorat: unde colligimus, ad pericula minime fuisse stupidum, non enim vulgarem metum fuisse oportet, quo prope modum evanuit, quo dissoluta sunt eius ossa, et cor liquefactum. Videmus ergo, Davidem non instar immotae rupis verberatum fuisse fluctibus, sed intus duris agitationibus fuisse percussum: quibus sustinendis pro carnis infirmitate impar erat, nisi spiritus virtute fuisset adiutus. Quomodo autem passionibus istae in Christum competant, nuper admonui. Nam ut verus erat homo, infirmitatibus carnis nostrae vere obnoxius fuit, citra corruptelam duntaxat. Integra enim naturae puritas quae in eo fuit, humanos affectus non abolet, sed moderatur

tantum ne excessu sint vitiosi. Dolorum itaque magnitudo sic eum debilitare potuit, ut composito tamen animo inter quaevis tormenta se Deo subiiceret. Nobis etsi idem non datur, qui et affectus turbulentos patimur, et eos nunquam ita cohibemus quin sua intemperie huc vel illuc nos impellant: exemplo tamen Davidis animos colligere oportet, et infirmitate fere exanimis ad Deum gemere, ut nos instauret.

16. (*Arui tanquam testa, etc.*) *Vigorem* inteligit quem nobis supeditat radicalis humor. Eodem pertinet quod adiungit linguam faucibus affixam esse, scimus enim immodico moerore non modo absumi vitales spiritus, sed omnem fere succum aduri. Postea dicit se addictum sepulcro esse, significans omnem sibi spem vitae ablatam, quo sensu etiam dicit Paulus, 2. Corin. 1, 9 se accepisse mortis iudicium. Hyperbolice autem de se loquutus est David, ut nos longius deduceret: quia horribile Christi cum morte certamen, quo elicitus fuit sanguis pro sudore, descensus ad inferos, quo iram Dei peccatoribus debitam gustavit, exinanitio denique ipsa nullis vulgaribus loquendi formis satis exprimi potuit. Iam de morte loquitur David, ut solent perturbati homines, qui pavore attoniti, nihil praeter pulverem et nihilum concipiunt. Quoties autem sanctorum mentes occupat haec caligo, permista semper est aliqua infidelitas quae eos non statim ad lucem novae vitae emergere patitur. In Christo autem mirabiliter duo haec fuerunt coniuncta, terror ex Dei maledictione se ingerens, et patientia ex fide tranquillans omnes motus, ut sub Dei imperio quiescerent. Nos qui pari non sumus virtute praediti, si quando nihil nisi interitum cernentes attoniti ad tempus iacemus, paulatim tamen eniti oportet ad spem quae mortuos vivificat.

17. (*Foderunt manus meas.*) Ad verbum habetur, sicut leo manus meas. Quum vero in hanc lectionem hodie conveniant omnes libri hebraici: a tanto consensu recedere mihi religio esset, nisi ita cogeret sententiae ratio, et probabilis esset coniectura, locum a Iudaeis fraude esse corruptum. Certe non dubium est quin graecus interpres literam י legerit ubi י nunc habetur. Quod enim garrunt Iudaei, de industria inversum fuisse literalium sensum, colore prorsus caret. Quid enim opus erat in re non necessaria tam audacter ludere? In eos vero cadit non levis falsitatis suspicio, quibus unicum studium est Iesum crucifixum spoliare suis insignibus, ne Christus et redemptor appareat. Si recipimus quod volunt, perplexus et valde obscurus erit sensus. Primum defectiva erit loquutio, ad quam supplendam repetendum esse dicunt Obsidendi verbum. Sed quid illud est, manus et pedes cingere? Nam ad has partes nihilo magis spectat obsidio, quam ad totum hominem. Deprehensi,

ad deliras fabulas suo more confugiunt, leonem, ubi quispiam occurrit, circulum facere cauda antequam ad praedam ruat: unde satis apparet, ratione eos destitui. Iam quum similitudine leonis proximo versu usus fuerit, supervacua nunc esset iteratio. Omitto quod ex nostris quidam observant, nomen cum nota similitudinis coniunctum, fere aliter punctuari. Neque tamen subigendis Iudaeis laboro, quorum indomita est ad rixandum pertinacia: tantum breviter ostendere volui quam improbe ob diversam huius loci lectionem Christianos exagitant. Nam quod obiciunt, ex legis praescripto neminem confixum fuisse clavis, in eo crassam historiae inscitiam produnt: quia certum est Romanos multa ex patrio more in provincias transtulisse. Si Davidem obiciant nunquam fuisse cruci affixum, facilis solutio est, metaphorice conquestum esse, non secus se constringi ab hostibus quam qui per fossis manibus et pedibus ad lignum affigitur: quales etiam metaphorae paulo post occurrent.

18. *Numerabo omnia ossa mea: ipsi adspiciunt, et intuentur me.* 19. *Dividunt sibi indumenta mea, super vestem meam mittunt sortem.* 20. *Et tu Iehova, ne procul absis: fortitudo mea, ad auxilium meum festina.* 21. *Eripe a gladio animam meam, e manu canis unicam meam*).* 22. *Serva me ex ore leonis, et e cornibus unicornium exaudias me.*

18. (*Numerabo, etc.*) מִנּוּמָם dicuntur ossa Hebraeis a robore, ideo hoc nomen interdum vel ad amicos, quorum praesidio fortes sumus, vel in defensione, ad argumenta et rationes quae causae roborum sunt, transfertur. Ideo quidam sic praesentem locum exprimunt: Rationes meas numerando nihil proficiam, quia semel decretum est hostibus meis, per fas aut nefas, nullo aequitatis respectu, me perdere. Alii vero, si colligam quaecunque ad me iuvandum facere videntur auxilia, nihil proderunt. Sed quia expositio quae magis recepta est, simplicior et magis genuina videtur, eam libentius amplector: nempe ut queratur David, in corpore macie confecto ossa apparere: mox enim adiungit, hostes voluptatem capere ex tali spectaculo. Concinne autem fuit contextus, tam inexplebilem esse hostium saevitiam, ut miserum hominem languore confectum, et quasi tabidum cernentes, oculos tamen tam tristi spectaculo pascant. Quod proximo versu de vestibus sequitur, translatitium est, perinde enim est ac si dixisset fortunas omnes suas in praedam esse expositas, ut solent victores vel spolia diripere, vel inter se sortiri quid cuique obtingat. Sua enim ornamenta, opes suas et quaecunque possederat, vestibus comparans, conqueritur, post-

*) ma seule, en marge: ascçavoir vie, qui est seule.

quam illis spoliatus est, cum ludibrio inter hostes dividi tanquam praemium victoriae, quo magis augetur indignitas, quia non secus ac de homine mortuo triumphum agebant. Quod autem literaliter (ut aiunt) et absque figura locum hunc citant evangelistae, in eo nihil est absurdi: nam quo certius sciremus, in hoc Psalmo Christum nobis prophetico spiritu descriptum esse, eorum quae adumbrata sunt in Davide visibile complementum coelestis Pater in persona filii sui exstare voluit. Matthaeus cap. 8, 17 paralyticos, caecos, et claudos suis morbis sanatos referens, hoc modo completum fuisse dicit Iesaeae vaticinium, quod Christus ad tollendas nostras infirmitates missus fuerit: quum tamen propheta spiritualem illic medicum nobis filium Dei proponat. Sed ut ad credendum tardi sumus et difficiles, nihil mirum si pro nostra crassitie palpabilis demonstratio nobis fuit exhibita, quae ad expergefaciendum stuporem nostrum sufficeret.

20. (*Et tu Iehova.*) Tenendum memoria est quidquid hactenus de se exposuit David. Nam quum nihil ad miseriarum cumulum deesset, nec interim scintilla ulla micaret futurae liberationis: quod non solum patienter duravit, sed ex desperationis abyssu emersit ad Dei invocationem, admirabile est fidei documentum. Notemus ergo, Davidem suas lamentationes non fuisse tanquam vanas et irritas, ut saepe anxii homines temere proiciunt suos gemitus: quia preces additae satis demonstrant sperasse quem optabat exitum. Imo quum Deum nominat suam fortitudinem, in hoc epitheto clarius fiduciae suae testimonium reddit. Non enim dubitanter concipit sua vota, sed sibi promittit quod nondum videt auxilium. Per *gladium* per *manum canis*, per *os leonis*, et *cornua unicornium* intelligitur praesens mortis periculum, et quidem multiplex. Unde colligimus, quum in se prorsus deficeret a morte obsessus, stetisse tamen fortem in Domino, et vitae spiritum semper in eius animo viguisse. Quod *animam unicam* pro cara et pretiosa quidam accipiunt, non convenit: quia potius significat, inter tot mortes nihil sibi opis in toto mundo offerri, sicuti Psalmo 35, 17 eodem sensu unica anima ponitur pro solitaria, et quae subsidiis omnibus destituitur: quod etiam ex Psalmo 25, 16 clarius patebit, ubi pauperem et unicum se vocans David, haud dubie amicis omnibus se orbatum, et a toto mundo desertum conqueritur. In fine 22 versus, ubi dicitur, Responde mihi, vel Exaudi me a cornibus: quanquam loquutio hebraica latinis auribus non nihil obscura est, sensus tamen non est ambiguus, quia tantum causa pro effectu ponitur. Inde enim liberatio, quia nos Deus exaudit. Si roget quispiam quomodo hoc Christo aptari possit, quem pater non eripuit a morte: respondeo uno verbo, fuisse potentius ereptum, quam si peri-

culo occursum foret: quanto scilicet plus est resurgere a morte, quam gravi morbo sanari. Quare mors non obstitit quo minus testata sit demum resurrectio, Christum fuisse exauditum.

23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio coetus laudabo te.* 24. *Timentes Iehovam laudate ipsum, omne semen Iacob glorificate ipsum: et metuite ab eo omne semen Israël.* 25. *Quia non sprevit, neque adversatus est pauperem, neque abscondit faciem suam ab eo: et quum clamaret ad eum, audivit.*

23. (*Narrabo nomen tuum, etc.*) David promittens, ubi liberatus fuerit, se non fore ingratum confirmat quod prius dixi, se nunquam tentatione sic fuisse deiectum, quin se ad resistendum colligeret. Quomodo enim se ad sacrificium gratiarum actionis pararet, nisi ex praesumpta salutis fiducia? Nam ut demus Psalmum fuisse compositum postquam re ipsa obtinuit David quod volebat, non tamen dubium est quin meditationes illo tempore a se conceptas postea in carmen retulerit. Notandum vero quod non vulgare gratitudinis symbolum promittit: sed quale pro rarioribus beneficiis Deus exigebat, nempe ut fideles in sanctuarium venirent, atque illic soleuni ritu testatam facerent quam experti erant gratiam. Huc enim pertinet publica gratiarum actio, primum ut se modis omnibus exerceant fideles in Dei cultu, et alii alios mutuo invitent. Scimus autem incredibilem Dei potentiam, et quidem non uno genere miraculi in servando Davide refulsisse. Quare mirum non est, si ad profitendam suam pietatem solenni voto se obliget. Per *fratres* designat Israëlitas, non solum quia ex eodem genere orti erant, sed magis quia communis religio eos tanquam sacrum vinculum spirituali cognatione inter se devinctos tenebat. Hunc versum apostolus ad Hebraeos 2, 12 ad Christum accommodans, colligit eiusdem nobiscum naturae fuisse participem nobisque vera carnis societate fuisse coniunctum, quos pro fratribus agnoscit, tamque honorifico nomine dignatur. Dixi iam aliquoties (quod idem ex fine Psalmi evincere promptum erit) sub Davidis typo Christum hic nobis fuisse adumbratum: scite ergo apostolus et prudenter observat, sub hoc nomine sancitum nobis fuisse cum Christo ius fraternae coniunctionis. Etsi autem competit hoc aliquatenus in totum genus humanum, vera tamen fruitio penes fideles solos residet. Qua ratione etiam Christus ore suo titulum hunc restringit ad discipulos: Vade, nuntia fratribus meis et Petro, ascendo ad patrem meum et patrem vestrum: Iohan. 20, 17. Illam enim carnis cognationem, qua nos sibi sociavit, impii dissidio incredulitatis suae abrumpunt, ut sua culpa

alieni prorsus reddantur. Quemadmodum enim David totum Abrahae genus hac voce complexus, sermonem continuo post ad veros Dei cultores specialiter dirigit: ita Christus qui diruta maceria cunctis gentibus adoptionem publicaverat, seque hoc modo obtulerat in fratrem, non alios quam fideles in gradu fratrum retinet.

24. (*Timentes Iehovam, etc.*) Hic rursum certius exprimitur ille quem dixi publicae gratiarum actionis fructus: nempe invitatio qua quisque pro se ecclesiam ad Deum laudandum suo exemplo stimulat, recitat enim se in hunc finem in coetu celebraturum nomen Dei, ut fratres suos ad idem agendum hortetur. Sed quia se in ecclesiam ut plurimum ingerunt hypocritae, et in area Domini palea tritico permista est, nominatim pios et Deum timentes compellat. Et certe quamvis pleno gutture Dei laudes impuri homines detonent, nihil aliud quam profanant sacrum eius nomen. Esset quidem optandus omnium mundi ordinum concentus: sed quia prima pars harmoniae ex sincero cordis affectu fluit, nemo legitimus erit gloriae Dei praeco, nisi qui eum reverenter colet. Postea quidem nominat semen Iacob et Israël, ad communem populi vocationem respiciens: et certe per eum non stetisset quo minus omnes filii Abrahae Deum uno ore laudarent: sed quia multos videbat degeneres Israëlitas, ab illis veros et integros discernit: simulque ostendit, non rite celebrari Dei nomen, nisi ubi viget interior pietas. Ideoque reverentiam iterum coniungit Dei laudibus in sua exhortatione: Metuite, inquit, ab eo, quia lusorium est quidquid hac in parte ostendant hypocritae. Porro metum commendat, non qui absterreat fideles a Dei accessu, sed vere humiliatos in eius sanctuarium adducat, sicut dictum fuit Psal. 5. Si quis miretur Davidem hortari ad laudandum Deum, quibus nuper hanc laudem dederat: prompta est responsio, sanctissimos etiam quosque tam pleno Dei timore nunquam esse imbutos, quin opus habeant continuis stimulis. Quare minime supervacuum est quod timentes Deum iubet ab eo metuere, ut supplices coram eo se prosternant.

25. (*Quia non sprevit.*) Haec mutua inter fideles communicatio vigere debet, ut alii aliis gratulantes, gratias pro cuiusque salute communiter agant: sicut etiam docet Paulus 2 ad Corinth. cap. 1, 11. Ut ex multis personis, inquit, pro dono in nos collato per multos gratiae agantur pro nobis. Caeterum haec Davidis confessio in alterum quoque finem spectavit, ut eandem erga se Dei fore misericordiam singuli sperarent. Interea docemur his verbis, patienter ferendas esse afflictiones quamdiu visum fuerit Domino ad inopiam redigere, tandem misere oppressis succurrat.

26. *Ad te laus mea*) in coetu magno: vota mea reddam coram timentibus eum.* 27. *Comedent pauperes, et saturabuntur: laudabunt Iehovam qui quaerunt eum, vivet cor vestrum perpetuo.* 28. *Recordabuntur, et convertentur ad Iehovam cuncti fines terrae: et prosternent se coram facie eius omnes tribus gentium.* 29. *Quia Iehovae est regnum, ut dominator sit in gentibus.* 30. *Comedent et adorabunt omnes pingues terrae: coram facie eius se inclinabunt omnes qui descendunt in pulverem, et qui animam suam non vivificat.*

26. (*Ad te laus mea.*) Etsi alteram versionem non repudio, mihi tamen videtur hebraica loquutio sensum hunc exigere, quod David canendi argumentum ex Deo petat. Itaque verbum subaudio, Proveniet, vel profluet laus mea a te. Quod ideo dictum interpretor, ut salutem suam David testetur se Deo in solidum acceptam ferre. Scimus enim quam multi, laudandi Dei praetextu, suas et suorum laudes ebuccinent, et relicto Deo hinc inde accersant materiam ad canendos suos triumphos. Porro idem quod nuper attigerat repetit, se publice editurum gratitudinis suae signa quibus alios aedificet, idque non absque solenni pietatis exercitio, quod lex mandabat. Nam in arduis negotiis, et ubi instabat aliquod discrimen, vovere solebant sacrificium pacificum, quod voto suo potiti solvebant. Ergo quum unus esset ex sanctorum numero David, ad communem ecclesiae normam, ut decebat, se composuit. Haec vota sunt quae se nuncupasse inter extremas angustias significat, et ad quorum solutionem magno et alacri, fiduciaequae pleno animo se accingit. Quanquam autem promiscue coram omnibus caeremonia hac ipsum defungi oportuit, se tamen iterum cupere fatetur ut quicumque aderunt testes, puri sint cultores Dei. Ita quamvis in manu nostra non sit purgare Dei ecclesiam, officii tamen nostri est puritatem optare. Papistae vero locum hunc ad fictitia sua vota torquentes, magis insulsi sunt ac ridiculi, quam ut longa refutatione opus sit. Quid enim simile puerilibus ineptiis, quibus pro sua imaginatione Deum placare tentant, cum hoc sancto gratitudinis testimonio, quod non modo patribus dictavit pietatis sensus, sed Deus ipse praecepit lege sua, ratumque habuit? Imo qua fronte stultas et foetidas suas superstitiones sacrificio omnium praestantissimo aequare audent, nempe gratiarum actionis? sicuti scriptura ostendit praecipuam cultus Dei partem in eo sitam esse, ut testentur fideles Deum se agnoscere bonorum omnium autorem.

27. (*Comedent pauperes.*) Respicit ad morem tunc receptum: solebant enim epulari in sacrificiis,

*) Ma louange proviendra de toy, en marge: ou, ma louange sera de toy.

ut satis notum est. Tale vero epulum promittit, quo exerceat suam caritatem, ac probet. Ac sane ea demum grata suavisque Deo oblatio est, cui annexa est humanitas et misericordia: alioqui caeremoniae quibus Dei cultum profitentur homines, cum toto suo splendore et pompa in fumum evanescent. Quanquam non simpliciter (fateor) erogaturum se promittit pauperibus et famelicis unde ipsos pascat, sed alia de causa dicit epuli fore participes: ut scilicet oblata consolationis materia revigescat in eorum animis hilaritas. Nam quasi in speculo intuebantur Dei bonitatem miseri omnibus expositam, quae incredibili solatio leniret malorum omnium dolorem. Ideo addit *Laudabunt Iehovam qui quaerunt eum.* Etsi enim saturitas ipsa ad gratias Deo agendas incitare debuit, non tamen dubium est finem sacrificii notari: quod clarius etiamnum ex clausula versus liquet. Neque enim vivificandis in saeculum cordibus prandium unum sufficere poterat, sed spes de parato apud Deum auxilio concepta: quia liberationem unius hominis cuncti fideles ad se merito trahebant. Unde sequitur, ita celebratas fuisse Dei laudes in pacificis, ut spem quoque suam illic exercuerint. Caeterum quia hypocritis satis est mortua caeremonia defungi, hunc legitimum usum ad veros et sanctos Israëlitae restringit. Haec enim certa est pietatis nota, Deum quaerere. Quod si sacris epulis in spirituale vitam refecti fuerunt patres sub lege, multo uberius hodie haec vis se proferet in sacra Christi coena, modo verè et ex animo Dominum quaerant quicumque ad eius participationem accedunt.

28. (*Recordabuntur, etc.*) Hic locus citra controversiam ostendit, Davidem in sua persona non subsistere, sed promissum Christum describere sub typo: quia tunc notum principium esse debebat, divinitus creatum esse regem, ut sub uno capite populus in beatam vitam coalesceret: quod solide tandem in Christo completum fuit. Fateor quidem magnum et celebre fuisse inter vicinas gentes nomen Davidis: sed quantula haec fuit mundi portio? Adde quod externos quibus imperii sui iugum imposuit, nunquam adduxit ad purum Dei cultum. Quare multum abfuit coacta illa servitus quae terreno regi profanas gentes subiecit, a voluntario pietatis obsequio, quod ex dissipatione ad Deum eas colligeret. Non vulgaris autem his verbis notatur mutatio, reddituras esse ad Deum ubi probe eius gratiam agnoverint. Quin etiam ad sacri epuli societatem eas invitans, in ecclesiae corpus manifeste inserit. Quod verbum *Recordandi* quidam ad renovatam in gentibus fidei lucem trahunt, ac si tunc illis subiisset Dei memoria cuius oblatae fuerant ad tempus: nimis argutum et remotum videtur. Conversio quidem vel reditus cuius fit mentio, significat (fateor) impia defectione alienatas prius

fuisse a Deo: sed recordatio non alio spectat nisi quod insignibus Dei miraculis expergefactae gentes, ad puram religionem, a qua dilapsae erant, iterum se conferent. Notandum autem est, cultum Dei ex eius notitia deduci: quia supplices ad eum adorandum venturos dicit qui in meditatione operum Dei hucusque profecerint, ne amplius superbo contemptu contra ipsum lasciviant. Quem sensum expressius confirmat quae mox additur ratio, *Iehovae esse regnum, ut gentibus imperet*. Nam quod alii interpretantur, non mirum esse si gentes ad tribuendum Deo honorem cogantur a quo creatae sunt, et cuius reguntur manu, licet cum ipsis vitae foedus non pepigerit: ego tanquam frigidum repudio. Nec enim dubium est quin conveniat hic locus cum aliis pluribus vaticiniis, quibus erigitur solium Dei in quo Christus ad gubernandum orbem praesideat. Quanquam ergo promiscue ad totum orbem patet Dei providentia, sciamus tunc vere dominari, ubi discussis tenebris et effusa verbi sui luce conspicuus eminet. Talis apud Iesaiam est regni eius descriptio: Indicabit populos et arguet gentes, Iesa. 2, 4. Porro quum orbem terrarum non ante sibi Deus subegerit, quam dum evangelii praedicatione sponte se passi sunt in ordinem cogi qui prius indomiti fuerant, conversionem hanc non nisi Christi ductu et auspiciis factam esse, colligere licet. Si quis obijciat, nunquam totum orbem fuisse conversum: facilis solutio est, tempus quo repente per evangelium passim innotuit Deus, conferri cum veteri illo statu, dum sui notitiam Iudaeae finibus inclusam tenuit. Scimus enim fulgetri instar celeriter Christum ab ortu in occasum penetrasse, ut undique gentes in ecclesiam accerseret.

30. (*Comedent, et adorabunt.*) Ne quis pro absurdo ducat, nunc pingues terrae admitti convivas ad epulum quod nuper pauperibus tantum destinare visus est: sciamus pauperibus ideo datum esse priorem locum, quia illis maxime proposita erat in exemplo Davidis consolatio. Secundo tamen loco divites et beatos adiungi necesse fuit, ne putarent ab eiusdem gratiae participatione se excludi. Quamvis enim ad quaerendum doloris solatium eos non urgeat praesentium malorum necessitas: remedio tamen opus habent, ne se inebrient deliciis, sed potius gaudium suum in coelo reponant. Deinde quum ipsi quoque obnoxii sint variis incommodis, maledicta erit eorum opulentia, si in terris montes ipsorum detineat. Summa est, commune fore sacrificium hoc tam vegetis et pinguibus, quam macilentis ac semimortuis: ut priores, deposita ferocia, coram Deo se humilient: alteri vero quamvis deiectione, animos spirituali gaudio attollant ad Deum bonorum omnium autorem: sicuti utrosque Iacobus admonet cap. 1, vers 10: Glorietur frater magnus et dives in humilitate sua: contemptus autem et

ignobilis in sua altitudine. Quod si Deus sub lege plenos famelicis, splendoris obscuris, felices miseris ita coniunxit, multo magis hodie sub evangelio valere debet ista ratio. Quum ergo sibi divites alibi victum offerri audiunt quam in terrena abundantia, discant ita sobrie libare quae ad temporalem usum largitus est Deus, ne illis insipidae sint spirituales epulae, vel ad eas nauseent prae fastidio. Quamdiu enim residebunt in suis faecibus, nunquam eas pio desiderio appetent, vel oblectationem ullam capient ex gustu. Sicuti autem macerari pingues convenit, ut Deo se pascendos offerant: ita famelicos certa et intrepida fiducia animat David, ne ipsos impediatur sua inopia ab accessu: imo ipsos quoque mortuos ad epulandum invitat, ut qui sunt despectissimi et fere coram mundo foetidi, se tamen ad sacram Dei mensam ingerere audeant. Mutatio numeri in fine versus sensum nonnihil obscurat: certum tamen est prophetam hoc velle, eiusdem gratiae sibi fore socios qui iam videntur in cinerem redacti, et in quibus nulla speratur a morte in vitam restitutio.

31. *Semen serviet ei, censebitur Domino in generationem.* 32. *Venient et narrabunt iustitiam eius populo qui nascetur, quia fecit.*

Quo beneficii magnitudinem magis extollat, tale fore dicit, cuius nunquam ad posteros delenda sit memoria: modum tamen eius perpetuandae exprimit, quia orbis conversio de qua loquutus est, non momentanea tantum erit, sed per continuas aetates propagabitur. Unde iterum colligimus, hic non celebrari Dei gloriam quae ex caduco et evanido rumore nata, ad gentes pervenerit, sed quae suis radiis mundum illustrabit usque in finem. Quare hic insigni elogio asseritur ecclesiae perpetuitas, non quod semper floreat, vel aequabili tenore fluat eius successio: sed quia Deus nomen suum in mundo exstingui nolens, semper aliquos suscitabit a quibus pie colatur. Iam tenendum est, semen hoc in quo custodiendus erat cultus Dei, fructum esse incorruptibilis seminis: quia non aliunde ecclesiam suam gignit Deus et propagat nisi ex verbo. *Censeri Domino in generationem*, duobus modis exponitur. Quidam nomen hebraicum מִנְיָן pro aetatum successione accipiunt, alii pro generatione, quo sensu Latinis dicitur hominum natio. Quia uterque sensus non male quadrat, et in idem fere recidunt, per me libera sit electio lectoribus: nisi quod mihi magis placere fateor, electum Dei populum et peculiarem gentem hac voce designari, quae censeatur Dei haereditas. Caeterum, quia non legitur hic essentielle nomen Dei Iehova (ut paulo ante) sed Adonai, non improbo eorum sententiam quibus videtur diserte Christus ecclesiae praefici,

omnia nobis abunde suppetant, sciamus non aliunde nos beatos esse, nisi quia Deus in suo grege censere nos dignatur. Adde quod tunc demum cum legitimo honore tribuitur officium pastoris Deo, ubi persuasi sumus unicam eius providentiam nobis sufficere. Nam sicut in summa abundantia vacui sunt et famelici quorum Deus non est pastor: ita certum est nobis, quos in curam suam suscepit, nihil ad plenam bonorum copiam defore. Ideo David se a nullo defectu metuere pronunciat, quia a Deo pascitur.

2. (*In pascuis herbosis.*) Quantum ad verba spectat, pascua vel campos herbae pro herbosis et pinguibus posuit. Quanquam sunt qui נאור ver-tunt tuguria: quod si magis placeat, sensus erit, paratum esse stabulum in pascuis opimis, sub quo tegatur a solis aestu. Nam si in frigidis regionibus molestus est ovium gregi immodicus ardor, multo minus tolerabilis foret aestas in Iudaea sine stabulis: quo etiam videtur referri verbum רבץ *Aquas quietum* dixit, pro leniter fluentibus: quia ad ovium potum incommodi sunt rapidi torrentes, atque etiam ut plurimum noxii. Exponit autem David, hoc versu et sequentibus, particulam illam *non destituar*: refert enim quam liberaliter sibi prospectum sit, a similitudine qua usus est non discedens. Summa tamen huc redit, nihil a coelesti pastore fuisse omissum quo minus feliciter degeret sub eius cura. Largam igitur abundantiam ad omnes vitae usus pratis herbis comparat, et aquis leniter fluentibus: vel etiam commoditatem tuguriis: quia non satis esset pabulo saturari, nisi aquarum potus et umbra stabuli in refrigerium accederet. Iam quia munus quoque boni pastoris est fovere suas oves, vel etiam infirmas refocillare, hoc a Deo beneficium se recipere praedicat David. Nam *restitutio animae* (ut vertimus) vel conversio (ut habetur ad verbum) tantundem valet ac reficere, vel restaurare, quemadmodum Psalmo 19 dictum est. *Vias autem iustitiae*, pro facilibus et planis posuit: nam quum in sua metaphora persistat, absurdum esset de spiritus sancti directione accipere. Quemadmodum ergo nuper dixit, quaecumque ad vitae conservationem spectant, benigne sibi a Deo suppeditari: ita nunc addit, se protegi ab omni molestia. Summa est, Deum nulla in parte fidelibus suis deesse, quia et eos sua virtute sustinet, vegetat, vivificat et noxas omnes avertit, ut per vias aequabiles commode incedant. Caeterum, ne quid suae dignitati arroget, tantae liberalitatis causam Dei bonitati adscribit, haec omnia praestare dicens *propter nomen suum*. Et certe quod nos sibi in oves eligit, et nobis impendit pastoris officia, prorsus gratuitum beneficium est: ut Psalmo 65 videbimus.

4. (*Etiam si ambulavero.*) Quia fideles, quamvis tuto sub Dei manu habitent, non tamen procul absunt a multis periculis: imo quo melius sentiant

quam sibi necessaria sit Dei protectio, communibus miseriis subiacent obnoxii: nominatim hic commemorat David, si quid adversi contigerit, se recumbere in Dei providentiam. Ita non modo sibi non promittit continuas delicias, sed etiam ad varios eventus fortiter subeundos Dei auxilio se munit. Porro in metaphora persistens, quam Deus in gubernandis fidelibus curam adhibet, pastoris baculo et pedo comparat, ea se ad vitae tutelam contentum esse dicens. Quemadmodum enim, si per vallem obscuram oberret ovis, sola pastoris praesentia ab incursu ferarum aliisque noxis tutam ipsam praestat: ita nunc pronunciat David, quoties in aliquod discrimen inciderit, sibi in pastoralis Dei cura satis fore praesidii. Iam videmus ut in prospera laetaeque fortuna nunquam oblitus fuerit se hominem esse, sed tunc etiam quae accidere poterant adversa mature fuisse meditatam. Et certe hinc tanta nobis trepidatio ubi nos Deus cruce exerceat, quod quisque ut placide dormiat, carnis securitate se involvit. Atqui ab hoc torporis somno longe differt fidei quies: imo quum rebus adversis fidem examinet Deus, sequitur neminem vere fidere, nisi qui ad omnes vincendos metus invicta constantia armatus est. Neque tamen se omni metu vacuum esse iactavit David, sed tantum fore superiorem, ut intrepide, quocumque deductus fuerit a pastore suo, pergat: quod ex contextu melius patet. Primo dicit, *non timebo malum*: sed causam mox reddens, aperte fatetur se in baculi pastoralis respectu quaerere timoris remedium. Quorsum enim *consolatio* ista, nisi quia metus eum sollicitat? Tenendum igitur est, quum David animo apprehenderet quae incidere poterant incommoda, non aliter fuisse temptationum victorem, nisi quia se in Dei curam reiecit: quod ipsum (licet obscurius) hac etiam particula ante dixerat, quia tu mecum es: neque enim Dei praesentiam requireret timoris vacuitas. Adde quod non vulgaribus tantum et quotidianis malis opponit Dei praesidium, sed quae mortis caligine mentes perturbant. Nam צלמה grammaticis hebraeis videtur esse dictio composita, quasi dicas letalem umbram. Alludit autem David ad obscuros recessus aut ferarum cavernas: quo si quis accesserit, statim primo ingressu occurret mortis terror. Nunc quando Deus in filii unigeniti persona se nobis luculentius quam olim patribus sub lege pastorem exhibuit, non satis honoris tribuimus eius custodiae, nisi coniectis in eam oculis calcamus omnes formidines.

5. *Parabis in conspectu meo mensam coram persequutoribus meis, perunges oleo caput meum: calix meus exuberans.* 6. *Utique bonum et clementia persequentur me cunctis diebus vitae meae, et habitabo in domo Iehovae in longitudinem dierum.*

5. (*Parabis.*) Verba futuri temporis continuum actum hoc loco designant. David ergo iam sine figura repetit quae sub pastoris similitudine hactenus narravit de Dei beneficentia, dicit enim eius largitate sibi suppetere quaecunque necessaria sunt ad vitae usum. *Parare mensam* tantundem valet ac sine molestia et difficultate victum largiri, perinde ac si pater filio cibum porrigeret. Atque beneficium hoc amplificat circumstantia addita, quod licet sibi invideant multi malevoli, perditumque cupiant, imo Dei benedictione fraudare conentur: Deus tamen ipse liberalem se ac beneficium praestare non desinat. Quod de *deo* subiicit, pertinet ad morem tunc usitatum: scimus enim tunc lautioribus conviviis adhibita fuisse unguenta, ut nemo suos hospites vel convivae splendide excoipere videretur nisi unguentis delibutos. Porro, tam effusa olei copia, quam plenitudo calicis, ad abundantiam referri debet quae exsuperat necessarios usus. Est enim commendatio regalis illius opulentiae, qua sacra historia testatur eum fuisse non mediocriter ornatum. Quamquam autem non omnes peraeque liberaliter tractantur, nemo tamen reperietur quem non Deus sua beneficentia obstringat: ut fateri necesse sit beneficium suis omnibus esse patrem: inter ea se quisque pro uberiore donorum copia ad gratitudinem incitet. Nam si malignus est qui in pane cibario paternam Dei providentiam non agnoscit, quanto minus tolerabilis erit eorum socordia, qui sine gustu divinae bonitatis plena copia se ingurgitant? David ergo suo exemplo divites officii admonet, ut eo maiore animo prorumpant ad gratiarum actionem, quo indulgentius ipsos Deus pascit. Caeterum meminerimus, etiam quibus affluit largior copia, moderationem nihilominus tenendam esse, quam si ad mediocrem et temperatum modum usum facultas suppetere. Nam quum plus satis ad luxuriam proni simus natura, non ideo profusus est Deus erga fideles, ut hunc in ipsis morbum irriter. Tenenda est enim omnibus illa Pauli regula, Phil. 4, 12 ut sciant non minus abundare quam penuriam pati. Ne egestas nos deliciat, tolerantia fulciri opus est: rursus ne ultra modum efferrat largitas, cohiberi opus est temperantiae fraeno. Dominus etiam dum fideles locupletat, simul lascivas carnis cupiditates restringit continentiae spiritu, ut modum sponte sibi praescribant ipsi: non quod nefas sit divitibus frui liberalius praesenti copia, quam si restricte cum illis Deus ageret, sed quia omnibus cavendum est (adeoque ipsis regibus) ne deliciis et luxuria diffuant. Quamvis enim David sibi plus iure permiserit, quam si unus quisvis fuisset e vulgo, aut si in tugurio paterno mansisset: sibi tamen moderatus est inter lautitias, ut eum pinguedo minime saginaret: unde factum est ut paratam sibi divinitus mensam ab hara discer-

Calvini opera. XXXI.

neret. Hoc quoque notatu dignum est, quum ex praediis, vectigalibus, alioque regni proventu viveret David, Deo tamen gratias egisse, ac si ex eius manu quotidie cibum perciperet. Unde colligimus non fuisse opibus suis excaecatam, sed Deum semper statuisse patremfamilias, qui cibum et potum ex suo penu depromptum opportune distribueret.

6. (*Utique bonum et clementia.*) Postquam gratias sibi a Deo collatas recensuit, nunc earum tenorem extendit usque ad finem vitae suae. Unde autem fiducia haec, ut Dei beneficentiam et clementiam aeternas sibi fore comites promittat, nisi ex promissione qua Deus sua erga fideles beneficia condire solet, ne insipido palato temere vorentur? Nam antea quum sibi diceret in mortis tenebris intentos fore oculos ad contemplandam Dei providentiam, satis testatus est se non pendere a rebus externis, nec gratiam Dei carnis suae sensu metiri: sed etiam ubi omnia terrena adiumenta deficient, sibi fidem manere in verbo Dei inclusam. Quamvis ergo eum experientia ad bene sperandum alliceret, praecipue tamen promissionem amplexus est, qua suos Deus in posterum confirmat. Si quis obiciat, temere hominem in hac caduca vita sibi aequabilem prosperae fortunae cursum promittere: respondeo, Davidem non ita loquutum esse ut legem Deo imponeret, sed quantum fert mundi conditio, Dei erga se beneficentiam sperasse qua contentus foret. Neque enim dicit calicem perpetuo fore plenum, vel caput delibutum unguentis: sed in genere quia infatigabilis est Dei bonitas, colligit sibi in finem usque fore beneficium. (*Habitabo in domo Iehovae.*) Hac clausula aperte demonstrat, se in terrenis voluptatibus aut commodis minime subsistere, sed scopum sibi in coelo figere ad quem omnia referat. Perinde enim est ac si dixisset se non vivere tantum ut vivat, sed potius ut se exerceat in Dei timore et cultu, et in tota pietate in dies proficiat. Manifestum enim discrimen inter se et profanos homines statuit, quibus satis est ventrem suum laute farciri: neque id modo, sed etiam tanti sibi esse significat Deo vivere, ut inde omnes carnis commoditates aestimet. Palam affirmat, hunc se finem in omnibus quae retulit Dei beneficiis spectasse, ut habitaret in domo Domini. Unde sequitur, sublata huius boni fruitione eum pro nihilo duxisse reliqua omnia: ac si dixisset, non aliter se oblectari terrenis commodis, nisi simul ex Dei grege esset: sicuti etiam alibi scribit: Beatum dicent populum cuius haec sunt, beatus populus cuius Iehova est Deus, Psalm. 144, 15. Quorsum enim tantopere appeteret in templo versari, nisi ut sacrificia simul cum aliis offerret, aliisque fidei exercitiis proficeret ad meditationem coelestis vitae? Certum igitur est, Davidem praesentium bonorum adminiculis ad spem aeternae haereditatis fuisse

evectum: unde colligimus, belluinos esse homines quibus proposita est alia felicitas quam ad Deum accedere.

PSALMUS XXIV.

ARG. Quum Deus totum humanum genus condiderit, et imperio suo contineat, gratiam qua electum populum dignatus est, hac comparatione amplificat David: nempe quod sanctuarium instar domicilii erexit, ut habitaret inter filios Abrahæ: simulque ostendit, quamvis Iudæis omnibus expositum esset sanctuarium, non tamen quibuslibet Deum propinquum esse, sed veris tantum pietatis cultoribus qui se a mundi sordibus purgarunt, ut sanctitati et iustitiæ se addicerent. Porro, quia exstructo templo luculentius apparuit Dei gratia, eam splendido elogio commendat, quo alacrius fideles in eius colendi studio proficiant.

Canticum Davidis. 1. *Iehovæ est terra et plenitudo eius**, orbis, et qui habitant in eo. 2. *Quia ipse super maria fundavit eam, et super flumina disposuit eam.* 3. *Quis adscendet in montem Iehovæ? quis stabit in loco sanctitatis eius?* 4. *Mundus manibus, et purus corde, qui non extulit in vanum animam suam, et non iuravit in fraudem.*

1. (*Iehovæ est terra.*) Videbimus aliis compluribus locis conferri filios Abrahæ cum reliquo mundo: ut melius inde pateat gratuita Dei bonitas, quod eos ex omnibus populis suo favore amplexus est. Huc ergo tendit Psalmi exordium, Iudæos nihil habere a se ipsis cur ad Deum propius quam gentes, vel magis familiariter accedant. Nam quum Deus sua providentia mundum in statu conservet, peræque ad omnes extenditur imperii eius potestas, ut merito ubique colendus sit, sicuti omnibus sine exceptione paternam erga eos curam ostendit. Porro, quum Iudæos prætulerit aliis gentibus, sacrum aliquod coniunctionis vinculum intercedere oportet, quod eos a profanis hominibus discernat. Hoc argumento ad sanctitatem eos invitat et hortatur David, quia æquum est quos sibi in filios Deus adoptavit, proprias notas gestare, ne prorsus exteris similes sint: non quod ad Deum præveniendum eos incitet, ut sibi eius gratiam concilient: sed a fine electionis admonet, ratam demum et firmam honoris possessionem fore si ad pie recteque vivendum adspirent. Frustra enim seorsum collecti essent in peculium Dei, nisi sanctitati darent operam. In summa, Deum totius mundi regem esse prædicat, ut ipso naturæ iure cuncti mortales ad eius cultum sint obstricti, deinde commemorans cum exigua hominum parte pepigisse salutis foedus, et

erecto tabernaculo dedisse filiis Abrahæ præsentiae suæ symbolum, ut certi essent ipsum in medio sui residere: cordis et manuum puritati dandam esse operam docet, si in sancta eius familia censi cupiant. *Plenitudinis* nomine quanquam omnes copias quibus ornata est terra, comprehendi fateor, et id probat etiam Pauli autoritas: non tamen dubito quin homines ipsos designet, qui maxime illustre sunt terræ ornamentum et decus. Nam si deficerent, non minus deformis esset vastitas et solitudo terræ, quam si reliquis opibus eam Deus nudaret. Quorsum enim tam multiplices fructus, tanta abundantia et amoenitas, nisi ut usus et commoditas perveniat ad homines? Itaque David proximo membro mentem suam explicat, quod de hominibus maxime loquatur. Nam quum idem soleat bis repetere, idem valent *terræ plenitudo et orbis habitatores*. Neque tamen nego divitias, quibus in usum hominum affluit, simul comprehendi. Ideo scite Paulus 1. Cor. 10, 26 quum de cibis disserit, hoc testimonio confirmat, nullum alimenti genus immundum esse, quia Domini est terra et plenitudo eius.

2. (*Quia ipse super maria.*) Confirmat, iure sub Dei manu esse homines, ut eum ubique orbis regem agnoscat, idque ab ipso creationis ordine: quia palam in tota terræ superficie admirabilis Dei providentia reluceat. Sumit autem quod maxime conspicuum est eius rei documentum. Qui fit enim ut terra super aquas emineat, nisi quia Deus consulto hospitium parare hominibus voluit? Nam et philosophi fatentur, quum aquæ elementum terra superius sit, fieri præter naturam ut ulla regio sicca et habitabilis maneat. Itaque hoc insigne miraculum magnifice extollitur Iob. cap. 28, 25 quod Deus violentos maris impetus compescat, ne statim terra obruta, succedat horribilis confusio. Nec etiam tacetur a Mose in historia creationis: postquam enim aquas narravit ita effusas fuisse ut totam terram obtegerent, addit, speciali Dei mandato cessasse, ut spatium vacuum relinquerent animalibus postea creandis, Gen. 1, 9. Hinc colligimus antequam exstarent homines, iam Deo curæ ipsos fuisse, quod hospitium aliasque commoditates eis paraverit: nec prorsus reputasse alienos, quibus non minus benigne prospexit, quam propriis liberis paterfamilias. Etsi autem non disputat philosophice David de terræ situ, ut dicit super maria fundatam, sed populariter loquens, ad rudium captum se accommodat: non tamen ratione caret loquendi forma quæ sumpta est ab ipso conspectu. Terræ quidem elementum quatenus in ordine sphaerico infimum locum occupat, infra aquas subsidit: sed quum pars habitabilis aquis sit superior, unde fieri dicemus ut stabilis maneat hæc distinctio, nisi quod aquæ divinitus instar fundamenti substratae sunt?

*) sa plenitude, en marge: ou son contenu.

animo respondent. Caeterum (ut iam diximus) haec valde efficax est ad pietatem et probam vitam exhortatio, dum audiunt fideles se in iustitia colenda operam non ludere, quia certa benedictio apud Deum reposita sit. *Iustitiae* nomen duobus modis potest exponi, vel pro omnibus Dei beneficiis quibus se iustum esse probat ac bonae fidei erga fideles, vel pro iustitiae fructu. Mens quidem Davidis minime dubia est, sperandum non esse ut ad eos perveniat iustitiae merces qui iniuste sacrum eius cultum profanant: rursus fieri non posse ut veros suos cultores frustretur Deus, quia proprium eius est beneficiis iustitiam suam testari.

6. (*Haec generatio.*) Iam nuper monui hac demonstratione deleri ex catalogo servorum Dei fictitios omnes Israëlitas, qui circumcisione tantum et pecudum sacrificiis freti, se ipsos Deo offerre non curant: interim se temere ingerunt in ecclesiam. Tales enim quamvis Dei studio se teneri simulent, templi accessu nihil aliud habent propositum quam se longius subducere. Quia autem nihil magis tritum in ore omnium erat, quam omnes esse sanctum semen, nomen sanctae generationis restrinxit ad puros legis observatores: ac si dixisset, non omnes qui secundum carnem progeniti sunt ex Abraham, legitimos propterea filios esse. Vere quidem dicitur aliis pluribus locis, ut Psalmo 27 videbimus, eos faciem Dei quaerere qui testandae pietatis causa coram arca foederis se in caeremoniis exercent: nempe si sincerus affectus illuc eos ducit. Sed quoniam hypocritis externa quaedam Dei quaerendi species communis est, quem tamen suis ambagibus fugitant: pronuntiat hoc loco David, non vere quaeri Deum, nisi praeunte sanctitatis et iustitiae studio. Et quo plus energiae habeat sententia, eam in secunda persona repetens, sermonem ad Deum convertit. Perinde enim est ac si hypocritas qui pro nihilo ducunt coram mundo abuti Dei nomine, ad ipsius Dei tribunal citaret: significans, quidquid garriant apud homines, aliud fore Dei iudicium. Nomen *Iacob* collective additum est ad eiusdem doctrinae confirmationem: ac si dixisset, licet totum carnale semen Iacob a gentibus distinguat circumcisio, non aliter cognosci electum populum quam Dei reverentia et timore: sicut Christus dicebat: Hic est verus Israëlita in quo dolus non est, Ioan. 1, 47.

7. *Attollite portae capita vestra, et elevamini portae aeternae, et intrabit rex gloriae.* 8. *Quis iste rex gloriae? Iehova fortis et potens, Iehova fortis imperio.* 9. *Attollite portae capita vestra, attollite inquam portae aeternae, intrabit rex gloriae.* 10. *Quisnam hic rex gloriae? Iehova exercituum, ipse rex gloriae. Selah.*

7. (*Attollite portae.*) Quia nondum exstabat magnificus ille templi splendor, in quo plus fuit externae dignitatis quam in tabernaculo, David hic de futura eius structura concionatur: atque hoc modo fideles animat ut libentius maioreque fiducia caeremoniis legalibus operam impendat. Fuit enim beneficium Dei non vulgare, quod Deus visibili symbolo in medio ipsorum residebat, coelesteque suum domicilium volebat in terra conspici. Atque huius doctrinae usus inter nos quoque hodie vigere debet: quia inestimabilis Dei gratia est, nos pro carnis nostrae infirmitate pietatis exercitiis sursum ad Deum attolli. Quorsum enim verbi praedicatio, sacramenta, sacri ipsi conventus, totumque externum ecclesiae regimen, nisi ut nos Deo coniungant? Non abs re igitur David cultum legalem tam celebri encomia commendat, quum se Deus in arca foederis fidelibus offerret, certumque pignus daret praesentis sui auxilii, quoties fuisset invocatus. Etsi autem non habitat Deus in templis manu factis, neque eum oblectant externae pompae: quia tamen utile fuit, et ita etiam placuit Deo, rudem et quasi infantilem populum terrenis elementis ad Deum evehi, non dubitat hic David sumptuosum templi aedificium ad fidei confirmationem proponere, ut certo statuam Iudaei, non esse illud inane theatrum: sed ubi Deum ex praescripto verbi eius rite colunt, stare se ante eius oculos, ut effectum propinquum sentiant. Summa igitur est, templum quod sibi Deus in monte Sion exstrui iusserat, quo maiori splendore vincebat tabernaculum, eo magis illustre fore speculum gloriae et potentiae Dei inter Iudaeos habitantis. Interea sicut ipse ingenti templi desiderio flagrabat, sic eundem ardorem in omnium piorum cordibus accendit, ut magis ac magis in Dei timore proficiant, legalibus rudimentis adiuti. *Portas* vocat *aeternas*, quarum diuturna stabilitas in verbo Dei fundata erat. Etsi enim materia et artificio excelluit templum illud, summa tamen praestantia in eo sita fuit, quod eius aedificio insculpta erat promissio Dei, quam alibi videbimus: Haec requies mea in saeculum saeculi, Psalm. 132, 14. Caeterum non dubito quin subaudienda sit tabernaculi antithesis. Nam quum tabernaculo nunquam fixa fuisset sedes, sed variis hospitibus subinde exceptum quodammodo pergrinaretur: ubi mons Sion electus est, firma coepit esse Dei statio. Iam quia Christi adventu visibilis illa umbra evanuit, mirum non est in monte Sion templum non conspici, cuius amplitudo totum orbem occupat. Siquis obiciat, tempore babylonici exilii dirutas fuisse quas Salomon aedificavit portas: respondeo, in illa temporali ruina stetisse decretum Dei, cuius virtute paulo post sequuta est templi instauratio: quod perinde fuit ac si semper integrum durasset. Locum hunc incite corruptit

graecus interpres. Etsi enim ראשׂים Hebraei metaphorice interdum vocant principes, relativum tamen annexum non alium sensum admittit, quam ut portae capita sua attollant: alioqui dicendum esset, principes vestri vel vestros. Ideo quod quidam hoc loco reges et magistratus officii sui moneri volunt, ut patefaciant Deo ingressum, quamvis plausibile commentum est, a mente tamen et verbis prophetae remotum est. Quam vero stulte ac turpiter hoc loco abusi sint papistae ad crassa ludibria quibus Christum ad inferos penetrantem inducant, ex genuino verborum sensu plus satis patet. Hinc vero discamus sanctum Dei verbum sobrie reverenterque tractare, ac papistas detestari, qui in eo pervertendo nefariis suis sacrilegiis quasi impune ludunt.

8. (*Quis est iste.*) Huc spectant elogia quibus extollitur Dei virtus, ut sciant Iudaei, non sedere otiosum in templo, sed ut praesto sit ad opem suis ferendam. Porro magnam emphasin continet tam interrogatio, quam geminatio eiusdem sententiae. Personam enim admirantis suscipit propheta, quo efficacius doceat inexpugnabili virtute Deum venire instructum ad tuendam populi salutem, ut sub eius umbra salvi sint fideles. Iam vero dictum fuit, non habitasse Deum in templo, ac si immensa eius essentia illic inclusa foret: sed illam virtutis et gratiae fuisse praesentiam, ut ferebat promissio per Moesen data: Ubi memoriam posuero nomini meo, veniam ad te, et benedicam tibi, Exod. 20, 24. Id sibi non frustra esse promissum, sed Deum vere in medio sui stare senserunt fideles, qui non superstitione quasi templo affixum quaerebant, sed externo templi cultu adiuti tendebant in coelum. Summa est, quoties Deum populus in templo invocaverit, effectu ipso palam fore quam non inane sit vel lusorium praesentiae Dei symbolum arca foederis, quia Deus potentem manum suam protegendae fidelium salutis semper exseret. Repetitio autem admonet, fideles in hac meditatione non posse nimis esse assiduos vel sedulos. Iam quum filius Dei carne indutus apparuit *Rex gloriae*, et Iehova exercituum, non umbratili figura tantum, sed vere templum suum ingressus est, ut in medio nostri habitet. Quare nihil obstat quominus gloriemur nos eius virtute fore invictos. Quanquam autem neque mons Sion hodie locus est sanctuario dicatus, neque amplius arca foederis imago Dei est habitantis inter Cherubim: quatenus tamen communis nobis ratio est cum patribus, ut verbi praedicatio et sacramenta Deum nobis coniungant, haec adminicula reverenter amplecti convenit, quia fieri non potest, si impio fastu spernuntur, quin Deus se tandem prorsus a nobis subducat.

PSALMUS XXV.

ARG. Psalmus hic meditationes precibus mistas continet. David enim hostium saevitia duriter vexatus, ut opem a Deo impetret, primum agnoscit peccata sua hoc modo iuste a Deo ipso castigari: ideoque eorum veniam petit, quo Deum habeat propitium ac liberatorem. Deinde gratiam spiritus sancti implorat, qua fretus inter varias tentationes se contineat sub Dei timore. Meditationes vero pluribus locis inserit, quibus vel se ad bene sperandum stimulet, vel a mundi illecebris sensus suos ad Deum colligat.

Davidis. 1. *Ad te Iehova animam meam levavi.* 2. *Deus mi, in te speravi: ne pudefiam, ne laetentur inimici mei de me.* 3. *Etiā omnes qui te expectant, non pudefiant: pudefiant qui perfide agunt sine causa.*

1. (*Ad te Iehova.*) Praefatur se non circumagi huc et illuc infidelium more, sed spem suam et vota dirigere in unum Deum. Nihil enim verae et sinceræ Dei invocationi magis contrarium, quam vacillando circumspicere (sicuti profani homines solent) an aliqua mundi auxilia succurrant interea vero Deum omittere, vel non recta se conferre in eius fidem et tutelam. Nam qui putant Davidem testari se fuisse penitus Deo addictum, ac si in sacrificium se obtulisset, non satis attendunt rationem contextus. Potius ad impetrandi fiduciam sumit quod in precibus maximi est momenti, spem sibi fuisse in Deo fixam, nec mundi illecebris fuisse impeditum vel retentum quominus liber et solutus ad Deum ascenderet. Quare haec sit nobis rite orandi regula, non distrahi in spes varias et ancipites, nec in terrenis auxiliis subsistere: sed Deo tribuere hunc honorem, ut ex intimo affectu vota nostra ad Deum tollamus. Caeterum in mutando verbi tempore alios interpretes aequutus sum: quanquam per futurum tempus continuum actum designat.

2. (*Deus mi, in te speravi.*) Ex hoc versu colligimus, quod deinde clarius patebit, Davidi fuisse cum hominibus negotium: sed quia persuasus erat, hostes suos esse quasi Dei ferulas, merito eius manu compeSCI postulat, ne magis insolescant. Sperandi verbo confirmat quod nuper dixit de animae ad Deum elevatione. Nam vel ita modus exprimitur quo se fideles animae sursum attollunt: vel fiducia et spes additur tanquam illius effectus causa. Et certe his alis e mundo sublatis sursum erigimur. David ergo toto animi desiderio ad Deum raptus fuit, quia promissionibus eius fretus, salutem haud dubiam inde sperabat. Deprecatio qua utitur, ex communi scripturae doctrina sumpta est, pudefieri nunquam posse quicumque in Deo sperant. Haec etiam ratio ad provocandam Dei misericordiam notanda est, ne obnoxius sit hostium ludibriis, quorum improbitas non magis pios animos vulnerat, quam Deum ipsum laecessit.

3. (*Etiam omnes qui te exspectant.*) Si verba in optandi modum resolves, hoc versu precationem suam continuat David, et quod de se uno dixerat, communiter ad cunctos fideles extendit. Sed ego in diversam potius sententiam inclino, ut David fructum gratiae Dei ostendat, qui ex liberatione sua proveniet. Pondus autem subest in particula etiam, nam quia sciebat multorum oculos in se esse coniectos, nec obscura erat eius in Deo fiducia, suum exemplum longe patere intelligit: quia scilicet omnes Dei filios eriget, ac prosternet improborum ferociam. Posset etiam alius esse sensus, ac si in fidei suae confirmationem sibi proponeret David quod passim Deus promittit. Sed illa quam attuli interpretatio mihi videtur aptissima esse: nam per scelestos qui perfide agunt sine causa, non dubium est quin peculiariter hostes suos intelligat. Ergo ubi liberatus fuerit, docet non fore privatum beneficium, cuius ad omnes perveniet fructus: sicuti fieri non poterat quin multorum labasceret fides, si fuisset a Deo relictus. In membro opposito ratiocinatur, si confusi iaceant improbi, ad Dei gloriam id spectare: quia eorum in rebus prosperis exsultatio palam Deo illudit, dum contempto eius iudicio audacius ad licentiam peccandi ruunt. Quod addit, *sine causa*, ad crimen amplificandum valet. Minus enim ferenda est eius pravitas, qui nulla iniuria laceratus ultro ad laedendos homines innoxios fertur.

4. *Vias tuas Iehova fac me intelligere, semitas tuas doce me.* 5. *Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu Deus salutis meae, te exspectavi toto die.* 6. *Recordare miserationum tuarum Iehova, et bonitatum, quia fuerunt a saeculo.* 7. *Transgressionum iuventutis meae, et iniquitatum mearum ne memineris: secundum clementiam tuam recorderis mei tu propter bonitatem tuam, Iehova.*

4. (*Vias tuas.*) Per vias Domini interdum significat David laetos et salutare exitus, ut alibi visum fuit: saepius vero intelligit sancte iusteque vivendi regulam. Hic, quia mox additur veritas, precationis summa est (meo iudicio) ut Deus servum suum in fide promissionum suarum retineat, neque sinat huc vel illuc dilabi. Ita enim compositis ad patientiam animis, nihil perperam tentamus, si toti pendemus a Dei providentia. Non ergo simpliciter hoc loco postulat David spiritu Dei se regi, ne a recto cursu deflectat: sed sibi patefieri quam verax et fidelis sit Deus in suis promissis, ut quietus sub eius oculis degat. Si quis generalem esse sensum malit, ac si David Deo se gubernandum traderet, non valde repugno: quia tamen mihi probabile est, sub veritatis nomine in proximo versu exponi, quasnam vias et semitas vocet, ad praesentem cir-

cumstantiam votum hoc referre non dubito: quod scilicet David vel ab impatientia, vel a cupidine vindictae, vel ab illicito quovis fervore metuens, promissiones Dei penitus cordi suo inculpi postulet. Diximus enim, quamdiu viget in animis nostris haec cogitatio, Deo nos curae esse, domandis tentationibus optimum esse fraenum. Quod si tamen vias Dei et semitas pro doctrina accipere placeat, mihi semper illud fixum est, Davidem ad caecos impulsus respicere, qui nos rebus adversis iactatos praecipitant in longos errores, donec verbo Dei cohibiti fuerint vel sedati. Ita sensus est: Quidquid acciderit, ne unquam permittas Domine, me excidere a viis tuis, vel contumacia, vel prava aliqua cupiditate abripi: sed potius pacatum me sub quieti obedientia contineat tua veritas. Quod autem inculcat sibi patefieri vias, seque doceri in illis et dirigi, non supervacuum est. Nam quum sensus nostros obtenebrent res adversae, quam difficile sit in illa caligine discernere quid sequi oporteat, unumquemque docet propria experientia. Quod si Davidi tam eximio prophetae, tantaque luce intelligentiae praedito haec demonstratio necessaria fuit, quid nobis fiet, nisi Deus in afflictionibus nebulas discutiat, ne lucis suae conspectum impediunt? Semper igitur petendum, quoties aliqua tentatio nos perturbat, ut nobis praeluceat Dei veritas, ne perversa consilia captando per flexuosas ambages vagemur. Notanda est quae additur causae redditio. *Deum enim salutis suae vocando*, quae iam ab eo perceperat beneficia, ad spem futuri temporis applicat: deinde fiduciam suam iterum repetit. Ita prius argumentum sumptum est ab ipsius Dei natura, et quasi a proprio officio: quia scilicet hac lege tuendam suscipit fidelium salutem, et eorum necessitatibus subvenit, ut eandem gratiam in finem usque velit prosequi. Sed quia huic tantae bonitati necesse est ut respondeat nostra fiducia, hanc quoque profert David una cum perseverantiae testimonio. Nam per *totum diem*, vel per omnes dies, significat se infatigabili constantia pendisse ab uno Deo. Atque hoc fidei proprium est, inter summas anxietates respicere in Deum, et quasi tacita quiete in promissum eius auxilium recumbere. Caeterum ut memoria beneficiorum Dei spem nostram foveat ac sustineat, reputare discamus qualem se iam nobis exhibuerit: sicuti David hanc sibi fulturam statuit, quod Deum expertus sit salutis autorem.

6. (*Recordare, etc.*) Primo hinc apparet, Davidem fuisse graviter afflictum, ut omni fere misericordiae Dei gustu privatus foret. Perinde enim ad gratiae suae memoriam revocat Deum, ac si eius esset oblitus: haec igitur hominis non parum anxii et moesti querimonia est. Caeterum hinc colligimus, etiamsi ad tempus subtrahat Deus omne bonitatis

ut eos in viam reducat. Nam Deo aequitatem tribuere qua tantum erga dignos et bene meritos utatur, frigida et ieiuna est imaginatio: et tamen non aliter vulgo Deum mundus bonum cognoscit. Unde enim fit ut Dei misericordiam vix centesimus quisque ad se applicet, nisi quia eam ad dignos restringunt? Atqui hic dicitur rectitudinis suae specimen edere, dum transgressores in via docet, quod tantundem valet atque vocare ad poenitentiam, et instituere ad recte vivendum. Et certe nisi ad inferos penetret Dei bonitas, neminem unquam attinget. Fictitias suas praeparationes iacent papistae: nos vero teneamus, nisi antevertat Deus homines sua gratia, actum esse de omnibus. Hanc praevenientem (ut loquuntur) gratiam nunc commendat David: sive quum Deus ab initio nos vocans, regenerationis spiritu corruptam naturam refingit: sive quum peccatis alienatos a defectione reducit. Nam quum peccatores dicantur quos Deus recipit in discipulos, sequitur, eius spiritu renovari ut dociles et morigeri esse incipiant.

9. (*Diriget pauperes.*) Hic de secunda gratia loquitur, quam Deus erga fideles suos exserit, postquam subacti ad iugum ferendum, obedienter eius imperio se submitunt. Haec vero docilitas nusquam reperietur, donec elatus superbia animus indomitus fuerit. Quia עניים Hebraei pauperes vocant vel afflictos, et metaphorice nomen hoc transferunt ad mansuetos et humiles: mihi probabile est, Davidem tam afflictiones quibus retunditur carnis ferocia, quam ipsam modestiae virtutem complexum esse: ac si dixisset: Postquam humiliavit Deus, manu benigne porrecta, toto vitae cursu eos deducit. Caeterum quidam iudicium et viam Domini pro iusta et bene composita vivendi ratione accipiunt. Alii vero referunt ad Dei providentiam: quod rectius videtur, et ad contextum aptius, quia mox addit *omnes viae Iehovae clementia et veritas*. Sensus ergo est, qui vere in se ipsis deiecti se in Dei fidem contulerint, sensuros quam bene filiis suis consulat. Ergo iudicium et via eius nihil aliud est quam gubernatio, qua declarat se, ut optimum patrem decet, curare suorum salutem, ut oppressos sublevet, deiectos erigat, moestos exhilaret ac soletur, miseris succurrat. Nunc tenemus quales sint gratiae Dei erga nos progressus: nempe quod primum errantes et palatos, imo profugos in viam reducit, compescit nostram contumaciam, et prius indomitos in obsequium iustitiae suae fleetit, deinde quod afflictos et laborantes non deserit, sed postquam eos cruce formavit ad humilitatem et modestiam, providum se in regenda eorum vita patrem declarat.

10. (*Omnes viae Iehovae.*) Falluntur interpretes qui veram et suavem legis doctrinam in hoc versu dici putant, talemque re ipsa sentiri ab eius

cultoribus: ac si congrueret hic locus cum illo Christi dicto: Iugum meum suave est, et onus meum leve. Matth. 11, 30. Neque enim solum coacta est eiusmodi interpretatio sed facile refelli potest ex multis similibus locis, ubi viae Domini sumuntur passivo sensu, pro paterna quam in suis tuendis et fovendis tenet ratione: imo pro tota gubernatione qua res humanas temperat. Summa igitur est, sic Dominum agere cum suis fidelibus, ut omni ex parte propitium et veracem eum sentiant. Neque enim hic narrat David qualem promiscue se Deus erga humanum genus praestet, sed qualem ipsum experiantur eius filii. Vidimus enim Psalmo 18, 26 prae fractis durum esse et rigidum, atque ut clementer ignoscat, videmus tamen nullo dulcedinis eius sensu affici: tantum abest ut eius promissionibus innixi plenam ab eo felicitatem expectent. Imo simul atque aliquid adversi contigit, fremunt et indignantur, Deum crudelitatis insimulant, vel surdum esse suis precibus queruntur: in laetitia vero eius conspectum fugitant. Quare non immerito Dei clementiam et fidem quasi peculiarem thesaurum fidelibus designat: ac si diceret non esse timendum ne Deus nos frustretur, si manemus in suo foedere. *Foedus et testimonium* idem valet, nisi quod secundum exegetice additum est. Comprehendit autem totam legis doctrinam, in qua cum electo populo paciscitur.

11. (*Propter nomen tuum Iehova propitius, etc.*) Quia copula interponitur, putant quidam hoc membrum ecliptice positum esse, ut verbum aliquod subaudiendum sit, deinde sententiam illam seorsum legunt: *Propitius sis iniquitati meae*. Itaque secundum eos sensus esset: Domine licet foedus tuum non exacte custodierim, ne tamen propterea desinas beneficium te erga me ostendere, ac ne tuam beneficentiam arceat mea iniquitas, eam mihi condona. Sed ego aliis potius assentior qui copulam (sicut aliis pluribus locis) supervacuum esse putant, ut uno contextu cohaereat totus versus. In verbi etiam tempore dissentiunt interpretes, quidam enim praeteritum retinent ac si gratias Deo ageret David ob remissum sibi peccatum. Sed verior est altera expositio, quae etiam magis recepta est: Davidem scilicet iterum ad misericordiae Dei asylum confugere ut veniam obtineat. Nam ¶ est temporis conversivum: futurum vero optativi loco sumitur. Porro hunc versum ita cum praecedentibus coniungo: Quum secum meditatus esset propheta, Deum beneficium et fidelem esse suis cultoribus, iam in se descendens, agnoscit nonnisi intercedente venia posse in hoc numero se censi, ideoque ad deprecationem se confert: sicuti Psalmo 19, 13 ubi concionatus est de mercede quae reposita est fidelibus, ubi lege servaverint: repente exclamat: Delicta quis intelliget? Quamvis ergo non ignoret

David quam liberaliter promittat Deus custodientibus pactum suum, quidquid ad beatam vitam pertinet: quia tamen simul videt quam procul adhuc a perfecta legis iustitia absit, non subsistit in illa fiducia, sed multis delictis, quorum sibi conscius est, remedium quaerit, ita, ut Deus nos in servis suis reputet, semper rogandus est ut paterna indulgentia infirmitates nostras toleret: quia sine gratuita remissione peccatorum nulla operum retributio speranda est. Caeterum quo certius exprimat totum se a mera Dei gratia pendere, diserte ponit: Propter nomen tuum, significans Deum quoties ignoscit suis, non aliunde causam sumere quam a se ipso: sicuti paulo ante dixit eodem sensu: Propter bonitatem tuam. Quamquam ipsa culpae magnitudine coactus fuit ad implorandum Dei nomen: quia mox sequitur confessio, quod magna sit vel multa iniquitas (utroque enim modo verti potest nomen **רַחֵם**) ac si dixisset: Magno quidem onere me premunt peccata, ut ipsa magnitudo vel gravitas spem veniae praecidere mihi queat: sed pluris est immensa tui nominis gloria, Domine, quam ut me repudies.

12. *Quis est vir timens Iehovam? docebit eum in via quam eligat.* 13. *Anima eius in bono morabitur, et semen eius haereditate possidebit terram.* 14. *Consilium*) Iehovae timentibus eum, ut notum faciat illis foedus suum.* 15. *Oculi mei semper ad Iehovam, quia ipse educet e reti pedes meos.*

12. (*Quis est vir, etc.*) Iterum secum meditando qualem se Deus servis suis exhibeat, novum vigorem colligit. Diximus enim, nihil magis esse proclive quam ut flaccescat precandi attentio, nisi promissionum Dei recordatio eam sustentet. Interea dubium non est quin se partim accuset David, partim vero meliore spe concepta, ad Dei timorem hortetur. Primum enim significans, ideo recta intelligentia sanoque iudicio destitui homines, quia Deo se cum reverentia et timore regendos non offerunt: suae socordiae imputat, quod obtenebrata mente post suas cupiditates vagatus sit, rursus vero si Deo se addicat et docilem praebat, spiritum sanctum sibi viae ducem promittit. Videtur autem interrogatio notare eorum paucitatem qui Deum timent. Nam etsi promiscue omnes orant, et prae se ferunt aliquod pietatis studium, quotusquisque se penitus excutit? imo suo torpori indulgent fere omnes. Itaque rarissimus est Dei timor: quo fit ut spiritu consilii et prudentiae mundus ut plurimum privetur. Quod quidam interpretes in verbo *Eligat* futurum tempus in praesens resolvunt, ac si dictum esset, Deum monstrare viam quam

ipse probat, et per quam vult homines incedere: mihi non placet, nam electio haec (meo iudicio) potius ad unumquemque refertur, ac si dictum esset: Modo nos ad Dei timorem simus compositi, ipsum non defore suo officio, quin spiritu prudentiae ad viam eligendam nos dirigat. Nam quum nobis instituenda est vitae ratio, velut in bivio stamus, imo in singulis fere actionibus haeremus suspensi et perplexi, nisi Deus nobis ad viam monstrandam occurrat. Dicit ergo David: Quamvis nesciant homines quid rectum sit, et quid ipsos eligere oporteat: modo tamen pia docilitate se ad Deum sequendum accingant, illum semper certum ac fidum ducem fore. Porro quia hic timor Dei non est nobis ingenitus, temere hic quispiam rationetur Deum cessare donec sua praeparatione se insinuent homines in eius gratiam, ut rectos eorum conatus adjuvet. Nam de prima hac gratia nuper concionatus est David, quod Deus transgressores doceat: nunc vero secundam addit, quod regendos suscipiat qui iam domiti sunt ac mansuefacti, ut praeeunte spiritus luce teneant quid facto opus sit.

13. (*Anima eius.*) Si summa est hominis felicitas, nihil aggredi vel tentare nisi autore Deo, summum quoque et incomparabile beneficium est, illum habere vitae ducem ne unquam aberremus: sed adiungitur accessionis vice terrena etiam benedictio, in qua prioris gratiae fructus palam apparet: sicuti etiam docet Paulus: Pietati non solum aeternam salutem, sed quae ad praesentem vitam spectant etiam promitti, 1. Tim. 4, 8. Summa est, veros Dei cultores non spiritualiter modo beatos esse, sed ab eo quoque benedici quod ad praesentis vitae statum. Verum quidem est, non semper ex animi voto eos tractari, nec certo et aequabili modo fluere quas optarent commoditates: imo saepe quum impii deliciantur, molestiis et aerumnis vexari eos contingit. Sed sciendum est, quoties suam benedictionem Deus subducit, eos expergefieri ut se procul adhuc a perfecto Dei timore distare sentiant. Interea tamen quatenus expedit, sic fruuntur Dei beneficiis, ut prae hominibus profanis et Dei contemptoribus vere sint felices: quia in extrema inopia Deum tamen sibi esse praesentem persuasi, in hoc tuto consolationis portu quiescunt. Hoc certe verissimum est, ex uno fonte oriri omnes nostras misérias, quia cursum benedictionis Dei nostris peccatis abruptimus, et tamen eius gratiam in hac tam confusa perturbatione lucere, ut sanctorum conditio melior sit: quia etiamsi bonis non saturantur, paternum Dei favorem assidue gustant, atque huc libenter refero *animae* nomen: quod scilicet in percipiendis Dei donis non sint insipidi, ut ad eos placandos longe plus valeat mediocritas, quam impiis satisfaciatur summa abun-

*) Le conseil, en marge: ou secret.
Calvini opera. Vol. XXXI.

dantia. Ergo sua ut quisque sorte intus contentus est, et cum hilaritate patientiam et quietem colit, eius anima dicitur habitare in bono. Quod quidam interpretes intus habitare ad tempus mortis trahunt, argutum est magis quam firmum: potius enim (ut dictum est) de terrenae vitae statu loquitur. Deinde amplificandi causa secundo loco addit: Posterius fidelium terrae fore haeredes: unde sequitur, Deum suo favore eos promereri. Unde rursus colligimus mortem nervis Dei non esse interitum, nec extinguendum migrare ex hoc mundo, sed manere supernitens: absurdum enim esset, Deum vita privare in quorum gratiam aliis benefacit. Quatenus autem terrae hereditas ad filios sanctorum perveniat, ut alibi dictum fuit, tum fusius videbimus Psal. 37.

14. (*Consilium Iehovae.*) Confirmat aliis verbis quod nuper dixerat, Deum omnibus piis doctorem et magistrum fore: et suo more bis idem repetit in eodem versu. Neque enim aliud est foedus Dei quam secretum vel consilium: sed nomine secreti doctrinae excellentiam commendat, quae nobis proposita est in lege Dei. Utcunque enim alto fuit profani homines Moysen et prophetas despiciant, agnoscunt tamen fideles in eorum doctrina sibi colorum arcana patefieri, quae humanae sapientiae modum longe superant. Itaque quisque in lege rite proficere cupit, reverenter suspiciat quam continet doctrinam. Iam vero hic locus nos ad modestiam et humilitatem invitat, ne freti proprio ingenio aut solertiae nostrae confisi, percurrere tentemus ad mysteria, quorum notitiam singulare esse Dei donum pronuntiat David, Psal. 111, 10. Deinde quum timor Dei ingressus esse dicatur ad rectam intelligentiam, quantum quisque in fide crescere cupit, progressus etiam in Dei timore faciat. Quotum, ubi viget pietas, periculum non est ne in Deo quaerendo operam ludamus. Arcanum quidem est Dei foedus, humano captu altius: sed quum Deus non frustra quaeri velit, quicumque ad eius cultum recto studio adspirant, spiritus ductu pervenient ad coelestem sapientiam, quae in eorum salutem destinata est. Oblique autem litorales discipulos legis perstringit David, qui falso et inaniter foederis Dei participes se iactabant. Etsi enim voco sua promiscuo alloquitur Deus bonos et malos, nisi tamen adsit sincerus affectus, auribus canit: quemadmodum dicit Iesaias 29, 11: Impiis legem esse similem clauso et obsignato libro. Itaque mirum non est, puros Dei cultores, quibus arcanum suum reserat, a scelestis vel hypocritis discerni. Haec vero spe sibi proposita David fidenter ad Dei scholam accedens, et alios secum abducens, non obscuro ostendit detestabile esse eorum fligmentum, qui a scripturae non secus ac labyrinthi accessu totam plebem arcent: quasi vero non disorto ex quolibet ordine vocentur

ad foederis Dei notitiam quicumque eum ex corde timent.

15. (*Oculi mei semper.*) Hic fidem suam eiusque perseverantiam non iactantiae causa celebrat David, sed ut impetrandi fiducia alacrior reddatur ad precandum. Nam quia omnibus qui in Deum respiciunt data est promissio, spem eorum non fore irritam, nec posse pudefieri: saepe se hoc clypeo sancti muniunt. Interea suo exemplo legitimam precandi rationem aliis praescribit, ut scilicet defixos contineant in Deo suos sensus. Nam oculorum nomine, quorum sensus acerrimus est, et totum hominem ad se rapit, omnes affectus notari rarum non est. Ratio quae additur spem desiderio esse coniunctam clarius ostendit: ac si dixisset se non dubitanter ac trepide mentem suam conicere in auxilium Dei, sed quia persuasus est sibi fore liberum: et pronomen ipse emphaticum est: docet enim se non circumspectare huc et illuc, eorumque more qui alternando varias sibi salutes confingunt, sed Deo uno contentum esse.

16. *Respice ad me, miserere mei, quia unicus*) sum et pauper.* 17. *Afflictiones cordis mei se dilatarunt, de angustiis educas me.* 18. *Vide afflictionem meam et laborem meum**), et tolle omnia peccata mea.* 19. *Vide inimicos meos, quia multiplicati sunt, et odio violento***) oderunt me.* 20. *Custodi animam meam, et erue me ne pudefiam, quia speravi in te.* 21. *Integritas et rectitudo custodiant me, quia te expectavi.* 22. *Redime Deus Israël ex omnibus tribulationibus eius.*

16. (*Respice ad me.*) Quia nobis hoc dictat carnis sensus, Deum, nisi ab eo iuvemur, oblitum nostri esse: ordinem sequitur David, quo nos ducit natura, rationem sui a Deo haberi petens, ac si ante neglectus foret. Sic autem resolvo verba, respice ad me ut miserearis mei. Causam enim salutis ponit Dei intuitum, cui deinde effectus subiicitur: quia simul ac nos dignatus fuerit Deus sua cura, manus etiam ad auxilium ferendum parata erit, deinde ad flectendum Deum miseriam suam proponit, vocans se unicum, hoc est solitarium, deinde pauperem. Nec vero dubium est quin ad promissiones alludat, quibus pronuntiat Deus se miseris et desperatis praesto fore ad opem ferendam.

17. (*Afflictiones cordis mei.*) Fatetur hoc versu non modo externum sibi bellum esse cum hostibus et molestiis quas inferunt, sed intus etiam moerore et angoribus se torqueri. Et notanda est loquutio

*) unique, en marge: ou, seul.

**) mon affliction et ma peine, en marge: mon souci et travail.

***) une haine de violence, en marge: ou cruelle.

PSALMUS XXVI.

ARG. Psalmus hic superiori fere similis est. Propheta enim multis iniuriis oppressus, nec quidquam inveniens subsidii in mundo, implorat Dei fidem, ut causam hominis iniuste afflicti suscipere et innocentiam asserere velit. Et quoniam certamen erat illi cum hypocritis ad iudicium Dei provocat, odiose eos perstringens, quod falso Dei nomen obtenderent. Tandem quasi voti compos, sacrificium laudis pro liberatione promittit.

Davidis. 1. *Iudica me Iehova, quia ego in integritate mea ambulavi, et in Iehova speravi, non nutabo.* 2. *Proba me Iehova, et tenta me, examina renes meos et cor meum.* 3. *Quia bonitas tua coram oculis meis: ideo ambulavi in veritate tua.* 4. *Non sedi cum hominibus vanitatis, et cum versutis non ingrediar.*

1. (*Iudica me Iehova etc.*) Dixi iam Davidem ad Dei iudicium confugere, quia nihil reperiebat aequitatis in hominibus. Iudicare autem Hebraeis dicitur qui causae cognitionem suscipit. Perinde igitur est ac si David appellet Deum iuris sui vindicem. Nam quum ad tempus nos hostium iniuriis et petulantiae exponit, videtur causam nostram negligere: ubi vero cohibet hostes nostros ne pro libidine grassentur ad nocendum, re ipsa demonstrat sibi curae esse defensionem iuris nostri. Itaque discamus exemplo Davidis, ubi destituimur hominum praesidio, conferre nos ad Dei tribunal, et in eius protectione acquiescere. Quae sequuntur, varie exponunt interpretes. Quidam uno contextu legunt: Iudica me, quia ego in integritate mea ambulavi. Alii vero ad posterius membrum referunt, quia ambulavi in mea integritate, ideo non nutabo. Ego vero libenter extendo ad utrumque. Nam quia proprium Dei munus est bonas causas asserere ac tueri, eum sibi patronum constituens, integritatis suae et spei testem citat, unde et fiduciam opis impetrandae concipit. Si tamen disiungere placet, magis probabile videtur, seorsum hanc sententiam legere: Iudica me Iehova: deinde sequatur altera precatio, ne Deus nutare ipsum permittat: quia se innoxie et sincere gessit, etc. Caeterum in pronomine possessivo notanda est emphasis, quam interpretes male praetereunt. Non enim simpliciter testatur se integrum fuisse, sed constanter perrexisse in recto cursu, nec deiectum fuisse a proposito, quamlibet violentis machinis impulsus fuerit. Scimus enim, ubi nos improbi invadunt, si vi aut malis artibus nos obruant, quam difficile sit eundem retinere animum. In eo enim ponitur spes victoriae, si fortiter et strenue arma armis et fraudes fraudibus opponimus. Atque haec tentatio probos et moderatos homines ut plurimum percellit: qui alioqui recte agendi studio tenentur, ut hostium

importunitate coacti, a via deflectant. Itaque discamus exemplo Davidis, etiam quum datur nocendi occasio, et quum hostes variis modis nos laceant et sollicitant, firmi in gradu nostro manere, nec ab integritatis nostrae tenore sinamus nos ullo modo abduci.

2. (*Proba me.*) Quo se magis indigne et praeter meritum calumniis premi videbat David, accensus fuit doloris vehementia, ut intrepide iustitiam suam assereret: nec tantum ab externis sceleribus se purgat, sed etiam de cordis sui rectitudine puroque affectu gloriatur: simul cum hostibus suis tacite se comparat. Nam quia crassi erant hypocritae, superbe iactantes Dei nomen, hanc eorum impudentiam ac duritiem traducit coram Deo. Declarat vero haec contestatio quam bene sibi conscius fuerit, quum audet Dei iudicio omnes animae suae recessus examini subiicere. Notandum semper est, hostium improbitate fuisse coactum ut se tam magnifice offerret. Nisi enim iniuste damnatus fuisset ab hominibus, suppliciter deprecatus fuisset tale examen: sciebat enim recte agendi studium [quo flagrabat, procul adhuc a summa perfectione abesse. Sed ubi se falso gravari videt, hominum iniquitas eum animat ut ad Dei tribunal accedere non dubitet. Caeterum quia sciebat externam innocentiae speciem illic non magni esse momenti, sinceram cordis rectitudinem in medium profert. Nam quod ita nonnulli distinguunt, ut *cor* superiores affectus significet, *renes* sensuales (ut loquuntur) et magis crassos, subtile est magis quam firmum. Scimus enim Hebraeos renum nomine, quod maxime in hominibus reconditum est, notare. David ergo bene sibi conscius totum se Deo examinandum offert: non ut securi homines, vel potius stupidi, qui sibi blandientes suis deliciis fucum se Deo facturos putant, neque enim dubium est quin se probe et penitus excusserit antequam ita confidenter prodiret in conspectum Dei. Atque hoc in primis videndum est, si cupimus nos Deo probare, ut non modo abstineret ab iniuria qui iniuste laesus est, sed etiam perstiterit in recto affectu.

3. (*Quia bonitas tua.*) Potest uno contextu hic versus legi, et dividi in duo membra: eodem tamen fere sensu. Si contexere uno tenore placeat, utrumque verbum principale erit, hoc modo: Quia mihi bonitas tua, Domine, versata semper est ante oculos, et in fide tua quievi, pravas omnes cupiditates fraenavi in animo meo, ne hostium malitia laceasitus, ad retaliandum impelleret. Ita in hoc versu esset causae redditio. Probabilis etiam est altera expositio: Quia bonitas tua mihi ante oculos fuit, ambulavi in veritate quam praecipis. Sed tunc supervacua esset copula: quod Hebraeis satis usitatum est. Etsi autem affinis est haec sententia priori, sequi tamen malo quod a verbis minus

remotum est. Quia enim rara et difficilis virtus est, non tantum se cohibere a maleficiis, ubi omnia huc provocant, sed a cordis integritate non defletere, declarat Propheta quomodo inter tam arduas tentationes prosequutus sit rectum cursum: nempe quia Dei bonitatem qua sollicitè suos conservat, ob oculos sibi proposuit, ne ad perversas artes declinans, illius patrocinio se privaret: fidemque eius sequutus, animam suam in patientia possederit: quia certo persuasus erat fieri non posse ut Deus fideles suos deserat, qui in eum recumbunt. Et certe nisi Dei bonitate fretus, inter tot ac tam duros insultus pedem in colenda integritate non fixisset. Atqui hoc inter Dei filios et profanos homines notabile discrimen est: quod illi meliorem exitum a Domino sperantes ab eius verbo pendent, neque inquietudine ad noxias artes feruntur: hi vero posteriores, quamvis bonas causas sustineant, quia tamen ignota est illis Dei providentia, raptantur huc et illuc, illicita consilia captant, confugiunt ad fraudes: denique nihil aliud habent propositum, quam malum malo vincere. Unde etiam miseri et tristes, interdum etiam tragici exitus: quia posthabita Dei gratia tantum ad versutias et calliditates intenti sunt. Summa est, Davidem in servanda iustitia constantem fuisse, quia Deum sibi ducem statuerat. Priore autem loco, mentionem facit bonitatis: deinde addit *veritatem*, quia nonnisi ex promissionibus cognoscitur bonitas, quae nos infracta animi magnitudine per omnes tentationes dirigat.

4. (*Non sedi.*) Iterum profitetur se longe fuisse dissimilem hostibus suis. Nam semper antithesis notanda est, quod pravi homines nocendo et laedendo probitatis studium ei nunquam excusserint. Posset etiam hic versus cum superiore coniungi tanquam sententiae complementum, quod David confisus Dei gratia, se ab impostoribus subdlexerit. *Sedendi* autem et *ingrediendi* verbis, consilii participatio et operum societas notatur: sicuti Psalmo primo dictum est. Negat enim David sibi cum vanis et fraudulentis hominibus fuisse quidquam commune. Et certe hoc optimum remedium est quod nos a consensu impiorum revocet atque arceat, si oculos in Dei bonitatem defigimus: sicuti nunquam ad eorum vafritiem accedet qui in Dei fide ambulabit, eius providentiae omnes eventus committens. Quos priore membro dicit *homines vanitatis*, eosdem נַעֲלָמִים paulo post vocat: hoc est tectos et fallacis implicitos. Nam inde simulandi vanitas, quod homines versuti aliud habent in animo reconditum, quam lingua ostendant. Hoc vero nomen ab נָלַם deduci absurdum est: nec ad rem pertinet eorum imposturas puerorum ludo conferri. Fateor quidem, quicumque fraudibus dediti sunt, subsannatores esse: sed quorsum tam coacta expositio, quum palam sit fontem monstrari unde

prodeunt mendacia et fraudes? Ita scite fides quae in Dei promissiones intenta est, flexuosis omnibus et pravis consiliis opponitur, quibus nos involvit incredulitas quoties Dei praesidio suum honorem non tribuimus. Docet enim suo exemplo David, minime timendum esse, ne impiis in praedam nos exponat nostra simplicitas, ubi promittit Deus nos sub manu sua tutos fore. Sua quidem etiam filiis Dei prudentia est, sed quae longe a carnis astutia differt: sic enim duce et rectore spiritu insidias praecavent, ut tamen sibi ad nullam vafritiem habenas laxent.

5. *Odi coetum*) transgressorum, et cum sceleratis non sedabo.* 6. *Lavabo in puritate**) manus meas, et circumdabo altare tuum, Iehova.* 7. *Ut audire faciam vocem laudis, et enarrem omnia mirabilia tua.*

5. (*Odi coetum.*) Contestationem illam iterum repetit, quantopere scilicet ab impiis abhorreat. Prius negavit consuetudinem sibi cum illis fuisse: nunc apertius declarat, cum detestatione se fugisse illorum consortium: id enim exprimitur odii nomine. Verum quidem est passim odio haberi improbos, sed quotusquisque se ab illis subducit, ne illorum mores imitetur? David utrumque ponit, sibi fuisse exosos illorum coetus, seque cum illis non communicasse, unde apparet, non tam cum personis quam cum vitiis ei fuisse bellum. Aliam quoque moderationem ponit, se ita fugere improbos, ut tamen eorum odio ecclesiam Dei non deserat, neque se a societate divinitus mandata abdicet. In hac autem parte non leviter a multis peccatur, qui dum vident malos bonis permistos esse, pollui se contagione existimant, nisi protinus discessionem fecerint a toto grege. Iam olim Donatistas et antea etiam Catharos ac Novati discipulos ad noxia dissidia impulit haec morositas, et nostro saeculo Anabaptistae eodem fastu divortium a sanctis ecclesiis fecerunt, quia videbant non purgatas esse omni sorde, sicuti optandum fuerat. Imo quum Donatistae pertinacius verbis insisterent, ridiculos se fecerunt in actione quadam. Indictus fuerat conventus ad sedandas discordias, quum honoris causa sedere iussi essent a tribuno, stare se dixerunt, quia nefas esset cum improbis sedere: Tunc lepide Augustinus excepit: Cur ergo ad nos intrare vobis religio non fuit? Utrumque enim simul scriptum est, ad malignos non ingrediar, et cum sceleratis non sedabo. Prudenter itaque David zelum suum temperat, ut se ab impiis separans non tamen desinat templum frequentare, quod postulat Dei mandatum, et praescripta in lege ratio. Certe dum

*) la compagnie, *en marge*: ou assemblée.

**) pureté, *en marge*: ou innocence.

coetum improborum nominat, colligere licet, non exiguum fuisse eorum numerum, tunc igitur volitasse credibile est, quasi soli in populo Dei excellerent, atque etiam dominarentur, hoc tamen non obstitit quominus David ad sacrificia pro more accederet. Publice quidem curandum est ne tali flagitio inquinetur ecclesia: privatim etiam pro se quisque eniti debet ne remissio et indulgentia vitiorum morbos foveat. Si quando tamen non viget ea severitas, singulos fideles non impedit talis corruptio, quin pie et sancte in ecclesiae societate maneant. Interea notandum quid Davidem retinuerit, nempe sacrorum participatio.

6. (*Lavabo in puritate.*) Hic se in communi sacrorum usu a sceleratis separat, qui eundem profitebantur Dei cultum, seque magna pompa primos ingerebant, ac si penes eos esset templi dominium. Quum igitur hoc David cum hypocritis haberet commune, quod simul templum ingrediebantur, et altare circumdarent: ut se probet verum Dei cultorem, non externis tantum caeremoniis se defungi testatur, sed sincera pietate ad Deum colendum se venire. Neque enim dubium est quin ad solennem ablutionis ritum alludat, qui sub lege in usu fuit. Sed quum hypocritae vera puritate neglecta, tantum in aqua munditiam quaerent, hic crassa eorum superstitio perstringitur: volebat enim Deus symbolo illo homines suae pollutionis admonitos ad poenitentiam hortari. Adeo igitur externa lotio per se nihil profuit, ut hypocritas longius arceret a Dei accessu: ideo plus sordium et foeditatis ab illis lavando contrahi arguit Propheta, ubi suam ablutionem in puritate fore pronuntiat. נקיני enim munditiam cuiuslibet rei significat, indeque ad innocentiam transfertur: ita inane studium quo se fatigant hypocritae, videmus rideri, ubi eorum lotionibus detrahatur puritas. Nos vero exemplo Davidis, utcumque in ecclesia emineant improbi, templaque occupent eorum turmae, sic colamus externam professionem fidei, ne falso obtendamus externa symbola, verae pietatis loco: deinde ut ab omni scelesti macula puri et vacui simus. Quia populo altare attingere non licebat, *circumdandi* verbo usus est David.

7. (*Ut audire faciam.*) His verbis ostendit sacrificia se in legitimum usum ac finem referre, a quo hypocritae procul absunt. Quorsum enim pietatis exercitia instituerit Deus, minime tenent, atque etiam parvi pendunt: quia satis est simulationis pompam vel spectrum Deo obtrudere. Ergo David spiritualem cultum a lusorio et ficto discernere volens, se ad celebrandum Dei nomen in templum venire affirmat. Est autem synecdoche in eius verbis, quia unica tantum species attingitur. Sacrificiis enim non tantum mandata fuit gratiarum actio, sed etiam meditatio poenitentiae ac fidei.

Sed quia ultimus finis est, vel saltem praecipuus respectus, ut cognitis Dei beneficiis celebretur eius bonitas, absurdum non fuit sub hac parte reliquas comprehendere. Sic etiam Psalmo 50, 14 omnibus externis caeremoniis opponitur unicum laudis sacrificium, ac si eo posita esset pietatis summa. Item Psalmo 116, 12: Quid rependam Domino pro omnibus eius muneribus? Calicem salutem accipiam, et nomen Iehovae invocabo. Caeterum quo melius illustret David ratam Dei potentiam, eiusque beneficia splendidius extollat, utitur *mirabilem* nomine: ac si diceret non vulgari modo se fuisse a Deo adiutum.

8. *Iehova, dilexi habitaculum domus tuae, et locum domicilii gloriae tuae.* 9. *Ne colligas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* 10. *Quia in manibus eorum malitia, et dextra eorum plena est muneribus.* 11. *Ego autem in integritate mea ambulabo: redime me, et miserere mei.*

8. (*Iehova, dilexi.*) Confirmat hoc versu se non defunctorie venire in templum, sed serio affectu. Nam profani homines, quamvis etiam ipsi ventitent ad sacros coetus, latebras tamen hoc modo quaerunt ad fugitandum Dei conspectum: pii vero et integri homines non vanae ostentationis causa frequentant templum, sed quia recta adspirant ad quaerendum Deum, libenter et cupide quae illic offert Deus adiumenta ad suum usum accommodant, ac utilitas ista desiderium et amorem in eorum cordibus accendit. Ostendit autem haec contestatio, Davidem, quamlibet alios fide praeccelleret, veritum tamen fuisse ne vulgaribus istis rudimentis, quae Deus ecclesiae suae tradiderat, eum privaret tyrannica hostium violentia. Nam se communi disciplina et ordine opus habere videns, de retinenda templi possessione sollicite contendit. Unde colligimus quam pravum sit eorum fastidium qui tanquam supervacua contemnunt pietatis exercitia, quibus ne ipse quidem David carere potuit. Fuit quidem alia eius temporis ratio, fateor, quum lex adhuc instar paedagogi veterem populum serviliter prae nobis regeret: hoc tamen nobis commune est, quod adminiculis opus habet fidei nostrae infirmitas. Quum vero in hunc usum destinaverit nobis Deus tam sacramenta, quam totum ecclesiae ordinem, vae eorum superbiae qui secure transvolant quae videmus sanctis Dei servis tanto in pretio fuisse. מעין quidam deducunt ab oculo: atque ita pulcritudinem vel adspectum vertunt: quod sequutus est vetus interpretes. Sed quia ubique fere pro domicilio capitur, quod simplicius erat, retinere malui. Iam quod sanctuarium domus Dei vocatur, et locus domicilii gloriae eius, scimus quam frequenter in scriptura occurrant huius generis loquutiones, ad tes-

vidabo? 2. *Quum propinquarent ad me maligni ad vorandam carnem meam, oppressores mei et hostes mei in me corruerunt, et ceciderunt.* 3. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si consurget in me proelium, in hoc ego confidam.*

1. (*Iehova lux mea.*) Sic quidem accipi potest hoc initium, ut David iam Dei misericordiam expertus testimonium gratitudinis suae edat. Sed ego in diversam potius sententiam inclino, quod propositum sibi cum gravissimis tentationibus certamen videns, se praemuniat ac fiduciae materiam colligat: sicuti necesse est sanctos acriter secum luctari, ut dubitationibus, ad quas nimis propensae est caro, repulsis aut subactis, alacres et expediti ad orandum properent. David ergo variis agitatibus procellis, tandem se ipsum colligit, et victricem adversus curas, quibus aestuaverat, vocem emittit, Deo propitio et favente nihil esse metuendum. Huc etiam spectat verborum congeries, quod Deum non modo lucem suam nominat, sed salutem quoque et vitae suae rupem vel robur. Nam hunc quasi triplicem clypeum variis terroribus opponere voluit, qui ad eos excipiendos sufficeret. Lucis autem nomine iucunditatem et beatæ vitae summam notari, satis tritum est. Expositionis causa adiungit salutem esse ac robur vitae: quia scilicet Dei ope tutus sit, et immunis servetur a mortis tenebris, inde certe metus omnes oriri deprehendemus, quod nimis cara sit nobis vita: eius vero non agnoscimus Deum custodem. Itaque nulla erit animis tranquillitas, donec persuasi erimus vitam nostram probe munitam esse, quia eam Dominus manu virtuteque sua tuetur. Interrogatio autem ostendit quantum Dei praesidio tribuat David, quum secure cunctis hostibus et noxiis insultat. Et certe non aliter Deo iustus defertur honor, nisi dum eius ope freti de certa salute gloriari audemus. Itaque David quasi in trutina appendens quidquid potentiae est in mundo et inferis, totum hoc pluma levius esse ducit, quia unus Deus longe praeponderet. Discamus ergo tanti facere Dei virtutem ad nos servandos, ut ad profligandos omnes metus praevalcat: non quod in hac carnis infirmitate a pavore semper intactae sint fidelium mentes, sed quia statim recepto vigore ex alta fiduciae arce pericula omnia despiciamus. Ideo trepidant qui nunquam gustarunt Dei gratiam, quia recumbere in ipsum nequeunt, quem sibi saepe infensum concipiunt, vel saltem a se procul remotum. Verum ubi nobis ante oculos versantur Dei promissiones, eiusque gratiam offerunt, atrocem ei iniuriam facit nostra incredulitas, nisi imperterrito animo eum omnibus nostris hostibus audemus opponere. Quum ergo blande nos ad se Deus invitet, ac salutis nostrae foro praesidem asserat, ubi eius

promissiones amplexi sumus (quia persuasi sumus eum esse veracem) simul eius potentiam in sublime extollere convenit, ut animos nostros in sui admirationem rapiat. Tenenda enim est ista comparatio: Quid ad Deum omnes creaturae? Porro hanc fiduciam longius extendere convenit, ut omnes conscientiae formidines discutiat: sicuti Paulus de aeterna salute disserens libere exclamat: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8, 31.

2. (*Quum appropinquarent.*) Cur haec sententia reddatur in futuro tempore, sicuti faciunt nonnulli interpretes, nulla est ratio. Caeterum, ut retineamus praeteritum tempus quo usus est propheta, duplex tamen adhuc sensus esse potest: vel ut David celebret quam Dei beneficio adeptus erat victoriam: vel referat qualiter se ad bene sperandum animaverit in ipsa tentatione, priora scilicet Dei beneficia secum reputando: quae posterior expositio magis arridet. Summa autem huc redit, non esse cur dubitet in posterum David de auxilio Dei, quod ante expertus fuerat, quia ad fidei confirmationem nihil magis valet, quam earum rerum recordatio, in quibus Deus clarum tam gratiae quam veritatis et potentiae specimen nobis addidit. Itaque hunc versum et proxime sequentem simul connecto. In hoc enim priore David in memoriam sibi reducit quas ante sub Dei auspiciis victorias tulerat. Inde vero concludit, quibuscunque obsessus fuerit copiis, et quidquid machinentur hostes, se intrepide statutum. קָרַב appropinquare significat: sed hic refertur ad irruptionem quam fecerunt hostes Davidis, quum eum urgerent. Quod alii pugnare vertunt, frigidum est. Vocat autem eos perversos vel malignos, testandae suae innocentiae causa. Immanem vero truculentiam exprimit, eos ad vorandam carnem suam instituisse referens.

3. (*Si consistant adversum me.*) Infert (sicut dixi) ex sua experientia, quidquid acciderit adversi, bene sperandum esse nec de potentia Dei iam usu perspecta dubitandum. Id quidem primo versu testatus erat, sed probatione interposita iterum repetit. *Castrorum et exercitus* nomine complectitur propheta quidquid formidabile est in mundo, ac si diceret: Quamvis conspirent cuncti mortales in suam perniciem, se eorum vires parvi pendere: quia superior sit Dei virtus quam ipse a sua parte stare novit. Porro se pronuntians securum fore, non prorsus a metu se eximit: (quod magis stupori tribuendum esset, quam virtuti) sed opponit fidei clypeum, ne obiectis terroribus cor suum succumbat. Particulam: *In hoc* quidam trahunt ad sequentem versum, quod se habitaturum in domo Dei confidat, sed potius ex superiori doctrina pendet. Tunc enim fructum suum opportuno tempore fides profert, quum in mediis periculis fortes et intre-

pidi stamus. Intelligit ergo David, quia Dei praesidio innititur, ubi ad rem ventum fuerit, spem suam invictam fore.

4. *Unum petii a Iehova, hoc persequar, ut inhabitem in domo Iehovae cunctis diebus vitae meae, ad conspiciendam pulcritudinem Iehovae, et visitandum templum eius.* 5. *Quia abscondet me in tugurio in die mali,*) occultabit me in secreto tentorii sui, in rupe exaltabit me.* 6. *Et nunc exaltabit caput meum super inimicos meos qui me obsident, et sacrificabo in tentorio eius sacrificia iubili, cantabo et psallam Iehovae.*

4. (*Unum petii.*) Quidam hoc ad vaticinium referunt de perpetuo regni statu, in quo non privata modo Davidis ipsius, sed totius populi felicitas sita erat: ac si diceret, se tam singulari gratiae testimonio contentum, nihil aliud dies et noctes cogitasse. Mihi tamen simplicior videtur esse sensus: Quum patria extorris, uxore spoliatus, cognatis orbatus, cunctis denique opibus privatus foret: se tamen horum desiderio non ita fuisse anxium, praetulerat ipsum urebat ac cruciabat haec molestia, quod exsularet a sanctuario Dei, et sacrorum usu caret. Subest igitur in voce Unum tacita antithesis, quia commodis omnibus posthabitis, intentus fuit David ad cultum Dei, ut minus acerbum esset domus suae accessu, quam sanctuarii prohiberi. Uno igitur contextu haec legenda sunt, unice Davidem optasse ut habitaret in templo Domini. Neque enim probabile est, obscurum aliquod votum notari quod supprimat, quum aperte clamet quae maxime cura angeretur. Constantiam deinde propositi adiungit, quod non desinet has preces iterare: multos enim videmus magno impetu incitari, in quibus non modo successu temporis languescit ardor, sed momento fere exstinguitur. Ergo in hoc voto se tota vita perseveraturum affirmans, hac nota ab hypocritis se discernit. Videndum tamen est quatenus ratio tantopere Davidem stimulaverit: poterat certe extra templum Deum invocare: quocumque etiam profugus migraret, secum ferebat eximiam Dei promissionem, ut externi aedificii conspectum morari non debuerit. Videtur etiam nescio quid crassum imaginari de ipso Deo, ac si eum ligno et lapidibus alliget. Verum si prudenter expendimus verba, colligere promptum erit, alio ipsum spectasse, quam ad praeclarae structurae et quamlibet pretiosi ornatus conspectum. Loquitur quidem de templi pulcritudine, sed eam non tam in oculari specie locat, quam in typo coelesti, qui Mosi fuit propositus, ut habetur, Exod. 25, 40: Vide ut omnia facias iuxta

exemplar quod tibi in monte ostensum fuit. Quia igitur non ad hominis arbitrium composita fuit templi forma, sed rerum spiritualium imago fuit, ad hunc finem oculos suos omnesque sensus direxit propheta. Quo magis detestabilis est eorum vesania qui locum hunc ad picturas et idola detorquent, quae adeo inter templorum decora numerari non merentur, ut potius stercora sint et spurcitiae quae totam sacrorum puritatem inquinant. Videndum nunc an similiter affecti esse debeant fideles sub Christo. Etsi autem fateor longe nos a patribus differre, quatenus tamen suos adhuc sub externo aliquo ordine Deus continet, terrenisque rudimentis ad se deducit, manere adhuc templis suum decorem, qui affectus votaue fidelium merito ad se rapere debeat. Nam verbum, sacramenta, preces publicae, aliaeque huius generis adminicula reiici nequeunt absque impio Dei contemptu, qui illic velut in speculo vel imagine se nobis praesentat.

5. (*Quia abscondet me.*) Hic sibi promittit non fore irritam suam precationem. Quamvis enim ad tempus visibili sanctuario careat, non tamen dubitat, ubicumque sit, Dei manu se protectum iri. Alludit autem ad templum quod fidelibus symbolum erat praesentiae Dei: ac si diceret, In concipiendo voto quod retulit, se minime luisse operam: quia quisquis Deum vere et sincero animo quaeret, tutus latebit sub umbra praesidii eius. Ita non inanem templi figuram esse testatur: quia illic alas suas quodammodo expandit Deus, ut fideles sub tutelam suam colligat. Unde concludit, quia nihil magis in votis habet, quam sub istas alas confugere, temporibus adversis paratum sibi fore asylum in protectione Dei, quod *Rupis* similitudine inextinguibile esse dicit, solebant enim arces olim munitionis causa in locis excelsis extrui. Quamquam autem nunc undique cingatur ab hostibus, se tamen superiorem fore gloriatur. Loquutio quidem trita est in scripturis, qui moerore oppressi sunt, curvos incedere ac demisso vultu: contra autem, reddita laetitia, caput attollere. Sic, Psalmo 3, 4 loquutus est David: Tu Domine exaltas caput meum. Sed quia hic obsidio ab altera parte ponitur, exprimere voluit se in illo Dei receptu sublimem fore, ut secure tela hostium despiciat, quibus alioqui fuisset confossus. Quod vero in tales angustias redactus, quae propinquam mortem minitabantur, se victorem fore confidit, insigne fidei suae specimen praebet: quo docemur non metiri Dei auxilium externa specie, vel externo modo: sed media quoque in morte salutem sperare ex victrici eius manu.

6. (*Et sacrificabo in tentorio.*) Votum gratiarum actionis nuncupans, postquam ex discrimine ereptus fuerit, se iterum in spe liberationis confirmat.

*) au jour du mal, en marge: ou, d'adversité.
Calvini opera. Vol. XXXI.

tentiam descendunt, quod David sola fide se fuisse suffultum dicat, quia alioqui centies periisset. Hunc igitur sensum eliciunt: Nisi Dei promissione subnixus, certo statuissem me incolumem servatum iri, stetissemque in hac fide: extinctus eram, nec apparebat ullum remedium. Quod nonnulli terram vivorum ad coelestem haereditatem referunt, coactum est, atque etiam ab usu scripturae dissidet. Nam quum Ezechias conqueritur in suo cantico, Iesa. 38, 11 spem sibi fuisse ablatam videndi Dei in terra vivorum, praesentem vitam haud dubie designat, quia mox sequitur: Non adspiciam hominem ultra cum habitatoribus orbis, et similis loquendi forma alio loco nobis occurret. Credidit autem David se adhuc fruiturum bonitate Dei in hoc mundo, quia omni gratiae eius gustu ad tempus privatus nullam lucis scintillam adspicere poterat. Ergo ex mortis caligine sibi gratiae Dei adspectum promisit, et hac fide sustinuit suam vitam, quamvis secundum carnis sensum deplorata esset ac perditam. Notandum tamen est, Davidem non temere progressum esse ultra quam pollicitus esset Deus. Tametsi enim pietas promissiones habet non tantum futurae vitae, sed etiam praesentis, David tamen nunquam hanc hypothesin sumere ausus esset, nisi speciali aliquo oraculo instructus, et certe promissus erat ei successor qui semper in solio eius sederet. Merito itaque se nunquam moriturum speravit, nisi hoc completo. Quare ne quis praepostera exempli eius imitatione fidei metas transsiliat, tenere convenit quid ipse proprium et a nobis separatum habuerit. In genere tamen nos omnes sperare oportet, quamvis non aperte nos liberet Deus, et favorem suum visibili modo declaret, propitium tamen in hac quoque vita semper nobis fore.

14. (*Exspecta Iehovam.*) Dubitari potest an a se ipso David sermonem ad alios convertat, suoque exemplo eos hortetur ad fortitudinem et patientiae constantiam, sicut in fine Psalmi 31, 19 postquam de se privatim loquutus est, transitum facit ad omnes pios. Sed quia hic in singulari numero loquitur, nec ullam notam apponit unde colligere liceat sermonem ad alios dirigere, mihi probabile est, eum sibi ipsi addere stimulos ad fiduciam, ne unquam animo labascet. Quia enim sibi infirmitatis erat conscius, salutem vero suam noverat, sub fidei custodia servatam esse, opportune se in futurum tempus confirmat. Porro sub verbo *Exspectandi* se admonet de novis exercitiis, crucemque sibi tolerandam proponit. Tunc enim Deum exspectare dicimur, ubi subducta gratia sua languere nos sub aerumnis patitur. David ergo uno certamine defunctus, ad alia obeunda se de integro comparat. Quia autem nihil magis difficile est quam tribuere Deo hunc honorem, ut ab eo pendeamus quum se

procul occultat, vel auxilium suum differt, ideo se David ad robur colligendum incitat, ac si diceret: Si tibi obrepat trepidatio, si fidem tuam tentatio concutit, si carnis tuae sensus fluctuat, ne succumbas: sed potius enitere infatigabili animi virtute. Caeterum hinc discimus non contumacia fortes esse Dei filios, sed patientia, ubi Deo suas animas placide commendant: sicut dicit Iesaias 30, 15: In spe et silentio erit fortitudo vestra. Iam quia ad tam arduos conatus sufficere non poterat David, robur sibi a Deo precarium accersit. Si tantum dixisset, viriliter age, visus esset in medium proferre liberi arbitrii sui motus, sed quum mox vice correctionis subiicit, Deum praesto adfore, qui robur suppetit: satis clare ostendit, quum strenue laborant sancti, aliena virtute pugnare. Neque enim, ut fingunt papistae, in primam aciem conatum suum emittit David, postea Dei suppetias advocat: sed ubi se ad officium hortatus est, quia viribus se destitui agnoscit, defectus remedium quaerit in spiritus gratia. Iam quia tota vita sciebat militandum esse, ac subinde emergere novos conflictus, et saepe in longum tempus extrahi sanctorum molestias, iterum repetit quod dixerat de exspectando Deo.

PSALMUS XXVIII.

ARG. David postquam ope Domini ex ingentibus periculis ereptus fuerat, suo more primum quae inter angustias conceperat vota, deinde gratulationem et Dei laudes conscripsit, ut alios suo exemplo ad idem agendum adduceret. Probabile autem est de Sauli persecutionibus hic tractari.

Davidis. 1. *Ad te Iehova clamabo, fortitudo mea, ne taceas a me: si forte sileas a me, tunc assimilabor descendentibus in sepulcrum.* 2. *Audi vocem precessionum mearum dum clamo ad te, dum tollo manus meas ad sacrarium sanctitatis tuae.*

1. (*Ad te Iehova etc.*) Praefatur sibi receptum esse ad unius Dei opem, quo tam de fide sua quam de bona conscientia testetur. Etsi enim multis passim miseriis laborant homines, vix tamen centesimus quisque ad Deum confugit: sed maior pars vel fraenum contumaciter arrodit, vel in aërem spargit inanes ululatus, vel desperatione victa malis succumbit: quia et omnes fere sibi male conscii sunt, neque unquam gustarunt quid valeat Dei gratia, ut in eam respiciant. Deum robur suum vocando melius confirmat, non modo in umbra et quiete se persuasum fuisse de auxilio Dei, sed eandem fidem in ultimis tentationibus

adhuc fovere. Postea adiungit quanta necessitas urgeat, mortuis se comparans: quanquam non modo exprimere voluit periculi magnitudinem, sed etiam simul professus est, quum salute indigeat, se non huc et illuc circumspicere: sed ita pendere ab uno Deo, ut extra eius gratiam nullas spes sibi residuas faciat. Perinde enim est ac si dixisset: Nullus sum si a me discesseris: nisi tu unus succurras, perii. Neque enim sufficeret, eum qui misere affigitur, suas miseras sentire, nisi inopiae suae convictus, ac diffusus mundi praesidiis, ad Deum unum se colligeret. Sicut autem scriptura Deum respondere dicit fidelibus, dum re ipsa ostendit eorum vota sibi curae fuisse: ita sensibili ac praesenti eius auxilio opponitur *Silendi* verbum, ubi se preces audire dissimulat.

2. (*Audi vocem precationum.*) Repetitio haec anxietatis signum est. Precandi etiam ardor et vehementia ex *vocis* nomine et *clamandi* verbo colligitur. Significat enim se cura et metu perculsum, non frigide precatum esse, sed flagrasse ingenti desiderio: ut qui doloris impetu compulsi clamorem attollunt. Secundo membro per synecdochen signo res notatur. Trita omnibus saeculis fuit caeremonia, ut homines precandi causa manus sursum levarent. Gestum hunc profanis quoque et idololatriis extorsit natura, ut visibili signo ad Deum unum sensus suos dirigerent. Certum quidem est, maiorem partem, ubi caeremonia hac defungitur, in figmentis suis evanescere: sed tamen ipsa manuum levatio, ubi abest hypocrisis et fallacia, pia et verae precationis est appendix. Non tamen David hic se in coelum dicit manus tollere, sed ad sanctuarium, ut scilicet illo subsidio adiutus in coelum usque facilius conscenderet. Neque enim tam crasus fuit, vel superstitiose affixus externo sanctuario, quin sciret Deum spiritualiter quaerendum esse: ac tunc demum ad ipsum accedere homines, dum relicto mundo fide in coelestem gloriam penetrant. Sed quia hominem se esse meminerat, noluit hoc infirmitatis suae adminiculum negligere. Nam quia foederis Dei tessera erat sanctuarium, promissae gratiae praesentiam David illic non secus ac in speculo intuebatur. Sicuti nunc fideles ut Deum sibi propinquum esse statuunt, ad Christum recta intendere convenit, qui sub humili carnis habitu ad nos descendit, ut ad Patrem evehat. Sciamus ergo Davidem non aliter in sanctuario haesisse, quam ut promissione Dei subnixus, mundi elementa transcenderet, in quibus tamen se ex legis praescripto exercuit. *יְהוָה* interior locus est tabernaculi, vel adytum in quo locata erat arca foederis. Sic autem vocatur a responsis vel oraculis, quae Deus inde ad testandam populo gratiae suae praesentiam edebat.

3. *Ne trahas me cum impiis et cum operariis iniquitatis, qui pacem loquuntur cum proximis suis, quum in cordibus eorum sit malitia.* 4. *Da illis secundum opera ipsorum, et secundum malitiam facinorum suorum: secundum opus manuum suarum da illis, repende mercedem illis.* 5. *Quia non advertunt ad opera Iehovae, et ad opus manuum eius, destruat eos, nec aedificet eos.*

3. (*Ne trahas me.*) Summa est, ne in causa dissimili Deus iustum cum sceleratis promiscue eodem exitio permisceat. Porro, non dubium est quin hostes suos designans, suam integritatem oblique asserat. Neque tamen in hunc modum precatus est, quasi Deum putaret nullo delectu habito, temere in homines saevire, sed potius a natura Dei ratiocinatur sibi esse bene sperandum, quia proprium eius sit pios a reprobis discernere, ac singulis rependere iustam mercedem. Per *operarios iniquitatis* intelligit homines in totum sceleribus deditos, nam etsi interdum labantur filii Dei, vel aberrant, vel quovis modo delinquant: non tamen eos oblectant sua vitia: quin potius ad resipiscentiam eos sollicitat Dei timor. Postea eorum malitiam definit et amplificat, quod amicitiae simulatione perfide bonos circumveniant, aliudque lingua proferant, aliud occultum gerant in corde. Est autem tolerabilior aperta pravitas, quam haec vulpina astutia, quae se ad nocendum blande insinuat. Monemur autem hac sententia, Deo maxime esse detestabiles quicumque blanditiis, tanquam veneno, adoriuntur simplices et incautos.

4. (*Da illis.*) Postquam innocentiae suae rationem a Deo haberi petiit, contra hostes suos imprecatione fulminat. Congeries autem verborum ostendit, diu multumque sub onere genuisse, antequam ad expetendam hanc vindictam prorumperet. Nam eos non semel, nec exiguo tempore, neque in uno genere peccasse significat, sed eo progressos esse continuis maleficiis, ut prorsus intolerabilis esset eorum audacia. Scimus autem quam molesta et gravis tentatio sit, cernere impios absque modo et fine grassantes: perinde ac si conniveat Deus ad eorum audaciam. David ergo quasi diuturna tolerantia fessus, et sub mole fatiscens, postulat ut tandem compescat Deus hostium lasciviam, qui pridem scelera sceleribus addere non cessabant. Ita videmus in hoc versu nihil esse supervacuum, ubi *operibus* adiungit *facinorum malitiam*, et *opera manuum*: et quod meriti sunt, rependi tertio postulat. Adde, quod eadem opera fiduciam suam testatur: quam iactantiam filiis Dei saepe exprimunt hypocritae, dum suis cavillis mundi iudicia eludunt. Videmus enim ut improbissimus quisque sua impunitate non contentus, ultro in crimen vocet innoxios: et lupus (ut est in proverbio) agnos de aqua tur-

bata accuset. Davidem igitur haec necessitas ad implorandam Dei fidem compulit. Hic rursum de cupiditate vindictae perplexa oritur quaestio: quam tamen paucis expediam, quia alibi tractata fuit. Ac primo certum est, si nos ad vindictam expetendam caro incitat, affectum hunc coram Deo perversum esse. Praeterquam enim quod Deus hostibus malum imprecari, privatae iniuriae respectu, quemque nostrum vetat: fieri non potest quin affectus omnes, qui ex odio nascuntur, sint turbulenti. Non est igitur quod Davidis exemplum obtendant qui sua intemperie feruntur ad expetendam vindictam. Neque enim sanctus propheta privato dolore hic excandescit, ut hostes exitio devoveat, sed deposito carnis affectu, de re ipsa iudicat. Quare ut impiis male quis precetur, ante omnis perturbatio facessat necesse est. Deinde adhibenda est quoque prudentia, ne malorum quae nos offendunt indignitas ad inconsideratum zelum nos praecipitet: quod ipsis Christi discipulis accidit, dum igne coelesti absumi cupiunt qui magistro hospitium negaverant, Luc. cap. 9, vers 54. Atque hoc quidem se facere obtendunt Eliae exemplo: Christus tamen eos severe increpans, nescire dicit quo spiritu agantur. In primis tenenda est communis regula, ut nobis totius generis humani salus cordi sit ac curae: ita fiet ut non modo locum demus misericordiae Dei, sed etiam optemus reduci ad sanam mentem qui devoto animo videntur in suam perniciem ruere. In summa, David liber et vacuus omni praepostero impetu, praeditus etiam spiritu discretionis et iudicii, non tam suam quam Dei causam hic egit: et hac precatione se et alios fideles admonuit, impios, quamvis ad tempus impune protervant, venturos tandem ad coeleste tribunal.

5. (*Quia non animadvertunt.*) Hoc versu radicem impietatis detegit, improbos dicens ita esse audaces ad nocendum: quia dum hominibus infesti sunt, nec ab ulla maleficii specie abstinere, non putant sibi cum Deo esse negotium. Etsi enim eos pungit conscientia, se tamen blanditiis demulcent, tandemque contumacia ad stuporem obdurant. Ac primo quidem rebus prosperis ebrii, Deum sibi amicum esse fingunt: bonos vero qui multis aerumnis oppressi sunt, ab eo non curari: denique fortuito rotari mundum: ita sponte caecutiunt in clara luce. Sic adversarii Davidis quum volentes ignorarent eum divinitus creatum esse regem, animos ad eum persequendum sumpserunt. Quare de hac eorum crassa ignorantia conqueritur: sicuti eam generaliter omnibus impiis exprobrat Iesaias 5, 20. Haec porro doctrina duplicem usum continet. Quia non mediocre filiis Dei solatium est, ita persuasos esse dum inique vexantur, Dei providentia utiliter exerceri ad patientiam: et rebus in mundo turbatis

ac confusis, Deum sedere nihilominus in coelo moderatorem. Deinde ad subigendos carnis nostrae impetus aptissimum est hoc fraenum, ne tanquam Andabatae*) in tenebris certemus, ac si Deus res humanas non respiceret. Quare sedulo reputare discamus quaecumque Deus exerceat iudicia, quae totidem sunt iustitiae eius in regendo humano genere documenta. Quod si etiam omnia confuse misceri contingat, fidei oculos ad consideranda occulta Dei iudicia in coelum attollere convenit. Sed quum Deus etiam in magna caligine nunquam desinat proferre quaedam suae providentiae signa, inexcusabilis socordia est ad ea non attendere, quam pravitatem exaggerat propheta, iterum repetens *opus manuum Dei*. Innuat enim, reprobos secure pergendo, quidquid ad fraenandum eorum furor operum Dei occurrit, calcare. (*Destruat eos, nec aedificet.*) Quidam substantivi loco esse volunt quod in hoc versu praecessit: ac si dixisset, belluinus hic furor eos destruet, sed potius subaudiendum est nomen Dei: atque ita optime fluat contextus. Quia tamen verba sunt futuri temporis, potest ita exponi sententia: ut David iam sibi promittat quem reprobis nuper optavit interitum: neque hunc sensum repudio: quanquam (meo iudicio) vota sua adhuc continuat. Sic autem pesundari cupit impios, ut rursus nunquam emergant, vel recuperent priorem statum. Hoc enim sibi vult trita Hebraeis figura, destruat, et non aedificet: sicuti Malachias 1. cap. 4. versu loquitur de Edom. Nos vero ne insanabili plaga feriamur, discamus expergefacerere sensus nostros ad reputanda Dei opera, quae nos ad timorem eius erudiant, contineant in patientia, et in pietate confirmant.

6. *Benedictus Iehova, quia audivit vocem deprecationum mearum.* 7. *Iehova fortitudo mea, et clypeus meus: in ipso speravi cor meum, et adiutus sum: ideo exsultabit cor meum, et cantico meo celebrabo eum.* 8. *Iehova fortitudo illis, et robur salutem Christi sui ipse.*

6. (*Benedictus Iehova.*) Haec est secunda pars Psalmi, in qua Deo gratias agere incipit propheta: hactenus enim vidimus quomodo se inter discrimina precando exercuerit: hac vero gratulatione docet non vanas fuisse preces: atque ita suo exemplo confirmat, Deum quoties vere et ex animo quaeretur, praesto ad opem suis ferendam fore. Eandem sententiam proximo versu fusius declarat, Deum appellans fortitudinem suam et clypeum. Nam hinc se exauditum fuisse persuasus erat, quod mirabiliter servatus esset. Addit se fiduciae

*) C'estoyent certains peuples ou escrimeurs qui vouloyent ainsi combattre. Voyez les Chiliades d'Erasmus. [II. Cent. IV. N. 33.]

suae vel spei respectu fuisse adiutum: quia saepe fit ut qui Deum invocant, sua incredulitate respuant nihilominus eius gratiam. Tertio dicit laetitiae suae coniunctum fore testimonium gratitudinis, nam etsi ad Deum confugiunt impii et hypocritae dum angustiis urgentur, simul tamen ac elapsi sunt, liberatoris sui obliti phrenetico tantum gaudio exultant. Summa igitur est, Davidem non frustra sperasse, quia re ipsa expertus fuerit Deum praesenti virtute instructum esse ad suos servandos: atque hanc veri solidique gaudii fuisse materiam, quod Deum sibi fuisse propitium sentiret. Unde etiam se memorem et gratum fore promittit, et certe ideo Dominus hilaritate corda nostra perfundit, ut ora nobis ad canendas suas laudes aperiat.

8. (*Iehova fortitudo illis.*) Exegetice repetit quod dixerat, Deum sibi fuisse robur: nempe quia suis copiis benedixerat. Usus enim fuerat hominum manu et opera David: uni tamen Deo victoriam adscribit. Nam quum a Deo profectum sciret quidquid humanitus auxilii obtigerat, prosperum etiam successum a gratuito eius favore manasse: in illis etiam mediis intuitus est eius manum, ac si aperte e coelo exsereret. Et certe nimis indignum est ut media humana, (quae nihil aliud sunt quam instrumenta potentiae Dei) eius gloriam obsecurent: quo tamen vitio nihil est magis commune. Emphaticum vero est, quod de militibus suis loquens, pronomine tantum utitur, ac si digito eos monstraret. Posterius membrum est causae redditio. Se enim cum toto exercitu, victrici fortitudine divinitus armatum fuisse asserit, quia sub Dei auspiciis militabat. Hoc enim sibi vult *Christi* nomen: quia nisi Deus ipsum creasset regem, et gratuita adoptione amplexus foret, non fuisset in eum propensior quam in Saulem. Atque hoc modo solam Dei virtutem qua in regnum evectus fuerat, extollens, suae industriae aut virtuti nihil reliquum facit. Interea discamus, ut quisque legitimae vocationis sibi conscius est, ita ad bene sperandum hac doctrina animari. Quanquam praecipue tenendum est quod alibi attigimus, ex hoc fonte fluere quaecunque in nos Deus confert beneficia, quia gratis in Christo nos elegit. Et *salutes* plurali numero ponit, quia non semel, nec uno modo servatus fuerat. Sensus est igitur: Ex quo Deus per manum Samuelis Davidem unxerat, nunquam ab eo iuvando cessasse, sed innumeris modis fuisse eius liberatorem donec opus gratiae suae in eo compleret.

9. *Serva populum tuum, et benedic haereditati tuae: pascere eos, et extolle eos usque in perpetuum.*

Hac clausula non tam propriam, quam totius ecclesiae salutem sibi fuisse curae ostendit, imo privatim sibi nec vixisse nec regnasse, sed in commune populi commodum. Probe enim tenebat, non

alio fine se electum fuisse regem. Atque in eo, filii Dei personam se gerere ostendit, quem dum Zacharias capit. 9, vers. 9 praedicat servandum fore, haud dubie nihil seorsum a membris ei promittit, sed ut salutis effectus ad totum eius corpus se diffundat. Interim legem terrenis regibus suo exemplo praescribit, ut publicae utilitati addicti non nisi populi causa salvi esse cupiant. Sed quam procul absint ab hoc affectu, dicere nihil attinet. Fastu enim excaecati perinde reliquum mundum despiciunt, ac si ex communi hominum ordine eos eximeret suus splendor ac dignitas. Neque tamen mirum est, tam superbe et contumeliose calcari hominum genus, quod magna ex parte a ferendo Christi iugo abhorret. Nos vero meminerimus Davidem instar speculi esse, in quo continuum gratiarum suarum tenorem nobis Deus poponit. Tandem videndum est ut paterno eius amoris respondeat fidei nostrae obedientia, ut nos populum suum et haereditatem agnoscat. Quanquam autem pastoris nomine scriptura Davidem saepe insignit: hoc tamen munus ipse Deo assignans, minime idoneum se fatetur nisi quatenus Dei minister est.

PSALMUS XXIX.

ARG. Ut coram Deo humiliet cunctos mortales a summis usque ad infimos, celebrat formidabilem eius potentiam a variis naturae miraculis: quibus non secus ad dandam ipsi Deo gloriam expugnari nos dicit, ac si ipse sua voce imperium sibi assereret. Postquam vero superbos, qui non libenter cedunt, metu percussos non sine oburgationis specie hortatus est, fideles suaviter ad voluntarium Dei cultum invitat.

Canticum Davidis. 1. *Afferte Iehovae, filii fortium, afferte Iehovae gloriam et robur.* 2. *Afferte Iehovae gloriam nominis eius:*) adorate coram Iehova in splendore sanctuarii eius.* 3. *Vox Iehovae super aquas, Deus gloriae tonat, Iehova super aquas magnas.* 4. *Vox Iehovae in virtute, vox Iehovae in decore.*

1. (*Afferte Iehovae.*) Tametsi consilium Davidis fuit, ad Dei cultum et timorem adducere cunctos mortales: quia tamen procures, qui dignitate excellunt, difficilius est in ordinem cogere, eos diserte compellat. Graecum interpretem vocis affinitate deceptum fuisse, certum est, ut filios arietum verteret. Ac de vocis quidem significatione inter se conveniunt omnes Hebraei: sed ubi ad rem ventum est, frigidis commentis pervertunt vel obscurant genuinum sensum. Quidam enim de angelis, alii de stellis exponunt: alii vero procures istos quorum

*) la gloire de son nom, en marge: ou, digne de son nom.

fit mentio, sanctos patres esse volunt, atqui fastum potius corrigere voluit David, quo ebrii principes mundi huius cornua adversus Deum erigunt. Atque haec ratio est cur Deum terrificam voce per tonitrua, grandines, procellas et fulmina, duros istos et prae fractos gigantes cogentem inducat, qui nisi metu percussus, nullum coeleste numen revereri sustinent. Videmus ergo cur ad filios potentum, aliis omissis, peculiariter sermonem convertat: quia scilicet nihil eis magis tritum est, quam altitudine sua ad sacrilegium abuti, dum sibi furiose arrogant quidquid Dei proprium est: saltem ut modeste se Deo subiiciant, et suae fragilitatis memores recumbant in eius gratiam, quasi vi compelli necesse est. Ideo iubet afferre Deo robur, quia falsa imaginatione delusi, virtutem qua praediti sunt, sibi aliunde quam e coelo suppetere reputant. Summa est, ut fastu deposito, falsaque propriae virtutis opinione, Deum glorificent, sicuti meretur. *Gloriam enim nominis eius*, vocat eius maiestate dignam, qua eum proceres mundi fraudare solent. Repetitio quoque ostendit, vehementius urgendos esse, ut illis iusta confessio extorqueatur. Per *splendorem sanctuarii* non coelum, (ut quidam volunt) sed tabernaculum foederis intelligit, symbolis gloriae Dei ornatum, sic enim liquebit ex contextu. Et consulto eius loci meminit propheta, in quo se verus Deus patefecerat, ut ad purum eius cultum superstitionibus valere iussis, se conferant cuncti mortales. Neque enim sufficeret, confuse numen aliquod coeleste coli, nisi unus et idem Deus colatur, quod fieri non potest, donec revocatus fuerit mundus ab omnibus figmentis.

3. (*Vox Iehovae super aquas.*) Nunc ea quae nuper attigi, naturae miracula commemorat: ac Dei quidem non minus potentiam quam bonitatem poterat in operibus eius celebrare: deinde quum nihil sit in ordinario naturae cursu, in tota coeli et terrae machina, quod nos ad Dei notitiam non invitet, poterat (sicuti alibi Psal. 19, 1) solem et stellas, totumque coelorum exercitum, terramque cum sua opulentia in medium proferre, sed ea tantum Dei opera eligit, quae non solum testantur orbem ab eo semel fuisse conditum, eiusque imperio gubernari: sed torpentes quoque expegefaciunt, et quasi invitos trahunt ad eum suppliciter adorandum, quod etiam fateri coactus est Horatius, non profanus modo poeta, sed epicureus et impurus Dei contemptor: (Lib. I. od. 34.)

*Parcus deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos, namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens,*

*Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus, et quae sequuntur*.)*

Et experientia ipsa loquitur, qui audacissime Deum contemnunt, ad tonitrua, procellas, et similes impetus maxime expavescere. Non abs re igitur propheta nos ad species istas revocat quae barbaris et stupidis incutiunt aliquem divinitatis sensum, et quantumvis ignavos ac socordes excitant. Non dicit solem quotidie oriri, spargi eius radiis vivificam lucem, non dicit pluviam leniter stillare, quae suo succo terram foecundet: sed tonitrua, violentos imbres, et quae terrifico motu mentes hominum percellunt, in testimonium adducit. Loquitur certe Deus in omnibus suis creaturis: sed eas voces nunc commemorat propheta, quae dura increpatione somnolentiam nostram vel potius veterum corrigant. Diximus enim praecipue ad eos spectare hunc sermonem, qui prae fracta duritie omnem Dei notitiam, quantum in se est, repellunt. Et ipsae loquendi figurae satis exprimunt, Davidi fuisse, propositum, terrore subigere contumaciam, quae alioqui non libenter cedit. Ter enim inculcat, vocem Dei in magnis et impetuosus imbris audiri: et proximo versu addit, plenam virtutis et magnifici splendoris esse.

5. *Vox Iehovae, confringens cedros, confringit inquam Iehova cedros Libani.* 6. *Et exsilire facit Libanum quasi vitulum, et Sirion quasi filium unicornium.* 7. *Vox Iehovae excidens flammis ignis.* 8. *Vox Iehovae contremiscere facit desertum, contremiscere facit Iehova desertum Cades.*

5. (*Vox Iehovae, confringens.*) Videmus ut propheta ad frangendam hominum duritiam, singulis verbis Deum formidabilem inducat. Ac videtur quidem oblique superbis et vana confidentia turgidis amentiam exprobrare, quod vocem Dei tonantem non audiant, quae scindit aërem fulminibus, concutit excelsos montes, procerissimas quasque arbores prosternit ac deiicit. Quale enim portentum est, ubi omnes brutae mundi partes coram Deo tremunt, solos homines sensu et ratione praeditos non moveri? Adde quod, si ingenio et doctrina valent, sibi obstruendis auribus incantationes

*) *Gallus haec ita vertit:*

Je qui ne porte aux dieux honneur ne reverence,
Suyvant d'Epicurus l'insensee science,
Maintenant suis contraint de ma voile tourner,
Et au chemin laissé derechel retourner.
Car Jupiter qui fend la nue tenebreuse,
Quand il luy plaist lancer sa foudre impetueuse,
Souvent son char volant, et ses chevaux tonnans
Fait ouyr en l'air pur les humains estonnans.

accersunt, ne ad eorum sensum vox Domini, quantumvis sonora, penetret. Neque enim de causis inferioribus satis argute sibi videntur disserere philosophi, nisi longa distantia Deum a suis operibus separent. Diabolica autem haec scientia est, quae in naturae contemplatione nos retinens a Deo avertit. Si quis hominem cognoscere appetens, praeterita tota facie, intuitum in extremos tantum ungues defigat, merito ridebitur eius stultitia, atqui maiore amentia laborant philosophi, qui ex mediis et propinquis causis vela sibi contexunt, ne manum Dei palam operantem agnoscere cogantur. *Cedros Libani* praecipue commemorat, quia illic admodum proceras et formosae erant. Libani et montis Hermon, item *deserti Cades* meminit, quia haec loca Iudaeis notiora erant. Metaphora vero plane poetica, et cui coniuncta est hyperbole, utitur, dicens, *Libanum saltare ad vocem Dei quasi vitulum, Sirion* vero (qui idem est mons Hermon) *instar unicornis*, quod scimus perniciosissimum esse animal. Alludit autem ad terrificum tonitruum fragorem, qui montes videtur a suis radioibus fere convellere. Similis est figura, ubi dicit *Iehovam excidere flammam ignis*, dum scilicet exhalationes quasi eius malleo percussae, in fulgetra et fulmina erumpunt. De his rebus acutissime Aristoteles in *Meteoris* disputat, quantum ad propinquas causas, nisi quod praecipuum caput omittit. Esset quidem utilis et iucundae arum rerum investigatio, si nos, ut decebat, manu duceret ad ipsum naturae autorem: sed ubi totidem obstaculis nos moratur ac retardat, quot occurrunt mediae causae, nihil est magis praeposterum, perinde enim est ac si quis in primis rudimentis tota vita subsistat. Denique hoc est ita discere, ut nihil unquam scias. Unum igitur laude dignum acumen est, vehiculis istis attolli in coelum usque, ut non tantum confusus sonitus aures nostras feriat, sed vox Domini ad pietatem erudiat. Quidam verbum *יָרִיחַ*, aliter exponunt, quod *Deus parturire faciat desertum Cades*, quia in populi transitu multa in eo miracula edita fuerunt: quem sensum tanquam longe petatum et nimis coactum repudio. Videtur enim potius alludere David ad communem hominum sensum, nam quum per se horridae sint solitudines, plus illic terroris incutiunt tonitrua, grandines et procellae: non displicet tamen, pro feris ipsis desertum accipi per synecdochen: atque ita proximus versus, ubi cervarum fit mentio, exegetice additus erit.

9. *Vox Iehovae parturire facit cervas, et retegí silvas, et in templo eius omnes dicunt laudem.*
 10. *Iehova diluvio praesidet, praesidet inquam Iehova rex in perpetuum.* 11. *Iehova robur populo suo dabit, Iehova benedicet populo suo in pace.*

9. (*Vox Iehovae parturire facit.*) Subest (ut *Calvini opera. Vol. XXXI.*

diximus) tacita comparatio. Est enim plus quam absurdum et monstro simile, homines Dei voce non affici, cuius vis tam efficaciter se exserit erga feras bestias. Iam quidem foeda ingratitude est, in toto naturae ordine, non sentire eius providentiam et imperium: sed detestabilis est ista socordia, raris saltem et insolitis eius operibus, quae feras bestias ad obsequium cogunt, ipsos non doceri. Quod *cervas* potissimum nominare quidam interpretes existimant ob difficilem partum, non displicet. Dicitur autem *vox Domini silvas detegere*, vel quia nullis integumentis arcetur quominus in abditissimos quosque recessus et cavernas penetret: vel quia fulmina, imbres, et procellosi venti foliis decussis arbores denudant. Uterque enim sensus non male convenit. (*In templo eius.*) Quum vox Dei totum mundum impleat, seque diffundat in ultimas usque plagas, eius tamen gloriam in sola ecclesia celebrari dicit propheta: quia scilicet Deus illic non modo articulate loquitur, sed blande etiam fideles ad se invitat. Terrifica enim eius vox, quae variis modis in aëre tonat, sic verberat hominum aures, et corda pulsant, ut tamen recedere quam appropinquare malint. Omitto quod bona pars surdis auribus sonitum vocis divinae in procellis, imbribus, tonitru, et fulminibus praeterit. Quia ergo non eo usque proficiunt homines in illa universali schola, ut se Deo subiiciant: scite David specialiter fideles dicit laudes Dei in templo eius canere: utpote qui familiariter edocti paterna eius voce, totos se adducunt in eius cultum et consecrant. Nemo enim rite gloriam Dei praedicat, nisi qui voluntarius est eius cultor. Ac posset hoc in modum querimoniae accipi, ut David accuset totius mundi silentium: quia quum ubique vox eius personet, nusquam praedicentur eius laudes nisi in unico templo. Videtur tamen piorum exemplo totum humanum genus hortari ad celebrandum Dei nomen, et consulto templum statuere quasi auditorium gloriae Dei: ut sciremus, ad Deum vere cognoscendum et laudandum, alia voce opus esse, quam per tonitrua, imbres et procellas in aëre montibus et silvis auditur, nisi enim articulate nos doceat, et quidem paterni amoris gustum praebens, ad se blande alliciat, muti semper iacebimus. Sola est igitur salutis doctrina quae eius gratiam, totamque voluntatem nobis clare patefaciens, corda nostra exhilarat, ora-que nostra aperit ad canendas eius laudes. Itaque hinc eius laudandi ratio discenda est: et certe videmus, nullum tunc in toto orbe, excepta Iudaea, fuisse pietatis lumen: imo philosophi qui visi sunt ad Dei notitiam propius accedere, nihil prorsus afferunt quod eum vere glorificet. Quidquid enim de religione disserunt, non modo frigidum est, sed fere insipidum. Ergo in solo eius verbo lucet veritas, quae nos ad pietatem adducat.

10. (*Iehova diluvio praesidet.*) Quidam Davidem ad illam memorabilem Dei vindictam alludere putant, quum semel orbem terrarum submersit: qui tunc testatum fecit omnibus saeculis se hominum esse iudicem. Quibus etsi ex parte assentior, sententiam tamen longius extendo. Idem enim, meo iudicio, argumentum prosequitur David, admonens, ipsas quoque inundationes quae terrae interitum minantur, sic temperari Dei providentia, ut ipsum gubernacula semper tenere appareat. Ergo inter alia potentiae Dei documenta hoc commemorat David, etiam quum maxima aëris intemperie videntur elementa simul inter se misceri et confundi, Deum tamen e solio suo coelesti regere ac moderari istas perturbationes. Ideo exegetice addit, Deum perpetuo sedere regem.

11. (*Iehova robur populo suo dabit.*) Redit ad superiorem sententiam, Deum scilicet, quamvis promiscue virtutem suam visibilem exhibeat toti mundo, peculiari tamen modo erga electum populum exserere: imo longe aliter quam supra, nunc eum describit, qui scilicet non metu et formidine prosterнат quos alloquitur, sed potius sustentet, foveat ac confirmet. Roboris nomen totum statum continet, itaque quidquid ad tuendam vitam fidelium pertinet, a sola Dei gratia pendere significat. Id amplificat benedicendi verbo. Dicitur enim benedicere Deus in pace quos tam liberaliter ac benigne tractat, ut nihil ad prosperum vitae cursum, plenamque felicitatem desit. Hinc ergo discamus sic revereri Dei imperium, ut tamen ab eo prospera omnia speremus: et quantum ipse valet immensa potentia, certo persuasi simus, invicto praesidio nos munitos esse.

PSALMUS XXX.

ARG. David ex magno aliquo discrimine liberatus, non solum ipse privatim Deo gratias agit, sed sanctos omnes ad hoc officium invitat simul et hortatur. Deinde fatetur, quia sibi in rebus prosperis nimis secure blanditus fuerat, confidentiam suam merito correctam fuisse. Tertio, postquam breviter moerorem suum exposuit, ad gratiarum actionem iterum revertitur.

1. *Psalmus cantici dedicationis domus David.*
2. *Exaltabo te Iehova, quia extulisti me, neque exilarasti inimicos meos de me.* 3. *Iehova Deus mi, clamavi ad te, et sanasti me.* 4. *Iehova, adscendere fecisti e sepulcro animam meam, vivificasti me a descendentibus in foveam.*

Dubitant interpretes a Davidene compositus fuerit hic Psalmus, an autor eius fuerit quispiam ex prophetis, postquam ab exsilio babylonico reversi

sunt Iudaei. Domus enim templum illis significat. Sed quum inscriptio diserte nomen Davidis exprimat, magis videtur probabile, de privatis aedibus haberi sermonem. Porro quod divinant quidam, Davidem, quum palatium dedicare vellet, gravi morbo fuisse correptum, solida ratione non nititur: quin potius conicere ex sacra historia licet, simul ac palatium suum aedificavit, tranquille et commode illic habitasse. Dicebat enim prophetae Nathan, pudendum sibi esse quod quiesceret ipse in domo cedrina, arca vero foederis sub pellibus iaceret. 2. Sam. 7, 2. Deinde ad morbum restringere quod hic de periculo refertur, nulla ratio cogit, magis credibile est, quum extincto Absalom, deletaque eius factione, et composito exitiali illo motu, quasi postliminio in pristinum regni statum reversus esset, hanc Dei gratiam celebrasse. Commemoratur enim se ideo fuisse Dei manu castigatum, quia laetiore fortuna nimis exsultans et fere ebrius, falso et stulte aeternam a rebus adversis immunitatem sibi promiserat. Porro magnificam et regiam illam domum, cuius paulo ante memini, iam incolere coeperat regno vixdum bene pacato, tunc igitur nondum humanae fragilitatis oblivio obrepere potuit, quae iram Dei provocaret, periculumque accerseret: quod ab ultimo interitu parum abfuit. Quare absurdum non est, ob recuperatum priorem statum, hoc Psalmo celebrari Dei gratiam. Domum enim quae incestis stupris Absalom, aliisque flagitiis polluta fuerat, iterum dedicare necesse fuit, et sub hoc nomine videtur notari restitutio tam in vitam quam in regnum: ac si diceret, hunc se hymnum cecinisse Deo, postquam rebus publice compositis, domum quoque suam solenni more dedicavit, ut in sua familia degeret. Caeterum de hac legali caeremonia breviter hoc notandum est, quia ad reputanda Dei beneficia segnes admodum et frigidi sumus: hoc genus exercitii veteri populo fuisse mandatum, ut agnosceret nullius rei usum sine gratiarum actione purum et legitimum esse. Ergo sicut in primitiis proventum totius anni Deo ferebant acceptum, sic etiam domos consecrando Dei se inquilinos esse fatebantur, quia eos hospitio exciperet. Ideo si delectus ad bellum fiebat, haec iusta vacationis causa fuit. Adde quod hoc ritu simul admonerentur, tunc rite et ordine unumquemque domo sua frui, si quoddam esset Dei sacrarium, ubi vigeret pietas et sincerus eius cultus. Nunc quamvis cessaverint legis figurae, tenenda est tamen Pauli doctrina, quaecunque Deus in usum nostrum destinat, fide et precibus demum sanctificari.

2. (*Exaltabo te Iehova.*) Quia tanquam e sepulcro in auram vitalem sublatus fuerat, nomen Dei se exaltaturum promittit. Sicut enim Deus nos in profundo demersos manu sua in altum erigit, sic vicissim nostrum est laudes eius ore et lin-

gua efferre. Hostes quibus laetitiae materiam non fuisse praebitam dicit, tam domesticos quam externos intelligere licet. Quamvis enim improbi et malevoli servili adulatione eum coluerint, occultum tamen odium fovebant, ut parati essent ad insultandum, si oblata fuisset occasio. Secundo versu ratiocinatur se Dei gratia salvum esse, quia in ipso mortis articulo vota sua ad Deum unum direxerit, ac repente senserit non frustra se id fecisse. Nam hinc certius colligimus, Deum nobis salutis esse autorem, ubi preces nostras exaudivit. Caeterum quia verbum **אָפּ** Hebraeis significat *sanare*, hac ratione inducti sunt interpretes ut ad morbum restringerent. Sed quia certum est, interdum sumi pro restituere, imo ad altare vel domum transferri ubi instaurationis fit mentio: apte hic de qualibet liberatione exponere licebit. Neque enim tantum in morbis periclitatur hominis vita, sed etiam aliis pluribus modis, et scimus hanc loquendi formam passim in Psalmis occurrere, quod Davidi reddita fuerit vita, quoties eum Dominus e gravi summoque aliquo discrimine eripuit. Itaque amplificandi causa mox subiicitur: *Adscendere fecisti e sepulcro animam meam*, neque enim gratiae magnitudinem se verbis assequi putavit, nisi sepulcro et foveae conferret illius temporis caliginem, quo se in fugam trepide conicere coactus est, ut latebris vitam suam protegeret, donec sedata esset tumultus flamma: ergo tanquam redivivus, se mirabiliter a praesenti morte extractum fuisse praedicat. Et certe quanta rerum omnium desperatio misere eum urgeret, ex sacra historia patet.

5. *Canite Iehovae mansueti eius, et confitemini memoriae sanctitatis eius.*)* 6. *Quia momentum in ira eius, vita**)* in beneplacito eius: vespere morabitur fletus, et mane veniet exsultatio.

5. (*Canite Iehovae mansueti eius.*) Quo suam gratitudinem melius testetur, sanctos omnes ad canendas Dei laudes sibi socios advocat, et ab una specie transit ad totum genus. Quia enim praeter spem servatus, hoc exemplo de perpetua et immensa erga cunctos fideles Dei bonitate edoctus fuerat, in hanc exhortationem erumpit, qua communem totius ecclesiae salutem cum sua complectitur. Neque enim recitat tantum qualem ipse Deum expertus fuerit, sed quam liberaliter propensoque favore suos omnes iuvare soleat. Denique uno documento admonitus, ad generalem doctrinam sensus suos refert. Quid valeat epithetum **רַחֵם**, quo saepe fideles insignit David, dictum est Psalmo 16. Coelestis

enim adoptio eos ad beneficentiae studium accendere debet, quo patris ingenium referant, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, Mat. 5, 45. Nihil autem est quo propius ad Deum accedant homines, quam beneficentia. *Memoria sanctitatis* in secundo membro versus, ad tabernaculum referri potest: ac si iuberet David, omnes Dei filios prodire coram arca foederis, quae memoriale erat praesentiae Dei. Litera enim **י** locum saepe denotat. Libenter tamen eorum sententiae subscribo, quibus memoria tantundem valet ac nomen, et certe suis operibus memorabilem se Deus reddit, ubi relucet gloriae eius imago, cuius intuitu nos ad eum laudandum expergefieri convenit.

6. (*Quia momentum in ira.*) Vitam momento opponi, extra controversiam est, ideoque pro longa duratione, vel continuo diuturni temporis progressu accipi. Fatetur autem David, si quando suos castigat Deus, non tantum mitigare poenarum rigorem, sed statim placari, et irae suae modum imponere: indulgentiam vero et favorem prorogare in longum tempus. Ac generalem sententiam (ut dixi) proferre maluit, quam speciatim de se loqui, ut intelligant pii omnes continuum hunc gratiae tenorem ad se pertinere: hinc tamen colligimus quanta spiritus mansuetudine et quam prompto obsequio Dei ferulis tergum subiecerit. Scimus, a primo aetatis flore toto fere vitae tractu, multiplici afflictionum congerie ita fuisse exercitum, ut miser et aerumnosus prae omnibus aliis censeretur potuerit: Dei tamen bonitatem praedicans, se leviter exiguo tempore, et quasi in transcurso rebus adversis iactatum fuisse agnoscit. Porro hinc tanta moderatio et aequitas, quod pluris aestimavit Dei beneficia, et in cruce toleranda magis se placidum praebuit quam vulgo mundus solet. Si prospere nobis est, sine sensu voramus Dei beneficia, certe nobis per socordiam effluunt: simul vero ac triste aliquid et adversum accidit, perinde conquerimur de eius rigore ac si nunquam benigne et clementer nobiscum egisset. Denique morositas nostra et taedium in dolore saeculum ex momento facit: malignitas vero et ingratitude gratiam Dei, quantumvis in nos prorogetur, momentaneam esse fingit. Sola igitur nostra pravitas impedit quominus re ipsa sentiamus omnes iram Dei brevem esse, gratiam vero toto vitae cursu in nos prorogari. Neque enim frustra toties pronuntiat se misericordem et propitium esse in mille generationes, longae patientiae, tardum ad iram, ad dandam veniam propensum et facilem, et quod dicit per Isaiam, quia ad regnum Christi spectat, quotidie impleri necesse est: Ad momentum in ira mea affixi te, sed misericordiis sempiternis te colligam, Iesa. 54, 7. Conditio nostra, fateor, tot miseriis in hoc mundo implicata est, tantaque varietate agitur, ut nullus

*) confessez à la memoire de sa sainteté, en marge: ou, chantez afin qu'il soit memoire.

**) vie, en marge: ou un long temps.

fere dies sine molestia et dolore praetereat, deinde inter tot dubios eventus fieri non potest quin assidue anxii simus ac trepidi. Quocunque igitur se vertant homines, labyrinthus malorum eos circumdat: sed quamlibet multis irae suae signis terreat Deus, atque humiliet fideles suos, dulcedinem tamen gratiae suae semper adspersit, quae moerorem temperet ac leniat. Ergo si iusta trutina examinent iram et *beneplacitum*, semper verum erit, illam esse momentaneam, hoc autem extendi usque ad vitae finem, quanquam ultra progredi convenit: perperam enim includitur Dei gratia intra huius caducae vitae fines. Ac omnino sic habendum, nullos, nisi qui coelestis vitae gustu supra mundum feruntur, serio hunc indefessum et perpetuum gratiae Dei cursum sentire, ut alacriter eius castigationes perferant. Itaque eo nos revocat Paulus, 2. Cor. 4, 17 ut invicta tolerantia confirmet: Momentanea levitas afflictionis nostrae mire supra modum aeternum pondus gloriae parit, nobis non spectantibus quae videntur, sed quae sunt abscondita. Interea tenendum est, Deum suis nunquam tam graves vel diurnas poenas infligere, quin manum subinde retrahat et aliquo solatio condiciat doloris acerbiter. Ita quisquis ad vitae coelestis meditationem erectus erit, nunquam afflictionibus, licet continuis, succumbet: et illis ingentes ac multiplices Dei gratias conferens, tantum his deferet honoris, ut bonitas centuplo iram praeponderet. Secundo membro figurate eandem sententiam repetit, non intelligit simpliciter unius noctis fore afflictionem: verum si qua tanquam vespere aut in solis occasu caligo incubuerit, lucem paulo post exorituram, quae tristes animos recreet. Huc tendit Davidis consilium, nisi essemus nimium praecipites, Dominum, etiam ubi ad breve tempus nos malorum caligine obruere visus est, semper opportune suggerere laetitiae materiam, ac si post noctem surgeret aurora.

7. *Ego autem dixeram in quiete mea,*) non movebor perpetuo.* 8. *Iehova, in beneplacito tuo stabilieras monti meo robur, abscondisti faciem tuam, fui percussus.* 9. *Iehova, ad te clamavi, et ad Dominum meum deprecatus sum.* 10. *Quae utilitas in sanguine meo ubi descendero in foveam? an celebrabit te pulvis? an praedicabit veritatem tuam?* 11. *Exaudi Iehova, et miserere mei, Iehova sis mihi adiutor.*

7. (*Ego autem dixeram.*) Haec est confessio cuius antea memini, in qua se agnoscit iuste et merito dedisse stultae securitatis poenam, quia scilicet conditionis suae oblitus, nimium rebus prosperis se addixerat. *Quietis* enim nomine tranquillum et felice regni statum intelligit. Alii לשלווה

*) mon repos, en marge: ou, en ma prospérité.

vertunt abundantiam: quo sensu alibi saepe accipitur: sed contextui melius quadrat nomen quietis, ac si diceret, ubi undique arrisit fortuna, nec quidquam apparuit periculi unde metuendum esset, mentem suam quasi sopore fuisse perfusam, ut sibi continuum felicitatis cursum promitteret. Haec enim fiducia carnis, etiam sanctis, dum in suis deliciis, tanquam in faecibus, resident, subinde obrepit: ideo Ieremias 31, 18 se indomito vitulo comparat antequam subigeretur a Domino, et assuefieret ad iugum. Etsi autem prima specie leve esse videtur hoc vitium, colligere tamen ex poenis licet quantopere Deo displiceat: quod nobis mirum non erit, si reputemus ex qua radice nascatur, et quos rursum fructus ex se pariat. Quum enim innumerae assidue mortes nobis versentur ante oculos, et tot mutationum exempla nos ad timorem curamque sollicitent, diabolica superbia fascinosos esse oportet qui sibi persuadent vitam suam a communi totius mundi sorte immunem fore. Vident confusa varietate misceri totam terram, et singulas eius partes quodammodo huc illuc versari: perinde ac si non essent ex hominum numero, imaginantur se fore semper stabiles, nec ullis mutationibus obnoxios. Hinc carnis lascivia, ut suis cupiditatibus licenter indulgeant: hinc fastus et crudelitas, hinc etiam precandi negligentia. Quomodo enim ad Deum confugerent, quos nullus stimulat vel movet suae necessitatis sensus? Est etiam Dei filii sua pia securitas quae turbulentis mundi procellis tranquillos eorum animos tenet: sicuti David etiamsi totum mundum quatefieri vidiasset, Dei promissioni innixus, de regni sui perpetuitate bene sperare debuit. Sed fideles quamvis fidei suae alis in sublime elati res adversas despiciant: quia tamen reputant communibus molestiis se esse obnoxios, comparant se ad tolerantiam, singulis horis intenti sunt ad excipiendos ictus: in ea militia, ad quam se norunt destinatos, excusso torpore se exercent: trepide se conferunt in fidem Dei, nec se alibi tutos fore confidunt, quam sub eius manu. Aliter David, qui prosperi status illecebris captus, aeternam sibi quietem ex proprio sensu magis quam ex Dei verbo pollicitus est. Idem accidit et sancto regi Ezechiae, qui nuper afflicto gravi morbo, simul ac bene et ex voto successit, carnis vanitate ad superbiam et ostentationem rapitur, 2. Paral. 32, 24 quo magis cavere nos docet, ne inter laetos successus blanditiis suis nos fascinet Satan. Quo igitur quisque benignius tractatur a Deo, a talibus insidiis diligentius sibi caveat. Neque tamen credibile est, sic obtorpuisse Davidem, ut Deo contempto malis omnibus insultaret: sicuti multos Cyclopes videmus, dum suaviter in sua crapula demersi sunt, proterve ridere omnia Dei iudicia, sed mollis quaedam inertia mentem eius occupa-

verat, ut frigidior esset ad precandum, non penderet a Dei favore, denique fluxae et caducae felicitati nimium confideret.

8. (*Iehova in beneplacito tuo.*) Hoc versu notatur discrimen inter fiduciam quae in verbo Dei fundata est, et carnis securitatem quae ex arrogantia emergit. Neque enim fideles, dum in Deum recumbunt, segnes interea sunt ad precandum: quin potius sedulo reputantes quanta discriminum congerie cingantur, et quotquot humanae fragilitatis exempla cernunt, his admoniti ad Deum suspirant. Hac igitur in parte deliquit propheta, quod ancoram suam figens in praesenti opulentia et pace, aut vela expandens ad secundos ventos, a gratuito Dei favore non pependit, ut singulis momentis paratus esset quidquid contulerat, in eius manum resignare. Notanda est enim antithesis inter stabilitatem, cuius fiducia ex pace concipitur, et quae locatur in gratuito Dei favore. Quod *stabilitum monti suo robur* fuisse dicit, quidam interpretes de monte Sion exponunt. Alii accipiunt pro arce munita, quia olim solebant in montibus et locis editis propugnacula exstrui. Ego sicuti metaphorice pro solida futura nomen hoc accipio, ita libenter assentior, prophetam ad montem Sion alludere. Stultitiam ergo suam accusat David, quod non reputaverit ut decebat, nihil in nido quem sibi fingebat esse firmitatis, sed in solo Dei beneplacito. (*Abscondisti faciem tuam.*) Nunc fatetur, postquam privatus est Dei donis, hoc quasi elleboro mentem suam a pravae confidentiae veterno fuisse purgatam. Mira certe et incredibilis ratio, quod Deus abscondita facie sua, tanquam obductis tenebris, servi sui oculos illuminavit, qui in clara luce nihil videbant. Sed ita necesse est nos violenter concuti ad abigendas blanditias, quae et fidem suffocant, et invocationem Dei morantur, et dulci amentia nos prorsus obstupesciunt. Quod si tali remedio opus habuit David, non ea praediti sumus sanitate quin utile nobis sit, pinguedinem securitatis inopia abstergi. Itaque non est quod miremur Deum subinde abscondere faciem suam, ad cuius intuitum, dum serena affulget, perperam caecutimus.

9. (*Iehova ad te.*) Iam sequitur castigationis fructus, quod David in utramque prius aurem dormiens, suamque pigritiam oblivione fovens, repente expavescit clamare ad Deum incipit. Nam sicut ferrum, ubi diuturna quiete rubiginem contraxit, accommodari ad ullos usus non potest, donec igne recoctum et malleo contusum fuerit: sic postquam semel praevaluit carnis securitas, nemo se ad precandum alacriter accinget, nisi cruce maceratus, et probe subactus. Atque haec praecipua est afflictionum utilitas, dum miseriae nostrae conscios ad expetendam Dei gratiam revocant.

10. (*Quae utilitas.*) Nonnulli ita exponunt: Quid profuerit me vixisse, nisi eoque vitam meam proroges, donec cursum vocationis meae absolvero? Verum nimis restricta videtur esse sententia haec, nec certe *sanguis* hic pro vita, sed pro morte ponitur: ac si diceret, quem ex morte mea fructum elicies? Quod ex altero membro certius colligere licet, ubi cadaver suum ad annuntiandas Dei laudes inutile fore conqueritur. Diserte tamen videtur facta esse *veritatis* mentio: quia consentaneum non erat Davidem immatura morte e medio abripi, antequam praestaret Deus quod de futuro haerede promiserat. Nam quum mutua sit relatio inter Dei promissiones et fidem nostram, veritas quasi media est, qua Deus palam ostendit se non ideo liberaliter verbis nobiscum agere, ut nos inani spe lactet ac demum frustretur. Porro ut longiorem vitam obtineat, argumentum ducit a Dei laudibus, ad quas celebrandas nati sumus et conditi: ac si diceret: Quorsum me creasti o Deus, nisi ut toto vitae meae curriculo testis ac praeco sim tuae gratiae ad illustrandum nomen tuum? atqui hoc studium mors mea abrumpet, quia extinctus ad aeternum silentium redigar. Exoritur tamen quaestio: annon mors etiam fidelium, perinde ac vita, Deum glorificet. Sed David non simpliciter loquutus est de morte, quia circumstantiam addidit quam tractavi Psalmo 6. Nam quia successorem illi Deus promiserat, hac spe praecisa non immerito terruit eum frustratio, ut coactus exclamaret: Quae utilitas in sanguine meo? Gloriae enim Dei intererat, superstitem eum manere, donec voti sui compos fidei praestitae ac completae testimonium Deo redderet. In fine versus quaerens an pulvis confitebitur Deo, non prorsus eripit mortuis eius laudandi facultatem, ut Psalmo 6 exposui. Nam si fideles carnis onere gravati, in hoc tamen pietatis officio se exercent, quomodo exuti et soluti corporis vinculis resides cessarent? Tenendum igitur est, Davidem non tractare ex professo quid agant, vel in quo se exerceant mortui, sed tantum respicere in quem finem vivamus in hoc mundo, nempe ut alii aliis vicissim gloriae Dei simus praecocones: hac meditatione defuncti usque ad ultimam vitae metam, in morte obmutescimus.

11. (*Exaudi Iehova.*) Hac clausula priorem querimoniam temperat et corrigit: absurdum enim fuisset, quasi desperata salute, expostulare eum Deo, et in hoc fremitu desinere. Postquam ergo flebiliter rogavit quid morte sua Deus proficeret, se ad liberiores precandi formas animat, et nova spe concepta implorat Dei misericordiam et auxilium, priori autem loco gratiam Dei statuit, unde opem quam flagitat sperare debuit.

12. *Convertisti luctum meum in tripudium mihi, solvisti saccum meum, et cinxisti me laetitia.* 13. *Ut psallat tibi gloria, et non sileat: Iehova Deus mi, perpetuo celebrabo te.*

12. (*Convertisti.*) Gratiarum actione a qua exorsus fuerat, Psalmum claudit. Nam quod incolumis evasit, Dei opus et beneficium esse confirmat, deinde causam finalem adiungit, ut quod reliquum est vitae, ad canendas Dei laudes impendat. Porro sicuti fatetur David se in malis non fuisse stupidum vel ferreum quin tristis et moestus lugeret, ita ostendit, luctu ipso ad deprecandam iram Dei se fuisse deductum. Utrumque maxime dignum est observatu, ne stoicam duritiem fingamus¹ in sanctis, quae omnem doloris sensum eis ademert, deinde, ut sciamus, lugendo poenitentiam meditato esse, hoc posterius *sacci* nomine designat. Solenne enim fuit veteri populo saccum in luctu induere, et quidem non alia de causa, nisi ut reorum more, suppliciter in sordido habitu ad veniam impetrandam coram coelesti iudice prodiret, atque etiam scimus orientales populos prae aliis ad caeremonias fuisse proclives. Iam tenemus, Davidem, quamvis patienter se Deo subiiceret, non fuisse dolore vacuum. Sed videmus simul, tristitiam eius fuisse secundum Deum, sicuti Paulus 2. Cor. 7, 10 loquitur: quia testandae poenitentiae causa ad saccum se contulit. *Tripudii* voce non intelligitur lasciva quaevis vel profana saltatio, sed gravis et sancta professio laetitiae, qualem recitat sacra historia, quum David arcam foederis in locum suum deferret, 2. Sam. 6, 16. Caeterum si dandus est coniecturis locus, hinc etiam colligere licet, magnum hoc discrimen, de quo loquutus est David, ad morbum aliquem perperam restringi, neque enim verisimile est, saccum induisse, quum lecto affixus iaceret. Non esset quidem per se haec satis firma ratio, sed tamen in re dubia pondere non caret. Significat igitur David, se deposita lugubri veste, a squalore et sordibus ad laetitiam fuisse reversum: idque unius Dei gratiae adscribens, liberatorem suum fuisse testatur.

13. (*Ut psallat tibi gloria.*) Clarius exprimit hoc versu se agnoscere in quem finem divinitus a morte ereptus fuerit, sibi curae futurum ut iustum gratitudinis officium Deo rependat. Gloriam nomen alii ad corpus, alii ad animam aut superiores animae sensus referunt. Quia autem non additur pronomen, alii vertere malunt in accusativo casu, et subaudiunt particulam quisque, ac si diceret propheta, beneficium hoc esse dignum quod publicis omnium praeconiis celebretur. Sed quia coactae sunt eiusmodi interpretationes, maneo in sententia quam posui. Nomen כבוד pro lingua interdum metaphorice sumi certum est, et visum fuit

Psalmi 16. 9. Porro quum David mox adiciat, *perpetuo celebrabo te*, contextus exigit ut peculiariter officium suum hic commemoret. Sensus ergo est, Domine, quia me ideo servatum agnosco ut laudes tuae in lingua mea resonent, hanc tibi operam fideliter praestabo, et partibus meis ad mortem usque defungar. *Psallere et non silere* apud Hebraeos amplificat, ac si dictum esset: Ne lingua mea muta sit, vel debita laude fraudet Deum, sed potius se in eius gloriam consecret.

PSALMUS XXXI.

ARG. David ex summo aliquo discrimine, vel etiam pluribus liberatus, primum quas preces conceperit, obiectis sibi mortis terroribus, recitat. Deinde adiungit gratiarum actionem, eamque non vulgarem: quia in celebranda liberatione multis verbis insistit, piosque omnes ad bene sperandum hortatur, quia tam praeclarum in se et memorabile bonitatis Dei exemplum videant.

Praefecto canticum Davidis. 1. *In te Iehova speravi, ne pudefiam in aeternum, in iustitia tua libera me.* 2. *Inclina ad me aurem tuam, celeriter eripe me: sis mihi in rupem fortitudinis, in domum munitionum ad servandum me.* 3. *Quia arx mea, et propugnaculum meum tu: et propter nomen tuum diriges me, et deduces me.** 4. *Erue me e reti quod absconderunt mihi, quia tu fortitudo mea.*

1. (*In te Domine.*) Quod putant quidam compositum fuisse Psalmum postquam David ex deserto Maon praeter spem incolumis evaserat, mihi non displicet: quamvis dubia tantum sit coniectura, certe vel maximum aliquod e suis periculis, vel plura etiam commemorat. Initio autem qua precationis forma in suo cruciatu et anxietate usus sit, refert: in quibus verbis mire ardentis affectus spirat. Fiduciae argumentum sumit, quia speravit in Domino, vel etiam confidat, verbum enim praeteriti temporis videtur continuum actum notare. Tenebat enim principium illud, fieri non posse ut spes quae in Deum recumbit, nos frustretur. Interea nihil affert praeter unicam fidem, salutem sibi ideo tantum promittens, quia Dei ope et gratia salvum se fore credat, quia iam alibi exposita fuit haec sententia, et saepius recurret, satis est eam uno verbo attigisse. Utinam sic in ea omnes se exercent, ut cum Davide, quoties ad Deum accedimus, praefari liceat, ex hoc fonte manare preces nostras, quia salutem nostram in Dei manu repositam esse persuasi sumus. Particula *in aeternum*, duobus

*) tu m'addresseras et me conduiras, *en marge*: ou adresse-moy et conduy.

modis exponi potest, quia enim gratiam suam interdum subducit Deus, non male conveniet sensus: Quamvis nunc ope tua destituar, ne tamen ad finem usque, vel perpetuo me abiicias. Ita David contra tentationes se patientia armare volens, temporalibus angustis frustrationem opponeret. Si quis ita accipere malit: Quidquid acciderit malorum, ut semper ad opem ferendam praesto sit Deus, subindeque, prout res postulabit, manum porrigat: hunc quoque sensum non repudio. Petit autem *liberari in iustitia Dei*, eo quod Deus fidem servis suis datam praestando, iustum se probet. Nimis argute philosophantur qui Davidem ad iustitiam, quam Deus gratuito suis largitur, confugere dicunt, quia propria operum iustitia vacuus sit. Stulte vero alii, qui Deum pro iustitia sua servare sanctos putant: quia sic meriti sunt, ut aequum sit mercedem illis rependi. Nam ex frequenti Psalmorum usu colligere promptum est, iustitiam Dei pro fide accipi, qua suos omnes tuetur, qui se eius praesidio tutelaque committunt. Ergo a natura Dei spem suam confirmat David, quia se ipsum abnegare nequeat.

2. (*Inclina ad me aurem tuam.*) Exprimunt haec verba quanto ardore accensus fuerit animus Davidis ad precandum, neque enim rhetorum more orationis splendorem vel ornatum affectat: sed tantum affectus sui vehementiam aptis verborum figuris describit. In festinatione etiam ostenditur periculi magnitudo, ac si diceret, mox de vita sua actum fore, nisi Deus auxilium suum acceleret. *Arcis, propugnaculi et rupis* nominibus significat se hostibus suis imparem esse ad resistendum: ideoque unicam spem restare in Dei praesidio.

3. (*Quia arx mea.*) Potest uno contextu legi hic versus: Quia tu mihi es instar arcis munitae, propter nomen tuum dirigas me ac deducas toto vitae cursu: atque ita copula (ut saepe alias) supervacua esset. Ego tamen in diversum sensum inclino, quod David hac meditatione interposita, non modo ad studium precandi, sed impetrandi quoque fiduciam animet. Scimus enim hoc illi esse familiare, precibus miscere quae ad tollendam dubitationem, et certitudinem confirmandam valeant. Postquam ergo suam necessitatem exposuit, iam ut animum colligat et erigat, statuit certum fore voti sui successum. Prius dixerat, sis mihi in rupem et propugnaculum: nunc addit, certe tu es arx mea et *propugnaculum*: significans se non temere iactasse has voces: ut multa optare solent a Deo increduli, quos dubii eventus timor suspensos tenet. Hinc etiam alterum deducit, quod perpetuo vitae cursu Deum habiturus sit ducem ac gubernatorem. Ac duobus quidem verbis rem unam designat, propter varios casus, (ut ego quidem interpretor) et inaequales vices quibus circumagitur hominum vita: ac si dixisset: Sive per montes arduos reptandum,

sive per salebras enitendum, sive inter spinas ambulandum sit, te mihi perpetuum ducem fore confido. Porro quia semper vacillandi materiam in se reperient homines, diserte petit David ut Deus nomen suum vel gloriam respiciat: sicuti non aliunde ad nos iuvandos proprie inducitur: atque ita tenendum est, Dei nomen quatenus meritis omnibus opponitur, unicam salutis nostrae causam censi. Proximo versu insidias et fraudes, quibus circumventus fuerat ab hostibus, sub *retis* similitudine videtur notare. Scimus enim de eius morte inita saepe fuisse consilia, quae nullum effugium relinquerent: et quum magna astutia pollerent hostes, propter incredibile odium, acrius ad eum perdendum fuisse intentos, quam ut sibi humanitus cavere potuerit. Hac de causa Deum appellat suam fortitudinem: ac si diceret, sufficere ad scindendos omnes laqueos quibus irretitos videt miseros homines.

5. *In manu tua commendabo spiritum meum, redemisti me Iehova Deus veritatis.* 6. *Odio habui omnes observantes vanitates fallaces: ego autem in Iehova speravi.* 7. *Exsultabo et laetabor in bonitate tua: quia respexisti afflictionem meam: cognovisti in angustis animam meam:* 8. *Et non conclusisti me in manu inimici: statuisti in latitudine pedes meos.*

5. (*In manu tua.*) Iterum fidem suam Deo proponit David, ac testatur se tantum honoris tribuere Dei providentiae, ut suas omnes curas in eam exoneret. Quisquis enim se committit in Dei manum et custodiam, non modo eum sibi fert arbitrum vitae et mortis, sed placide inter omnia pericula in eius praesidium recumbit. Verbo futuri temporis continuum actum haud dubie designat, itaque in praesenti apte vertitur. Notandum vero est, fieri non posse ut quis vitam suam Deo vere commendet, nisi qui mille mortibus se expositum reputans, illam vel de filo pendere sentit, vel ab evanido flatu nihil fere differre. Sic David in summa desperatione unum hoc sibi reliquum facit, ut Deo vitae custode ac praeside fretus, in cursu suo pergat. Mirum est autem, quum nos omnes tam multa sollicitent, vix centesimum quemque huc usque sapere, ut vitam suam in Dei manu deponat. Laeti et securi in diem multi vivunt, ac si eorum conditio nidus esset tranquillus, et ab omni incommodo reconditus, simul vero ac metus aliquis obiectus est, prorsus eos exanimat anxietas. Ita fit ut nunquam se ad Deum referant: quia vel se decipiunt vanis illecebris, vel trepidatione perculei, pavoreque attoniti, nullum paternae eius sollicitudinis gustum capiunt. Porro quum nos varii curarum aestus exagitent, ac interdum etiam praecipites deiiciant, vel abripiant a recto officii cursu, vel saltem de gradu moveant: omnibus sedandis uni-

cum hoc remedium est, Deum, qui nobis autor est vitae, eundem quoque esse conservatorem: unum hoc omnium onerum levamen, ne moerore oppressos desperatio absorbeat. Quando itaque Deus vitae nostrae curam suscipere et gerere dignatur, quamvis subinde variae mortes impendeant, discamus semper ad hoc asylum confugere: imo quo pluribus quisque periculis obnoxius est, in hac meditatione attentius se exerceat. Hic denique nobis contra omnes insultus discriminum clypeus sit, contra omnes iactationes et procellas sit statio: Quamvis de salute nostra actum sit, Deum tamen fidum esse eius custodem: hinc deinde emergat precatio, ut eam Deus tuendam et asserendam suscipiat. Efficiet etiam haec fiducia ut quisque se ad obeundum vocationis suae munus prompto obsequio accingat, et constanter intrepideque contendat semper ad metam. Unde enim fit ut tam multi segnes sint ac residues, alii perfide officium deserant, nisi quia nimium providi terrentur periculis et incommodis: nullum interea Dei providentiae locum relinquunt. Denique quisquis in Dei praesidio non acquiescit, ut eius fidei et tutelae vitam suam commendat, nondum quid sit vivere bene didicit. Contra vero quisquis Deum statuet vitae custodem, eam vel in media morte salvam fore non dubitabit. Neque enim vitam nostram ideo tantum deponere oportet in manu Dei, ut illam in mundo superstitem conservet: sed etiam ut ab interitu vindicet in ipsa morte, sicuti Christus exemplo suo docuit. Quemadmodum enim David vitam sibi inter mortis discrimina prorogari optavit: sic Christus caducae huius vitae metam egressus est, ut in morte spiritus salvus foret. Generalis ergo est ista precatio qua vitam suam Deo commendant fideles: primum ut eam manu sua protegat, quamdiu periculis mundi huius obnoxia est: in morte vero, in qua nihil praeter interitum cernitur, arcana sua custodia servet incolumem. Sic porro statuendum est, nec in vita, nec in morte a Deo nos unquam deserere: quia quos praesidio suo salvos ad finem usque deducit, tandem ad se recipit morientes. Hic unus est ex praecipuis scripturae locis ad corrigendam diffidentiam maxime idoneus: primum ne se perversis curis et molestiis ultra modum torqueant fideles: deinde, ne metu fracti ab officio discedant, ne ad captandas vanas spes et fallacia subsidia defluant vel labantur, ne terroribus succumbant, ne denique mortem exhorreant: quae licet carnis sit interitus, animas tamen non exstinguit. Praecipue vero ad superandas omnes tentationes valere hoc debet, quod Christus animam suam moriens patri commendans, omnes suorum animas custodiendas suscepit: ideo et Stephanus Act. 7, 59 eum custodem invocat: Domine Iesu, suscipe spiritum meum, inquit. Caeterum, quia anima sedes est vitae, ideo

pro vita accipi satis notum est. (*Redemisti me.*) Quod praeteritum tempus quidam in futurum convertunt, mihi non videtur ratione fieri, nec enim dubito quin se ad fidendum animet David, quae iam expertus erat gratiae Dei documenta, in memoriam revocans. Hoc enim non leviter nos in posterum confirmat, ut certo persuasi simus, Deo vitam nostram fore curae, si iam prius liberator noster fuerit. Atque huc pertinet epithetum, quo Deum insignit. Deum enim veracem vel fidelem nominat, quia eundem perpetuo futurum credat, qualis antea fuit, ita hoc vinculo precandi fiduciam et spem futuri auxilii cum superioribus beneficiis connectit, ac si diceret: Domine, tu qui similis tui semper manes, neque hominum more animum mutas, iam re ipsa testatus es te salutis meae esse vindicem, nunc igitur in manu tua animam, cuius fuisti servator, depono. Quod David hic de terrena vita pronuntiat, Paulus 2. Tim. 1, 12 ad aeternam salutem transfert: Novi, inquit, cui crediderim, et quod potens sit ad servandum depositum. Et sane quum ex liberatione temporali, David tantum conceperit fiduciae, plus quam maligni et ingrati sumus, nisi contra omnes Satanae machinas invicta fortitudine instruit redemptio Christi sanguine parta.

6. (*Odio habui.*) Quo melius exprimat, fidem suam in Deo penitus defixam esse, vitiosis affectibus, qui mentes nostras avertere a Deo solent, et quibus ut plurimum laborant increduli, purum se fuisse affirmat. Nam contrariorum antithesis (ut scimus) rem melius illustrat. Caeterum, nomen **כח** ad magicas artes restringi (ut faciunt quidam interpretes) absurdum est. Fateor quidem talibus imposturis valde addictos fuisse Orientales, ut vulgare inter eos fuerit malum: sed quum innumeris fraudibus hominum mentes illaqueet Satan, et totidem illecebris a Deo avertat, speciem unam duntaxat notari a propheta, nequaquam probabile est. Quascunque ergo vanas spes nobis fingimus, quae nos a Dei fiducia retrahant, *vanitates* generaliter appellat David, et quidem falsitatis vel mendacii: quia etsi ad tempus magnifica ostentatione nos pascunt, tandem deludunt ac frustrantur. Itaque testatur se obiectis vanitatibus, quas ad spes sibi fabricandas imaginari homines solent, in solum Deum recumbere. Quia vero non modo se quisque inebriat fallacibus mundi illecebris, sed alii alios decipiunt: diserte asserit propheta sibi odio fuisse omnes qui se talibus mendaciis implicant: ut certe summopere nobis fugiendi sunt, nisi ultro velimus noxiis eorum captionibus irretiri. Secundum vero membrum coniunctum legendum est, *in Iehova speravi*, quia et causam odii assignat, et simul testatur, non aliter spem suam homines Deo addicere, nisi ab omnibus avocamentis abhorreant.

7. (*Exsultabo.*) Hic inseritur gratiarum actio: quanquam multi suspensam orationem esse malunt, ac Davidem votum concipere, si fuerit e praesenti discrimine liberatus. Sed quia nulla conditio apponitur, magis in illam sententiam inclino, eum abrupto precandi contextu sibi exitum promittere, de quo gratias merito agat. Nec vero mirum est, diversos affectus in Psalmis misceri, in quibus tam suas tentationes quam fidei luctas exposuit David: deinde quum iam salutem adeptus cecinerit Dei laudes, interdum diversa tempora complectitur: sicuti hic dicit *respectam fuisse afflictionem suam a Deo*, per respectum allatae sibi opis, effectum intelligens, et quo hoc melius confirmet, addit se non fuisse traditum in manus inimici: in quibus verbis tacita antithesis subest: quum esset undique conclusus duris angustiis, mirabiliter a Deo fuisse ereptum. Eodem etiam pertinet quod additur, pedes eius in latitudine fuisse positos: quia notatur subita et inopinata mutatio.

9. *Miserere mei Iehova, quia tribulatio mihi: computruit prae ira oculus meus, anima mea, et venter meus.* 10. *Quia defecit prae dolore vita mea, et anni mei prae gemitu: concidit in aerumna mea virtus mea, et ossa mea computruerunt.* 11. *Propter omnes hostes meos fui opprobrium, etiam vicinis meis valde, et terror notis meis: et videntes me foris, recesserunt a me.* 12. *Oblivioni traditus sum sicut mortuus a corde, similis factus sum vasi confracto:* 13. *Quia audiavi convicium multorum:*) pavor circumquaque, dum consultant simul contra me, et de capienda anima mea cogitant.*

9. (*Miserere mei Iehova.*) Multis querimoniis amplificat miseriae suae et doloris gravitatem, ut Deum ad succurrendum flectat: non quod rationibus ad eum persuadendum opus sit, sed quia fideles, ut curas suas exonerent, familiariter secum agere patitur. Nam quo pluribus urgentur malis, dum ea coram Deo deplorant, tantundem se erigunt ad spem auxilii impetrandi. Etsi autem hyperbolicae videri possent loquutiones, Davidi tamen propositum fuisse non dubito, sensus suos in medium proferre. Primo dicit, oculos suos, animam, et ventrem contabuisse moerore, unde apparet, nec leviter, nec ad breve tempus his malorum tormentis fuisse vexatum. Ea certe mansuetudine praeditus erat, ut non excandesceret exiguo impulsu, neque tristitiae intemperantia se conficeret. Deinde ad mala toleranda pridem erat assuefactus. Ergo non nisi durissime, imo incredibili modo afflictus, eo usque indignationis prorupit. Iam per vocem Irae ostendit non ita se in constantia ferreum, vel passionum

expertem fuisse, quin prorumperet eius dolor ad nimiam vehementiam et ardorem. Unde colligimus, sanctis durum saepe, et arduum fuisse cum suis passionibus certamen: nec eorum patientiam fuisse immunem a tristitia, sed anxie luctando hoc tandem esse adeptos, ne eos malorum congeries obrueret. Per *vitam* intelligunt quidam sensus vitales: quod etsi non prorsus reiicio, simpliciter tamen exponere placet, quod moerore consumptus vitam suam et annos effluere et deficere senserit. Atque his verbis iterum non tam molliem suam, quam malorum atrocitatem deplorat, etsi Davidem minime puduit infirmitatem suam, cui remedium quaerebat, libere fateri. Quod dicit: *Robur suum concidisse sub aerumna*, quidam interpretes malunt, sub iniquitate, et *וַיִּי*, fateor, utrumque Hebraeis significat, imo saepius delictum et culpam: sed quum pro poena interdum sumatur, quod melius contextui congruere visum est elegi. Quanquam autem verum est, quicquid unquam malorum perpessus est David, culpaе suae adscribere solitum: quia tamen tantum hic recitans suas misérias causam subicit, probabile est, rem unam pluribus modis suo more exprimere.

11. (*Propter omnes hostes meos.*) Alii vertunt, prae hostibus, et quia litera *ב* saepe apud Hebraeos comparative accipitur, sensum hunc eliciunt, quod amici et familiares Davidis eum supra omnes eius hostes probrosum duxerunt. Sed aliud, meo iudicio, voluit: quum passim esset exosus, totumque fere populum in suam factionem traxissent hostes, infamia se apud amicos et propinquos flagrasse, sicuti commune iudicium, quasi violenta tempestas, abripere animos nostros solet, ideo copulam *וְ* amplificandi causa positam fuisse arbitror: quod detestabilis fuerit David, non alienis modo, quibus ante fuerat ignotus, sed praecipuis amicis. Addit etiam, quum procul adspicerent, fugisse. Nam adverbio *foris* significat non fuisse dignatos miserum hominem propiore accessu: imo ne qua mali contagio ad ipsos pertingeret, omnem quamvis remotum conspectum fugisse: quod sibi fraudi et dedecori fore ducerent, ullum ostendere amicitiae signum.

12. (*Oblivioni traditus sum.*) Prosequitur eandem sententiam, seque non secus ex omnium memoria deletum fuisse conqueritur, ac si mortuus fuisset. Etsi enim quorundam post mortem viget memoria apud superstites, saepius tamen contingit evanescere: quia nec quidquam est commercii, nec vivi mortuos aliquo officii genere prosequi aut iuvare possunt. Idem confirmat similitudine vasii corrupti, qua extremus contemptus et deiectio notatur: ac si dixisset, nullo iam loco vel numero se dignum censerii. Addit postremo, se exagitatum vulgo fuisse multis probris, et percussum fuisse terroribus. Quanquam mihi magis placeret *רִיבִי*

*) de plusieurs, en marge: ou, des grans.
Calvini opera. Vol. XXXI.

magnos vertere, quam multos. Inde enim augetur indignitas, si primores, qui non minus iudicio quam autoritate pollent, nos traducunt et infamant, quasi sceleratos: quia apud plebeios instar est praeiudicii, quidquid ab illis profectum est. Optime ergo congruet sensus, a toto procerum ordine contumeliose damnatum fuisse Davidem; ut eorum splendore oppressa fuerit afflicti hominis innocentia: quam sententiam confirmat quod continuo post adiungit: *Pavor circumquaque, dum consultant simul.* Nam quum de iisdem loquatur, aptius in primores hoc competere certum est, quam in obscurum vulgus. Porro videmus, impios sic fraudulentis consiliis inter se conspirasse ad perdendum Davidem, ut prius invidiam ei conflaverint tanquam homini scelesto et reprobo. Sic etiam convitiis eum lace- rasse, ut proterviam fucō gravitatis tegerent, de eius perniciē inter se consultando, ac si iam minime ferendus esset, itaque non mirum est, tot ac tam acerbis tentationibus (sicut nuper visum fuit) vulneratum fuisse eius animum.

14. *Ego tamen in te speravi, Iehova: dixi, Deus meus es.* 15. *In manu tua sunt tempora mea, erue me e manu hostium meorum, et a persequentibus me.* 16. *Lucere fac super servum tuum faciem tuam, serva me in bonitate tua.* 17. *Iehova, ne pudeam, quia invocavi te: pudeant impii, sileant in sepulcro.* 18. *Obmutescant labia mendacia, quae loquuntur adversus iustum dure in superbia et contumelia.*

14. (*Ego tamen in te etc.*) Hic ponitur copula, sed adversativae particulae loco. Nam fidei suae constantiam omnibus quas retulit tentationum machinis opponens David, negat se fuisse labefactum, sed potius firmum stetisse in salute a Deo speranda: neque tamen ita se fuisse magnanimum praedicat quin pro carnis infirmitate fere oppressus iacuerit. Haec enim, quamvis in speciem contraria, simul coniungi debent, eum dolore contabuisse, vigoreque omni fuisse privatum: et tamen bona spe suffultum, ut a Dei invocatione non desisteret. Sic ergo in tristitiae dirorumque cruciatuum tenebris fuit demersus, ut occulta lux fidei intus fulgeret in eius corde: sic gemuit sub ingenti tentationum mole, ut animum tamen ad Deum invocandum colligeret. Ergo per multa obstacula enixus est ut ad hanc confessionem emergeret. Modum postea spei suae definit, quod scilicet secum ita reputaverit, Deum sibi nunquam defore. Sed loquutio notanda est: *Dixi, Deus meus es tu:* quo verbo significat ita statuisse penitus in animo suo, ut nullam contra dubitationem admitteret. Donec enim praevaluerit ista persuasio, ut sensus nostros occupet, semper incerti vacillabimus. Notandum tamen est, istud Dicere non modo interius esse et arcanum, ut in corde potius quam in lingua resonet: sed ad Deum

ipsum quasi unicum testem dirigi. Nihil enim difficilius est, ubi fidem nostram deludi videmus a toto mundo, quam sermonem ad Deum unum dirigere, et acquiescere in hoc conscientiae nostrae testimonio, quod sit Deus noster. Atque haec vera demum fidei probatio est, quamlibet violenti fluctus insurgant, quamlibet etiam duri impetus nos concutiant, stabile hoc principium retinere, nos sub Dei esse tutela, et libere cum ipso in hunc modum loqui: Tu Deus noster es.

15. (*In manu tua.*) Quo alacrius salutem suam Deo commendat, praefatur se eo custode fretum non imaginari fortuitos et caecos eventus, quos vulgo metuunt homines. Perinde enim est ac si dixisset: Domine, penes te mortis ac vitae meae arbitrium est et potestas: quanquam non temere plurali numero usum esse arbitror, sed ut casuum varietatem notaret, qua agitur vita hominum. Frigide enim exponi videtur hoc nomen de vitae termino: quia vel tempus suum vel dies suos David in manu Dei esse simpliciter dixisset. Ego itaque non dubito quin varias resolutiones cogitans, totque discrimina quae assidue impendent, tot inopinatos eventus qui subinde accidunt, secure nihilominus recumbat in Dei providentiam: quia statuit eam moderatricem esse utriusque fortunae, ut loquuntur. Videmus primo, ut non in genere tantum vocet Deum mundi gubernatorem, sed vitam suam affirmet esse in eius manu: neque id simpliciter, sed quibuscunque versari modis contingat, inter omnes vicissitudines positam semper esse sub Dei manu: hinc precationem deducit, ut servetur e manu hostium.

16. (*Lucere fac super servum tuum faciem tuam.*) Diximus alibi, et postea videbimus pluribus locis, hanc loquendi formam ductam esse a communi hominum sensu, qui se a Deo non respici existimant, nisi re ipsa et effectu ostendat se gerere eorum curam. Non enim secus faciem eius obsecrant afflictiones, ac nebulae solis splendorem. Petit igitur David, praesenti Dei auxilio sibi palam fieri, ipsum sibi propitium esse ac faventem: quod in afflictionum caligine cernere, non ita facile erat. Quanquam duobus modis faciem suam super nos illustrare dicitur: vel quum oculos aperit ad res nostras curandas, vel quum favorem suum nobis ostendit. Sunt quidem haec duo simul coniuncta, imo alterum ex altero pendet: sed in priore loquutione, pro sensu carnis nostrae tribuitur Deo mutatio, quae proprie in Deum non competit. Secunda autem loquutio exprimit, nobis potius quam Deo clausos esse vel hebetes oculos, quamdiu videtur miseras nostras non curare. *Servandi* verbo quid prius voluerit, explicat, quia autem nulla tunc exstabat salutis ratio, ad eam sperandam proposita bonitate se animat.

17. (*Iehova ne pudefiam.*) Prosequitur suam precationem, et quo plus spei concipiat, se hostibus suis opponit, quia his absurdum fuisset, illos impune elabi, quorum impietas iram Dei aperte provocabat: innoxium vero hominem qui in Deum recubuerat, cum frustratione ludibrio exponi. Tenemus nunc quid valeat comparatio. Porro, spei vel fiduciae loco nunc invocatio ponitur et merito: quia necesse est ut ad Deum confugiat, et vota sua clamoresque dirigat quisquis in eius providentia recumbit. *Silere in sepulcro*, tantundem valet atque impios morte compesci ne amplius noceant. Silentium vero tam dolosis et perfidis machinationibus quam tumultuoso fastui opponitur. Ideo mox proximo versu addit: *Obmutescant labia mendacii*, qua voce eum complecti interpretor tam vafritiem, fictos ad persuadendum colores et calumnias, quam ventosam iactantiam. Dicit enim durum vel prae fractum loqui contra iustos, idque in superbia et contemptu: quia tam audaces ad mentiendum reddebat hostes Davidis perversa elatio, quae semper fere contumeliam ex se parit: quia fieri vix potest quin alios contemptum despiciat quisquis arrogat sibi plus iusto.

19. *Quam multa bonitas tua quam abscondisti*) timentibus te, exercuisti confidentibus in te, coram filiis hominum.* 20. *Abscondes eos in abscondito vultus tui, a superbiis viri occultabis eos in tugurio, a rixa linguarum.* 21. *Benedictus Iehova, quia mirabilem reddidit bonitatem suam erga me in civitate munita.*

19. (*Quam multa bonitas.*) Hoc versu exclamat benignum erga suos cultores et beneficium esse Deum, supra quam sensus noster capiat. Bonitas enim hic pro effectu suo capitur. Interrogatio autem vehementia non caret: quia non simpliciter praedicat David benignum esse Deum, sed in admirationem bonitatis quam expertus erat, rapitur. Neque enim dubium est quin pro sua experientia erumpat in hanc vocem, quia mirifice et inopinato modo ex suis malis liberatus fuerat. Itaque fideles suo exemplo iubet supra mentis suae captum assurgere, ut longe plus sibi promittant et exspectent a gratia Dei, quam concipiat humana ratio. Bonitatem Dei cultoribus absconditam esse dicit, quia peculiaris est eorum thesaurus. Etsi enim sese variis modis extendit ad profanos et indignos, ipsisque promiscue est exposita: longe tamen uberius et luculentius se profert erga fideles: quia etiam soli omnibus Dei beneficiis fruuntur in salutem. Adde, quod Deus, licet solem suum oriri faciat super bonos et malos, (Matth. 5, 45) imo se

*) la quelle tu as cachee, *en marge*: ou reservee.

brutis quoque animalibus liberalem exhibeat: se tamen vere et in solidum patrem non declarat nisi servis suis. Quare non abs re abscondita dicitur fidelibus Dei bonitas, quos propius et magis familiariter favore suo prosequi dignatur. Quidam subtilius bonitatem Dei absconditam intelligunt, quia Deus saepe filios suos cruce et miseriis exercens, suam erga eos gratiam occultat, neque tamen eorum obliviscitur. Probabilius tamen est, pro reposito thesauro sumi: nisi forte ad piorum sensum id referre placeat: quia soli (ut dictum est) divinae beneficentiae fructum animis percipiunt: quum impios impediatur brutus stupor, ne Deum agnoscant beneficium patrem, dum se ingurgitant eius opibus. Ita fit ut Dei bonitas omnes mundi partes impleat ac occupet, vulgo tamen ignota sit. Sed prophetae mentem certius aperiet antithesis inter fideles et extraneos. Sicut enim homo providus, ita erit in omnes liberalis, ut filios tamen vel domesticos non defraudet, nec prodige largiendo exhaustiat domum suam: ita Deus exteris benefaciens, filiis tamen servare novit quod in ipsos competit quasi haereditario iure. Augustinus parum apposite his verbis probat, eos qui sine fide horrent iudicium Dei, non gustare eius bonitatem: et eius error clarius proximo membro refellitur, ubi David pronuntiat, ipsum Deum coram mundo hoc testatum facere, nempe inaeestimabili bonitate se erga cultores suos esse praeditum, ut eorum saluti prospiciat. Unde colligimus non de aeterna beatitudine, quae pios in coelis manet, hic tractari, sed de auxiliis ac beneficiis quae ad praesentis vitae conservationem pertinent: quae adeo manifesta esse docet, ut profani quoque homines oculati eorum testes esse cogantur. Etsi enim omnia Dei opera clausis oculis praeterit mundus, ac maxime paternam eius erga sanctos curam ignorat: certum tamen est, quotidie sic fulgere eius documenta, ut ne reprobos quidem lateat, nisi quatenus oblatam sibi lucem suffocant. Itaque vero pronuntiat David, Deum coram filiis hominum exserere bonitatis suae testimonia erga fideles, ut certo constet, non temere nec frustra eum coli.

20. (*Abscondes eos in abscondito.*) Gratiam Dei hac in parte specialiter commendat, quod fideles ab omnibus noxis defendit ac tuetur. Nam quum assidue et innumeris modis eorum salutem oppugnet Satan, eisque maior pars mundi infensa sit, multis discriminibus obnoxios esse necesse est. Itaque nisi eos sua manu Deus protegeret, ac subinde ad opem ferendam occurreret, miserrima esset eorum conditio. Alludit autem ad illam absconsionem cuius nuper meminit, quanquam primo intuitu durior esse videtur metaphora: aptissime tamen exprimit, hoc uno tutos et salvos esse fideles, si Dominus eos respicit. Itaque magnifice hoc elogio

extollitur providentiae Dei virtus, quod sola ad omne malorum genus repellendum sufficiat, ac radiis suis perstringat improborum omnium oculos, manusque enervet. Quibusdam alludere videtur propheta ad sanetuarium: quod etsi non reiicio, non satis tamen solidum arbitror. Dicit autem abscondi fideles a superbiis viri et rixis linguarum, quia nisi compescat Deus reprobos, scimus quam furioso impetu contra bonos et simplices efferre se audeant: sed quamlibet effraenis sit eorum libido et insolentia, ne quid tamen bonis noceat, mirabiliter Deus ex fulgore adspectus sui umbram opponit. Alii רִיכְסִים vertunt conspirationes, alii pravitates: sed nulla ratione, nec vero respondet etymologia: quia non ab elevando deductum est. Superbiae additur contentio linguarum: quia etsi Dei filiis metuenda sit hostium crudelitas, superat tamen virulenta eorum maledicentia: quod plus satis expertus est David. Quum autem nobis merito carior debeat esse integritas quam vita nostra, discamus sic iustitiam colere, ut freti Dei patrocinio, falsas omnes calumnias spernamus: semperque nobis in mentem veniat, hoc proprium esse Dei munus, suos ab iniustis probris asserere.

21. (*Benedictus Iehova.*) Generales quas posuit sententias, privatim ad se accommodat, ac praedicat, in liberatione vitae suae mirificam fuisse Dei bonitatem. Quia vero de auxilio loquitur quod in rebus confusis et perditis repente et praeter spem allatum erat, recte sentiunt interpretes, qui subaudiunt similitudinis notam: Quasi in urbe munita, nam quum ad omnes ictus pateret David, iniuriisque omnibus expositus foret, sibi in hac nuditate et inopia pluris fuisse Dei auxilium iactat, quam urbem bene munitam, vel inexpugnabile propugnaculum.

22. *Ego autem dixeram in trepidatione mea,**) *Proiectus sum a conspectu oculorum tuorum, utique tamen exaudisti vocem deprecationum mearum, dum clamavi ad te.* 23. *Diligite Iehovam, omnes mansueti eius: fideles custodit Iehova, et rependit abunde**)* *superbe se gerenti.* 24. *Fortiter vos gerite, et roborabit cor vestrum, omnes qui speratis in Iehova.*

22. (*Et ego dixi.*) Fatetur hoc versu David se diffidentia sua promeritum fuisse ut desertus et abiectus a Deo periret. Probrosus hoc quidem erat coram hominibus: sed quo melius illustret Dei gratiam, non dubitat vitii sui dedecus palam facere. Eandem fere confessionem repetet Psal. 116. Ego

*) en mon tremblement, *en marge*: ou perturbation, ou hastivité.

**) abondamment, *en marge*: ou, par excellence.

dixi in praecipitatione mea, omnis homo mendax. Scio, יָדַע a quibusdam exponi pro fuga, quasi David mortem fugitans, propterea quod impar esset ad resistendum, hoc pavore fuerit percussus. Sed ego ad animi perturbationem magis refero. Itaque sive festinationem vertas, sive alio modo, intelligit, se quasi praecipitem fuisse abreptum, ut se putaret a Deo negligi. Opponitur autem haec festinatio rationi sedatae et compositae: quia etsi metu percussus fuit David, non tamen succubuit, ac si fixa in eius mente stetisset haec persuasio. Scimus enim, saepe terroribus inquietari fideles, et fervore impatientiae, vel nimium celeribus votis quasi praecipites impelli: sed postea rodire ad se ipsos. Quod autem hac tentatione nunquam excussa fuerit Davidi fides, ex contextu patet: quia mox addit exauditas fuisse suas preces. Atqui extincta fide serium precandi affectum concipere non potuit, quare hic festinationis tantum lapsus fuit. Quod si sanctum Dei prophetam, tantaque praestantia ornatum in desperationem rapere potuit praepostera cogitationis festinatio: quantopere nobis timendum est ne exitiali ruina animi nobis concidant? Etsi autem ad amplificandam Dei gratiam pertinet haec confessio, ut diximus: secundo tamen membro satis demonstrat David, fidem suam, quamvis concussa fuerit, non fuisse tamen radicitus evulsam: quia precari interea non destitit. Ac saepe hoc modo luctantur sancti cum propria diffidentia, ut partim labascant, partim animos suos colligant et efferant ad precandum. Nec obstat carnis infirmitas quominus, etiam fere deiecti, indefessos Deo athletas se praebeant. Quanquam autem tentationi David strenue repugnauerat, se tamen indignum fuisse agnoscit Dei gratia, quam sua dubitatione quodammodo arcebat. Nam particula אֲנִי, hoc loco adversative capitur: quod scilicet praeter meritum salvatus fuerit David, quia cum eius infidelitate certavit immensa Dei bonitas. Quia tamen nota est affirmationis apud Hebraeos, placuit reddere: Utique tamen. Nec vero dubito quin variis eam tentationibus opponat, quibus animum eius huc illuc impulsus fuisse credibile est.

23. (*Diligite Iehovam.*) Non hortatur hic, meo iudicio, pios ad Dei timorem et reverentiam, sicut multi volunt: sed tantum eos ad fiduciam animat, ac si inberet prorsus addictos esse Deo, spes omnes suas in eum coniicere, et in eo penitus acquiescere, ne alio ferantur. Unde enim fit ut nos oblectent nostra figmenta, nisi quia non sapit nobis Deus, ut par erat, nec ei sensus omnes nostri adhaerent? quare dilectio haec votorum omnium summam in se continet. Naturaliter bene et beate sibi esse cupiunt omnes: sed dum maior pars illecebris mundi capta mendacia et imposturas diligit, vix centesimus quisque mentem ad Deum applicat.

Sensum hunc confirmat quae statim additur ratio. Mansuetos enim ad Deum amandum hotatur propheta, quia veraces custodiat: perinde ergo est ac si contentos esse iuberet eius praesidio. Interim admonet, rectae conscientiae studendum esse, et integritatem colendam, quia Deus rectorum ac veracium se fore custodem promittit. Ex opposito pronuntiat: Superbis abunde rependere mercedem, ne, ubi videmus illis prospere ad tempus succedere, prava aemulatio nos sollicitet, vel certe nos frangat et exanimet eorum ferocitas, dum quidvis sibi licere putant. Summa igitur est, quamvis sibi plaudant impii, dum impune in sceleribus suis grassantur, fideles autem in multis timoribus et periculis versentur: vos tamen Deo addicite, et recumbite in eius gratiam: quia veraces semper defendet, superbis vero quam meriti sunt mercedem rependet. In particula *על ירך* non consentiunt interpretes. Superbiam quidam vertunt, hoc sensu: Deus pro superbia retribuet superbe agentibus. Alii exponunt, ad cumulum, vel, ultra mensuram, quia *ירך* Hebraeis residuum significat, pro quo posuimus *abunde*. Nonnulli intelligunt, usque ad filios et nepotes, qui residui manebunt ex illorum semine. Caeterum quia eadem vox pro Excellentia saepius accipitur, non dubito quin propheta facete superbos perstringat, qui suam praestantiam sibi non modo clypei, sed invictae munitionis loco contra Deum esse fingunt. Quia ergo eos excaecat vel fascinat sua potestas, ut intemperanter ac sine modo abiectis et debilibus insultent: eleganter propheta dicit, pro excellentia qua turgent, repositam illis esse mercedem.

24. (*Fortiter vos gerite.*) Eodem pertinet haec exhortatio, haec enim constantia de qua praecipit, in illo Dei amore fundata est: ubi toto corde quam promittit salutem, omnibus illecebris valere iussis, amplectimur. Neque tamen supervacua est fortitudinis et constantiae mentio, quia ubi quis in Deum recubuerit, ad multos Satanae impetus sustinendos se comparet atque armet necesse est. Primum ergo est, ut nos placide in Dei fidem et tutelam tradamus, ac bonitas eius gustus sensus omnes nostros retineat. Deinde ut firma constantia et infatigabili virtute instructi, subinde ad nova proelia stemus accincti. Quia tamen nemo sponte sua ad pugnandum sufficeret, David spiritum fortitudinis sperare a Deo et petere nos iubet, quod notatu apprime dignum est. Nam hinc colligimus, ubi nos officii admonet spiritus Dei, non expendere qualis sit cuiusque facultas, nec officium ipsum propria hominum virtute metiri: sed potius ad preces nos accendere, ut defectum nostrum solus, qui potest, Deus corrigat.

PSALMUS XXXII.

ARG. David probe et serio expertus quam miserum sit Dei manum sentire ob peccata infestam, exclamat, hoc summum et unicum esse beatæ vitæ caput, si Deus hominem abolito reatu sibi gratuito reconciliet. Postquam vero de impetrata venia gratias egit, alios secum in huius felicitatis societatem invitat, eius obtinendae modum suo exemplo praescribens.

Erudiens Davidis. 1. *Beati quibus remissa est iniquitas, quorum tecta est transgressio.* 2. *Beatus homo cui non imputat Iehova iniquitatem, et in cuius spiritu non est dolus.*

Inscriptio gustum aliquem argumenti praebebat. Quidam putant nomen *משכיל*, ex versu 7 desumptum esse: sed rectius est, ex toto contextu fuisse Psalmo impositum. David enim post longos et horribiles cruciatus, quum Deus propositis irae suae signis eum severe torqueret: tandem gratiam adeptus, documentum hoc ad suum et totius ecclesiae usum accommodat, ut se aliosque erudiant in praecipuo salutis capite. Quia enim fieri non potest quin misere trepident cuncti mortales, donec certo persuasi sint, Deum sibi esse propitium, vel, quod deterius est, se ipsos et Deum obliti, in mortifero stupore iaceant: non alibi quam in gratuita peccatorum venia, sitam esse felicitatem docet: quia nec quidquam miserius sit quam Deum habere adversum, nec aliter nobis propitius sit, quam ubi paterna indulgentia peccatis nostris ignoscit.

1. (*Beati quibus.*) Tam ex ardenti cordis affectu, quam ex seria meditatione erumpit in hanc exclamationem. Nam quum totus fere mundus a Dei iudicio sensus suos avertens, mortiferam sibi oblivionem inducat, falsisque deliciis se inebriet: David sicuti irae Dei metu fuerat percussus, ut ad quaerendam misericordiam se conferret, alios etiam clara et sonora voce expergefacerit: pronuntians, eos demum beatos esse, quibus placatus est Deus, ut pro filiis agnoscat, quibus merito inimicus esset. Tametsi autem alios hypocrisis et superbia excaecat, alios crassus Dei contemptus, ut de quaerenda venia minime solliciti sint: fatentur tamen omnes venia sibi opus esse: nec sane quisquam est quem non ad Dei tribunal accuset propria conscientia, multisque stimulis pungat. Hanc igitur confessionem profanis quoque hominibus extorquet ipsa natura: Quia nemo perfectus est, necessariam omnibus esse veniam: ac tum demum praeclare nobiscum agi, quum peccata Deus remittit. Sed interea multis caliginem obducit hypocrisis, multos demulcet perversa carnis securitas, ut nullo aut frigido irae Dei sensu tangantur. Et accedit duplex error, quod peccata sua omnes extenuant, nec centesima ex parte reputant quam sint Deo obnoxii. Deinde

frivolas sibi expiationes fingunt, quibus se a noxa liberent, Deique gratiam redimant. Ita omnibus saeculis passim invaluit haec opinio, Quamvis singuli vitiis laborent, simul tamen ornatos esse meritis, quae illis gratiam concilient coram Deo: deinde quamvis iram Dei provocent suis delictis, in promptu esse piacula, et satisfactiones quibus se absolvant. Atque haec Satanae impostura communiter in papistis, Turcis, et Iudaeis, aliisque gentibus regnat. Itaque quisquis non furiosa amentia abreptus fuerit in papatu, sententiam hanc admittet, Miseros esse homines, nisi cum illis clementer agat Deus, peccata non imputando. Sed longius progressus est David, totam hominum vitam irae et maledictioni Dei subiiciens, nisi quatenus mera gratia Deus ad se recipere dignatur: cuius rei spiritus qui per Davidem loquutus est, per os Pauli, Rom. 4, 6 certus nobis est interpret ac testis. Nisi usus fuisset hoc testimonio Paulus, nunquam ad genuinam prophetae mentem penetrassent lectores: sicuti papistae licet cantillent in templis suis, Beati quorum remissae sunt iniquitates, tamen quasi vulgare aliquod levisque momenti dictum praetereunt. Atque Paulo haec plena est iustitiae fidei definitio, ac si dixisset propheta, tunc demum beatos esse homines, quum Deo gratis reconciliati pro iustis censeantur. Haec igitur beatitudo quam celebrat David, omnibus hominum meritis in nihilum redactis, operum iustitiam evertit. Nam commentum partialis iustitiae, quo se papistae et alii deludunt, futile est, quia ne inter eos quidem qui coelestis doctrinae luce carent, quisquam reperietur tam vesanus, qui sibi perfectam iustitiam arroget: quod etiam testantur expiationes, lavacra, et alia placandi Dei remedia, quae semper in usu fuerunt cunctis gentibus. Sed interea suas virtutes perinde obtrudere Deo non dubitant, ac si magnam beatitudinis partem sibi ipsi acquirerent. David autem longe alium ordinem praescribit, ut in quaerenda felicitate omnes ab hoc principio incipiant, non aliter sibi propitium fore Deum, quam si gratis ignoscat: et favore suo dignetur qui aeterno interitu digni essent. Ac merito pronuntiat David, sublata misericordia, miseros in solidum et maledictos esse cunctos mortales: quia quum naturaliter tantum ad malum ferantur omnes, donec regeneriti fuerint, totam eorum vitam Deo exosam et abominabilem esse certum est. Deinde etiam post regenerationem quum nullum hominis opus sine venia placere Deo queat, a spe salutis excludi necesse est. Certe nihil praeter anxiam trepidationem illis restabit. Durum hoc papistis videtur, sanctorum opera, quia maculis aspersa sunt, mercede indigna esse, sed in eo crassam inscitiam produnt, quod Dei indicium cui obscurus est stellarum splendor, ex suo sensu aestimant. Fixa igitur maneat doc-

trina haec, Quia non aliter iusti coram Deo reputamur, nisi gratuita peccatorum remissione, hanc aeternae salutis esse ianuam: ideoque solos esse beatos qui in Dei misericordiam recumbunt. Tenenda enim est illa quam notavi antithesis inter fideles, qui remissionem peccatorum amplexi acquiescunt in mera Dei gratia, et reliquos omnes, qui ad gratiae asylum confugere negligunt. Porro quod ter idem inculcat David, non est supervacua repetitio. Per se quidem hoc satis clarum erat, beatum esse hominem cui remissa est iniquitas: sed quam sit persuasum difficile, ut cordibus penitus infixum maneat, experientia ostendit. Maior pars (ut admonui) suis illecebris capta, quantum in se est, conscientiae terrores, omnemque irae Dei metum procul a se depellit. Quanquam autem Deum sibi propitium appetunt, fugitant tamen magis eius conspectum, quam ad eius gratiam ex animo sincereque adspirent. Quos vero Deus vere expegefecit, ut tangantur vivo miseriae suae sensu, assidua inquietudo exagitat, ut difficile sit eorum animos pacare. Gustant quidem Dei misericordiam, et eam apprehendere conantur: sed subinde ad multos insultus vel expavescunt, vel nutant. His duabus de causis, pluribus verbis in testanda peccatorum remissione insistit, nempe ut sopitos excitet, securis sollicitudinem iniiciat, torpentesque impellat: deinde ut trepidas et anxias mentes certa constantique fiducia tranquillet. Apud priores talis est huius doctrinae usus. Quid facitis miseri? si vos una et altera punctio non sollicitat, si ad incutiendum terrorem non sufficit qualiscunque peccatorum agnitio: quam perversum tamen est, immensa congerie obrutos, secure adhuc dormire? Apud debiles autem et trepidos non parum solatii et confirmationis continet haec repetitio, nam quum subinde recurrant dubitationes, non satis esset una in lucta superiores stare. Ergo ne inter varios motus quibus turbantur desperatio eos absorbeat, spiritus sanctus remissionem peccatorum pluribus verbis confirmat et sancit. Iam expendere convenit quid valeant loquendi formae. Certe remissio de qua hic agitur, cum satisfactionibus non convenit. Deum enim levando, aut tollendo, deinde tegendo et non imputando peccata gratis ignoscit. Quare papistae satisfactiones suas, et supererogationis (ut vocant) opera ingerendo, beatitudine ista se privant. Adde quod David verba haec ad plenam veniam extendit. Itaque intempestiva hic est poenae et culpae distinctio, qua papistae dimidiam tantum veniam faciunt. Nunc tandem videndum est ad quos pertineat haec felicitas, quod ex circumstantia temporis colligere promptum est. Nam quum dicit David, se unica Dei misericordia beatum esse, non erat ab ecclesia alienus: imo prae aliis multis profecerat in timore cultuque Dei, et vitae sanctitate,

seque exercuerat in omnibus pietatis officiis. Post istos progressus ita eum exercuit Deus, ut proram et puppim salutis suae in gratuita cum Deo reconciliatione locaret. Nec vero frustra Zacharias in suo cantico, Luc. 1, 77 hanc salutis scientiam vocat, tenere remissionem peccatorum. Ergo ut quisque sanctitate maxime excellit, se a iustitiae perfectione adhuc longe abesse sentiat, ne alibi confidat quam in mera Dei misericordia. Unde apparet nimis crasse hallucinare qui in peccatorum remissione non nisi initium iustitiae esse putant. Nam quum se quotidie multis delictis obstringant fideles, nihil proderit viam semel adeptos esse, nisi eadem eos gratia usque ad ultimam vitae metam prosequatur. Si quis obiciat, beatos alibi vocari qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius, qui integri sunt corde, etc. facilis responsio est: quia nullibi reperietur perfectus Dei timor, legis observatio, et cordis integritas, quidquid ubique scriptura de beatitudine praedicat, in gratuito Dei favore, quo nos sibi reconciliat, esse fundatum.

2. (*In cuius spiritu non est dolus.*) Hac particula fideles discernit tam ab hypocritis quam a stupidis contemptoribus quorum utrisque nec curae est ista felicitas, nec eius potiundae ratio constare potest. Male sibi conscii sunt scelerati, sibi tamen in suo foetore placent: obstant se ad impudentiam, minas ludibrio habent, vel saltem fallacibus blanditiis se involvunt, ne cogantur in Dei conspectum prodire, ergo quamvis urantur miseriae suae sensu, vel caecis tormentis vexentur, perversa tamen oblivione metum omnem Dei suffocant. Hypocritae, si quando eos mordet conscientia, inanibus pharmacis leniunt dolorem: si eos Deus ad tribunal suum citat, larvas nescio quas pro defensione opponunt: nec unquam integumentis carent, quibus lucem e cordibus suis arceant. Hos omnes impedit interior dolus, ne felicitatem quaerant in paterno Dei amore. Quin etiam multi eorum vel proterviunt coram Deo, vel superba confidentia turgent, ut se beatos somnient quamvis adverso Deo. Significat ergo David, neminem ante gustare quid valeat peccatorum remissio, quam ex eius corde abstersus fuerit dolus. Porro quid intelligat per hoc nomen, ex his quae dixi colligere licet. Quisquis ergo se non examinat coram Deo, quin potius Dei iudicium fugitans, vel se abdit in tenebras, vel foliis obteggit: secum dolose agit, et cum ipso Deo. Ita non mirum est, si malum non sentiens medicinam respuit. Huius doli notandae sunt duae illae quas attigi species. Quanquam autem non ita obdurerunt multi, quin tangantur aliquo timore et gratiae desiderio: sibi tamen interea indulgent, vel frigide moventur ad veniam quaerendam. Hinc fit ut nondum capiant quam inaeestimabilis sit felicitas, Deum habere propitium. Talis fuit ad tempus David,

cui obrepsit dolosa securitas ad obtenebrandam eius mentem, ne ad huius felicitatis studium emergeret. Hoc eodem morbo laborant saepe sancti. Quare si hac felicitate quam nobis proponit David, frui cupimus, sedulo curandum est ne Satan fallaciis corda nostra occupans, miseriae nostrae sensum nobis adimat: in qua tabescere necesse est quicumque subterfugia quaeritant.

3. *Quando tacui, contabuerunt ossa mea, et quum eiularem tota die.* 4. *Quia interdum et noctu ingra-vescebat super me manus tua, versus est in siccitates aestatis viror meus. Selah.*

3. (*Quando tacui.*) Sententiam quam posuit, propria experientia confirmat, quod scilicet humiliatus Dei manu, senserit nihil esse miserius quam ab eius gratia alienari: quibus verbis significat non posse doctrinam hanc rite percipi, donec irae suae sensu nos Deus exercuerit. Nec vero de mediocri tantum examine loquitur, sed extremo rigore se penitus subactum fuisse refert. Et certe mira est in hac parte carnis nostrae non modo pigritia, sed etiam durities. Itaque nisi violentis modis tracti, nunquam ad reconciliationem cum Deo quaerendam iusto fervore properabimus. In summa, suo exemplo propheta docet, tunc demum nos capere quanta sit felicitas, Deum habere propitium, ubi gravissimum tentationum luctis intus exercitati, probe sensimus quam formidabilis sit ira Dei. Dicit autem, sive taceret, sive clamore ac rugitu exonerare tentaret suum dolorem, semper ossa sua senuisse: ac si diceret totum robur suum fuisse emarcidum. Unde sequitur, quocumque se vertat peccator, et quoscumque induat affectus, non tamen levare suum malum, nec quidquam proficere, donec cum Deo redierit in gratiam. Saepe enim contingit, gravissima tristitia constringi qui fraenum arrodunt, intusque devorant ac comprimunt suum dolorem: postea quasi subito furore abripi, et vim doloris eo maiore impetu erumpere, quo se diutius cohibuerunt. Silentii nomine non indolentiam vel stuporem designat, sed affectum qui medius est inter tolerantiam et contumaciam, vitio et virtuti affinis. Neque enim ossa eius quasi senio consumpta essent, nisi inter diros animi cruciatus: et tamen spei vel obedientiae non fuit silentium, quod misero nihil solatii attulit.

4. (*Quia interdum.*) Hoc versu clarius explicat unde tantus moeror, quia scilicet Dei manum sensit infestam sibi esse. Hic enim malorum omnium cumulus est, urgeri Dei manu, ut sentiat peccator sibi cum eo iudice negotium esse, cuius ira et severitas praeter aeternam mortem innumeras mortes in se continet. Hinc conqueritur David succum suum exaruisse, non modo quod simpliciter reputaret sua mala, sed causam et fontem agnosceret.

Tunc enim concidit totus hominum vigor, ubi Deus iudex apparet, ac propositis irae suae signis eos humiliat ac prosternit. Tunc impletur illud Iesae, 40, 7: Exaruit herba et emarcuit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Dicit autem non vulgare fuisse castigationis genus, quo didicit vere iram Dei metuere, quia manus Domini noctes et dies ingravescere non cessavit. Certe iam a puero ad Dei timorem tam arcano spiritus instinctu, quam doctrina formatus erat ad pietatem. Et tamen ad hanc sapientiam discendam adeo non satis fuerunt rudimenta quibus fuerat imbutus, ut tanquam novitium in medio cursu erudiri necesse fuerit. Imo quum iam longo usu assuevisset ad gemenda sua peccata, de integro ad diuturna exercitia retractus est, unde colligere licet quam sero respiciant homines, ubi semel lapsi sunt: atque etiam quam sint ad parendum tardi, donec subinde plagas suas ingeminet Deus, et continuando augeat. Si quis roget de Davide, an callum obduserat ad plagas, quas sciebat divinitus sibi infligi: responsio ex contextu petenda est, detentum fuisse et constrictum in perplexis doloribus, et lentis tormentis fuisse distractum, donec bene domitus mansuesceret: quod principium est quaerendi remedii. Unde iterum colligimus, non frustra iterari castigationes quibus in nos videtur Deus saevire, nec frustra manum eius aggravari, donec ferocia nostra succumbat, quam scimus esse indomitam, nisi durissimis plagis cogatur.

5. *Peccatum meum tibi notum feci, et iniquitatem meam non abscondi: dixi, Confitebor super me scelus meum Iehovae: et tu remisisti noxam*) peccati mei. Selah.* 6. *Propterea orabit ad te omnis mansuetus tempore inveniendi: utique in diluvio aquarum multarum ad eum non appropinquabunt.* 7. *Tu latibulum mihi, a tribulatione custodies me, canticis liberationis circumdabis me. Selah.*

5. (*Peccatum meum notum feci.*) Iam exitum suae miseriae describit propheta, ut eius felicitatis, de qua meminit, potiundae omnibus in promptu exposita sit ratio. Quum ergo infelicitate eum angeret ac torqueret irae Dei sensus, haec unica levatio fuit, ingenue se damnare coram Deo, et ad veniae deprecationem suppliciter confugere. Non dicit autem simpliciter sibi in mentem venisse peccata, nam et Cain et Iudae idem contingit, sed nullo profectu: quia dum sibi male consci sunt reprobis, non desinunt se ipsos exedere, et fremere adversus Deum: imo quamvis invitos ad iudicium suum cogat, cuperent tamen se abscondere. Sed hic longe diversa peccati agnitio describitur, dum

*) la coulpe, en marge: ou peine.

scilicet peccator sponte ad Deum se confert: quia spem salutis non in pervicacia vel hypocrisi, sed in veniae deprecatione statuit. Haec enim voluntaria confessio cum fide semper coniuncta est: quia aliqui latebras semper captabit peccator, quibus effugiat conspectum Dei, ac verba Davidis aperte ostendunt, sincere et ex animo prodiisse ante Dei oculos, ne quid celaret. Nam quum dicit se notum fecisse peccatum, nec abscondisse: posterius membrum more hebraico ad amplificandum additur. Quare dubium non est quin David coram Deo se sistens, sensus omnes suos effuderit. Scimus ut sua mala extenuent hypocritae, vel fucos inducant, vel tergiversando obscurant: denique nunquam ingenuae et pleno ore rectam confessionem asserant. Hac pravitate se fuisse implicitum negat David, quia sine ulla simulatione patefecerit Deo quidquid eum premebat, quod etiam confirmat *Dicendi* verbo. Nam quum reprobi trahantur, perinde ac si iudex sceleratos in quaestionem ageret, consulto et propenso animi metu se venisse testatur. Nam istud dicere, nihil aliud est quam secum deliberare: unde sequitur, veniam sibi fuisse pollicitum a Dei misericordia, ne liberae confessioni viam praecluderet terror. Particula *Super me*, vel contra me, significat omissos fuisse a Davide omnes praetextus quibus bona pars hominum se exonerat, culpam alio transferens, vel derivans. Statuit ergo David sese Dei iudicio penitus subiicere, proferreque suum reatum, ut apud se damnatus veniam impetraret. (*Et tu remisisti.*) Membrum hoc molestis et diris agitationibus opponitur, quibus se vexatum fuisse dixit antequam fide gratiam Dei apprehenderet. Caeterum his verbis docet, quoties se peccator cum ingenua confessione offeret, reconciliationem cum Deo paratam fore: quia non sibi uni placabilem fuisse Deum recitat, sed communem in suo exemplo doctrinam tradit, ne dubitent qui laborant sub onere sibi fore propitium, simul ac recta et voluntario affectu ad eum se contulerint. Si quis hinc colligat, poenitentiam igitur et confessionem causam esse obtinendae gratiae, solutio non difficilis est: Davidem hic non disserere de causa, sed modum ostendere quo se Deo reconciliat peccator. Quamvis enim interveniat confessio, altius tamen penetrandum est, nempe quod fides corda nostra aperiens et linguas, eadem quoque veniam impetret. Neque enim semper quidquid necessario requiritur, inter causas numerare convenit. Si quis rudius malit, veniam confessione sua adeptus est David, non quod eam actu ipso loquendi promeritus fuerit, sed quia fide directrice iudicem suum suppliciter deprecatus est. Porro quum eadem inter nos hodie vigere debeat confitendi ratio quae olim patribus sub lege fuit, satis hoc loco refellitur tyrannicum papae edictum, quo nos a Deo ad suos sacrificios ablegat.

6. (*Propterea orabit.*) Diserte exprimit, quid hactenus proposuit in sua persona, communiter spectare ad omnes Dei filios: quod sedulo notandum est, quia ob diffidentiam nobis ingentiam maior pars aegre et maligne Dei gratiam ad se admittit. Hinc etiam colligimus confessionis actu, ut loquuntur, veniam non fuisse promeritum, sed fide magis et precibus: quia hunc potiundae eiusdem modum fidelibus praescribit, ut ad orationem confugiant, quae verum est fidei sacrificium. Caeterum discamus, in Davide editum fuisse a Deo clementiae specimen, quod non tantum ad nos omnes pertineat, sed etiam ostendat quomodo reconciliatio quaerenda sit. Quanquam autem universalis nota ad confirmationem cuiusque piorum valet: simul tamen ostendit, nemini spem salutis aliter fieri, quam si coram Deo supplices se prosternant, quia eius misericordia omnes ad unum indigent. *Tempus inveniendi* quod mox subiicitur, quidam ad solennes et statas precandi horas referunt, sed rectius alii, meo iudicio, locum hunc comparant cum illo Iesae cap. 55, 6: Quaerite Iehovam dum inveniri potest: invocare eum dum prope est. Semper quidem tempestive quaeritur Deus, quia singulis momentis egemus eius gratia, et ipse etiam ultro nobis occurrit: sed quia nos segnitie, vel etiam aecordia impedit ab eo quaerendo, hic David articulos proprie designat quibus fideles sua necessitas sollicitat. Quod hoc loco abusi sunt papistae, ut sibi accerserent e coelo patronos, indigna quidem refutatione est insulsitas: hinc tamen perspicere licet vel quam scelerate corruerint totam scripturam, vel quam crassa incoitia in rebus apertis hallucinati fuerint. (*In diluvio aquarum multarum.*) Congruit hoc dictum cum illo Joëlis vaticinio, Quisquis invocaverit nomen Domini, salvus erit. Joël 2, 32. Sensus est, etiam si nos undique circumdant profundum mortis gurgites, metuendum non esse ne nos absorbeant: sed tutos et incolumes fore, modo nobis fide receptus sit ad Dei misericordiam. Emphatica igitur circumstantia est, in ipsa morte salutem certam fore fidelibus, modo se in asylum gratiae Dei conferant. Nam sub Diluvii voce notantur quaevis discrimina, quibus vitandis nulla ratio apparet. Tandem ad gratias agendas se convertit. Quanquam autem paucis verbis celebrat Dei gratiam: subest tamen in hac brevitate multa energia. Nam primo alium salutis portum esse negat, quam Deum ipsum: deinde fidum sibi in posterum fore custodem promittit, libenter enim retineo futurum verbi tempus, quod alii nulla ratione in praeteritum vertunt. Neque tamen se immunem a tribulationibus fore putat, sed illis Dei praesidium opponit. Postremo quidquid acciderit malorum, sibi Deum liberatorem fore confirmat. Nam verbo *Circumdandi* multiplices ac varias salutis species

Calvini opera. Vol. XXXI.

designat: ac si diceret, innumeris modis se Deo fore obstrictum, ut uberrima hinc inde materia eius laudandi suppetat. Videmus interea ut suo more gratitudinis officium Deo offerat, pro auxilio *cantica ereptionis* ponens.

8. *Erudiam te, et docebo te in qua via ambules: consulam super te oculo meo.**) 9. *Ne sitis sicut equus, sicut mulus, quibus non est intelligentia: canistro et fraeno maxillam eius constringes, ne calcitrent contra te.* 10. *Multi dolores impio: at sperantem in Iehova bonitas circumdabit.* 11. *Laetamini in Iehova, et exsultate iusti, cantate omnes recti corde.*

8. (*Erudiam te.*) Quo plus energiae habeat exhortatio, sermonem ad singulos dirigit. Nam facilius in animos penetrat quod dicitur, ubi quisque peculiariter doctrinam ipsam ad se applicat. Porro quum omnibus Dei filiis salutis via hic monstretur, summopere cavendum est, ne ab ea vel minimum quis deflectat. Discamus autem ex hoc loco, hac lege nos Deo reconciliari, ut quisque fratres suos eiusdem beneficii participes facere studeat, ac sollicitudinem suam per oculi intuitum melius declarat. Interea tenendum est, quicumque de salute nostra solliciti sunt, eos nobis a Domino constitui viae duces. Unde apparet quam paterne nobis prospiciat.

9. (*Ne sitis sicut equus.*) Breviter nunc sui consilii, quod se daturum praefatus est, summam exponit, omnes enim ad placidam docilitatem hortatur: atque ut deposita contumacia mansuetudinis spiritum induant. Prudenter autem de corrigenda duritie pios admonet: quia si attentis essemus ad Dei ferulas, ut decebat, certatim quisque ad quaerendam Dei gratiam properaret. Nunc unde tanta in omnibus tarditas, nisi quia vel stupidi sumus, vel etiam refractarii? Brutis autem animalibus prae fractos omnes comparans David, pudorem illis incutit, et simul denuntiat, contra stimulos calcitrando nihil proficere. Homines (inquit) equorum ferociam subigere norunt fraenis et lupatis: quid igitur Deum putant facturum, ubi eos intractabiles expertus fuerit?

10. (*Multi dolores impio.*) Sine figura pronuntiat qualis rebelles et obstinatos maneat conditio. Prius dixerat Deum non carere fraenis vel lupatis, quibus eorum proterviam compescat: nunc addit nullum illorum miseriis finem vel modum fore, donec prorsus consumpti fuerint. Quamvis ergo ad tempus nobis parcat Deus, terreat nos haec denuntiatio, ne temporalis impunitas nos obduret: neque sic nos decipiat prosperitas cui Deus

*) Je conseilleray sur toy de mon oeil, en marge: ou, te guideray de mon oeil.

maledicit, quin reconditi isti dolores quos Deus reprobis omnibus minatur, nobis in mentem veniant. Sicut autem innumeris vindictis armatum esse Deum contra reprobos dixit, rursum addit, immensa bonitate instructum esse qua suos omnes sublevet. Summa est, non aliud esse malis nostris remedium, nisi ut humiliati sub Dei manu, salutem nostram in sola eius misericordia fundemus: eos vero qui in Deum recubuerint, omnibus numeris beatos fore: quia undecunque eos oppugnet Satan, Dominus cum suo praesidio occurret.

11. (*Lactamini in Iehova.*) Postquam David voram felicitatem piis omnibus promptam et expositam esse docuit, non immerito eos ad laetitiam hortatur. Iubet autem in Iehova laetari, ac si diceret, nihil obstare quominus Deum sibi propitium esse statuam qui tam benigne et comiter ad reconciliationem se offert. Interea notemus hunc incomparabilem esse fidei fructum, quem etiam commendat Paulus, dum scilicet piorum conscientiae tranquillae et hilares pace et gaudio spirituali fruuntur. Nam ubicunque vigeat fides, eam sequetur haec sancta gloriatio. Sed quia mundo sua impietas obstaculum est, ne ad huius gaudii participationem accedat: ideo solos iustos compellat David, quos eosdem *rectos corde* nominat, ut sciamus externae iustitiae specimen, quae hominibus arridet, nihil esse coram Deo. Sed quomodo iustos vocat quorum tota felicitatis in gratuita Dei clementia posita est, dum illis peccata non imputat? Respondeo, non alios recipi in gratiam, nisi qui sibi in vitiis displicent, et ex animo resipiscunt: non quod poenitentia sibi veniam acquirant, sed quia a spiritu regenerationis divelli nunquam potest fides. Iam vero ubi se Deo addicere coeperunt, rectitudinem cordis illorum perinde acceptam habet ac si integra esset ac perfecta: neque enim solum hominem Deo reconciliat fides, sed quicquid in eo adhuc est imperfectum sanctificat, ut gratuita Dei indulgentia iustus sit, qui nullo merito tantum bonum acquirere sibi posset.

PSALMUS XXXIII.

ARG. David, aut quisquis huius Psalmi fuit autor, ut fideles ad laudandum Deum incitet, argumentum proponit in generali eius providentia, qua sustinet, tuetur, ac gubernat totum mundum. Deinde paternam erga electum populum eius curam celebrat: simul ostendens quam necesse sit peculiari eius tutela pios foveri.

1. *Exsultate iusti in Iehova, rectis decora*) est laus.* 2. *Celebrate Iehovam in cithara, in nablo et*

*) bien seante aux droicturiers, *en marge*: ou digne d'estre aimee par les etc.

decachordo psallite illi: 3. Cantate ei canticum novum, strenue canite cum iubilatione: 4. Quia rectum verbum Iehovae, et omnia opera eius in fide.)*

1. (*Exsultate iusti in Iehova.*) Nominatim fideles vel iustos compellat, quia soli idonei sunt gloriae Dei praecones. Neque enim increduli qui Dei bonitatem nunquam gustarunt, eum possunt ex animo laudare: et Deus nomen suum impuris eorum linguis attingi non vult. Sed ex contextu melius patebit cur haec exhortatio solis fidelibus proprio conveniat, atque ita posterius membrum exponunt multi, rectis laudem congruere: quia si ad idem tentandum se accingunt impii, vel hypocritae, id in Dei probrum et dedecus magis vergit quam in laudem: imo nihil quam sacrum eius nomen profanant, ac vere quidem hoc dicitur, quemadmodum iam admonui, Deum sibi consulto in hunc finem gratuita adoptione creare ecclesiam in mundo, ut nomen suum rite a legitimis testibus laudetur. Genuinus tamen sensus est, laudem rectis decoram esse, quia nihil sit potius in quo se exercent. Et certe quum assiduis beneficiis Deus celebrandae suae gloriae materiam ipsis praebeat, ac immensa (ut alibi vidimus) eius bonitas in proprium thesaurum ipsis sit reposita, eos de laudibus Dei silere turpe et absurdum foret. Huc autem summa redit, hoc praecipuum esse studium in quo iustos occupari deceat, ut iustitiam, bonitatem, et virtutem Dei, quarum notitiam animis infixam gerunt, praedicent apud homines. Ubi ego alios interpretes sequutus, *decoram laudem* transtuli, apte etiam legi posset Desiderabilem, ab ~~ITN~~ quod optare vel expectare significat. Et certe quum fideles tam suaviter alliciat Deus, totis animi votis ad laudes eius canendas eos ferri convenit. Notandum quod ubi iustos posuit propheta, nomine rectitudinis, sub quo comprehenditur interior animi sinceritas, statim quae vera sit iustitia definit.

2. (*Celebrate Iehovam.*) Non dubium est quin vehementiam et ardorem affectus in Deo laudando hoc versu exprimat, ubi in hunc usum instrumenta musica applicari iubet, nihil enim vult a fidelibus omitti quod mentes sensusque hominum ad canendas Dei laudes accendat. Etsi enim nonnisi articulata voce proprie celebratur Dei nomen, haec tamen adminicula quibus se magis incitare fideles solent, non frustra addidit, praesertim quum ad veterem populum verba faceret. Discrimen namque tenendum est, ne quidquid Iudaeis olim praeceptum fuit, promiscue ad nos trahamus: nec vero mihi dubium est quin cymbala pulsare, canere ad citharam et nablum, totumque illud musicae genus

*) toutes ses oeuvres en foy, *en marge*: fideles ou fermes et permanentes.

cuius mentio frequenter in Psalmis recurret, pars fuerit legalis paedagogiae: loquor de solenni templi cultu. Nam et hodie si musicis instrumentis se exhalarent fideles, fateor hoc illis debere esse propositum, ne a Dei laudibus suam laetitiam separent: sed dum sacros suos conventus peragunt, nihilo magis ad canendas Dei laudes congruere arbitror musica instrumenta, quam si quis suffitus, lucernas, et similes legis umbras in usum revocet. Stulte itaque hoc, ut alia multa, a Iudaeis mutuati sunt papistae. Homines externis pompis deditos oblectat ille strepitus: sed Deo magis placet quam nobis per apostolum suum commendat simplicitas. Nam Paulus, 1. Cor. 14, 16, Deum in publico fidelium coetu benedicere nonnisi lingua cognita permittit. Certe vox hominis, quamvis non vulgo intelligatur, mortuis omnibus organis praestat. Quid ergo de cantillatione dicendum, quae tantum inani sonitu aures verberat? Si quis obiiciat, musicam ad excitandos hominum animos plurimum valere: fateor id quidem, sed timendum semper est ne qua corruptela obrepit, quae et purum vitiet Dei cultum, et homines superstitione illiget. Porro quum de periculo nos diserte spiritus sanctus admoneat per os Pauli, ultra quam illic docemur progredi, non modo inconsideratum zelum, sed impiam perviciam esse dico.

3. (*Cantate ei canticum novum.*) Quum de magnificis Dei operibus, ac de ecclesiae praesertim conservatione postea disserat, non mirum est de novo cantico, hoc est raro et exquisito, eum praecipere. Nam quo propius et diligentius expendunt fideles Dei opera, altius etiam in eius laudes efferraequum est. Iubet ergo meditari non vulgare canticum, quod tam splendidae materiae respondeat. Eodem pertinet secundum membrum, ut strenue psallendo incumbant. Sic enim verbum *הַמִּיב* interpretor, quod tamen alii ad modos concinne aptandos referre malunt.

4. (*Quia rectum verbum Iehova.*) Generalem (ut nuper dixi) Dei providentiam qua regitur totus mundus, initio proponit, ac dicit, in toto operum suorum cursu Deum sic imperium suum exercere, ut refulgeat ubique summa aequitas et fides. Verbum et opus quidam volunt esse synonyma: sed ego ita distinguo, ut verbum tantundem valeat ac consilium Dei, vel mandatum: opus vero sit eius effectus et exsequutio. Fateor geminari eandem sententiam diversis verbis, ut alibi passim: sed rara non est in repetitionibus modica deflexio, ut idem varie et pluribus modis dicatur. Summa est quidquid statuit Deus ac mandat, rectum est: quidquid opere ipso perficit, fidele et verax. Interea notandum est, verbum non accipi pro doctrina, sed pro mundi gubernandi ratione.

5. *Diligit iustitiam et iudicium: bonitate Iehovae plena est terra.* 6. *Verbo Iehovae coeli firmati sunt et spiritu*) oris eius omnis exercitus eorum.* 7. *Congregavit sicut cumulum aquas maris, posuit in thesauris abyssos.* 8. *Timent a Iehova omnis terra, ab ipso paveant omnes incolae orbis.* 9. *Quia ipse dixit, et fuit: ipse mandavit, et stetit.*

5. (*Diligit iustitiam et iudicium.*) Confirmatio est proximae sententiae, quia Deus scilicet natura iustitiam et aequitatem amet. Unde sequitur, fieri non posse ut eum praeposteri affectus, more hominum, ad prava consilia rapiant. Videtur quidem primo intueri hoc vulgare et frivolum esse Dei elogium, quia fatentur omnes Deum in suis operibus optimam aequitatis regulam tenere. Quorsum ergo (dicet quispiam) novi cantici, quasi in re inusitata, nuper facta est mentio? Sed primo plus satis constat quam turpiter caecutiatur bona pars mundi ad Dei iustitiam, dum vel neglectim praeterit innumera providentiae eius documenta, vel etiam fortuito accidere imaginatur. Accedit autem deterius vitium, quod nisi Deus votis nostris obsequitur, statim obstrepimus eius iustitiae: ita postquam hoc principium in ore omnium pro confesso volitavit, Deum iuste omnia agere, vix centesimus quisque fixum in animo suo retinet: alioqui simul ac prodit haec doctrina in medium, Deo ita placere, quisque se eius arbitrio obedienter subiiceret. Nunc ubi in rebus adversis aegerrime coguntur homines in ordinem, ut Deum agnoscant ac profiteantur iustum esse, in prosperis vero diffuunt et evanescent: non mirum est si affirmet propheta, Deo iustitiam esse cordi, ut rectum moderatorem esse persuadeat. Itaque quisquis hanc doctrinam penitus imberit, sciat se multum profecisse. Alii exponunt, Deum amare in hominibus rectitudinem: quod verum quidem est, sed a contextu remotum: quia hic spiritus sancti consilium est, contra impietatis venenum, quod in multorum cordibus residet, Dei gloriam asserere. In secunda parte versus alteram virtutis speciem in Deo commendat propheta, quod *plena sit terra eius bonitate*. Etsi autem Dei iustitia ad celebrandum eius nomen merito stimulare nos debet, acrior tamen stimulus est eius bonitas: quia ut quisque beneficium et misericordem ipsum sentit, magis ad eum colendum afficitur. Porro, adhuc de omnibus Dei beneficiis sermo habetur, quae spargit in totum humanum genus: ea dicit propheta, quocunque vertamus oculos passim occurrere.

6. (*Verbo Iehovae coeli firmati sunt.*) Quo nos ad reputanda Dei opera melius expergeficiat, ipsam mundi creationem nobis proponit. Donec enim agnitus fuerit Deus mundi creator et opifex, quis

*) l'esprit, en marge: ou le souffle, le vent.

credat ab eo curari res humanas, mundique statum eius consilio et manu gubernari? Mundi autem creatio ad Dei providentiam continua serie nos deducit: non quod tam dextre ratiocinentur omnes, vel tam recto iudicio praediti sint, ut mundum statuunt eadem Dei virtute, quae se in illo creando semel exseruit, hodie sustineri: quin potius maior pars eum e coelo otiosum spectare fingit quiddam in terris agitur. Sed aliter rite nemo tenet mundum a Deo conditum, nisi persuasus quoque sit, ab eodem foveri et conservari in suo statu. Scite igitur et apte propheta, ut nobis certitudinem infigat providentiae Dei in continuo naturae ordine, nos ad ipsam mundi synecdochice pro universa mundi machina posuit: quia (ut alibi dictum est) eorum maxime conspectu in admirationem rapimur. Ideo mox addit eorum exercitum: qua voce sidera et stellas intelligit, usitato scripturae more: nam si hoc ornatu carerent coeli, quodammodo vacui essent. Coelos autem dicens verbo Dei conditos, potentiam eius magis amplificat, quod solo nutu contentus, neque accersiverit aliunde subsidia, neque etiam multum operae vel laboris impenderit ad tam splendidum et nobile opificium. Quanquam autem verbum Dei et spiritum oris tam externis omnibus mediis, quam laboris difficultati quae in Deo fingi posset, opposuit propheta: vere tamen et certo hinc colligitur, mundum per aeternum Dei sermonem, qui Filius est unigenitus, fabricatum esse. Subtilius veteres hoc elogio usi sunt contra Sabellianos, ut aeternam spiritus deitatem assererent. Atqui ex aliis locis patet, ac praesertim ex Iesaeae cap. 11. vers. 4. spiritu oris notari sermonem, illic enim de Christo dicitur. Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum interficiet impium. Sicut autem potestate et efficacia plenus sermo allegorice vocatur oris sceptrum: ita alio fine postea dicitur halitus, ad discrimen notandum sermonis Dei et inanis resonantiae, quae ex ore hominum prodit. Ergo in probanda deitate spiritus, hoc testimonio Sabellium urgere non auderem. Quare nobis sufficiat, Deum verbo suo ita coelos formasse, ut hinc probetur aeterna Christi divinitas. Si quis obiiciat non fore distinctas personas, si voces verbi et spiritus sint synonymae: respondeo non simpliciter spiritum hic poni ut aliis locis, in quibus aperte a verbo distinguitur, sed figurate spiritum oris ipsa pronuntiatione sumi, ac si dictum esset, simul ac halitum vocis suae emisit Deus, vel protulit verbo quid fieri vellet, coelos repente existisse, et quidem incredibili stellarum copia et varietate instructos. Verum quidem est, similitudinem hanc ab hominibus sumptam esse: sed alibi saepe docet scriptura, aeterno illo sermone, qui unigenitus Dei filius in carne apparuit, mundum fuisse creatum.

7. (*Congregavit sicut cumulum aquas maris.*) Non omnia quae de singulis mundi partibus dici poterant, prosequitur, sed breviter sub una parte alias omnes designat. Commendat autem insigne in mundi superficie, et dignum notatu miraculum, quod Deus elementum aquae fluidum et instabile, instar solidi acervi collectum suo arbitrio teneat. Fatentur enim physici, et experientia palam clamat, aquas terra superiores esse. Quum liquidae sint et diffuant, qui fit ut se non effundant ad terram obruendam, et haec quae loco inferior est, sicca emineat? Hic certe perspicimus, Deum ut generis humani saluti consuleret, arcanis aggeribus aquas cohibuisse, et hodie tenere clausas: et eleganter propheta iussu Dei consistere pronuntiat ac si firmae et solidae materiae acervus foret, nec abs re hoc divinae virtutis specimen alibi commendat spiritus, sicuti Ieremiae 5, 22. et Iob. 38, 8. Secunda parte versus videtur hoc ipsum repetere, sed cum amplificatione: quia Deus non tantum immensam aquarum molem in mari compescat, sed in ipsis quoque terrae visceribus mira et incomprehensibili virtute recondat. Nam quisquis elementa inter se conferet, praeter naturam fieri dicet, ut abyssi vel immensi gurgites aquarum subter terram lateant, qui potius debuerant eam submergere. Atque hic altera quoque Dei virtus refulget, quod terram tot cavi meatus et voragines non singulis momentis absorbeant. Nam etsi chasmate interdum pereunt urbes et agri, corpus tamen ipsum in suo gradu manet.

8. *Timeat a Iehova omnis terra.* Concludit iustam esse causam cur reverenter subiiciat se totus orbis imperio Dei, a quo suam habet originem, et a quo servatur. Nam timere et metuere a Iehova nihil aliud est quam formidabilem eius potestatem suscipere. Est autem hoc nimis crassi stuporis, non intendere ad Dei praesentiam, a quo est nostrum esse, et in quo status noster consistit: utrumque enim attingit propheta, orbem fuisse simul ac Deus loquutus est, et eius mandato aliquem habuisse statum: quia non satis fuisset momento eius conditum, nisi suffultus Dei virtute staret. Deus ergo non magno apparatu ad mundi creationem usus est: sed ut probaret immensam verbi sui potentiam, iussit ut imperium protinus esset opus. Caeterum, verbum mandandi confirmat quod paulo ante diximus, sermonem nihil aliud esse quam nutum, et loqui nihil aliud quam iubere: quod tamen sic accipere convenit, ut in hoc nutu vel mandato se proferat aeterna Dei sapientia.

10. *Iehova dissipat consilium gentium, tollit cogitationes populorum.* 11. *Consilium Iehovae in aeternum stabit, cogitationes cordis eius in saeculum et saeculum.* 12. *Beata gens cui Iehova Deus est, populus quem elegit in haereditatem sibi.*

10. (*Iehova dissipat consilium gentium.*) Postquam breviter attigit mundi creationem, ad institutum sermonem redit, quotidianos scilicet eventus certos esse providentiae Dei testes. Porro, ne quis miretur, Deum hic induci a propheta quasi hominibus adversum, qui dissipet eorum consilia potius quam stabiliat, et ad prosperum successum adducat, exemplum elegit quod ad piorum consolationem maxime valebat. Scimus enim quam multa assidue audeant homines, et praeter ius et fas machinentur, ut suis artibus totum mundum pervertere conentur, ut se tyrannice efferant ad calcandos bonos et simplices, quid ergo nobis miserius, si in tanta libidine permissa illis esset exsequendi libertas? At ubi ex alto pronuntiat Deus, suarum esse partium, discutere quidquid decernunt, et in nihilum redigere quidquid deliberant: nihil obstat quominus ipsis fervide tumultuantibus quietem colamus. Quare dicitur evertere Deus consilia hominum, non quod eorum frustratione ex professo se oblectet, sed ut compescat eorum temeritatem: quia omnia protinus miscerent, si succederet ex voto: imo quia bellum cum Deo suscipere, contra aequitatem ruere, probos et innoxios vexare non desinunt, necesse est eorum furori opponi Dei praesidium. Imo quia maior hominum pars contempta modestia, in confusam licentiam fertur, non de singulis tantum hominibus, sed de totis populis loquitur propheta, ac si diceret: Quamvis inter se conspirent homines, magnisque copiis hoc vel illud aggredi deliberent, consilia tamen eorum fore irrita: quia Deo non erit plus negotii in dissipanda ingenti multitudine, quam in paucis cohibendis. Quanquam autem Deo propositum fuit, nos bona spe contra improborum audaciam munire, simul tamen cavendum esse admonet, ne quid nisi suo iussu et auspiciis tentemus.

11. (*Consilium Iehovae.*) Immensam Dei potentiam sic extollit propheta, ut in eius altitudine fidem nostram aedificet. Neque enim consilium laudat quod nos in coelo absconditum procul suspicere et revereri velit, sed quia passim testatur, sibi cordi esse iustitiam et rectitudinem, sibi curae esse iustos et probos, sibi in animo esse opitulari suis cultoribus, dum iniuste premuntur: intelligit propheta hoc stabile et ratum fore: ita declarat in quem finem Deus consilia gentium dissipet, quia scilicet ad violandum omnem ordinem nullo delectu feruntur. Primum ergo discamus, Dei consilium inspicere in verbi speculo: ubi vero statuerimus nihil eum promittere nisi quod praestare apud se decrevit, statim nobis occurrat haec firmitas de qua disserit propheta. Sed quia eius cursum innumeris obstaculis abruptere multi contendunt, imo toti interdum populi: veniat quoque in mentem prior sententia: Ubi multa agitaverint homines,

in Dei manu et arbitrio esse dissipationem. In hac practica notitia fidem nostram haud dubie exerceri voluit spiritus: quia frigidum alioqui et fructu vacuum elogium hoc esset. Atqui ubi nobis propositum fuerit, Deum suos tueri velle, et eripere ex omnibus periculis quicumque eius nomen invocant, quidquid moliantur in perniciem nostram impii, nos minime terrebunt eorum studia et conatus: quia simul ac Deus se opposuerit, nulla erit astutia quae eius consilium eludat.

12. (*Beata gens cui Iehova etc.*) Apte cohaeret hic versus cum proximo: quia parum prodesset quod de perpetuitate consilii Dei dictum fuit tenere, nisi ad nos pertineat. Ergo beatos esse exclamans propheta quos Deus in tutelam suscepit, consilium cuius nuper meminit non esse reconditum admonet, sed vigere et spectari in ecclesiae salute. Atque ita videmus, non eos qui frigide speculantur Dei potentiam, sed qui in suum praesentem usum aptant, rite demum agnoscere mundi gubernatorem. Porro, quum beatitudinem nostram in eo locat: Si Iehova sit Deus noster, fontem divini erga nos amoris designans, uno verbo complectitur quaecunque ad vitam feliciter degendam expeti solent. Nam quod salutis nostrae curam suscipere, fovere nos sub aliis suis, necessitatibus prospicere, opem auxiliumque in periculis ferre dignatur, hoc totum ex eius adoptione pendet. Caeterum, ne quis putaret, tantum bonum consequi homines proprio Marte vel industria, nominatim ex fonte gratuita electionis fluere docet, quod censemur in Dei populo. Verum quidem est, hac lege creatos initio fuisse homines in Adae persona, ut omnes filii Dei essent: sed alienatio quae ex peccato sequuta est, tanto bono nos privavit. Ergo donec gratuito nos adoptet Deus, miseri sumus naturaliter omnes, nec alia est felicitatis ianua, quam ut mero beneplacito indignos eligat. Unde apparet quam insulse corrumpant hunc locum qui ad homines transferunt quod Deo assignat propheta: ac si eum sibi in haereditatem eligerent. Fateor quidem, verum Deum ab idolis fide discerni: sed tenendum est principium istud: Nihil cum eo nobis esse commune, nisi sua gratia nos praeveniat.

13. *E coelis respexit Iehova, vidit omnes filios Adam:* 14. *Ex habitaculo solii sui prospexit ad omnes incolas terrae.* 15. *Qui finxit simul*) corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* 16. *Non servatur rex in multitudine exercitus, nec gigas eripietur in multitudine roboris.* 17. *Fallax equus ad salutem,**) et in multitudine virtutis suae non liberabit.*

*) tous ensemble, *en marge*: ou sans en excepter un.

**) Le cheval faut à sauver, *en marge*: Hébr. est men-songe à salut.

13. (*E coelis, etc.*) Prosequitur eandem doctrinam, non versari scilicet fortuito res humanas, sed Deum occulte dirigere quidquid agitur. Porro, Dei intuitum ideo commendat, ut nos vicissim fidei oculis invisibilem eius providentiam adspicere discamus. Etsi enim ob oculos nobis assidue versantur clara eius documenta, maior tamen pars hominum caecutit, et pro sua caecitate fortunam caecam fabricat, imo quo uberius et plenior copia suam bonitatem in nos effundit, minus ad eum attollimus sensus nostros, sed praepostere in externa quae circumstant media, fixi subsidunt. Hanc indignitatem castigat propheta, quia nulla gravior Deo fieri potest iniuria, quam ubi coelo otiosus includitur: quia perinde est ac si in sepulcro iaceret sepultus. Qualis enim Dei vita, si nihil cernat, vel curet? Porro, sub voce *solii* a consequentibus ostendit quam absurdus sit stupor, Deum sensu et intelligentia nudare. Significat enim, coelum non ad delicias, ut somniant Epicurei, otiosum esse palatium, sed regiam e qua imperium suum per omnes mundi partes exercent. Quod si in coelorum sacrario sedem ad orbem regendum sibi locavit, sequitur, minime negligere res terrenas, sed summa ratione et sapientia eas moderari.

15. (*Qui finxit simul corda.*) Videtur hoc data opera fuisse additum, quo sibi certo persuadeant fideles, utcumque se astutiis, fraudibus, et clandestinis artibus subducere a Dei conspectu conentur impii, et sibi cavernas effodere: Dei tamen oculos penetrare in istas tenebras. Ab ipsa autem creatione ratiocinatur, fieri non posse quin Deus ad rationem et iudicium consilia hominum factaque vocet, quia etsi flexuosos quisque recessus in animo suo occultat, ut mire alii ab aliis differant, ac in tanta varietate confusa sit caligo: Dei tamen oculos non perstringi neque offuscari, quin idoneus sit operis sui cognitor. Ergo per adverbium *Simul* non intelligit, uno temporis momento formata fuisse hominum corda, sed omnia ad unum et sine exceptione formata esse, ut frustra notitiam fictoris sui latere vel subterfugere conentur. Huc etiam spectare potest sententia, Homines erraticis cogitationum suarum figmentis non minuere Dei imperium quominus arcana sua providentia temperet quae putant fortuito accidere. Videmus enim ut vanas spes sibi fabricando Dei virtutem huc et illuc transferant, nec eius ope se putent egere, quamdiu ad se tuendos mediis et adminiculis sunt instructi: ideoque sequitur: *Non servatur rex*, ut ostendat, vitam hominum non propria virtute, sed unius Dei gratia stare incolumem. *Reges et gigantes* potissimum nominat, qui sorte communi exempti sibi videntur extra telorum iactum esse, quod si quid adversi acciderit, facilem sibi exitum promittunt. Denique virtutis suae confidentia ebrii, vix

se reputant mortales esse, hanc quoque superbiam magis obdurat stulta vulgi admiratio, dum ad eorum potentiam obstupescit. Quod si neque rex suis copiis, nec gigas suo robore, simulac ventum est ad aliquod discrimen, salvus evadit: frustra totum humanum genus, relicta Dei providentia, ad terrenas opes circumspicit. Unde sequitur, nihil esse miserius tam fortibus quam infirmis, donec in Dei praesidium recumbant. Proximo versu sub voce *equi* quodvis auxilii genus per synecdochen designat: si quidem in genere sentit, qui terrenis mediis vitam suam probe munitam existimant, ut plurimum in ipso articulo destitui, et misere delusos perire. ut hoc modo eorum stultitiam Deus coarguat. Verum quidem est, nec frustra reges armari gladio, nec supervacuum esse equorum usum, nec quas Deus opes et copias ad tuendam hominum vitam suppeditat, esse inutiles, siquidem rectum quisque modum in usu ipso teneret: sed quia maior pars, quo pluribus cincta est munimentis, eo longius a Deo recedit, falsaque imaginatione portum ab omni molestia immunem sibi fingit: iure Deus hanc vesaniam frustratur. Hinc fit ut saepe sine effectu effluent Dei dona: quoniam ea mundus ab autore separans, eius quoque benedictione privatur.

18. *Ecce oculus Iehovae super timentes eum, qui sperant in misericordia eius:* 19. *Ut eripiat a morte animas eorum, et vivificet eos in fame.*

18. (*Ecce oculus.*) Postquam docuit, nihil saepe prodesse quaecumque putantur ad tuendos homines optima esse praesidia, imo nihili esse, ubi in illis locatur salus: iam ex opposito demonstrat, fideles quamvis neque magna potentia sint praediti, neque opibus abundant, unica tamen Dei gratia satis esse tutos, et perpetuo salvos fore. Non parum illustrat prophetae mentem haec comparatio, quod reges et gigantes nihil iuvet inexpugnabile suum robur: sanctos vero in fame et penuria Deus vivificet, ac si restituat vitam mortuis. Nunc melius teneamus quorsum propheta totum mundi robur deiecerit, non ut prostrati iaceant homines scilicet, vel desperatione fracti marcescant, sed ut deposita omni superbia contrahant omnes suos sensus ad unum Deum, et ab eius tutela vitam suam pendere statuunt. Porro oculum Dei ad servandos suos cultores intentum esse dicens, plus exprimit, quam si dixisset, ad eos sustinendos manum eius et virtutem sufficere: quia obrepere infirmis poterat dubitatio, an ad singulos eam extendere Deus vellet: nunc vero dum ipsum quasi in excubiis sedentem inducit, ut fidelibus prospiciat, non est cur quisque amplius trepidet, ac secum disceptet, de praesenti Dei auxilio certus, modo sub eius providentia quietus maneat. Hinc clarius elucet quam vere prius

dixerit beatum esse populum, cuius Iehova est Deus, quia extra ipsum quidquid virtutis et opum suppetat, inane, fallax, et evanidum tandem erit, ipse autem solo intuitu fideles suos protegat, succurrat eorum inopiae, famelicos pascat, mortique destinatos vivificet. Etsi autem Dei providentia fovetur totum humanum genus, scimus tamen eum paterna cura nonnisi suos filios peculiariter dignari, ut vere ab eo suas necessitates respici sentiant. Porro quum sibi Deus in fame et morte prompta remedia ad servandam piorum vitam esse asserat, monemur tunc eius providentiae deferri iustum honorem, dum in extrema penuria animos non despondent fideles: quin potius e sepulcro spem sursum attollunt, quia Deus in hunc finem esurire suos ad tempus patitur, ut postea satiet: mortisque tenebras offundit, ut vitae lucem reddat. Imo tunc demum fiduciam nostram solide in eo locare incipimus, ubi mors ante oculos nobis versari coepit, quia mundi subsidia, donec suae vanitatis experimentum dederint, sensus nostros tenent implicitos, sibi addictos. Fideles duobus insignit titulis, quibus tota vitae nostrae perfectio continetur, primum enim est, ut Deum reverenter colamus, deinde ut intenti simus in eius gratiam. Et certe hypocritae quamvis fidem plenis buccis iactent, nunquam tamen Dei bonitatem vel summis labris gustarunt, ut ab eo exspectent quod sibi necesse est. Quod autem in Dei cultum et reverentiam se totos fideles dedunt, hic affectus ex fide nascitur: imo praecipua haec pars censetur legitimi cultus, quod ab eius misericordia pendent.

20. *Anima nostra exspectat Iehovam: auxilium nostrum, et scutum nostrum ipse est.* 21. *Certe in ipso laetabitur cor nostrum, quia in nomine sancto eius sperabimus.* 22. *Sit misericordia tua super nos, Iehova, quemadmodum speravimus in te.*

20. (*Anima nostra.*) Quidquid hactenus de providentia Dei, ac praesertim fidei, qua suos tuetur, custodia, disseruit, non tam a se ipso protulit, quam ex ore spiritus sancti. Nunc vero in persona totius ecclesiae succinit, nihil esse melius quam salutem nostram Deo committere. Ita videmus fructum superioris doctrinae cunctis fidelibus proponi, ut secure excelsoque animo in paternam Dei curam se reicere non dubitent. Nam hac de causa nihil privatim de se propheta testatur, sed sibi pios omnes adiungit in eiusdem fidei consensum, ac subest emphasis in voce animae: quia etsi Hebraeis trita est loquutio, serium tamen affectum exprimit: ac si dicerent fideles, se integro ac sincero corde respicere in Deum, quia *scuti et auxilii* loco sibi esse ducant.

21. (*Certe in ipso laetabitur.*) Quia particula י

quae hic bis repetitur, varie sumitur apud Hebraeos, duplex potest esse sensus. Nam si utroque membro affirmative exponimus, tam de sua laetitia, quam de spe gloriabuntur fideles, nec mihi displicet, uno contextu, distincte tamen haec duo referri, Certe Deus semper nostra laetitia erit, certe sacrum eius nomen instar arcis invictae nobis erit ad refugium. Unde enim fit ut in Dei invocatione constanter persistant fideles, nisi quia eius gratia contenti, in tristitia et moerore retinent solatium istud quod eorum alacritatem sustineat? Probe igitur affirmant priore loco fideles cor suum laetari in Domino, quia non vagantur post mundi illecebras, ut pro varia fortunae inclinatione nutent ac vacillent, sed in gratuito et paterno Dei favore totam beatæ vitae summam includunt. Deinde secundo addunt, *se sperare in nomine sancto eius*. Si tamen particulam י causaliter accipere libeat, non minus apte et concinne sensus fluet: Quia spes nostra in Deo defixa fuit, non deerit ipse suis partibus, quin perennem gaudii materiam suppeditet. Et certe experientia convincit, moerore obrui homines, et in curis, doloribus, et anxietate tabescere, ut mercedem suae vanitatis reportent: quia nihil difficilius est quam spes eorum uni Deo astringi, ne exsultent in fallacibus suis blanditiis.

22. (*Sit misericordia tua.*) Clauditur tandem Psalmus precatione, quam Propheta piorum omnium nomine concipit, ut re ipsa sentiant, non frustra se Dei bonitate fuisse subnixos. Interea spiritus hanc orandi regulam per os prophetae dictando, ianuam Dei gratiae aperiri docuit, ubi non aliunde salus vel expetitur vel speratur. Suavissima interim consolatio hinc elicitur, modo ne spes nostra in medio cursu fatiscat, minime timendum esse quin Deus suam erga nos misericordiam continuo tenore prosequatur usque in finem.

PSALMUS XXXIV.

Davidis, dum ipse mutavit vultum suum coram Abimelech, qui expulit eum, et abiit.

David ob insignem liberationem gratias Deo agit: et hac occasione perpetuam Dei gratiam erga pios omnes celebrat, eosque tum ad fidem, tum ad pietatis studium hortatur, hanc unam rationem vitae feliciter atque ex voto transigendae esse affirmans, pure et innoxie sub Dei cultu et timore versari in mundo. Porro ex titulo patet quodnam hic praedicet Dei beneficium. Nam quum ad regem Achis tractus esset, 1. Sam. 27, 2, quem infestissimum omnium hostem, excepto Saule, habebat, credibile non erat, impune dimissum iri. Ergo unicus vitae

redimendae modus fuit, salivae spumis, torvo aspectu, et vultus deformitate insaniam fingere. Nec mirum: quia Achis certa spe victoriae depulsus, quum iacturam suam et dedecus uni Davidi adscriberet, fervebat implacabili in eum odio. Quod ergo praeter suam et omnium spem emissus fuit, memorabile gratiae Dei specimen in eo editum fuisse agnoscit, quod ad commune totius ecclesiae exemplum pertineat. Quod loco Achis ponitur *Abimelech*, probabile est, nomen hoc posterius fuisse in vulgari usu apud Philistinos, sicuti reges suos Aegyptii vocant Pharaones: et Romani imperatores nomen Caesarum mutuati sunt a Iulio qui primus tyrannidem occupaverat. Et scimus multis ante natum Davidem saeculis reges qui aetate Abrahae dominati sunt in Gerar, sic fuisse vocatos. Quare mirum non est, de manu in manum transisse ad posteros hoc nomen, ut omnibus regibus Palaestinae commune foret. Vox hebraica *דַּיָּמ*, pro qua *vultum* reddidi, quia gustum et intelligentiam quoque significat: posset hoc modo apte exponi, quod insipidus apparuerit. Verbum a quo deducitur, quum proprie gustare significet, transfertur ad rationem, intelligentiam et omnes sensus. Bene ergo conveniet Intelligentiae nomen, quia David se mente alienatum finxit, sed quia ex sermone et vultu composito maxime homo cognoscitur, ut de ipso iudicium fiat, recte verterunt alii, Davidem mutasse vultum, quia hoc modo gustum et notitiam sui abstulit. Quanquam autem hoc artificium elapsus est David, divinitus tamen se fuisse ereptum non dubitat: nec insaniae simulationi tribuit salutis laudem: sed potius agnoscit, arcano Dei instinctu mitigatam fuisse hostis saevitiam, ut qui rabie prius ardebat, ludibrio contentus fuerit. Et certe minime sperandum fuit ut Achis tam strenuum hominem, quem toti regno suo exitialem expertus erat, et a quo fuerat gravibus damnis affectus, contemptum expelleret. Nascitur etiam hic quaestio an spiritus sancti ductu vesaniam finxerit David. Haec enim duo simul coniungere videtur, stultitiae fictionem, et optabilem successum. Unde coniectare licet, eundem spiritum a quo dictatus fuit Psalmus Davidi, ad fallendum regem Achis autorem ac ducem fuisse. Respondeo, si Dominus ita suos interdum liberet ut aberrarent ipsi in eligendis mediis, vel labantur, in eo nihil esse absurdi. Ergo liberatio, Dei opus fuit: vitium intermedium, quod culpa non vacavit, Davidi adscribi debet. Sic Iacob benedictionem adeptus est Dei favore et beneplacito, simul tamen admista fuit matris astutia, quam fuisse vitiosam constat. Continget ergo, aliquam actionem regi a Dei spiritu, et tamen sanctos qui eius organa sunt a recta linea deflectere: ideoque in excusando Davide laborare supervacuum est: quin potius culpandus videtur, quod vitam suam Deo

simpliciter non committens, se, et gratiam spiritus quo regebatur, ludibrio exposuerit apud impios. Et si enim asserere nihil audeo, aliquid tamen infirmitatis signum in hoc mendacio apparet. Si quis excipiat, Davidem celebrare Dei gratiam, quod vultu et sermone mutato mortem effugerit: respondeo iterum diserte circumstantiam exprimi a Davide, quae Dei gratiam magis illustret, quia non imputatus fuerit lapsus.

2. *Benedicam Iehovam omni tempore, semper laus eius in ore meo.* 3. *In Iehova gloriabitur anima mea, audient humiles, et gaudebunt.* 4. *Magnificate Iehovam mecum, et exaltemus nomen eius simul.* 5. *Quaesivi Iehovam, et respondit mihi, et ex omni pavoro meo eripuit me.* 6. *Adspicient ad eum, et confluent, et facies eorum non pudebunt.* 7. *Iste pauper clamavit, et Iehova audivit, et ex omnibus angustiis servavit eum.*

2. (*Benedicam Iehovam.*) Beneficii memorem se tota vita fore promittens, eius magnitudinem extollit. Etsi enim quotidie suos Deus iuvat, ut se in eius laudibus assidue exerceant: certum tamen est, beneficium quod aeterna memoria dignum vocatur, ab aliis vulgaribus distingui. Itaque sanctis quidem haec tenenda est regula, ut quidquid in ipsos bonorum Deus contulit, subinde in mentem revocent: si quando tamen in illis servandis splendidius exserat suam virtutem, eo maiore studio ad testandam suam gratitudinem eniti decet. Quod si unico beneficio nos sibi Deus usque ad vitae finem obstringit, ut nunquam fas sit a canendis eius laudibus cessare: quid ubi nos innumeris cumulat? Initio secundi versus, laudem, quam prius in ore suo fore perennem dixerat, ex corde profecturam addit: ut ab inani linguae sonitu quo se venditant multi hypooritae, illam discernat. Sic enim personare Dei laudes in ore nostro debent, ut praeceat semper interior animi affectus. Itaque hoc loco anima non spiritum vitalem, sed affectuum sedem significat, ac si diceret, sincero animo gloriantur materiam sibi in uno Deo fore, ut tantam salutem nulla unquam oblivio obscuraret. Altero membro fructum gratiarum actionis notat, quia scilicet inde bonam spem concipient afflicti et miseri homines. Nam *עֲנִיִּים* Hebraei vocant non quoslibet miseros, sed qui malis subacti et humiliati, nihil ferociae spirant, sed demissi sunt ac supplices. Hos participes gaudii fore dicit non simpliciter pro caritatis affectu (ut quidam nimis frigide exponunt) sed quia in exemplo Davidis commune gratiae documentum a Deo oppositum esse persuasi, animos a moerore sursum erigent. Gaudium ergo ex spe oriturum esse pronuntiat: quia

velut accepto salutis pignore alacriter se ad Deum conferent.

4. (*Magnificate Iehovam.*) Alterum fructum commemorat gratiarum actionis, quia alios scilicet exemplo suo ad idem pietatis officium impellet: imo pios omnes in societatem accersit, et invitat, hortaturque ut Deum uno consensu magnifice extollant. Itaque docemur, quoties unicuique suorum opem Deus tulerit, nos incitari ad bene sperandum: et dum quisque accepta privatim beneficia commemorat, publice omnes simul ad Deum laudandum stimulari. Nam et in hunc finem palam apud homines gratias Deo agimus, non tantum ut gratitudinis nostrae sint testes, sed ut ipsi quoque sequantur nostrum exemplum.

5. (*Quaesivi Iehovam.*) Apertius iam et fusius explicat quod nuper attigerat de gaudio: ac primo suas preces auditas fuisse refert. Hoc ad pios omnes accommodat, ut tam praeclaro pignore confirmati, se ad precandum animent. Quid sit Deum quaerere, ex proximo membro patet: nam alibi diverso sensu capitur: tantundem enim valet atque animum adiacere, et studia sua applicare ad Deum colendum, et intentos habere ad eum omnes sensus, hic vero nihil aliud est quam confugere ad eius opem, quia mox sequitur, Deum respondisse: proprie autem votis et precibus respondet. *Pavores* suos pro ipsis periculis, quae animum eius metu perculerant, accipit, effectum scilicet pro causa, quanquam minime dubium est quin se territum fuisse, et timoribus agitatam fateatur. Neque enim sedato animo sua discrimina quasi procul e sublimi despexit, sed diris curarum tormentis vexatus, merito potuit suos metus ac pavores narrare, imo plurali numero ostendit, se non uno tantum modo fuisse expavescitum, sed huc illuc inter varias perturbationes se distractum fuisse. Et certe ab una parte se ad carnificinam adductum videbat, subire etiam poterat diversus timor, ne eum Achis ad Saulem gratificandi causa mitteret, ut solent impii ultro citroque lusus sibi facere ex Dei filiis. Iam quia semel proditus fuerat ac detectus, vix fieri potuit quin undique, si forte elapsus foret, insidias tenderent Saulis latrones. Sed odium Achis quod ex morte Goliath et exercitus sui clade conceperat, multas formidines gignere potuit: quum et in promptu esset ultio, nec levi supplicio placabilis videri poterat crudelitas. Hoc diligenter notandum est, ne si quando terremur nostris periculis, nos a Dei invocatione impediatur nostra mollities: quia ne David quidem, quem heroica virtute inter alios excelluisse scimus, ferreo animo metus et trepidationes repulit, sed ipse quoque pavoribus vehementer concussus fuit.

6. (*Adspicient ad eum.*) Iam admonui versum hunc et sequentem, cum proximo debere contexi.

Calvini opera. Vol. XXXI.

Suam enim experientiam retulit David, quae aliis exemplo futura erat, ut ad Deum rogandum intrepide accederent. Nunc ergo venturos dicit, et quidem felici successu. Caeterum quanquam in duobus primis verbis praeteritum tempus hebraice ponitur: non tamen dubito quin sic resolvi sententia debeat. Ubi ad eum adspexerint, et confluerint, non pudebunt eorum facies. Itaque per futurum tempus reddidi: quia non narrat David quid gestum fuerit, sed gratiae sibi exhibitae fructum commendat. Scio particulam, ad eum, a quibusdam referri ad Davidem, quia et continuo post de se in tertia persona loquitur, rectius tamen de ipso Deo alii interpretes exponunt. Non consentiunt etiam omnes in verbo *נִרְאָה* quod nonnulli deduci putantes a radice *אָר* vertunt Illuminari. Sed mihi genuina verbi significatio huic loco congruere visa est, ac si dixisset: Nunc speculum exstabit, in quo liceat serenam et propitiam Dei faciem conspiciere. Audebunt igitur posthac miseri homines sursum attollere oculos, et ad Deum quasi expediti accurrere, quia nulla amplius dubitatio eos tardabit, vel segnes reddet. Quod si tamen magis arrideat Illuminandi verbum, sensus erit: Qui in tenebris ante torpebant, quasi exorta luce oculos ad Deum erigent: et qui pudore oppressi iacebant, novam vultus alacritatem induent. Quia eodem recidit summa, minus contendo ultra interpretatio aptior sit.

7. (*Iste pauper clamavit.*) Pios omnes David de se loquentes inducit, quo magis emphatice exprimat quantum momenti ad eos animandos habeat suum exemplum: Pauper iste, inquiunt, clamavit: ergo pauperes omnes Deus ad clamandum invitat. Nam in Davide expendunt quae ad communem piorum usum pertinent: quia non magis eum exaudivit Deus, quam hodie exaudire vult et paratus est omnes miseros qui eadem fide gemitus suos, vota, et clamores ad ipsum dirigunt.

8. *Castrametatur Angelus Iehovae in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* 9. *Gustate et videte ut bonus sit Iehova: beatus vir qui sperat in eo.* 10. *Timete Iehovam sancti eius, quia nihil deest timentibus eum.* 11. *Catuli leonum destituti sunt et esurierunt: timentes autem Iehovam non indigebunt ullo bono.*

8. (*Castrametatur etc.*) Nunc in genere David concionatur de paterno Dei erga pios omnes favore: simulque docet in ipso satis ad servandum esse virtutis, quia ad innumeros telorum iactus exposita est hominum vita: praesertim vero fideles, qui velut oves sunt in medio luporum, quasi multis mortibus obsessos, in singula momenta novum ali-quod discrimen sollicitat. Ideo asserit David, angelorum praesidio Dei cultores protegi ac defendi.

Huc quidem tendit, ut certo persuasi sint fideles, quamvis multis noxis obiecti sint, Deum tamen fidum esse vitae suae custodem. Sed quo magis eos in hac spe confirmet, non frustra simul addit, manu et opera angelorum tueri quoscunque vult esse salvos. Sufficeret quidem Deo ad hoc praestandum sua unius virtus: sed ut nostrae infirmitati indulgeat, angelos adhibere ministros dignatur, neque enim parum hoc valet ad fidei confirmationem, praesto semper esse ad Dei obsequium ingentes copias, quoties vult opem nobis ferre: imo angelos, qui vocantur coelestes principatus et virtutes, ad vitae nostrae custodiam semper esse intentos, quia hoc sibi munus iniunctum esse noverunt. Merito quidem vocatur Deus ecclesiae suae murus et quodvis genus propugnaculi: sed auxilii sui praesentiam pro modulo ruditatis nostrae in angelis suis explicat. Caeterum quod de uno angelo pronuntiat numero singulari, ad omnes extendere convenit: quia vocantur simul omnes spiritus ministratorii ad salutem nostram curandam, Heb. 1, 14 et alibi scriptura, 2. Reg. 6, 15, Psal. 91, 11, Luc. 16, 22, docet, plures singulis destinari angelos, prout scilicet Domino visum est, nobisque utile esse novit. Summa haec sit, quamlibet multi hostes nos oppugnent, multaque discrimina nos obsideant, angelos tamen invicta Dei potentia armatos excubare, et ab omni parte opponere suum auxilium, ut nos eripiant a malis omnibus.

9. (*Gustate et videte.*) Oblique homines insinulat socordiae, quia Dei bonitatem, quae notissima illis esse debuerat, non teneant. Verbo enim gustandi insipidos esse arguit: et simul causam assignat, quod sine gustu deglutiant Dei beneficia, vel maligno fastidio suppressant. Tantum ergo expergefieri eorum sensus iubet, vel palatum afferri aliquo gustu praeditum, ut Dei bonitas innotescat, imo perspicua sit. Ad verbum est, Gustate et videte, quia bonus: sed particula *ו* exegetice capitur. Summa est, per Deum minime stare quominus certis experimentis compertam habeant eius bonitatem fideles, quos hic peculiariter David compellat, unde colligimus, ipsos quoque communi stuporis vitio laborare. Hanc doctrinam confirmat promissio mox addita. Ideo enim *beatus est qui in eo sperat*, quia neminem gratiae suae cupidum frustratur. Sed nobis sola incredulitas obstat quominus large et munifice omni bonorum affluentia satiet.

10. (*Timete Iehovam.*) Hic fideles, ut ianuam aperiant Dei beneficiis, ad sanctitatem et iustitiam colendam hortatur. Scimus quomodo sibi vulgo prospicere soleant homines, ut quisque vel ad fraudes, vel ad rapinas vel ad iniustam violentiam declinet. Fieri vero non potest quin fideles titillet aemulandi cupiditas, ut sibi permittant ululare inter lupos: atque ut libenter abstineant ab omni in-

iuria, publica tamen vivendi ratio quasi tempestas eos abripit, seque interea necessitate excusari putant. His tentationibus fraenum iniicit David: ac omnia optime cessura promittit, modo se in Dei timore contineant, quem omnibus iniquis artibus et consiliis opponit: quia maior pars stultitiae damnat quicumque simplicitati student, quod ita sibi ac suis commodis male consulant. Quamvis ergo sibi metuant profani homines ab inopia, unde eos carnis sensus ad quidvis tentandum sollicitat: David hic testatur Deo curae esse fideles, ne unquam ipsos egere sinat. Nullus, inquit, metus vel diffidentia vos abducat a recti studio: quia bonos et probos Deus nunquam destituit. Itaque hunc Deo honorem deferre iubet, ut plus ab eo uno expectent quam impii ab illicitis suis artibus. Caeterum quia effraeni quodam fervore passim ebullit in mundo iniquitas, sanctos diserte alloquitur, ut sibi caveant: quia apud promiscuam multitudinem nihil proficeret. Est enim hoc paradoxon, quum malorum libidini exposita sit bonorum et simplicium integritas, in hac tamen plus esse praesidii, quam in omnibus perversis remediis. Nec vero absurdum est, sanctis qui iam sponte innocentiam colunt, praeceptum hoc dari, ne recedant a Dei timore: quia scimus quam proclive sit, dum nulla spes prospere et beate vivendi nisi in mundi illecebris apparet, lucem pietatis obrui et exstingui. Et aptissima comparatione doctrinam hanc illustrat, quod Deus suis suppeditet quantum satis est, ac eorum egestati succurrat, quum leones, qui truculentia superant omnes mundi praedones, tamen oberrent famelici. Caeterum quod metaphorice sub leonum nomine quidam violentos et rapaces notari putant, meo iudicio nimis est argutum. Simpliciter enim asserit David, qui sibi ab omni iniustitia temperent, plus hoc modo profecturos, quam rapiendo et praedando: quia ipsi quoque leones feraeque bestiae ad praedam natae, saepe esuriant quum Dominus suos pascit. Potius ergo leones inedia et fame dicit perituros, quam ut necessario victu fraudet Deus rectos et simplices, qui sola eius benedictione contenti, non aliunde quam ex eius manu alimenta quaerunt. Quisquis vero ita in Deum reiiciet suas curas, sibi quoque nutritium ac patrem fore statuet, quietus et placidus inter homines absque ulla noxa versabitur. Si quis obiciat, bonos et probos saepe penuria non esse immunes: respondeo, tempestive ad opem ferendam, ubi in ultimas angustias redacti sunt, manum Dei extentam esse, ut semper ultimus eventus demonstret, non frustra quidquid opus est ad tolerandam vitam ab ipso peti.

12. *Venite filii, audite me, timorem Iehova docebo vos.* 13. *Quisnam est vir cupiens vitam, amans*

dies quibus videat bonum? 14. *Custodi linguam tuam a malo, et labium tuum ne loquatur dolose.* 15. *Declina a malitia, et fac bonum: inquire pacem, et persequere illam.*

12. (*Venite filii, etc.*) Vehementius insistit ad cohortandos fideles, ne quidquam sibi utilius esse putent, quam iuste et innoxie cum omnibus versari. Nam quia maior pars optimum prospere et commodè agendi compendium esse imaginatur, si quisque vi, fraudibus, iniuriis, et aliis nocendi modis superior esse contendat, necessaria est huius doctrinae repetitio. Caeterum quia subactis animis opus est, filios appellans, blando hoc et amabili nomine prava omnes affectus mitigat. Neque enim quisquam inter tot insultus quietus stabit, nisi qui mansuetudinis spiritu formatus fuerit ad summam modestiam. Praefatur itaque propheta, quam tradit vivendi legem, servari et coli non posse, nisi a mansuetis et morigeris. Eodem etiam spectat quod dicit, Venite: et attentos esse iubet, nempe ut deposita omni contumacia, sedatoque impetu et fervore, dociles se ac tractabiles praebeant. *Timorem Iehovae* pro ipsa pie vivendi regula posuit: ac si dixisset, quum virtus et iustitia in omnium ore volitent, paucos tamen esse qui vitam probe et rite instituant: quia ignorant quid sit Deum colere.

13. (*Quisnam est vir.*) Non interrogat propheta an quisquam ita sit affectus ac si sponte omnes miseriam sibi accerserent: scimus enim bene et feliciter agendi commune omnibus esse votum: sed in praeposteris studiis caecitatem et amentiam perstringit. Quod quum strenue omnes ad captandum quod sibi utile sit cursitent, vix centesimus quisque in animum inducat pacem, tranquillumque et optabilem vitae statum iustitia et aequitate redimere. Suos ergo discipulos admonet propheta, totum fere mundum iniustitia labi et errare, dum aliunde sibi beatam vitam promittit, quam ex Dei benedictione, qua solos simplices et integros dignatur. Sed plus vehementiae in se continet haec exclamatio, ut melius expergeant torpentes et sopiti animi: ac si dixisset, Quum omnes felicitatem appetant, qui fit ut ad eam obtinendam nemo fere adiciat animum? ac sibi potius quisque sua culpa varias molestias accersat?

14. (*Custodi linguam tuam.*) De rara virtute hic praecipit, ut simus in sermonibus veraces et minime astuti. Quanquam alii latius extendunt, putantes maledicentiam hoc priore membro daminari. Simplicius tamen ac rectius est intelligere quod secundo membro repetit, *ne dolose cum proximis loquamur*, ut verba nostra laquei sint ad circumveniendum. Quia autem nihil difficilius est quam ita moderari sermones nostros, ut lingua purus sit mentis character: ideo sedulam custo-

diam exigit David, ne ad fallendum eam diffuere sinamus.

15. (*Declina a malitia.*) Iubet ut filii Dei ab omni iniuria abstineant, seque exerceant ad beneficentiam. Vulgo citari solet hic versus ac si de duabus poenitentiae partibus concionatus esset David. Nam hic primus est resipiscentiae gradus, ut peccator vitia quibus addictus est abiiciat, priorique vitae renuntiet: deinde mores suos formet ad iustitiam. Sed hic proprie quomodo versari cum proximis oporteat, docemur. Quia autem saepe contingit ut qui in aliquam hominum partem liberalis est vel etiam prodigus, saltem suis officiis multos iuvat, fraudando et nocendo laedat alios: ab hac parte merito incipit David, ut sibi a malo temperent qui Deo vitam suam probare cupiunt. Rursum quia plerique, si fraudem, aut vim, aut damnum nemini attulerint, probe se defunctos existimant, merito adiunxit alterum praeceptum de beneficentia. Neque enim suos Deus otiosos esse patitur, sed in commune suas operas conferre, ut alii aliorum commodis mutuo consulant ac studeant. Pacis fovendae curam deinde commendat. Scimus autem humanitate et tolerantia foveri, sed quia saepe negotium est cum morosis hominibus, vel prae fractis, vel ingratiss, vel quos minima quaeque occasio ad pugnas inflammant: quia multi improbi nos subinde lacerant, alii sua pravitate quantum in se est bonorum animos a se alienant, alii videntur offensiones de industria captare: non simpliciter quae- rendam esse pacem docet, verum si quando fugitare nos videbitur, ad eam persequendam constanter eniti iubet. Est quidem hic aliquis modus: quia ubi omnia tentaverint probi et modesti homines ad pacem redimendam, adeo non emollient, vel ad aequitatem flectent improborum animos, ut potius eorum acuam malitiam. Deinde eorum impietas nos saepe cogit ad dissidia: imo dum ipsi Deum provocant quasi bello aperte indicto, perfidia esset non repugnare. Sed hic tantum David in privatis negotiis vult nos mansuetos esse et faciles, et sedulo operam dare ne pax effluat, utcumque eam retinere molestum sit ac incommodum.

16. *Oculi Iehovae super iustos, et aures eius ad clamorem eorum.* 17. *Vultus Iehovae super facientes malum, et deleat e terra memoriam eorum.* 18. *Clamaverunt, et Iehova audivit, et ex omnibus angustiis eorum liberavit eos.*

16. (*Oculi Iehovae.*) Haec optima patientiae futura, dum persuasi sumus nos a Deo respici: atque ut quisque se in recti et aequitatis studio continet, illius praesidio tutum et incolumem fore. Ergo ne fideles mundi libidini se expositos esse putent, dum innocentiae dant operam, atque hic

metus a via eos abducatur: hortatur David ut mentes referant ad Dei providentiam, nec dubitent eius alis se protegi. Dicit autem oculos Dei intentos ad custodiam iustorum, quo alacrius in sua integritate pergant boni et simplices. Interim ad vota et preces eos stimulat, si quando iniuste lacessat eos mundus. Nam aures Dei ad clamorem apertas esse dicens, admonet hoc opportunum esse remedium in omnibus aerumnis, ut Deum ultorem imploret qui praeter ius et meritum affigitur. Pronuntiat etiam ex adverso, quamvis interdum ad hominum scelera Deus in speciem conniveat, quia non statim poenas exsequitur, nihil tamen fugere eius conspectum. Dum sceleratis, inquit, peccandi audaciam addit impunitas, vigilat Deus ut in nihilum redigat eorum memoriam, et tale poenae genus consulto exprimit: quia impii non modo ad finem usque vitae beatos se fore confidunt, sed immortalitatem quoque sibi fingunt in mundo. Testimonium hoc scite accommodat Petrus, 1. Petr. 5, 10 ad mitigandos nostros dolores, et sedandam impatentiam, quoties malorum protervia transversum nos impellit: quia ad moderationem servandam nihil utilius est quam pendere ab auxilio Dei, et bona conscientia fretos ei deferre iudicium. Si quis obiiciat, longe aliud experiri bonos, qui diu multumque vexati nihil tandem auxilii sentiunt: respondeo, Deum neque palam, neque semper eodem modo bonis succurrere, sed tamen ita temperare eorum miseriae ut eos non deserat. Adde quod etiam optimi Dei praesidio se defraudant, quia vix contempsimus quisque innocentiam adeo pure colit, quin sua culpa aliquid mali sibi accersat. Deus autem simul ac lapsi sunt, ne peccata in ipsis radices agant, statim eos castigat, et quidem durius quam reprobos, quibus indulget in exitium. Et tamen utcunque res in mundo permistae sint ac confusae, sentient prohi homines non frustra opem Dei contra vim et iniurias sibi esse promissam.

18. (*Clamaverunt.*) Significat quoties clamant audiri. Est enim continua doctrina, quia non refert quid semel aut iterum factum sit a Deo, sed quid perpetuo facere soleat. Est autem proximae sententiae confirmatio, ubi dixerat aures Dei patere ad clamorem iustorum: ac nunc effectu ipso demonstrat Deum surdum non esse, ubi nostras querimonias et gemitus ad eum deferimus. Caeterum Clamandi verbo admonet, quamvis Deus iustos tueatur, non tamen esse a rebus adversis immunes, mirifice enim temperat suum in illis servandis praesidium, ut multis certaminibus eos exerceat. Hic etiam non levis ad precandum stimulus nobis esse debet, quod liberatio non promittitur nisi Deum invocantibus: neque enim providentiam suam ita vult a piis reputari, ut otiosi torpeant: sed potius ut salutis suae custodem esse persuasi, ad eum vota sua dirigant.

19. *Prope est Iehovae confractis corde, contritos spiritu servabit.* 20. *Multa mala iusti, et ex omnibus illis liberabit eum Iehovae.* 21. *Custodit omnia ossa eius, unum ex his non est fractum.* 22. *Occidet impium malitia, et odio habentes iustum perdentur.* 23. *Redimit Iehova animam servorum suorum, et non peribunt quicumque confidunt in eo.*

19. (*Prope est.*) Amplificat et longius extendit superiorem doctrinam, Deum liberatorem suorum esse, quamvis ad ultima redacti, aegre iam spiritum trahant. Nam haec dura est probatio, gratiam Dei usque eo differri, et subduci a sensu nostro dum spiritus nos deficiat: imo hoc incredibile est paradoxon, ubi cordis languore confecti fideles fere tabescunt, Deum illis esse propinquum. Sed ita clarius refulget eius virtus, dum e sepulcro nos attollit. Adde quod fideles prorsus deiici et atteri convenit, ut non nisi in Deo respirent. Unde etiam colligimus, verae tolerantiae nihil esse magis adversum, quam altitudinem illam de qua garriunt Stoici: quia non prius vere humiliati censemur, quam dum cordis afflictio coram Deo nos prosternit, ut iacentes erigat. Plena suavissimae consolationis doctrina, Deum ne tunc quidem a nobis discedere, quum malorum congeries non quasi exanimatos obruit.

20. (*Multa mala iusti.*) Praevenit cogitationes quae ut plurimum mentibus nostris obrepunt, qui fieri possit ut iusti curae sint Deo, qui assidue tot adversis fluctibus iactantur. Quorsum enim Dei protectio, nisi ut placido otio fruatur qui vitam quietam agunt? et quid magis absurdum quam tumultuose vexari qui nemini facessunt negotium? Ergo ne fidem providentiae Dei nobis excutiant tentationes, quibus assidue impetitur: tenenda est haec admonitio, quamvis iustos Deus gubernet, illisque prospiciat, subiectos tamen et obnoxios esse multis miseriis: ut probati talibus experimentis specimen edant invictae suae constantiae, Deumque liberatorem melius sentiant. Nam si liberi essent ac vacui omni molestia, torperet fides, cessaret Dei invocatio, incognita et sepulta lateret eorum pietas. Ergo variis documentis eos exerceri utile est, ac praecipue in hunc finem, ut agnoscant inter mortes innumeras se mirabiliter a Domino servari. Fortuitum enim videri posset quod raro contingeret: ubi autem nullo fine et modo alia atque alia mala recurrunt, si Dominus semper manum porrigat, non iam obscura est eius gratia. David ergo quidquid malorum impendat, fideles animis paratos esse iubet, quia nunquam eos Deus frustrabitur, cui non magis arduum est millies quam semel a morte eripere. Quod addit de ossibus non parum ad amplificationem valet: ut sciamus, omni ex parte illaesos fore quos Deus tuendos

suscepit. Deum ergo facturum pronuntiat ne unum ex ossibus nostris frangatur, quo sensu dicit Christus, capillos capitis nostri numeratos esse, Luc. 12, 7.

22. (*Occidet impium malitia.*) Alii רעה pro miseria accipere malunt, ut sit sensus, impios misere perituros, quia tandem malis succumbent. Sed altera interpretatio plenior, quod eorum improbitas qua se munitos putant, in eorum capita recidit. Sicut ergo prius docuit: nusquam melius esse praesidium quam in recta et innoxia vita: ita nunc denuntiat quidquid perverse aggressi fuerint impii, ipsis exitiale fore, quamvis aliunde nemo quidquam moveat. Secundo membro, hoc fieri in gratiam iustorum dicit, quod impii sibi sunt propriae mortis artifices. *Perduntur*, inquit, *quicumque iustos odio habent*. Sit igitur hic nobis murus aheneus et inexpugnabilis, quamvis ingentes hostium copiae nos circumdent, non esse metuendas, quia iam exitio sunt devotae. Hoc idem iterum confirmat David ultimo versu, quod Deus redemptor sit servorum suorum. Nam quomodo inter tot discrimina vel momento uno salvi essent, nisi Deus manum suam opponeret? Sed verbo *Redimendi* exprimitur servandi modus, a quo valde caro abhorret. Prius enim morti addictos esse oportet, quam Deus redemptor appareat. Unde sequitur, eos gratiae Dei ianuam praecludere qui nimis praecipites feruntur: ac nisi eorum festinationi respondeat, virtutem eius non apprehendunt. Caeterum ne quis servos Dei a morali (ut loquuntur) vel philosophica virtute tantum aestimet: hac praecipua nota insignit David, quod in Deo ipso confidunt, unde etiam salus pendet.

PSALMUS XXXV.

ARG. Quamdiu infestus Davidi fuit Saul, ut semper in aulis regum grassatur adulatio, procures et quicumque tunc aliqua autoritate pollebant, certatim conspiraverant in perniciem hominis innoxii: deinde in odii sui et crudelitatis societatem promiscuum fere vulgus traxerant: ita factum est ut summi quique et infimi implacabili in eum furore arderent. Sed quia maximam partem noverat errore et stultitia inconsiderate impelli, eos tantum sibi hostes proponit qui scelerate et destinata malitia obsequium suum Sauli venditabant. Contra hos Deum vindicem implorat. Ac primum quidem quia nullius mali sibi conscius erat, suam innocentiam coram Deo in medium profert: deinde quum praeter meritum vexetur, Deum liberatorem implorat. Ubi de impia illorum saevitia conquestus est, poenam qua digni erant imprecatur. Quia autem oraculo et sacra unctione fretus meliorem exitum sperabat, gratitudinis suae testimonia passim admiscet: atque haec tandem est Psalmi clausula, postquam servatus fuerit, tota vita Dei laudes celebraturum.

Davidis. 1. *Litiga Iehova cum litigantibus mecum, proeliare cum proeliantibus mecum.* 2. *Appre-*

hende clypeum, et scutum, et surge in auxilium meum. 3. *Exsere lanceam, et obsiste ad occursum persequentibus meis: dic animae meae, Salus tua ego sum.*

1. (*Litiga Iehova.*) Quia non modo vitam Davidis aperto Marte impetebant hostes, sed calumniis et falsis delationibus molesti erant, utriusque mali remedium postulat. Priori enim loco Deum advocans causae suae patronum, significat, cum improbis et maledicis negotium sibi esse: deinde ad arma suscipienda eum incitans, se violenter opprimi ostendit. Etsi autem valde indignum est, sanctum virum qui de omnibus optime semper meritis fuerat, neminem laeserat, tam publice quam privatim dignus propter suam humanitatem et modestiam erat omnium favore, non tamen hoc fuisse adeptum ut virulentas linguas effugeret: nobis tamen utile est cognitu, et apprime ad exemplum prodest. Neque enim mirum aut novum videri debet, si nos carpant ac mordeant homines maligni, qui ne Davidi quidem pepercerunt. Sed ut nobis gravis acerbaque sit eorum iniuria, incomparabile solatium hinc offertur, quod suum patrocinium Deus ipse falsis accusationibus opponit. Surgant ergo calumniatores, fictisque criminibus nos proscindant, modo contra Deus partes defensoris agere ne gravetur. Secundo membro non dubium est, Davidem precari ut Deus armatae hostium violentiae resistat. Summa est, quod mendaciis obrutus, et crudelitate oppressus, nec quidquam reperiens auxilii in mundo, tam vitam suam quam famam Deo tuendam commendat.

2. (*Apprehende clypeum.*) Improperie hoc ad Deum transferri certum est, qui nec lancea, nec clypeo indiget, solo flatu vel nutu contentus ad hostes suos profligandos. Huiusmodi tamen figuras quae primo intuitu asperae videri possent, non abs re spiritus sanctus usurpat, quo certius pro sensus nostri ruditate praesentiam auxilii Domini infigat cordibus nostris. Nam quum se oculis nostris ingerant noxae et pericula, undique occurrant manifesti terrores, mors denique ipsa palam appareat: difficile est absconditam et invisibilem Dei virtutem concipere, quae nos omni cura metuque liberet. Deorsum enim sensus nostri, ut crassi sunt et terrestres, feruntur. Ergo ut gradatim fides nostra ad coelestem Dei potentiam conscendat, inducitur hominum more gladio et clypeo instructus: sicuti et alibi quum dicitur vir bellicosus, certum est nostrae infirmitati hoc concedi: quia non aliter pro suo modulo caperent mentes nostrae immensam illam virtutem, quae omnes auxiliandi formas in se continet, nec aliunde subsidia accersit. Sensus autem est, ut Deus arcana sua et intrinseca virtute armatus se unum sufficere demonstret, contra omnes impiorum apparatus et copias. Nomen צנה

quidam iaculum, aut aliud teli genus esse volunt: sed quia scutum proprie significat, ut vidimus Psal. 5. non video cur in alienum sensum torqueri hoc loco debeat. Nec vero absurdum est clypeo (ut alibi saepe) scutum adiungi: et magis consentaneum erat, quodvis telum poni cum lancea, cuius proximo versu fit mentio. Incipit ergo David ab armis defensoris, ut Deus hostium impetus sustineat ac repellat. Verbum *רִיק* quod est evaginare vel nudare, simpliciter pro depromere, vel exserere accipio. Verbum *סָנַר* quod transtuli *obsiste*, tantundem valet ac claudere apud Hebraeos: sed quum velit David quasi interposito muro vel aggere, Dei obiectu prohiberi hostes ab accessu, sensum fideliter reddere mihi visus sum: nisi quis malit intercludere occursum, vel obstaculo morari: quae omnia eodem redeunt. Nam eorum opinio qui nomen esse contendunt, nullo modo probabilis est.

3. (*Dic animae meae.*) Quidam exponunt, arcana inspiratione mihi declara: alii autem: Fac ut re ipsa sentiam salutem meam in manu tua esse. Equidem non dubito Davidem optare penitus animo suo infixum esse ac persuasum quod ex praesenti rerum intuitu statui non poterat, salutis suae autorem esse Deum. Nam quae nostra socordia est ac stupiditas, Deus saepe dormientes ac nihil tale sentientes nos liberat. Quare emphatica loquutio est, qua sibi vivum gratiae Dei sensum dari precatur, ut hoc clypeo armatus quoslibet insultus sustineat, et per omnia obstacula et angustias perrumpat, ac si diceret: Domine, quidquid se ad labefactandum cor meum ingerat, firmum in hac fiducia me retine, salutem mihi apud te certo esse repositam, atque ut me huc vel illuc impellant tentationes, sensus meos ad te revoca, ut salus tua omnibus periculis superior eniteat: imo perinde ac si vocem ore emitteres, intrepide statuam, te propitio, me salvum fore.

4. *Erubescant et pudefiant qui quaerunt animam meam, vertantur retrorsum, et pudore afficiantur cogitantes malum meum.* 5. *Sint quasi palea coram vento, et angelus Iehovae impellat eos*.)* 6. *Sit via eorum caligo et lubricitates, et angelus Iehovae persequatur eos.* 7. *Quia sine causa absconderunt mihi foveam relis sui, sine causa foderunt foveam animae meae.*

4. (*Erubescant et pudefiant.*) Iam Deum contra hostes suos ultorem implorat: nec tantum rogat ut frustretur ac irritos reddat eorum conatus, sed etiam ut mercedem quam meriti sunt, rependat. Primum optat eos pudefieri, dum scilicet spe sua votoque deiectioni fuerint, longius deinde progreditur, ut similes

*) les pousse, en marge: ou chasse et presse.

sint paleae vel quisquiliis qui sibi videntur altis radioibus bene firmati. Sicut autem vento agitantur quisquiliae, ita inquietudinem illis optat ab arcano angeli impulsu. Gravior est quae sequitur imprecatio, ut quocunque pedem moveant, illis occurrant tenebrae et loca lubrica: ancipites autem et dubios angelus Domini persequatur. In summa, quidquid tentent, et quocunque se vertant, cupit illis omnia consilia et conatus infeliceiter cedere. Porro quum eos ab angelo impelli optat, colligimus ideo turbari impios, nemine persequente, quia spiritu vertiginis eos Deus percellit, et inquietudine distrahit, ut secum ipsi tumultuentur. Idem clarius exprimit proximo versu, ut per caliginem et loca lubrica angelus instabiles rapiat, ut neque consilium suppetat neque ratio, ac ne respirandi quidem detur tempus. Has partes angelis mandari mirum non est, per quorum manum iudicia sua Deus exsequitur: etsi non minus de diabolis quam de angelis coelestibus ad Dei obsequium promptis locus exponi potest. Scimus enim diabolo permitti quam in reprobos exerceat tyrannidem, unde saepe dicitur malus Dei spiritus Saulem invasisse, 1. Sam. 18, 10 sed quia diaboli non nisi inviti trahuntur ad exsequenda Dei mandata, etiam ubi eorum opera Deus utitur, scriptura electos et sanctos angelos quasi in superiore gradu ministros statuit. Exercet ergo Deus sua iudicia per angelos reprobos, sic tamen ut electos angelos ipsis praeficiat. Qua ratione etiam soli vocantur legitimi principatus: Ephes. 3, 10, Coloss. 1, 16 et aliis similibus locis. Si quis obiiciat, non esse consentaneum ut angeli qui ministri sunt gratiae et salutis, datique fidelibus custodes, contra reprobos saeviant: solutio est in promptu, non posse excubare ad piorum tutelam, quin simul ad bellandum instructi sint: nec posse suo auxilio eos protegere quin eorum hostibus infestos se opponant. Quantum ad imprecationem spectat, tenendum memoria est quod alibi dixi, Davidem neque privatam causam agere, nec temere effutire quidquid dictavit bilis, nec zelo inconsiderato ad perniciem hostibus suis optandam ferri: sed duce spiritu moderata vota in reprobos concipere, a quibus procul absunt quicunque vindictae cupiditate, vel odio, vel incomposito alio carnis motu aguntur.

7. (*Quia sine causa.*) Testatur se non frustra abuti Dei nomine, nec perperam sibi accersere patronum, profert enim suam innocentiam in medium, et se nulla sua culpa tam duriter affligi conqueritur, quod diligenter notandum est, ne quis in Dei conspectum temere prosiliat, vel eum advocet vindicem nisi bona conscientia fretus. Quum autem se insidiis et malis fraudibus impetitus fuisse dicit, in eo subest tacita integritatis suae commendatio.

8. *Veniat ei tumultus quem ignorat, et rete eius quod abscondit: apprehendat eum, cum tumultu cadat in illud.* 9. *Et anima mea exsultabit in Iehova, laetabitur in salute eius.* 10. *Omnia ossa mea dicent, Iehova, quis similis tibi, eripiens pauperem ab eo qui robustus est prae ipso, pauperem et miserum a direptore eius?*

8. (*Veniat ei tumultus.*) Iterum precatur ut Deus in hostium capita retorqueat quam homini iusto et innoxio machinati erant perniciem. Mutatio numeri quam trita sit Hebraeis, satis notum est. Itaque quod hic tanquam de uno homine dicitur, ad omnes in genere pertinet: nisi forte magis placeat, Saulem vel alium quempiam ex proceribus notari. Sed quia hoc votum a capite ad totum corpus extendi certum est, in ea re parum est momenti. Nomen תורע nunc tumultum, nunc cladem significat: ideo multi vertunt: Veniat illi perditio, aut vastitas, aut ruina. Sed alter sensus melius videtur congruere, quia paulo post subiicit: *Capiat eum rete suum: cadat in illud cum tumultu.* Certe quod alii reddunt: In cladem ipsam cadat, asperum et coactum est. Optime autem fuit sententia, quoniam secure in suis faecibus quiescunt, et quasi procul essent ab omni telorum iactu, nihil metuunt: ut malum inopinatum eos repente, quasi tempestas, obruat. Nihil enim minus illis credibile est, quam suas artes, et astutias, pravaque studia, et quascunque bonis et simplicibus captiones intentant, ipsis autoribus exitio fore. Aptissime itaque David optat eos cadere in retia quae tetenderunt, cum tumultu: hoc est, ut ad malum subitum expavescant: quia quo maiore licentia exsultant homines propter spem impunitatis falso conceptam, eo magis attonitos reddit improvisus terror. Interea mihi dubium non est quin David cladem aliquam novam et inusitatum denotet. Veniat ergo tumultus quem ignorat: hoc est, ubi pacem fallacibus illecebris sibi promiserit, percellat eum horror insolitus, et cum tumultuoso pavore sentiat se laqueis suis deprehensum.

9. (*Et anima mea.*) Alii in optativo legunt, *exsultet ac laetetur.* Sed David (meo iudicio) non tam vota continuat, quam se Deo gratum fore promittit, quod melius ex proximo versu patet, ubi magnifice beneficium hoc extollens, eius memoriam omnibus corporis sui partibus celebraturum se dicit. Ergo quum alii fortunae tribuant quod servati sunt, alii suae industriae, pauci admodum integram Deo laudem reddant: David hic se acceptae gratiae memorem fore asserit. Anima mea, inquit, non in liberatione sibi ignota, sed in Dei salute laetabitur. Sed amplificandi causa praeconium gloriae Dei ad ossa sua transfert, ac si linguae officio non contentus, omnia corporis sui membra applicaret ad canendam Dei laudem. Etsi autem hyperbolice loquitur, tamen

sine fictione demonstrat eo studii fervore se esse praeditum, ut nervos et ossa impendere cupiat ad testandam pietatem.

10. (*Iehova, quis similis tibi.*) Clarius definit suum illud in salute Dei gaudium, nempe quod uni Deo in solidum adscribet quam adeptus est salutem. Sic enim vulgo laudatur Deus inter homines, ut vix decimam iuris sui partem obtineat. David autem ab aliis omnibus eum separans, distincte pronuntiat totam liberationis gloriam in eum solum competere. Et certe ita Deo quod suum est asseritur, quum ornatus sua virtute, spes omnes nostras sibi addictas tenet. Quid enim attinet nomen Dei sonare in ore nostro, si eius potentiam et bonitatem pro arbitrio nostro partimur? Pie ergo David magnitudinem Dei hoc elogio commendat, quod vindex sit pauperum, quod inopes et afflictos eripiat a violentis praedonibus, ac si diceret, proprium eius officium esse opem ferre miseris: quibus verbis docemur bonam spem in afflictionibus retinendam esse: quia non est cur animos nostros debilitent hostium vires et copiae, quantumvis praevaleant, dum e coelo pronuntiat Deus, in hunc finem se regnare ut validis et fortibus resistat. Quod si gutta sanae mentis esset in filiis huius saeculi qui potentiam suam ad nocendum, et debiles opprimendos effundunt, subsisteret profecto eorum audacia, neque ad iram Dei provocandam ultra tenderent.

11. *Surgunt testes violenti, quae non novi quae-runt ex me.* 12. *Rependunt mihi malum pro beneficentia in orbitatem animae meae*).* 13. *Mihi autem in aegrotatione eorum indumentum meum saccus: affixi in ieiunio animam meam, et precatio mea super sinum meum versa est.* 14. *Quasi socius, quasi frater mihi esset, ambulavi, sicut lugens matrem pullatus humiliavi me.* 15. *Ipsi autem in claudicatione mea laetati sunt, congregati sunt, congregati sunt, inquam, adversum me abiecti quos non noveram: sciderunt labia, et non tacuerunt.*

11. (*Surgunt testes.*) Futuro tempore designat quid diu passus sit. Deplorat autem se calumniis ita fuisse oppressum, ut defensionis locus non fuerit: quo nihil gravius et acerbius accidere potest ingenuis hominibus, sibi bene consciiis. Nec vero tantum falsis criminibus se gravatum fuisse dicit, sed audaciam ac proterviam in testibus accusat, quod violenter surrexerint. Huc pertinet quod addit, *sibi quae nesciebat obiecta fuisse.* Non ergo fortunis tantum spoliatus fuit David, et in exilium indigne eiectus, sed etiam iuris praetextu oneratus infamia et probis. In has angustias coniectus, recta se ad Deum contulit, innocentiae suae vindicem spe-

*) pour desnuer mon ame, en marge: ou desconforter.

rans. Ita filiis Dei ambulandum est per infamiam et bonam famam, et patienter ferendae calumniae, donec eorum innocentiam Deus e coelo asserat. Nam quod olim proverbio inter homines profanos iactatum fuit: Nullum pulerius theatrum esse bona conscientia: magnifice quidem in eo loquuti sunt, sed fieri non potest ut quempiam sustineat conscientiae puritas nisi ad Deum confugiat.

12. (*Rependunt mihi.*) Rursus hostium malitiam exaggerat, quod non modo insontem, et nihil tale meritum improbe vexabant, sed quod multis magnisque beneficiis affecti, iniquissimam mercedem rependebant. Etsi autem haec indignitas quoad sensum carnis maxime vulnerat probos homines, videturque minime tolerabilis: dici tamen non potest quantum hoc afferat solatii, ubi testari coram Deo licet, nos officiis omnibus perfunctos esse, quae ad humanitatem flectere deberent hostium animos, sed eos implacabili saevitia ad nocendum rapi. Deus enim barbaram hanc et feram ingratitudinem non sinit inultam. Altera etiam circumstantia melius exprimitur eorum crudelitas, quod mansueti et placidi hominis animam orbare conati sint, hoc est ita nudare et destituere, ut desperatione obrutum perderent. Postea quaedam sua officia enumerat, quae sanctiora quaedam mutui amoris vincula esse debebant, si quis apud eos vigeret aequitatis sensus. Non dicit autem se pecunia, vel opibus eos iuvisse, vel fuisse aliis modis liberalem: quia fieri potest ut manu exporrecta restrictus interdum sit animus: sed veri et serii amoris certiores notas profert, quod non secus indoluerit coram Deo, et anxius fuerit eorum malis, quam si lugeret matris mortem: denique non aliter erga eos atque germanos fratres affectus fuerit. Quum iure ita sibi devinctos teneret, quid hac ingratitudine foedius, quod rebus eius adversis odii sui venenum in eum evomuerint? Quod ad verba spectat, *aegrotationem* metaphorice accipio pro quovis incommodo vel tristitia. Significat enim David quoties illis male esset, socium se doloris fuisse. Huius rei testis fuit precatio, quam se in sinum fudisse narrat. Nam hic genuinus est sensus, quod non ambitiose vota sua coram hominibus iactaverit, ut multi longe plus ostendant quam in animo lateat: sed tacite secum et remotis arbitris precando testatus sit quam sincere et ex animo doleret. Sicut enim eos dicimus gaudere in sinu qui arcano et interiore sensu contenti sunt: ita etiam in sinu flere et precari apte dicitur qui suas lacrymas et vota in aërem non spargit ad captandam hominum gratiam, sed contentus uno Deo teste, affectus suos apud se continet. Quamquam non nego hac loquendi forma notari precantis gestum: ac si diceret, capite demisso, et complicatis brachiis ut moesti solent, corpus se curvasse ad orandum. Sed tenendum praecipue eius consilium

est, quod in votis nihil fictum fuerit. Quod aliis videtur esse obtestatio, et hunc sensum eliciunt: Domine, nisi illis prospera omnia optaverim, quidquid mali est, in me ipsum vertatur: coactum est. Nihilo etiam plus coloris habet altera expositio: Quia pro ipsis orando nihil profeci, fructus orationis ad me reversus est. Propius ad mentem prophetae et verba hoc accederet: Non secus pro ipsis ac pro me oravi. Sed quod supra attuli de arcano affectu, sanis lectoribus (ut spero) satisfaciunt. *Saccum et ieiunium* tanquam precationis adminicula posuit. Etsi enim pransi quoque orant fideles, nec quotidie ieiunium sibi indicunt orandi causa, nec saccum induere necesse habent quoties prodeunt in Dei conspectum: scimus tamen ubi maior aliqua urgebat necessitas, adhibita fuisse haec exercitia: in clade publica vel periculo saccum omnes induebant, et ieiunium omnibus commune erat, ut simpliciter reatum suum confessi iram Dei placarent. Si quis privatim affligebatur, iisdem luctus insignibus se ad precandi ardorem stimulabat. Tantundem ergo valuit saccus in Davide, ac si reum se substitueret hostium loco, qui infesti ruebant in eius perniciem. Porro, ut saccum et cinerem numeremus inter ritus legales, hodie idem manet apud nos ieiunii usus. Quare si nos Deus ostensis irae suae signis ad poenitentiam invitat, meminerimus non modo preces solito more fundendas esse, sed addendos etiam stimulos qui ad humilitatem nos sollicitent. Dicit tandem non secus erga eos se fuisse versatum, ac si quisque eorum sibi fuisset frater.

15. (*Ipsi autem in claudicatione.*) Cur in voce claudicationis laborent interpretes non video. Divinant quidam crus Davidi fuisse luxatum: alii ex morbo claudicasse somniant. Sed si quis totum contextum expendat, nihil clarius est quam notari casus adversos, ac si dixisset, simulac labascere me viderunt, et ruinae propinquum, quasi facto concursu, simul conati sunt me prorsus evertere. Ergo hic eadem fere metaphora est, quae nuper in voce morbi. Fuit autem hoc nimis truculenti furoris, quum saepe hostium suorum infortunio mansuescant homines, ut miseros odisse vel persequi desinant, veteres Davidis amicos eius deiectioe ad insultandi proterviam accendi. Quamquam autem paucos initio designat, mox tamen promiscuum et ignobile vulgus adiungit augendae indignitatis causa, non quod peraeque accuset omnes, sed ut melius pateat quam hostiliter fuerit oppugnatus. Credibile enim est, qui tunc rerum potiebantur, faces ad excitandum commune incendium fuisse, ut certatim populus ad Davidem perdendum manus tolleret. Bis autem repetit fuisse congregatos, ad notandam pertinaciam, nisi forte ita resolvere libeat: Congregati sunt non modo quibus aliquis praetextus erat, sed usque ad contemptissimos. נִכְסִים proprie

Argute excogitant, magna virtute praeditam esse ecclesiam: ideoque vocari populum fortem. Sed quum simpliciter David frequentiam et multitudinem populi designet, quae ad sacros conventus agendos in sanctuarium adscendere solebat: non dubito quin suo more bis idem repetens, post *magnam ecclesiam*, subiiciat *populum multum*. Nam hebraicum nomen utrumque significat.

19. *Ne laetentur de me qui immerito inimici mei sunt, neque oculis nictent qui sine causa osores mei sunt.* 20. *Quia non loquuntur pacem*) et super scissuras terrae verba fraudulenta concinnant.* 21. *Diduxerunt contra me os suum, dixerunt: Ha, ha, vidit oculus noster**).* 22. *Vidisti Iehova, ne taceas, Domine ne procul absis a me.* 23. *Expergiscere et evigila ad iudicium meum, Deus mi, et Domine mi ad causam meam.*

19. (*Ne laetentur.*) Quia ex ruina et interitu Davidis tripudium captabant hostes, precatur ne tam improbo voto Deus indulgeat. Porro ut Deum causae suae propitium habeat, iterum testatur, nulla sua culpa se illis exosum esse, sed mera pravitatem impelli ad tam crudelem affectum. Magni enim interest, bonae conscientiae testimonium afferre coram Deo, ut sit ad nos iuvandos propensior. Nam quod שָׂקַר quidam accipiunt pro fallaciter, ac si insidiosos hostes hac voce notaret David, nimis argute philosophantur: ac repetitio quae mox sequitur, ostendit Davidem conqueri de voluntario ipsorum odio, quod homini amico et bene merito, nulla offensa provocati, sponte infesti essent. קָרַן hic accipitur pro nictare limis oculis per ludibrium: sicuti Psal. 22, 8 caput movere, et diducere labia. Proximo versu rursus declarat sibi negotium esse cum implacabili hostium genere, et ad saevitiam prorsus obstinato, quo plus fiducia de propinquo Dei auxilio concipiat. Sic enim statuere convenit, quo durius urgemur, eo certius sperandam esse liberationem. Dicit igitur nihil sonare praeter tumultus et caedes. Posterius membrum nonnihil obscurum est propter dubiam significationem nominis נָעַן, nam quum eius radix nunc scindere, nunc quiescere significet, quidam vertunt: Mansuetos terrae. Alii autem, cum quietis terrae: ac intelligunt pingues et saturos qui placido otio fruuntur. Utrique mihi videntur coactos sensus accersere. Nihilo etiam alii rectius exponunt: In cavernis vel locis abditis: ne scilicet prava et versuta eorum consilia pateant. Atqui aptissima metaphora, per scissuras

terrae, intelligere licebit homines calamitosos, qui velut fracti sunt ac mutili. Dicit igitur David, hostes suos simul ac rupturam aliquam patere vident, toto conatu incumbere ad eversionem. Nam qui contra Davidem integra et florente eius fortuna, ne mutire quidem unquam ausi essent, labenti exitium machinari coeperunt: ut sciamus impios homines, servili ingenio, et timidos ut plurimum esse, neque efferri ad ferociam nisi quum ex bonorum et simplicium aerumnis oblata est occasio. Eodem pertinet quod continuo post distento ore clamantes inducit, Euge, Euge: et sibi cum plausu gratulantes, quod Davidem viderint prostratum iacere, atque ita laeto spectaculo potiti sint.

22. (*Vidisti Iehova.*) Subest antithesis inter hunc Dei adspexit, et illum priorem de quo sibi plaudebant improbi: ac si diceret, vos cupide oculis hauritis meas miseras: atqui Deus quoque oculatus est ad notandam sceleratam eorum malitiam, qui tam crudeliter pascuntur alienis incommodis. Quamquam David cum illis non disceptat: quin potius recta se ad Deum confert, et machinis illis quae duriter eius animum quatefacere poterant, Dei providentiam instar valli opponit. Et certe haec demum solida munitio est contra hostium ludibria, ubi illis omissis mentes nostras ad Deum colligimus, et paterna erga nos cura eius freti, petimus ut re ipsa declaret sibi non incognitas esse molestias nostras: imo quo ferventius inhiare vident improbos ad nostram perniciem, celerius ad opitulandum accurrat, quod pluribus loquendi formis exprimit David. Ne taceas, ne recedas a me, excitare, evigila. Has voces rite emittere potuit David, qui iam persuasus erat, pauperes et afflictos a Deo respici, et observari omnes iniurias. Ergo ut rite composita sint vota nostra, fulgeat in cordibus nostris primum necesse est fides providentiae Dei: nec tantum ordine praecedat omnes affectus, sed etiam temperet ac dirigat.

24. *Iudica me secundum iustitiam tuam Iehova Deus mi, et ne laetentur de me.* 25. *Ne dicant in corde suo: Euge anima nostra:*) ne dicant: Perdidimus eum.* 26. *Pudefiant et erubescant pariter qui laetantur malo meo, induantur pudore et ignominia qui se magnificant super me.* 27. *Iubilent et laetentur, quibus placet iustitia mea: et dicant semper: Magnificetur Iehova qui diligit pacem servi sui.* 28. *Et lingua mea loquetur iustitiam tuam, quotidie laudem tuam.*

*) ils ne parlent point paix, *en marge*: ou, ne tiennent propos d'amis.

**) Aha Aha, nostre oeil l'a vu, *en marge*: ou, ce que nous desirions.

*) Aha nostre ame, *en marge*: ou nostre desir: nous avons ce que nous desirions: ou nostre ame, asçavoir s'esjouisse: comme on dit en nostre langue, Grande chere.

certum esse testem quid ipsa suggerat. Ac primo quidem notandum est, non de externis sceleribus loqui prophetam, sed penetrare ad fontem ipsum: ac si diceret: Quamvis astuta simulatione tegant impii suam malitiam, mihi tamen satis comperta est, ut mihi videar eam loquentem audire. Verum quidem est, quia ruunt impii et profani homines in omne scelerum genus ac si nulla unquam reddenda esset ratio, tale ex eorum vita iudicium posse ferri: sed hoc expressius est, quod interior ipsorum perversitas servis Dei aperte se prodat. Loquitur autem David non de quibuslibet, sed de perditis Dei contemptoribus: multi enim lasciviunt in suis vitiis, quos tamen non occupat hic vesanus furor. Sed ubi obduruit quispiam ad peccandum, tandem impietas hanc ei socordiam dictat, ut contempto Dei iudicio sine metu perrumpat quocunque libido impulerit. Itaque peccandi securitas praesertim ubi accedit contemptus et ludibrium, quasi Satanae fascino est quod hominem desperatum prodit. Etsi autem vera religio pias mentes continet in Dei timore, et impias cogitationes procul arcet: hoc tamen non obstat quominus in corde suo perspiciant horribili furore agitari impios, dum nec Deum curant, nec iudicio eius tanguntur. (*Nullus timor Dei.*) Malarum suggestionum finem breviter demonstrat, nempe ut sensu boni et mali extincto vel suffocato quidvis audeant, ac si non sederet Deus in coelo iudex. Sensus ergo est: Sceleratum hominem alloquitur impietas in corde meo, eum ad extremam vesaniam sollicitans, ut abiecto Dei metu se ad peccandum proiciat, hoc est, Non secus mihi notum est quidquid voluntant impii in corde suo, ac si Deus me testem et arbitrum locasset ad relegendam hypocrisim, qua detestabilem suam malitiam profunde sepultam esse putant. Quod ergo nulla Dei reverentia impios cohibet a peccando, ex occulto isto alloquio oritur, quo eos de mentat sua pravitas, ut brutorum animalium instar sibi indulgeant. Quia oculi sunt quasi vitae duces, et alios sensus motu suo huc vel illuc trahunt: ideo dicitur timor Dei esse ante oculos, quum vitam hominum regit, ac quaecunque se vertunt, occurrens, obiectu suo libidines refraenat. Ergo contraria loquendi forma significat David, sine Dei respectu licentiose vagari impios, quia eos excavit sua pravitas.

3. (*Quia blanditur sibi.*) A fructibus vel signis ostendit nullum vigere Dei timorem apud impios, quia in sceleribus ita se oblectant: ut aliis omnibus execrabiles, foveant tamen suam pertinaciam, seque ultro ad pergendum obdurent. Primo dicit eos blanditiis alere sua vitia, ne sibi peccando displiceant. Sed quum addit, *donec inveniatur iniquitas ad odium*, his verbis notatur extrema obstinatio, sensus enim est, Dum sibi falso adulantur huc

usque progredi, ut eorum iniquitas sit omnibus execrabilis. Vertunt quidam: ut ipse suam iniquitatem ad odium inveniatur: ac intelligunt, intemperanter eos ruere, donec ex satietate obrepat fastidium. Nemo enim adeo nequam est quin sibi interdum displiceat. Sed prior ille sensus genuinus est, impios, quamvis omnibus sint exosi, quia eorum iniquitas patefacta et deprehensa bilem omnibus movet: nulla displicentia tangi, quin potius sibi plaudere dum eos populus exsultat, et scelestam eorum vitam exhorret. Hanc igitur amentiam in illis damnat propheta, quod eos non moveat scelerum suorum foeditas quae omnes offendit: quia omne boni et mali discrimen quantum in se est, abolent, ac suae conscientiae stuporem inducunt, ne illos ad resipiscentiam stimulet. Attente certe considerandus est hic stupor, quod homines in sensum reprobum coniecti, dum in se provocant omnium mortalium odia, malorum tamen suorum sensu privati sunt.

4. (*Verba oris eius.*) Utrumque membrum huius versus eodem referri potest, quod scilicet mendaciis ludentes nullam intelligentiae lucem admittant. Et certe hanc esse Davidis mentem existimo, quia hic non simpliciter impios accusat quod dolis et captionibus alios circumveniant, sed potius quod nihil in ipsis rectum sit, vel sincerum. Diximus iam ante, eum non agere de vitiosis hominibus in quibus manet aliquod Dei semen, sed de profanis contemptoribus qui suis peccatis sunt prorsus addicti. Dicit ergo, illis semper fallaces esse in ore praetextus, quibus sanam omnem doctrinam illudant. Postea addit, ultro suppressere omnem delectum boni et mali, quia meliores esse nolint. Scimus rationem ad bene agendum hominibus ducem esse. Eam ergo dicit reprobos fugitare, ne vitam suam in melius corrigere cogantur. Docemur autem his verbis, si quando a via defleximus, hoc unicum esse remedium, aperire mentis oculos, ut boni et mali discrimen ab errore nos revocet: contra, ubi quis intelligentiam respuit, hoc desperationis signum esse. Proximo versu notatur interior malitia et profunda obstinatio, multos enim continget, licet alias non pessime affecti sint, labi et delinquere, quia repente se offert occasio. David autem reprobos, ubi subducti sunt ab hominum conspectu, consilia male agendi intus coquere dicit: atque ita quamvis nulla se illecebra obiciat, nullum eos incitet malum exemplum, sibi ipsis esse scelerum autores ac magistros absque alieno impulsu. Porro quum hac nota reprobos insigniat, quod meditentur scelera super cubile suum: docentur fideles longe alio sua studia conferre ubi soli sunt, nempe ut vitam suam examinando malas cogitationes strenue a se repellant. Additur deinde pertinacia, quod in via obliqua et perversa insistant, hoc est scientes

et volentes se ad peccandum obdurent. Tandem ratio additur, quia illis malum non displiceat. Voluntaria enim caecitas eos praecipitat, ut sceleribus ultro se mancipient. Iam nobis occurrat antithesis inter reprobos et fideles: illi se ipsos falsis adulationibus decipiunt, hi vero severi in se sunt censores: illi laxis habenis in vitia rapiuntur, hi cohibentur fraeno timoris Dei: illi cavillis obtegunt vel fucant sua delicta, et lucem in tenebras convertunt, hi vero libenter agnoscunt se peccasse, et ingenua confessione ad poenitentiam se hortantur: illi repudiant sanum omne iudicium, hi ad vitae lucem emergere semper cupiunt: illi super cubile excogitant varios peccandi modos, hi sedulo intenti sunt ne sibi peccandi cupiditatem accersant: illi alte se demergunt in Dei contemptu, hi vero in malorum suorum displicentia libenter sese exercent.

6. *Iehova, ad coelos misericordia tua, veritas tua usque ad nubes.* 7. *Iustitia tua sicut montes Dei*), iudicia tua abyssus magna: hominem et iumentum servas Iehova.* 8. *Quam pretiosa bonitas tua Deus! itaque filii hominum in umbra alarum tuarum confidunt.* 9. *Saturabuntur pinguedine domus tuae, et fluvio deliciarum tuarum potabis eos.* 10. *Quia apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbitur lumen.*

6. (*Iehova, ad coelos, etc.*) Putant interpretes postquam exposuit David quanta passim grassetur in mundo corruptio et perversitas, occasione hinc sumpta prorumpere in admirationem incredibilis patientiae Dei, quod humanum genus tanta scelestorum colluvie refertum favore et benevolentia prosequi non desinat. Ego vero nuper dixi me paulo aliter sentire. Propheta enim ubi de summa hominum pravitate disseruit, ne ipse quoque tanquam diluvii impetu abreptus deficiat, se ipsum colligit. Sic enim fere damnamus impios, ut se in animos nostros insinuet contagio: ac vix centesimus quisque purum se et illibatam in vera pietate conservat, postquam de aliorum malitia conquestus est. Sensus ergo est: Quamvis tristis et horrenda confusio appareat, quae instar vasti gurgitis absorbere posset pias mentes, Davidem nihilominus statuere mundum plenum esse Dei bonitate ac iustitia, et optima aequitate coelum et terram ad ipso regi. Et certe quoties animos nostros concutit ac percellit mundi corruptio, cavendum est ne sensus noster subsistat in hominum malitia qui miscent omnia ac perturbant. Sed in hac turbulenta caligine occultam Dei providentiam suspicere convenit. Caeterum David hic quatuor praecipuas Dei virtutes per synecdochen enumerat, significans in summa, inaeestimabilem Dei

*) comme hautes montagnes, *en marge*: Heb., montagnes de Dieu.

virtutem ac potentiam cum pari iustitia reputandam nobis esse, licet mundum temere versari dicet carnis sensus. Bonitatem Dei usque ad coelos esse dicens, altitudine coelos ipsos aequare intelligit. Eadem ratione adiungit veritatem eius pertingere usque ad nubes. Porro veritas hoc loco vel pro fide accipitur quam Deus in suis promissis praestat: vel pro iusto temperamento in quo liquida et minime fallax rectitudo eius perspicitur. Sed complures alii loci ad promissiones referre cogunt, in quibus servandis fideliter sibi constat Deus. Et sequitur etiam continuo post iustitiae elogium, quam excelsis montibus comparat (scimus enim Hebraeis divinum vocari quidquid excellit) quia illic clarius refulget eius gloria. Postremo dicit, iudicia Dei magnis et profundis abyssis similia esse: quibus verbis admonet, quocumque vertamus oculos, sursum et deorsum iusto Dei iudicio omnia disponi. Solet in diversum sensum citari hic locus, quod scilicet iudicia Dei captum nostrum longe superent, sintque magis abscondita quam ut eorum ratio apprehendatur, nec inepte huc aptatur similitudo abyssi. Latius tamen patere Davidis verba colligitur ex contextu, nempe quantumvis magna ecelestium abyssus inter homines exundet, terramque obruat, maiorem tamen esse providentiae Dei abyssum, ut iuste omnia dispenset ac temperet. Quoties ergo in caeca et obscura iactatione vacillat fides nostra, veniat nobis in mentem, in tota mundi gubernatione iudicia Dei merito conferri abyssos quae coelum et terram implet atque occupat, ut immensa sua amplitudine curas omnes nostras et molestias deglutiat. Quod addit in fine versus, tam iumenta quam homines a Deo servari: huc spectat, quum Deus ad bruta usque animalia curam suam dignetur extendere, multo magis eum prospicere rebus humanis. Et sane quoties de providentia Dei obrepit dubitatio, clypeum hunc opponere convenit. Fieri non posse ut Deus qui pecoribus alimenta suppeditat, tueturque in suo statu, negligat humanum genus. Nam quod iumenta quidam de belluinis hominibus allegorice exponunt, tanquam nimis coactum repudio.

8. (*Quam pretiosa est bonitas tua.*) Quod exponunt quidam pretiosam esse clementiam Dei, et pretiosos qui in ea confidunt hominum filios, a verbis remotum est. Nimis etiam argute quidam: diis hoc est angelis et filiis hominum eximiam esse Dei clementiam. Et miror rabbinos ita perperam sudare in fabricandis commentis, quum per se dilucidus sit prophetae sensus, nempe quia excellit et se magnifice profert Dei misericordia, ideo in umbra eius confidere filios hominum. Nam quum eatenus Dei bonitatem laudaverit David, quae se in omnes creaturas diffundit, recte (meo iudicio) sentiunt alii, hic agi de peculiari favore quo filios

non expectant. Vbi enim communiter de filiis hominum videtur haberi verbum: quae tamen mox arguuntur, proprie in istis fidelibus competunt. Atque ita etiam, nominat illustrandae gratiae Dei causae, quod mortales ex Adam progenitos sub alas auae educere non gravetur: sicuti Paul. 2, 5 dictum est: Quid est bonum, quod memores eius: vel filius hominum quid visitas eum? Nunc summam huius leui tentationis: quamvis perditae luxurient in aeleribus impii, non tamen obstat hanc tentationem quatinus fideles Dei bonitate freti, in paternam eius curam se committant: cuius bonitatis gustum impiorum mentes, ut sunt insipidae, nunquam percipiunt, ut inde ad fidem deducti sub umbra alarum Dei quiescant. Alarum similitudo satis in scripturis trita est, qua Deus exprimit non aliter sua tutela non loqui, quam pullos sub matribus: atque ita familiariter et blande ad se nos invitat.

9. (*Hauriuntur pinguedine.*) Non dubito quin pinguedinem domus Dei appellet bonorum affluentiam quae non omnibus promiscue est proposita, sed reposita filiis qui totos se eius fidei committunt. Quidam restringunt ad spirituales gratias: sed mihi videtur magis probabile, comprehendi omnia Dei beneficia, quae tam ad praesentis vitae usum quam ad aeternam et coelestem beatitudinem pertinent, nisi quod notandum est, ita coniungi cum puro fidei sensu: quo sit ut rite et legitime illis in salutem nostram fruamur. Nam quum se ingurgitant impii bonorum Dei copia, saginatur quidem eorum caro perinde ac pecorum, sed anima eorum semper est famelica. Solus, (ut dixi) fidelis satiat Dei liberalitas, qui illis pignus est paterni erga eos amoris. *Cibo et potu plena et perfecta* notatur nutritio: *fluvii vero nomine*, copiosa ubertas.

10. (*Quia apud te fons est vitae.*) Confirmat proximum doctrinam, cuius tam utilis est cognitio, ut nullis verbis exprimi queat. Nam quum impio abusu optimi quoque Dei dona profanent increduli nisi discrimen illud quod posui tenemus, praestaret non contenti inedia perire, quam largiter Dei beneficentia pasci. Ergo quum minimo agnoscant increduli se in Deo moveri, vivere, et esse, quin potius propria virtute stare imaginentur: hic ex sensu piorum et quasi in eorum persona affirmat David, fontem vitae esse in Deo: quo significat nullam vitae guttam extra ipsum posse inveniri, et quae non fluit ex eius gratia. In metaphora luminis emphasis est expressior, luce carere homines, nisi quatenus eos Dominus irradiat. Quod si hoc de luce vitali vero praedicatur, quomodo ad vitae coelestis intuitum erimus oculati, nisi Dei spiritus nos illuminet? Nam tenendum est, sic naturaliter praeditos esse homines intelligentia, ut lux in tenebris luceat, quam tenebrae non comprehendunt: quod autem illuminantur, supernaturale

esse donum. Interea soli fideles sentiunt, lucem se a Deo mutuari. ne in tenebris sepulti iaceant.

11. *Extende misericordiam tuam ad eos qui te cognoscunt. et iustitiam tuam ad rectos corde.* 12. *Ne veniat in me pes superbiae. et manus impiorum ne commoveat me.* 13. *Illic ceciderunt qui faciunt iniquitatem: impulsus sunt nec poterunt stare.*

11. (*Extende, etc.*) Nunc se David ad precandum convertit: Primum quidem in genere postulat ut Deus erga pios omnes misericordiam suam continuet: deinde privatam causam suam agit, auxilium Dei contra hostes suos implorans. Porro nimis pueriliter errant qui Deum protendere dicunt suam misericordiam, eo quo supra coelos emineat. Nam ubi nuper ita loquutus est David, non voluit (ut dictum est) illam coelo includere: sed simpliciter testatus est, ubique esse expansam. Hic autem nihil aliud optat, nisi ut Deus suam misericordiam erga pios ad finem usque prosequatur. Huic iustitiam annectit tanquam effectum suae causae. Diximus autem alibi, in eo lucere Dei iustitiam, quod suorum patrocinium suscipit, eorum innocentiam tuetur, iniurias ulciscitur ac reprimit, et in asserenda eorum salute fidelem se probat. Hoc vero totum quum gratuito illis praestet, merito a bonitate incipit David, eamque ordine priorem locat, ut ex mera eius gratia pendere discamus. Iam notanda sunt epitheta quibus describit fideles, nempe quod Deum cognoscant, deinde recti sint corde. Nam hinc colligimus, a Dei notitia oriri veram pietatem, et rursus fieri non posse quin lux fidei corda nostra ad rectitudinem formet. Interea tenendum est, tunc rite a nobis Deum cognosci, dum ei suum honorem tribuimus, nempe ut in eum recumbat nostra fiducia.

12. (*Ne veniat.*) Precationem quam concepit (ut paulo ante admonui) ad suam personam accommodat, sed communiter pro omnibus Dei filiis votum concipiens, testari voluit se nihil sibi privatim petere, sed tantum optare Deum propitium, quia unus sit ex piorum et rectorum numero, qui ad Deum respiciunt. Pedem superbum et manum sceleratorum eodem sensu posuit. Nam quum impii in bonorum perniciem audacter ruant, pedes attollant ad eos calcandos, manus etiam ad quodvis facinus habeant paratas, rogat David ut compescat tam ipsorum pedes quam manus: atque ita fatetur se illorum insolentiae et contumeliis ac violentiae fore obnoxium, nisi mature Deus succurrat.

13. (*Illic ceciderunt.*) Fiduciam ex voto suo colligit, non dubitans quod petiit se iam impetrasse. Atque ita videmus ut fidei certitudo sanctos ad precandum dirigat. Caeterum quo certius ad bene sperandum se animet, impiorum ruinam, licet adhuc

sit abscondita, quasi digito ostendit. Neque enim supervacuum est adverbium Illic: quia dum secunda fortuna superbiunt impii, illis mundus plaudat: David quasi e sublimi fidei specula procul adspicit eorum interitum, nec minus secure de eo pronuntiat quam si prope instaret. Caeterum ut nobis constet eadem fiducia, meminerimus, perperam eos facere qui temporis articulos ex votorum suorum fervore definiunt: sed dandum esse locum providentiae Dei, ut surgat in iudicium quando eius arbitrio opportunum fuerit tempus. Quum dicit esse *impulsos*, in lubrico eos agitari intelligit, ut minime stabilis sit eorum felicitas. Tandem addit exitialem fore eorum casum, ut nunquam speranda sit restitutio.

PSALMUS XXXVII.

ARG. Psalmus hic quem inscriptio Davidis esse ostendit, doctrinam continet apprimè utilem. Nam quum fideles quamdiu peregrinantur in mundo, res videant mire confusas, nisi spe melioris exitus tristitiam suam solentur, subinde animos despondebunt. Quo quisque audacius Deum contemnit, seque prostituit ad omne scelus, eo videtur felicius agere. Nunc, dum prosperitas divini erga impios favoris videtur signum esse, quid inde colligere licebit nisi vel fortuito regi mundum, fortunamque dominari, vel, nullum Deo esse bonorum et malorum discrimen? Contra hos tentationum insultus nos Dei spiritus munit et confirmat in hoc Psalmo. Nam utcumque prospere habeant ad tempus impii, caducam et evanidam eorum felicitatem esse pronuntiat: ideoque miseros esse, et maledictam qua exsultant laetitiam: pios autem et sanctos Dei cultores etiam in summis aerumnis beatos esse, quia Deo curae sunt: qui tempestive demum illis succurrit. Hoc quidem paradoxon est, a quo abhorret carnis sensus. Nam quia boni prolixè esuriunt, diu sub multis incommodis languent, probria et iniuriis saturantur, dum suos triumphos agunt scelerati et improbi, suisque deliciis se oblectant: cui non obrepat opinio, Deum res humanas non curare? Quo utilior (ut nuper sum praefatus) est huius Psalmi doctrina, quae sensus nostros a praesenti intuitu averteat, iubet in Dei providentia tantisper quiescere, dum servis suis manum porrigat, et rationem severe ab impiis reposit, tanquam furibus et sacrilegis qui paternae suae beneficentiae foede abusi sunt.

Davidis. 1. *Ne succenseas ob malos, neque aemulatione tangaris ob facientes iniquitatem.* 2. *Quia sicut foenum velociter succidentur, et tanquam herba virens marcescent.* 3. *Spera in Iehova, et benefac: inhabita terram, et pascere fideliter*).* 4. *Et oblectare super Iehova, et dabit tibi petitiones cordis tui.* 5. *De-volve super Iehovam vias tuas**), et confide in eo, et ipse efficiet.* 6. *Et educet quasi lucem iustitiam tuam, et iudicia tua***) quasi meridiem.*

*) sois repeu fidelement, en marge: ou, iony des biens d'icelle en repos ferme et assuré.

**) roule sur le Seigneur tes voies, en marge: ou remets sur lny tes affaires.

***) tes iugemens, en marge: ou ton bon droit.

1. (*Ne succenseas.*) Hoc generale principium sumit David, non esse cur filios Dei torqueat, vel anxios habeat impiorum laeta conditio, in qua suaviter sibi placent, quia brevi evanescet. Contra quamvis ad tempus laborent fideles, talem esse eorum exitum ut merito sua sorte contenti esse debeant. Pendet autem hoc totum a Dei providentia: quia nisi persuasi simus, iusto eius imperio mundum gubernari, statim vacillabunt et tandem concident mentes nostrae. Porro duos vitiosos affectus cohibet David, qui tamen inter se plurimum sunt affines, e quorum alter alterum gignit: Ne succenseant in reprobis fideles: deinde, ne prava aemulatio eos sollicitet. Primum enim dum vident impiis bene esse, quia colligere promptum esset, Deo non esse curae res humanas, periculum est ne abiciant Dei timorem et alienentur a fide. Altera tentatio sequitur, quia eos titillat exemplum, ut scelerum societate se involvant. Haec germana est sententia. Nam quod alii *אל תתחורר* interpretantur, Ne te misceas, coactum est, ac refelli poterit ex contextu, nam certe versu octavo, ubi diserte furoris et iracundiae fit mentio, absurdum esset, verbum hoc quod subiicitur eodem sensu et in eundem finem alio trahere. Deinde optimum ordinem tenet David: quia ubi indignationem nobis movit impiorum prosperitas, mox lapsus ad aemulationem nimium proclivis est. Prius ergo cavendum admonet, ne mentes nostras irritet caduca vel potius imaginaria felicitas: deinde invidia nos ad peccandum concitet. Additur secundo versu ratio, quia si hodie florent instar herbae viridis, cras succisi exarescent. Non mirum est si haec similitudo frequenter occurrat in scripturis, quia valde appositae est. Videmus enim quam emarcidus sit herbarum vigor, qui vel unico venti flatu deiectus, vel solis aestu exustus, sponte concidit sine manu hominis. Atqui Dei iudicium instar falcis fore pronuntiat David ad eos excidendos, ut momento exareant.

3. (*Spera in Iehova.*) Iam ad secundum membrum descendit, fidelibus, quia sub Dei tutela sunt, bene et feliciter cessura esse omnia. Caeterum quia nihil melius vel optabilius est quam foveri Dei praesidio, ad locandam in eo fiduciam, et simul ad colendam probitatem hortatur. Nec vero temere a fidei doctrina incipit: quia nihil difficilius quam homines, dum circumaguntur in mundo, manere sedatis et compositis animis, nec ulla perturbatione quates fieri. Iam quia vident improbos ditescere malis artibus, crescere, et potentiam acquirere peccandi licentia: non minus difficile est in studio probitatis constanter stare. Adde quod non satis est negligere quae nimio ardore vulgo solent expeti. Nam ea praediti fuerunt animi altitudine quidam ex philosophis, ut opes contemnerent iniuste partas, a fraudibus et rapinis abstinerent: quin etiam severe

exagitarent vanum impiorum splendorem quem stulte vulgus miratur, sed fide vacui Deum fraudarunt suo honore: unde factum est ut eos lateret vera felicitas. Sicut autem a fide facit exordium ut Deum ostendat bonorum omnium esse autorem, nec sperandos esse prosperos successus nisi ab unica eius benedictione: ita notanda est probitatis eius coniunctio, quia recte et innoxie vivet, ac beneficentiae studebit quisquis Dei fidei se committet. (*Inhabita terram.*) Significantius loquitur quam si promitteret iustos tuto habitaturos in terra, nam perinde est ac si eos in rem praesentem adducens in possessione locaret. Caeterum his verbis diuturnum fore illorum statum pronuntiat: quia etsi hospites et inquilini sunt in mundo, Dominus tamen sua manu eos protegit, ut secure quiescant, quod rursus confirmat proxima particula, *Pascere fideliter*. Nam Dei custodia fretus, sine cura et anxietate quiescere ipsos iubet. Mirum est quod tam variis expositionibus hunc locum torqueant interpretes ac lacerent. Quidam Pascendi verbum active accipiunt: et aliis quidem fidem pascere tantundem valet, atque Alere in cordibus Dei promissiones. Aliis videtur David praecipere ut fide pascamus fratres nostros, purum Dei verbum, quo spiritualiter aluntur animae, illis ministrantes. Alii fidem accipiunt pro sinceritate, ut fidem pascere sit veraciter se gerere inter homines. Sed prorsus exigit loci circumstantia, quod etiam patitur hebraicae linguae proprietas, ut *רעה* passive sumatur. Huc etiam inclinatur maior pars interpretum, qui tamen postea inter se dissident. Quibusdam enim placet nos pasci fide, quum nobis Dei promissiones sufficiunt et quasi illis satiamur. Alii exponunt, *Pasce te* fructu fidei: quia Deus re ipsa ostendit, non frustra verbo suo habitam fuisse fidem. Alii resolvunt: *Cibus tuus sit veritas*, nec quidquam te magis oblectet quam simpliciter et ingenuè cum proximis versari. Affinis est alia expositio, quamquam nonnihil differt: Ne vivas ex raptu, sed legitimo victu contentus sis. Certe in re perspicua sic hallucinatos esse doctos homines turpe ac pudendum est. Nisi enim data opera quemque ad quaerendum novum commentum impelleret sua ambitio, statim occurreret germanus prophetae sensus: *Inhabita terram*, ut ea fruaris stabili quiete. *אמונה* enim non solum Hebraeis est veritas aut fides, sed etiam firma diuturnitas. Quis autem non videt, postquam iustis data erat terrae possessio, hoc posterius exegetice fuisse additum?

4. (*Et oblectare super Iehova.*) Haec oblectatio vanis et fallacibus mundi illecebris opponitur, quae profanos homines sic inebriant, ut sprete Dei benedictione non aliam somnient beatitudinem, quam quae ad momentum se ingerit eorum oculis. Atque haec antithesis inter erratica et vesana gaudia quibus se mundus decipit, et veram quietem, in qua

se continent fideles, diligenter notanda est: quia sive nobis arrideant omnia, sive nos Dominus infortuniis exerceat, semper retinendum est illud principium: Quia Deus portio nostra est, funiculum praeclare nobis cecidisse, sicuti Psal. 16, 5, vidimus. Quare huc sedulo revocandi sunt assidue animi, non aliter nobis bene esse nisi quatenus propitius est Deus, ut laetitia quam de paterno eius favore concipimus, omnes mundi voluptates superet. Praecepto additur promissio, si uno Deo ita contenti erimus, ipsum quidquid optaverimus, liberaliter daturum, non quod statim obtineant fideles quidquid inconsiderate illis in mentem venerit: sicut neque utile esset, Deum pravis cupiditatibus morem gerere: sed tantum hoc voluit David, si aliis post sua figmenta vagantibus, sistimus in solo Deo sensus nostros, alia suo ordine accessura.

5. (*Devolve super Iehovam.*) Clarius exprimit et confirmat proximam sententiam. Ut enim Deus votorum nos compotes faciat, curas nostras spe et patientia in eum conicere oportet. Itaque hinc discimus quomodo inter molestias, discrimina et perturbationum fluctus tranquillis animis simus futuri. Vias pro negotiis omnibus accipi non dubium est. Itaque vias suas in Deum devolvit qui actionum suarum eventum eius arbitrio resignans, et patienter exspectans utramque fortunam, curas quibus angitur, et quidquid oneris eum premit, in eius sinum exonerat: quod gallice dicimus, *lui remettre ses affaires*. Ideo rursus in eum sperare iubet, significans, sola spe iustum tribui Deo honorem, ut vitam nostram moderetur: atque ita communi morbo, quo fere omnes laborant, medetur. Unde enim fit ut reprobis invideant filii Dei, saepe aestuent aut vacillent, dolori intemperanter indulgeant, interdum etiam fremant ac tumultuentur, nisi quod se immodice curis implicant, et sibi nimis cupide absque Deo prospicere volentes, quasi in abyssum se demergunt? saltem coacervant sibi curarum molem, cui tandem succumbere coguntur. Huic vitio occurrens David, nos admonet, si volumus suscipere vitae nostrae regimen, consulere rebus nostris, ac si essemus tanto oneri ferendo, longe falli: ideoque unum esse remedium, ut coniectis in Dei providentiam oculis, inde anxietatum omnium solatium petamus. Quisquis huic consilio parebit, ex horribili quo se frustra omnes fatigant labyrintho emerget: quia ubi negotia nostra Deus regenda suscepit, nunquam deerit felix successus. Unde enim fit ut nos deserat ac frustretur, nisi quia ei viam praecludimus, nimium sapere nobis volentes? Quare si eum agere permittimus, fungetur ipse suo officio, neque spem nostram eludet, sicuti iuste incredulitatem nostram punit.

6. (*Educel quasi lumen.*) Occupatio est, qua dubitationes praevenit quae nos ut plurimum angunt,

dum nobis videmur Deum pure colendo, et cum proximis iuste agendo, operam ludere: imo dum nostra integritas vel improborum calumniis est exposita, vel nobis damnosa est apud homines, ideoque contemni a Deo creditur. David ergo Deum passurum negat ut semper in tenebris lateat nostra iustitia, sed vindicem eius fore, ut conspicua fulgeat, dum scilicet mercedem rependet qualem optamus. Porro ad noctem alludit, cuius tenebras aurora repente exoriens discutit: ac si diceret: Quoties indigne gravamur, et Deus sibi innocentiam nostram probari dissimulat, non esse cur nos magis conturbet ista vicissitudo, quam dum noctis tenebrae operiunt terram, quia diurnae lucis expectatio spem nostram sustinet.

7. *Sile Iehovae, et exspecta eum, ne succenseas in eo qui prospere dirigit viam suam, in viro perpetrante scelera **). 8. *Desine ab ira, relinque furorem, ne succenseas utique ad peccandum.* 9. *Quoniam improbi excidentur, exspectantes autem Iehovam haereditate possidebunt terram.* 10. *Adhuc paululum, et non erit impius: et attendes ad locum eius, nec invenies.* 11. *Mansueti vero haereditate possidebunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis **).*

7. (*Sile Iehovae, et exspecta eum.*) Prosequitur eandem doctrinam, nempe ut patienter et moderate feramus quicquid inquietare animos nostros solet. Nam inter tot certaminum agitationes patientia non vulgari opus est. Silentii vero metaphora (quae frequenter in scripturis occurrit) aptissime declarat fidei naturam, nam ut affectus nostri Deo obstrepunt, ita fides in placidum obsequium nos componens, tumultus omnes in cordibus nostris compescit. Hoc itaque verbo David nos tumultuari vetat, sicuti faciunt increduli, vel cum fremitu nos opponere eius imperio, sed quietis animis cedere ut opus suum in silentio peragat. Porro quia חלל Hebraeis nunc dolere, nunc expectare significat, quidam verbum חלל accipiunt hoc loco pro temperate dolere, vel ferre patienter dolorem. Simplicius etiam posset exponi pro dolere coram Deo, ut testis sit omniumstrarum molestiarum. Quia dum haerent increduli, magis obmurmurant contra ipsum, quam suas querimonias coram eo proponant: quia tamen diversus sensus magis receptus est, ego eum libenter amplector, quod scilicet David ad spem et tolerantiam nos hortetur. Nam Iesaias quoque cap. 30, 15, spem silentio coniungit eodem sensu. Postea repetit quod dixerat primo versu, Ne succenseas

*) l'homme qui fait meschanceté, en marge: ou qui vient à bout de ses entreprises.

**) s'asieoiront avec plaisir en l'abondance de paix. En marge: ou, y auront leurs plaisirs avec grande prospérité.

Calvini opera. Vol. XXXI.

in homine cui prospere succedit, vel qui vias suas perducit ad optabilem successum, et in viro sclerate se gerente, vel exsequente consilia: quod secundum melius quadrat contextui. Fateor quidem nomen חלל saepius accipi in malam partem pro fraudibus et captionibus noxiis: sed quum חלל interdum generaliter cogitare significet, sensum hunc admittit lingua hebraicae proprietas, ut Facere consilia tantundem valeat atque perficere quod quis statuit. Gallice dicimus, *venir à bout de ses entreprises*. Videmus autem haec duo connecti, vias suas ex animi voto disponere, vel secundare, et facere consilia. Durum enim hinc scandalum nobis obiicitur, ubi impiis arridet fortuna, ac si Deus impiorum sceleribus faveret: imo in nobis tunc accenditur indignatio. Itaque David brevi admonitione non contentus non prolixius in hac re insistit. Non enim superflua est verborum congeries quae proximo versu sequitur, ubi iracundiae fraenum iniicit, furorem sedat, et indignationem mitigat, sed plura remedia, ut necesse est, ad morbum difficile curatu adhibet. Atque hoc modo quam irritabiles simus et propensi ad concipiendas offensas, admonet, nisi strenue luctando turbulentos nostros affectus in obsequium cogamus. Quamvis autem non sine molestia et sudore carnis impetus subigant fideles, ubi eos ad impatientiam stimulat impiorum prosperitas, haec tamen repetitio in lucta perseverandum esse docet: quia si constanter perstemus, non irriti tandem erunt nostri conatus. Ultimam particulam secus interpretor quam reliqui: vertunt enim *saltem ad peccandum* ac si iuberet David iram mitigare, ne ad nocendum prosiliat. Sed quum חלל saepe affirmet apud Hebraeos, non dubito quin David potius doceat fieri aliter non posse, nisi statim ac celeriter offensionem nostrae occurrimus quin ad peccandum nos impellat: sicuti in alio Psalmo dicitur, Abrumpet Deus funes impiorum, ne iusti manus suas ad iniquitatem extendant, Ps. 125, 3.

9. (*Quoniam improbi excidentur.*) Non abs re idem saepius inculcat, laetam et secundam fortunam qua potiuntur impii, nihil esse aliud quam larvam aut spectrum: quia primus intuitus sensus nostros occupat, ne ad exitum attendant, unde iudicium fieri decet. Notanda autem est antithesis inter duo membra. Prius impios excisum iri pronuntians, significat virere et florere donec maturum adveniat excidii tempus. Deinde fidelibus terram haereditario iure assignans, intelligit sic victuros, ut Dei benedictio eos ad mortem usque prosequatur. Porro a fine (ut paulo ante docui) aestimanda est hominum conditio, Ex epitheto etiam quod filiis Dei adscribit, colligimus dura militia eos exerceri, ut probetur eorum fides. Non enim pios vel iustos nominat, sed exspectantes Iehovam. Quorsum autem ista expectatio, nisi sub crucis onere gement? Caeterum

terrae possessio quam filiis Dei promittit, non semper est oculis exposita, quia et peregrinos in ea vagari oportet, nec patitur Dominus sedem usquam figere: quin potius circumagit, ut alacrius ad coelestem quietem adspirent. Caro enim semper hic nidulari cupit, atqui nisi instabiles huc et illuc feramur, obrepit coeli ac aeternae haereditatis oblitio. In hac tamen inquietudine non eripitur ista terrae possessio cuius meminit David: quia et certo sciunt se legitimos esse mundi haeredes: unde fit ut tranquilla conscientia pane suo vescantur: et quamvis inopia laborent, Deus tamen ipsorum necessitatibus in tempore succurrit. Postremo quamvis e mundo eos exterminare conentur impii, et indignos reputent qui hauriant communem aërem, Deus tamen extenta manu eos protegit. Denique sic eos virtute sua sustinet, ut securius in exilio vivant, quam impii in suo nido cui affixi sunt. Ita hoc bonum, quod celebrat David, interius est ac occultum ex parte, quia non capit carnis nostrae stupor quid sit possidere terram. Et tamen vere ac luculento effectu sentiunt fideles, non frustra sibi illud promissum esse: quoniam iacta in Deum ancora vitam de die in diem placido transigunt. Et Deus re ipsa declarat umbram manus suae ad eos tuendos sufficere.

10. (*Et adhuc paululum.*) Confirmati oproximae sententiae: obicere enim promptum esset, longe alium mundi statum a nobis conspici, quam praedicet David, quia impii in suis deliciis exsultant, fideles vero assiduo languore misere tabescunt. Itaque a praecipiti iudicio nos revocans, ad exiguum tempus quiescere nos iubet, dum radicitus illos Dominus evellat: gratiae vero suae efficaciam erga eos declaret. Hanc ergo prudentiam a fidelibus requirit, ut iudicium suum paulisper suspendant, donec e coelo ostendat Deus adesse tempus plenitudinis: atque ita non subsistant in singulis momentis, sed mentem extendant ad Dei providentiam. Quod nunc pro expectantibus Iehovam *Mansuetos* ponit, optima ratione nititur. Nisi enim quis statuatur Deum mirabiliter suos tueri non secus atque oves inter lupos, vim vi repellere semper tentabit. Sola igitur spes mansuetudinem ex se parit, quia frenando carnis impetus, fervoremque placando, ad aequitatem et tolerantiam erudit qui se Deo subiiciunt. Atque hinc videtur sumpsisse Christus quod habetur Matth. cap. 5, vers. 5. *Etsi autem pacis* nomen generaliter apud Hebraeos sumitur pro omni prospero rerum successu, melius tamen huic loco conveniet alter sensus, quod dum impii turbas sibi movebunt, et Deus undique ipsos terroribus implicabit, fideles se multa pace oblectabunt: non quod expertes sint omnis molestiae, sed quia interior animi tranquillitas illos fulciet, ut momentaneum esse reputantes quidquid perturbationum sustinet, spe serenitatis promissae interea laetentur.

12. *Cogitat impius contra iustum, et fremit contra eum dentibus suis.* 13. *Dominus irridebit eum, quia videt quod veniat dies eius.* 14. *Gladium educunt impii, et arcum suum tendunt, ut prosternant pauperem et egenum, ut mactent rectos via.* 15. *Gladius eorum intrabit in cor ipsorum, et arcus ipsorum frangetur.*

12. (*Cogitat impius contra iustum.*) Praevenit quod obici poterat contra proximam sententiam. Ubi enim serena quies et laetitia, quum improbi insaniant, et nihil non moliantur contra Dei filios? deinde quomodo in posterum bonam spem fovebunt qui vident multis se mortibus circumdatos? Respondet igitur David, quamvis eorum vita petatur variis periculis, quidquid tamen machinentur impii, tutos esse Dei ope, et praesidio, ac in perpetuum fore salvos. Ita consilium Davidis est, timori nostro occurrere, ne impiorum malitia nos ultra modum terreat, ac si essemus eorum libidini expositi: fatetur autem eos tam fraudibus instructos esse ad nocendum, quam virulentia et rabie ardere, quum dicit eos consilia insidiose excudere et frendere dentibus. Sed hoc concesso, mox addit, irritos fore eorum conatus: quamquam frigide videtur nostris doloribus mederi. Tantum enim Deum ridentem inducit, quod si curae habet salutem nostram, cur non mature ad resistendum festinat, seque acriter opponit hostium nostrorum furori? Sed haec iusta patientiae nostrae probatio est, ut dictum fuit Psal. 2, 4, quod Deus non statim armatus prodit ad impios profligandos, sed connivet ad tempus, manumque suspendit. Quia autem sensus carnis tunc nimis lentum esse putat, et ex cessatione colliget, otio suo contentum negligere res humanas: non parum efficax ista consolatio est, eum ridentem fide intueri: quia inde statuimus non stare in coelo ignavum, vel clausis oculis mundi gubernationem fortunae permittere, sed consulto cessare, quia inanem eorum stultitiam despicit. Ac ne rursus obmurmuret caro, cur ridere malit Deus quam ulcisci, ratio additur, quia videt propinquum esse diem interitus. Unde enim fit ut rerum indignitas nos conturbet, nisi quia ubi subitum remedium non apparet, de meliore statu desperamus? Qui autem videt carnificem exserto gladio stare a tergo scelerati hominis, iam vindictam non expetit, sed laeto potius spectaculo fruitur. Ideo admonet David, minime consentaneum esse ut Deus nostro more succenseat, qui impios videt exitio propinquos esse. Tacite enim hic Deus ab hominibus discernitur, qui inter res turbulentas caecutiunt, neque prae anxietate et metu possunt ridere: quin potius morae taedio fremunt et indignantur. Atqui non satis est tenere aliam esse Dei rationem, nisi discamus patienter flere in Dei risu, ut lacrymae nostrae sint obedi-

tiae sacrificium. Interim rogandus est ut nos suo lumine illustret: quia sic fiet ut fidei nostrae adspectus eiusdem risus nos faciat participes in media tristitia. Quidam alio referunt duos istos versus, ac si diceret David, pios adeo feliciter agere, ut ipsis invideant mali. Sed facile iam agnoscent lectores id minime accedere at prophetae mentem.

14. (*Gladium educunt impii.*) Nunc longius progreditur David, quod scilicet impii gladio et arcu armati mortem filiis Dei minitentur: idque facit ut tentationes praeveniat, quibus alioqui nos deiici necesse foret. Neque enim Dei promissiones in umbra et quiete locum habent, sed in gravissimis pugnis. Ergo nunc docet, pace illa de qua paulo ante disseruit, minime privari iustos, quamvis praesentem illis mortem impii intentent, ac sic resolvi debet oratio: Quamvis gladium exserant peccatores, et arcum tendant in perniciem iustorum, quidquid tamen conantur, exitiale ipsis fore. Notandae autem sunt loquutiones quibus exprimitur misera iustorum conditio, donec ipsis tandem succurrat Deus. Vocantur enim egeni et pauperes: deinde comparantur victimis, quia nulla ad vim hostium repellendam suppetit facultas, sed potius sub eorum pedibus oppressi iacent. Unde sequitur, minime felicitatem eis in hoc Psalmo promitti cuius aequalis tenor semper appareat, sed in miseriis et afflictionibus spem illis laeti exitus proponi quo se sustineant. Caeterum quia malos quoque saepe contingit sua culpa exosos esse, et duriter vexari, addit, *rectos via*, praeter meritum affligi significans. Prius dixerat rectos corde: quo verbo laudata fuit interior cordis integritas: nunc vero probitatem in externis vitae officiis commendat: atque ita ostendit non modo iniuste affligi, quia nullis maleficiis hostes suos provocaverint: sed dum lacescuntur iniuriis, non deflectere tamen a rectitudine. Porro non iam de risu Dei loquitur David, sed vindictam impiis denuntiat, sicuti et Psalmo 2, 4 vidimus, postquam dissimulando aliquandiu passus est Deus impios protervire, deinde in ira sua loqui ad eos prosternendos. Summa autem est, adeo nihil profecturos, ut gladius quem strinxerant, rediturus sit in eorum viscera, et arcus conterendus.

16. *Melius paucillum iusto quam opulentia impiorum magnorum:*)* 17. *Quia brachia impiorum frangentur, sustentat autem iustos Iehova.* 18. *Novit Iehova dies integrorum, et haereditas eorum perpetua erit.* 19. *Non pudefient tempore adverso, et in diebus famis saturabuntur.*

16. (*Melius paucillum iusto.*) Versus hic sine ulla probabili causa varie exponitur. הַמֶּן quidem

*) que l'abondance de plusieurs meschans, en marge: ou aux grans qui sont meschans.

Hebraeis nunc magnam hominum turbam, nunc rerum abundantiam significat: interdum etiam epitheton numeri pluralis cum substantivo singularis numeri iungitur. Sed qui in hunc sensum trahunt verba Davidis, paucos iustos impiorum multitudini praestare, aperte ea depravant, ac totam sententiam corrumpunt. Non recipio etiam quod docent alii, exiguum quod possidet iustus, melius esse magna impiorum affluentia, nulla enim necessitas cogit contra grammaticae rationem nomen רַבִּים, quod multos vel magnos significat, torquere ad nomen הַמֶּן, Itaque non dubito quin David tenuem unus iusti hominis fortunam cum opibus et copiis multorum impiorum comparet. Quamquam epitheton רַבִּים non inepte sumetur pro magnatibus, qui auctoritate et potentia valent. Davidis certe consilium minime obscurum est: quamvis impii excellent in mundo, referti sint magna abundantia, et suis opibus confidunt: paucillum tamen quod possidet iustus pluris esse quam omnes illorum acervos. Atque hinc colligimus, Davidem non tam de externo statu disserere, quam de arcana benedictione Dei quae vere iustos locupletat: quia etsi in diem victitent, e coelo tamen non secus ac manna pascuntur: quum impii semper esuriant, vel in sua abundantia sepulti putrescant. Quo etiam spectat quae proximo versu additur ratio, quod scilicet nulla sit in mundo stabilitas nisi suffulta Dei manu, atqui pronuntiat solos iustos a Deo fulciri, impiorum vero robur frangendum esse. Atque hic iterum videmus ut rite et prudenter aestimetur vera felicitas, oculos in futurum tempus tollendos esse, imo dirigendos ad occultam Dei gratiam, et abscondita iudicia: quia nisi fide persuasi simus Deum nos in sinu paterno fovere, semper nobis molesta erit nostra tenuitas: rursus nisi occurrat nobis ista brachiorum fractio, impiorum fortuna nobis in pretio erit. Quod si penitus infixi erit cordibus haec doctrina, ubi didicerint fideles in fulturam benedictionis Dei recumbere, non minus suaviter et iucunde paucillo se oblectabunt, quam fortiter altos opum cumulos, quibus gloriantur impii, quasi ex alto despicient. Interea monemur, quamdiu propriis viribus nituntur, et suo robore insolenter se iactant impii, expectandum esse dum conterat Deus ipsorum brachia. Nostrae autem infirmitatis hoc optimum esse solatium, quod nos Deus ipse sustinet.

18. (*Novit Iehova dies integrorum.*) Non abs re toties inculcat David, ideo beatos esse iustos quia eorum necessitatibus Deus prospicit. Videmus quam propensa sint ad dubitationem hominum ingenia, et quam eos torqueant superfluae curae, quibus finem et modum ponere nequeunt. Interea obrepit alterum vitium, dum volunt ultra quam liceat esse providi: et tamen ut acumine et industria polleant, subinde

in capiendis consiliis labuntur, deinde successus eos non raro destituit. Quare nihil utilius est quam assidue nobis proponi Dei providentiam, quae sola optime nobis consulere potest. Hac ratione nunc dicit David dies iustorum Deo esse cognitos, hoc est eum minime latere quibus subiaceant periculis, et quibus subsidiis opus habeant. Huius autem doctrinae usus ad singulas mutationes aptandus est quae nobis ruinam minantur: utcumque enim versemur ac iactemur, atque ipsa varietas singulis momentis praesentem mortem ostendet, sufficere nobis debet haec consolatio, non solum dies nostros a Deo numeratos esse, sed varios etiam casus qui nobis subeundi sunt, ei esse cognitos. Quum sic invigilet Deus ad tuendam nostram salutem, in hac peregrinatione non secus animis quiescere nos convenit, quam in fundo haereditario. Quoniam enim a Deo respicimur, inde colligit David haereditatem nostram esse perpetuam. Quum autem integros sic dicit protegi a Domino, nos ad sincerum probitatis studium hortatur: ac si cupimus sub Dei praesidio tuti latere, mausuetudinem colamus, facessatque a nobis diabolicum illud proverbium, Inter lupos ululandum esse.

19. (*Non pudefient tempore adverso.*) Docet etiam hic versus non promitti immunitatem fidelibus, qualem expeteret caro, ab omnibus incommodis, sed liberationem: quae etsi re ipsa percipitur, non tamen gustatur nisi fide. Nam duo haec coniungere oportet, sicuti malis in hoc mundo permisti sunt fideles, ita famem et res adversas utrisque esse communes: unum esse discrimen, quod Deus suis in necessitate manum porrigens impios deserit. Si quis obiiciat, malos saepe tempore famis laute epulari, et largiter saginari, quum boni inedia laborent: respondeo, saturitatem cuius hic fit mentio, praecipue in eo sitam esse, quod quum tenuiter victitent fideles, imo ieiuni et steriles ad parvum victum suspirent, Deus tamen ipsos alit non secus ac si suppeteret longe uberius copia, quam incredulis qui totum mundum sine satietate ingurgitant. Adde etiam, temporales istas benedictiones (ut alibi diximus) non semper esse conspicuas, ut aequali modo fluant. Nam quamvis aperta sit Dei manus, ipsi sumus restricti, et nostra infidelitas non leve obstaculum est eius beneficentiae. Iam quia statim diffunderet caro nostra, restrictius nobiscum agit Deus: et ne sua indulgentia nos corrumpat, parce erogando quod alioqui plena copia largiri paratus esset, ad frugalitatem nos erudit. Certe quisquis expendit quam simus omnes ad lasciviam et delicias propensi, esuriem qua Deus exercet suos fideles, non mirabitur. Caeterum, quamvis non suppeditet Deus quantum satis esset ad nos saturandos, nisi tamen nobis obstat nostra ingratitude, in fame etiam et egestate sentiemus benigne et liberaliter ab ipso nos ali.

20. *Quia impii peribunt, et inimici Iehovae quasi pretiosum agnorum consumerunt **), in fumo consumerunt **). 21. *Mutuatur impius, et non solvit: iustus autem miseretur et donat.* 22. *Quia benedicti eius haereditate possidebunt terram, et maledicti eius excidentur.*

20. (*Quia impii peribunt.*) Particulam causalem יִּי adversative positam interpreto: nisi forte altius sententiam repetere placeat. Sed aptius cohaerent ista antitheta, quo iusti satientur in fame, impii autem etiam in media abundantia pereant: quia scilicet ubi sua copia confidunt, Deus occultis modis eos in nihilum redigit. Dei autem inimicos vocans, admonet eius vindicta iuste opprimi, quam suis sceleribus sibi accersunt. Quod dicit *consumi tanquam pretiosum agnorum*, quidam de adipe accipiunt. Sed quum יִּי praestantiam (ut alibi diximus) Hebraeis signifiret, non dubito agnos selectiores, et eximiae pinguedinis notari: quod optime ad antithesin quadrat. Hinc enim discimus (quod etiam docet alter propheta) saginari impios in diem mactationis, ut eorum interitus maturior sit, quo lautius fuerint tractati. *Consumi in fumo* tantundem valet ac brevi evanescere, ac si dictum esset, nihil subesse in illis firmi vel solidi. Qui per nomen Pretii adipem intelligunt, ad fumum consumi interpretantur sicuti pinguedo liquescit, vel arescit. Sed vident lectores priorem sensum melius congruere.

21. (*Mutuatur impius.*) Falluntur qui putant hic malae fidei damnari impios, quod fraudando alienum rapiant: rursus laudari in filiis Dei humanitatem, quod parati sint ad levandam fratrum inopiam. Potius enim Dei benedictionem erga pios commendat propheta, et ex opposito testatur, impiis nunquam satis esse. Summa igitur est, Deum abunde largiri suis unde sint erga alios beneficii: impios autem semper esse famelicos, ut eos ad fraudes et rapinas cogat inopia. Et certe nisi oculis nostris obiectum esset stuporis et socordiae velum, quotidie apparent huius rei documenta. Nam quantumvis abundent impii, facit tamen inexplebilis eorum cupiditas ut hinc inde quasi praedones rapiant, neque unquam sint solvendo. Interea suppeditat Deus filiis suis quod non modo sufficiat in mediocres usus, sed unde etiam alios invent. Equidem non nego reprehendi impios quod intemperanter omnia vorando suos creditores fraudent: laudari etiam iustos, quod in rectum finem utantur Dei beneficentia: sed consilium prophetae est docere quid valeat Dei benedictio. Atque hanc sententiam me-

*) comme le pris des agneaux, *en marge*: ou l'excellence ou les agneaux plus beaux et plus gras.

**) seront consumez en fumee, *en marge*: ou s'évanouiront en brief.

lius confirmat proximus versus, ubi discrimen statuitur in Dei benedictione vel maledictione. Ergo si quaeritur unde filiis Dei ad inopes iuvandos, et exercendam beneficentiam facultas: cur impii aes alienum assidue contrahant, cuius solutio extorqueri nunquam potest: respondet David illos esse benedictos a Domino, hos autem eius maledictione pessundari. Quod active quidam מְבַרְכִין exponunt Benedicentes iusto, coactum et absurdum est. Summa enim est, neque a coelo neque a terra nobis provenire quidquid ad tuendam vitam, et colenda humanitatis officia necessarium est, sed profluere a solo Dei favore: si autem gratiam suam subducatur, totius mundi affluentiam non posse nobis sufficere.

23. *A Iehova gressus viri diriguntur, et viam eius diligit.* 24. *Quum ceciderit, non collidetur: quia Iehova supponit manum suam.* 25. *Puer fui, etiam senui, nec vidi iustum derelictum, ac semen eius quaerens panem.* 26. *Quotidie miseretur, et dat mutuo, et semen eius ad benedictionem.*

23. (*A Iehova gressus.*) Quidam simul haec duo connectunt, Dei gratia praeparari gressus piorum, quod scilicet non propria virtute sequantur homines quod iustum est ac rectum, sed quatenus spiritus Domini eos gubernat: unde secundum colligunt, Deum favore prosequi et probare quod suum est. Sed David simpliciter divinae erga pios benedictionis elogia continuat, in quibus hoc merito celebrandum est, quidquid instituunt, in felicem et optabilem successum dirigi. Sed notanda simul ratio est cur Deus secundet ac bene fortunet omnes eventus in cursu vitae nostrae: nempe quia nihil tentamus quod non ei placeat. Nam copulam, particulae causalis loco in secundo membro positam esse interpretor, atque ita sententiam resolvo: Quoniam Deo grata est piorum via, gressus ipsorum ad laetum finem adducit: ut sensus sit, Quia videt Deus fideles recta conscientia agere, neque deflectere a via quam praescipit, ideo benedicit ipsorum studia. Et certe quum generaliter loquatur propheta, certum tamen sit de solis fidelibus haberi sermonem, posterius membrum expositive accipere necesse est: ita via pro instituto et ratione vivendi ponitur: ac si diceret, nihil aliud esse propositum piis, nisi ut ad Dei vocationem vitam suam forment, ac sequantur quod ille mandat. Gressus autem ad externos eventus refero.

24. (*Quum ceciderit.*) Vulgo hic versus obtinuit locum proverbii, si quando iustus delinquat, lapsus eius non esse mortiferos, sed nihil hoc ad Davidis mentem, qui de piorum felicitate concionatur. Simplex ergo doctrina est, ubi Deus servos suos calamitatibus affligit, eas simul mitigare, ut non prorsus succum-

bant, sicut Paulus dicit 2. Corinth. 4, 9 deiici quidem ipsos, sed non perire: laborare, sed non destitui. Quidam non collidi iustos dicunt, quia non despondent animum, sed potius invicta fortitudine sustinent quidquid oneris incumbit. Et certe fateor hanc esse causam cur non obruantur, quia propter molliem non succumbant oneribus. Latius tamen extendo verba, sic paterna Dei clementia temperari piorum aernnas, ut sub mole non fatiscant, vel cadendo non ruant praecipites. Ex quibus verbis discimus, fideles quamvis Deum pure colant, et innocentiae studeant, non tamen stabiles semper manere in eodem gradu, sed multis incommodis quateferi et deiici: tantum hoc inter eos et incredulos esse discrimen, quod ruinae letales non sunt. Scimus enim etiamsi leviter percutiat Deus reprobos, cedere illis in causam ultimi exitii. Ulterius progreditur Solomo dicens, Iustum septies uno die cadere, et toties surgere, Proverb. 24, 16: quibus verbis admonet, non raro affligi pios in vita, sed quotidianis exercitiis probari, neque tamen unquam deseri a Domino. Breviter etiam notandum est, levissimum quemque casum ad nos conterendos satis fore, nisi Dominus manum supponeret.

25. (*Puer fui, etiam senui.*) Sensus verborum minime ambiguus est, Davidem quum ad senium usque progressus esset, non vidisse quemquam ex iustis, vel ex eorum posteris mendicare panem, sed ex re ipsa difficilis et perplexa quaestio nascitur: quia certum est multos iustos ad mendicitatem redactos esse. Quod autem de sua experientia praedicat David, ad omnes aetates pertinet. Adde quod ex Mose sententiam hanc hausit, nam mendicitas Deut. 15, 4. inter Dei maledictiones censetur: et ab ea Dei cultores lex illic diserte eximit. Quomodo igitur conveniet, neminem ex iustis mendicium fuisse, quum Lazarum inter abiectissimos mendicos statuat Christus? Luc. 16, 20. Respondeo memoria tenendum esse quod prius attigi, in temporalibus Dei beneficiis non posse praefigi certum et aequabilem modum. Sunt enim multiplices causae cur non peraeque suum erga omnes pios favorem declaret Deus in mundo, quia alios castigat dum aliis parcit: quorundam occultos curat morbos, ab aliis abstinere, quia opus non habent simili remedio: quorundam patientiam examinat prout spiritu fortitudinis instruxit: quosdam denique proponit in exemplum. Promiscue autem omnes irae suae signis humiliat, ut talibus stimulis excitentur ad poenitentiam. Denique variis afflictionibus ad coelestis vitae meditationem eos invitat: neque tamen irritum est vel inane quod lex pronunciat, terrenis benedictionibus Deum servos suos dignari, ut documenta sint sui erga eos favoris. Fateor inquam non frustra neque de nihilo promitti fidelibus copiam quae ad victum sufficiat: modo addatur exceptio,

quatenus scilicet expedire Deus noverit: sic enim fiet ut refulgeat in communi hominum vita Dei benedictio: et tamen inopia quidam fideles laborent, quia ipsis utile est. Quodsi ad mendicitatem redigi contingat quempiam ex fidelibus, sursum tollendae sunt mentes ad beatam illam haereditatem, ubi large rependet Deus quidquid fluxis suis benedictionibus nunc deest. Tenendum etiam alterum illud, si fideles communiter iisdem poenis involvat, quibus impios ulciscitur, quum iisdem videat morbis implicatos, in eo nihil esse absurdi. Nam etsi usque ad Dei contemptum non prosiliunt, neque addicti sunt sceleribus, neque etiam sibi placent, vel defixi sunt in suis vitiis: non tamen soluti sunt omni reatu. Quare non mirum est si temporalibus poenis interdum subiaceant. Hoc interea verum est, Deum suis prospicere, ut sorte sua contenti nulla re egeant, quia parce victitando liberaliter interim vivunt: sicuti dicit Paulus Philipp. 4, 12: Didici abundare, didici et penuriam pati.

26. (*Quotidie miseretur.*) Repetit quod iam semel dixerat, Dei gratiam inexhaustum esse bonorum omnium fontem, ideoque dum se exserit erga fideles, non modo ipsis suppetere quod satis sit in privatum usum, sed unde alii largiantur. Quod addit de eorum *semine*, varie exponitur: quin de piorum filiis loquatur minime dubium est, idque colligitur ex versu proximo: sed quod illos *ad benedictionem* fore dicit, quidam sic accipiunt, ac si dixisset, fore beneficentiae Dei ministros: ita secundum eos sensus esset, patrum imitatores fore in iuvandis pauperibus, et liberalitate erga omnes exercenda: sed vereor ne hoc nimis sit argutum. Non recipio etiam quod docent alii, tam insignem fore erga filios piorum Dei gratiam, ut in formulam bonae et faustae precationis trahantur. Fateor hanc loquendi formam pluribus locis ita accipi: sed hic (meo iudicio) nihil aliud voluit David quam celebrare continuam favoris Dei a patribus in filios seriem: ac si diceret, non exstingui Dei benedictionem ubi iustus quispiam moritur, sed pervenire usque ad eius filios. Et certe nulla est certior haereditas in quam nobis succedant filii, quam ubi illos nobiscum Deus paterno suo favore complexus benedictionis suae consortes facit.

27. *Recede a malo, et fac bonum: et inhabita in saeculum.* 28. *Quia Iehova amat iudicium, et non derelinquit mansuetos suos, in saeculum custodientur: et semen impiorum excidetur.* 29. *Iusti haereditate possidebunt terram, et habitabunt in saeculum super eam.*

27. (*Recede a malo.*) Concludit hoc versu David ut fruamur hac felicitate cuius meminit, abstinendum esse ab omni iniuria, colenda esse officia humani-

tatis, et beneficentiae dandam operam. Quanquam autem sententia haec minime congruit cum sensu carnis, certum tamen est, totum genus humanum non aliam ob causam tot incommodis ac molestiis involvi, nisi quia pro se quisque iniuriis, fraudibus, rapinis et maleficiis deditus, Dei benedictionem respuit. Se ergo ipsos homines impediunt, quo minus agant feliciter in mundo, et quisque laetus ac tranquillus quod suum est possideat. Non temere igitur David a superiori doctrina ad hanc exhortationem delabitur: quia si mansueti terram possident, ut quisque sibi bene esse optat, sic etiam debet ad probitatem et beneficentiam eniti. Notandum etiam est, haec duo non sine ratione ab eo coniungi, ut beneficentiae studeant fideles, et ab omni maleficio sibi temperent. Nam ut Psalmo 34. visum fuit, continget saepe aliquem non modo humaniter se gerere erga certos homines, sed plena etiam manu de suo largiri, sed interim aliunde rapere ac praedari unde suam liberalitatem ostendet. Ergo quisquis officia sua cupit Deo probari, sic bene mereri studeat de fratribus qui ope eius egebunt, ne uni succurrat cum alterius iactura, vel hunc illius molestitia exhilaret. Atque his duobus verbis breviter secundam legis tabulam complexus est David: primum ut manus suas ab omni noxa puras contineant fideles, ac nemini praebeant querimoniae materiam: deinde ne sibi vivant, ac privatis commodis sint addicti, sed quoad suppetet facultas, in commune prodesse cupiant. Diximus autem antehac, hanc Dei benedictionem quae *iustis* promittitur, non semper aequali modo perspicui, ut *terram inhabitent*: ac causam attulimus, quia vix ullum tantae integritatis exemplum reperiat Deus inter homines, quin sua culpa miseriae sibi procreent qui sunt inter alios perfectissimi: ideo nihil mirum si Dominus suam benedictionem subducat, saltem aliqua ex parte: deinde scimus ut luxurient affectus carnis, nisi Dominus fraenum iniiciat. Adde quod ad meditationem coelestis vitae nemo satis alacriter properat, nisi variis stimulis urgeatur. Hinc fit ut possessio terrae, quam David assignat filiis Dei, non semper sit pedum positio, quia multae inquietudines eos perturbant. Neque tamen fictitium est quod promittit: quamvis enim experientia communis nondum liquido demonstret filios Dei haeredes esse terrae, sentimus tamen pro mensura nostrae fidei quid valeat Dei benedictio, quae assidue instar fontis inexhausti scaturit. Certe plus quam caeci sunt qui non vident praemium hoc iam rependi iustis hominibus, quod Deus eos suo praesidio tuetur ac sustinet.

28. (*Quia Iehova amat.*) Notanda est haec confirmatio proximae sententiae, quia sumitur ex altiore principio, nempe, Deo placere iustitiam et rectitudinem. Quod videtur quidem esse mutilum, sed quia pro confesso sumit David, quod piorum omnium

cordibus infixum esse debet, mundum regi Dei providentia, optime ratiocinatur. Primo itaque tenendum est, Deo curae esse statum generis humani, nec agitari fortuito, sed consilio eius dirigi, ut rerum omnium eventus suo arbitrio moderetur, manuque gubernet. Addendum secundo quod hic commemorat David, placere Deo iustitiam. Inde sequitur, quisquis iuste et innoxie versatus fuerit inter homines, beatum fore, quia Deo propitio, tandem illis bene succedere necesse est. Sed meminerimus, promissionem de qua agitur, inde pendere, quod Deus piorum custodiam suscepit, non ut eos semper foveat in umbra et otio, sed ubi cruce exercuerit, tandem illis succurrat. Magnum enim his verbis pondus subest, quod *non relinquet Deus mansuetos suos*. Perperam ergo interpretantur hunc Psalmum, qui Dei gratiam, qua suos fideles in hac vita prosequitur, a spe et patientia avellunt, imo ne iudicium repente quis praecipitet, pias mentes suspendit propheta, donec iudicium suum post mortem impiorum erga eorum posteros demonstret. Perinde enim hoc valet ac si iterum assereret, quamvis non statim appareat Dei iudicium, impios et sceleratos nihilo meliore esse loco, quia iusta eos poena in filiis suis manet. Quod si erga illos Dei maledictio non statim vim suam exserit, mirum non est si favorem suum erga fideles occultum contineat.

29. (*Iusti haereditate possidebunt.*) Non est super-
vacua huius doctrinae repetitio, quam animis nostris inculpare admodum difficile est. Nam quum omnes felicitatem expetant, vix tamen centesimus quisque eam a Deo exspectat: quin potius, ut bene sibi consulant, quasi data opera certatim provocant Dei vindictam, dum alii fraudibus et periuriis se contaminant, alii ferunter ad rapinas, alii genus omne saevitiae exercent, alii caedibus quoque et beneficiis grassantur. Quomodo autem perpetua habitatio intelligi debeat, nuper et iam ante aliquoties admonui, nempe quia inter motus turbulentos Deus tamen eos suis alis protegit: et quum nihil sit sub luna stabile, quasi in tuto portu salvos praestat. Huc deinde accedit interior tranquillitas, quae centum vitis praecellit: atque ita merito pro incomparabili privilegio censetur.

30. *Os iusti loquetur sapientiam, et lingua eius proferet iudicium.* 31. *Lex Dei sui in corde eius: non nutabunt gressus eius.* 32. *Observat impius iustum, et quaerit interficere ipsum.* 33. *Iehova non relinquet ipsum in manu illius, nec damnabit eum quum iudicabitur.*

30. (*Os iusti loquetur sapientiam.*) Quia hypocritis solenne est, quidquid de iustis et rectis praedicat spiritus Dei, secure ad suum commodum ob-

tendere, definit David quam a filiis suis Deus exigit iustitiam, ac eam in tria capita distinguit, quod sermo eorum sincerus sit, quod *lex Dei* in eorum animis dominetur, quod vitam recte instituant. Primum membrum quidam aliter exponunt, quod scilicet iusti aliis ad bene vivendum duces sint ac magistri: itaque disserere de sapientia, et de iudicio loqui, tantundem illis valet ac pia doctrina formare alios et instituere in timore Dei. Quod tametsi non improbo, vereor tamen ne sit nimis restrictum. Sapientia enim et rectitudo tam profanis sermonibus et impuris, quibus Dei nomen impii delere conantur, quam versutiis et fraudibus, omneque genus insidiis, simulque minis ac terroribus opponitur. Sensus ergo est, iustos honorifice et reverenter Dei iustitiam extollere, ut se et alios in tota pietate erudiant: deinde tam in suis quam in aliorum negotiis, quod rectum est, sine fuco probare, nec sophistice colorem inducere malis causis: denique nunquam a vero deflectere. Additur *cordis integritas*: quae etsi ordine praecedit, non tamen absurdum est secundo loco eam poni: quia scriptura in virtutibus aut vitiis recitandis non tam curiose ordinem observat. Hinc porro ista cordis integritas, si lex Dei cordi insideat, quae sola et optimam vitae regulam praescribit, et fraenat pravos omnes affectus et libidines, et animos ad iustitiae studium format. Neque enim fieri potest ut quis constanter se addicat rectitudini, posthabito sui respectu, fratribus se impendat, renuntiet avaritiae, superbiam domet, et cum proprio ingenio bellum gerat, nisi timore Dei sit praeditus. Sequitur tertium membrum, quod ad externa officia refertur. Putant alii promissionem esse. Sed non dubito quin David iustitiae definitionem hucusque continuet. Sensus igitur est, quamvis multae peccandi occasiones filios Dei sollicitent, ac magna etiam hominum pars quantum in se est, pravitate sua eos a Dei timore abducat: quia tamen lex Dei occupat et regit eorum corda, non vacillare, sed fixo gradu stare in proposito, vel certe rectum cursum tenere.

32. (*Observat impius.*) Clarius modum exprimit possidendae terrae, quod scilicet Deus fideles suos undique hostibus obsessos tueatur. Unde iterum colligimus, antehac non fuisse illis promissum quietum statum, et ab omni molestia immunem: neque enim congruerent haec inter se, fideles in pacata haereditate vacare otio ac deliciis, et tamen quasi oves e faucibus luporum quotidie eripi. Interea continent hi duo versus raram consolationem, quod inter varias noxas, salvi tamen Dei auxilio evadent. Praemonet ergo David fideles, ubi hostes suos in excubiis sedere viderint, et captare omnes nocendi rationes, speculandam ex opposito esse quam pro suorum salute curam Deus gerit, et quas agit excubias, ut eos servet incolumes. Fatetur quidem

avid formidolosas per se esse insidias quibus apii non modo fortunas bonorum appetunt, sed itam, quia crudeliter in eorum exitium conspirant: ubet tamen nos infractis animis stare: quia Deus se vindicem fore promisit. Et notanda est circumstantia liberationis, quod eam scilicet eousque differat dum iam mors imminet. Proximo membro mone-mur etiam, quamvis sedulo boni sibi ab omni invidia caveant, contentur de omnibus bene mereri, fugiant omnes offensas et iurgia, fore tamen falsis accusationibus expositos. Neque enim pronuntiat David, plaudente toto mundo, eorum virtutes celebratum iri iustis laudibus: sed ubi in iudicium tracti fuerint, et calumniis fere oppressi, ut damnatis sint similes, contentos esse iubet Dei praesidio, qui tandem ab iniquis hominum iudiciis asseret eorum innocentiam. Si quis obiiciat multos ex filiis Dei postquam damnati fuerant, saeva et acerba morte fuisse multatos: respondeo, eorum tamen vindicem in coelis sedere. Nam quamvis ad crudelissimam mortem cum summa ignominia raptus fuerit Christus, ab illa tamen damnationis angustia sublatus est, (ut dicit Iesaias cap. 53, 8,) et sic Deus agit quotidie cum eius membris. Si quis rursus excipiat, Davidem hic non de futura vita, sed de praesenti piorum statu concionari, repetenda est quam prius attuli, solutio, terrenas scilicet Dei benedictiones restringi ad eius consilium: atque ita quatenus expedire novit, nunc suppressi vel in totum, vel ex parte, nunc conspicuas exstare, non autem fluere aequabili modo. Continget ergo sanctos martyres, ubi damnati fuerint, morti etiam addici quasi a Deo relictos: quia ne ipsis quidem quidquam melius vel magis optabile est, quam ut Dei gloriam morte sua illustrent. Neque tamen ipse idem qui impiis ad exercendam saevitiam fraenum laxat, assertor esse desinit iustitiae suorum, quia coram angelis et tota ecclesia sibi probari demonstrat, et se cognitorem fore ostendit: imo e tenebris in quibus demersi sunt, eos attollens, facit ut eorum cineres suavissimum odorem spirent. Denique ubi passus fuerit Dominus indignis probis ipsos obrui, feret ipse sententiam, qua iustam eorum causam ab iniustis calumniis asserat.

34. *Exspecta Iehovam, et custodi viam eius, et exallabit te, et haereditate possideas terram: dum excidentur impii, videbis.* 35. *Vidi impium robustum, et se extendentem instar lauri viridis:* 36. *Et transivit, et ecce non erat: et quaesivi locum eius, neque inventus est.*

34. (*Exspecta Iehovam.*) Iterum ad exhortationem redit David, ut fideles freti Dei promissionibus ac suffulti, nullis tentationibus se huc illuc per vias obliquas et perversas trahendos permittant, sed

maneant constantes in obsequio Dei. Primum itaque ad spem et patientiam eos hortatur, ac si iuberet in rebus confusis intentos esse ad Deum, et quiescere donec faciem suam, quam abscondit, denuo ostendat. Hinc nascitur istud alterum, ne defleant a via Domini: ubicunque enim vigeant spes et patientia, facile mentes fraenabunt ne ad quidquam illicitum prosiliant. Et certe quod quisque malis artibus sua commoda procurat, hanc reperimus esse causam, quia nemo in Deum recumbit: vel ubi mox fortuna non arridet, frustra integritatem coli putat. Porro discamus ex hoc loco, si multi etiam ex probis et simplicibus vitam misere in continuis laboribus trahunt, poenam hanc merito luere, quod vix centesimus quisque Deum patienter exspectat, rectumque cursum prosequitur: tantum abest ut certo statuatur proprium illius esse munus, non modo ex stercore suos erigere, sed eruere etiam ex sepulcris. Nec vero David *Exaltandi* verbo abire usus est, ut sciamus tunc demum fidelibus saepe a Deo manum porrigi, ubi calamitatum mole obruit videntur. Subiicit postea David perituros *impios* coram oculis piorum: quia nisi diversus esset exitus, optimos quosque facile ad peccandum alliceret conditio in qua ad tempus reprobi laetantur. Et sane eiusmodi spectaculis nos quotidie Deus oblectaret si ad cernenda eius iudicia oculati essemus. Et tamen quamvis totus mundus caecutiatur, non desinit Deus sceleribus hominum iustam mercedem rependere, nisi quod occultioribus modis illa puniens, fructum hunc quo nos privat stupor noster, a nobis subducit.

35. (*Vidi impium.*) Propria experientia confirmat quod nuper dixi, quamvis impios inebriet sua felicitas, et admirationi sit apud omnes, caducam tamen esse et evanidam, ideoque nihil aliud quam merum figmentum. Ac priore quidem versu hoc non esse novum vel insolens dicit, si impius prospera fortuna elatus, se longe lateque extendat, et terrorem etiam incutiat simplicibus. Postea addit, momento evanescere illam magnitudinem quae non sine admiratione spectata fuit. Quod ad verba pertinet, עריר tam fortis vel robustus, quam formidabilis exponi potest, quia verbum a quo deducitur, nunc terrere, nunc roborare significat. Participium מוצק quidam accipiunt pro viridi: sed potius tantundem valet ac se disco operiens vel extendens, sicut arbores procerae et patulae ramos diffundunt. Nec vero dubito quin ferociam eorum perstringat David, qui se intemperanter efferunt. *Transire* secundo versu positum est pro evanescere, atque ita admonet, paulisper sedendum esse, dum ex transitu appareat, nebulam duntaxat fuisse quidquid mundus in fortuna impiorum miratur.

37. *Observa integrum hominem, et considera rectum: quia finis huius hominis, pax.* 38. *Transgressores autem delebuntur simul, finis impiorum excidetur.* 39. *Salus vero iustorum a Iehova, fortitudo eorum in tempore afflictionis.* 40. *Et auxiliabitur illis Iehova, et eruet eos, eruet eos ab impiis: servabit eos, quia sperant in eo.*

37. (*Observa integrum.*) Hortatur David fideles, ut attentius quaecunque occurrunt tam gratiae Dei quam iudicii exempla considerent, sed simul docet, perperam fieri iudicium ex proximo intuitu: quia nisi sedatis mentibus exspectetur opportunitas quae in Dei arbitrio posita est, saepe extincta fide, simul affectus promissionum Dei peribit. Haec ratio est cur requirat custodiam, et adspicere iubeat, quia dum sensus nostros occupat quae semel oblata est oculis tentatio, nobis festinatio hallucinandi causa est. Quod si quis velut e specula oculos suos procul extendat, vere hoc dictum fuisse agnoscet, fine tandem discerni reprobos a iustis. Atque haec sententia correctionis loco addita videtur, ut discamus iudicium suspendere, si non statim exsequitur Deus quod hactenus docuit: etsi vota nostra nimis ebulliunt, statim occurrat haec moderatio, nondum venisse finem, dandumque Deo esse tempus quo res confusas in ordinem restituat. Quidam nomen אַחֲרֵי־כֵן de posteris accipiunt: sed male, quia tantum in exitu discrimen ponit David: quia Deus postquam servos suos duriter exercuit, rebus eorum adversis benedicens, impiorum laetitiam in luctum convertit.

39. (*Salus iustorum a Iehova.*) Summa est, quidquid accidat, iustos tamen salvos fore, quia in manu Dei sunt, et nunquam potest eorum oblivisci, quod diligenter notandum est, ut afflictissimos haec fiducia sustentet, quam a Deo sperant salutem, certam esse: quia aeternus est Deus, suoque imperio mundum gubernat: sicut dicebat Christus Ioan. 10, 29: Pater qui vos dedit mihi, maior omnibus est. Retinet autem David principium illud, Quia Deo probatur iustitia, fieri non posse ut sinceros eius cultores deserat fraudetque suo auxilio. Itaque fideles in ipsum recumbere iubet, non solum dum ex voto res procedunt, sed ubi premunt afflictiones. Quibus verbis docet, sufficere si modo virtutem suppeditat servis suis Deus, ne angustiis constricti deficient, vel sub gravibus miseriis gementes, oneri succumbant. Huc pertinet etiam quod bis *Eruendi* verbum inculcat David, ut se ad tentationes ferendas assuefaciant filii Dei: et si longius eos Deus extrahat, subinde in memoriam revocent, ubi satis expertus fuerit eorum patientiam, demum liberatorem fore.

PSALMUS XXXVIII.

ARG. David morbo aliquo (ut conicere licet) gravi et acerbissimo laborans, quia se a Domino castigari agnoscit, eius iram deprecatur. Quo autem Deum ad misericordiam melius flectat, multis circumstantiis mali sui atrocitatem deploret, quas satius erit suo loco et ordine singulas notare.

1. *Canticum Davidis ad reminiscendum.* 2. *Iehova, ne in furore tuo arguas me, et in ira tua corripas me.* 3. *Quia sagittae tuae descenderunt in me, descendit super me manus tua.* 4. *Non est integritas in carne mea a facie irae tuae, neque pax *) ossibus meis a facie peccati mei.* 5. *Quia iniquitates meae transcederunt caput meum, sicut onus grave aggravatae sunt prae me.* 6. *Putraverunt, contabuerunt livores mei a facie stultitiae meae.*

1. Inscriptio ad argumentum refertur. Nam quod initium vulgaris cantici quidam fuisse putant, sicuti in aliis Psalmis adscribi solet cantilenae exordium unde petenda erat modulatio: frigidum est. Potius ergo David ne statim efflueret castigatio qua defunctus erat, memoriale hoc tam sibi quam aliis composuit, sciebat enim quam facile et cito nobis evanescant poenae divinitus inflictas, quibus in totam vitam nos erudiri decebat: deinde memor erat suae vocationis. Nam quum totae ecclesiae praefectus esset magister et doctor, quidquid in schola Dei privatim didicerat, in communem usum aptare debuit, ut omnibus prodesset. Atque ita monemur, utile esse exercitii genus, memoria saepe repetere quas ob peccata nostra Deus poenas exegit.

2. (*Iehova, ne in furore.*) Quia sextus quoque Psalmus ab hoc versu incipit, ubi eum exposui: ne frustra lectores onerem, nunc ero brevior. Non simpliciter poenam sibi remitti postulat David, sed tantum ut rigorem irae suae moderetur, unde colligimus Davidem carnis suae votis fraena non laxasse, sed precatum esse ex affectu pietatis recte composito. Naturaliter enim optarent omnes sibi dari impune peccandi licentiam. Atqui David se ipsum cohibet, nec Dei indulgentiam sine modo extendit, sed contentus est poenae mitigatione, ac si diceret: Ego me tibi permitto castigandum: sed vide interea ne me durius tractes quam sim ferendo, ac iudicium tuum ad infirmitatis meae modum attemperes, ne mali gravitas me prorsus obruat. Haec (ut dixi) precatio ad pietatis normam composita fuit: quia nihil aliud continet quam quod Deus omnibus suis filiis promittit. Iam vero notandum est, Davidem non intus secum fremere, sed querimoniam suam proferre coram Deo: neque obstrependi causa,

*) *paix, en marge: ou repos.*

sed suppliciter cum ingenua confessione, deinde cum veniae fiducia. *Iram et furorem* pro summo rigore posuit David, et paternae castigationi opposuit.

3. (*Quia sagittae tuae.*) Ostendit summa necessitate se cogi ad petendam malis suis levationem, nempe quod oneris magnitudini succumbat. Haec semper in precibus tenenda est regula, ut Dei promissiones nobis versentur ante oculos. Promisit autem Deus se poenas de suis, non quas meriti sunt, sed quas ferre possunt, sumpturum. Haec ratio est cur toties sancti suam infirmitatem commemorent, dum nimis graviter premuntur. Prudenter autem David sagittas Dei, et *manum* vel plagam nominat quem patitur morbum: quia nisi persuasus esset, divinitus se affligi, ad potendum inde vulneris remedium nunquam animum induxisset. Videmus ut caecutiant fere omnes in Dei iudiciis, ac fortuitos esse casus somniant: vix autem centesimus quisque manum Dei respiciat. Atqui David in morbo, sicut in aliis rebus adversis, manum Dei suis oculis proponit ad puniendam peccata armatam. Et sane quisquis in mali sui sensu subsistit, nihil a pecudibus differt. Sed quum nos de iudicio admoneant omnia eius flagella, haec vera fidelium prudentia est, manum percutientis respicere, ut propheta Ies. 9, 13. loquitur. Itaque pronomen emphaticum est, ac si dixisset non esse sibi cum homine mortali negotium, cuius manus sagittas pro virtutis suae modo vibraret, sed Deum longe alio impetu iaculari sua tela.

4. (*Non est integritas.*) Quod alii formam vertunt, non videtur tam aptum esse. Iam vero sequitur alterum membrum in quo iustitiae laudem Deo tribuit David, sine quo prior notitia nihil aut minimum prodesset: imo interdum animos hominum exasperat, ut iram Dei magis provocent, dum eum insimulant crudelitatis, et execrandas blasphemias in eum evomunt. Quare nihil magis praeposterum quam imaginari nudam et absolutam (ut loquuntur) Dei potentiam, quae eum iustitia sua spoliaret. Ideo David simul ac Deum sibi infensum concepit, convertitur ad sua peccata, quia iam ante statuit non esse tyrannum qui iniuste saeviat, sed aequum iudicem qui nunquam irascitur nisi offensus. Ergo si velimus iustam Deo laudem tribuere, discamus exemplo Davidis, irae eius coniungere nostra peccata. Proximo versu conqueritur, sub ingenti mole ita se esse demersum, ut prorsus deficiat: iterum tamen confirmat superiorem doctrinam, quod Deum merito ita severum et formidabilem sentiat. Etsi enim nomen *יְי* pro poena saepe sumitur, scimus tamen id esse translaticium. Neque etiam nego quin David ad effectum transferat quod causae proprium est, dum *iniquitates* vocat quas sua culpa poenas contraxit: diserte tamen simul fateri vult

impntandum esse suis peccatis quidquid malorum sustinet. Neque enim exemplo Cain cum Deo expostulat de immodica poenae atrocitate: dicebat ille: Maior est poena mea quam ut sim ferendo: et quidem eadem voce *יְי* illic utitur Moses Genes. 4, 13, ut in verbis Davidis et Cain sit aliquid simile. Sed Davidis consilium longe diversum fuit, nam quum obreperent eius animo tentationes istae: Quam duriter te Deus tractat? certe quum nullam habeat tui levandi rationem, vult te perditum et extinctum: non modo spernit tuos gemitus, sed quo magis deiectum videt, violentius persequitur: ut impiis istis figmentis aditum praecluderet, clypeum hunc opposuit, iusto Dei iudicio se affligi. Nam et nuper adscripsit peccatis suis totam irae Dei gravitatem: et paulo post repetet, quidquid patitur, sua amentia fuisse conflatum. Quamvis ergo sua mala deplorans, videri possit in speciem cum Deo litigare, hanc tamen modestiam retinet (quia Deus puniendo modum non excedit) nihil praeter deprecationem sibi restare: quum impii quantumvis male sibi concessi sint, Deo tamen obmurmurent, non secus ac ferae indomitae catenas quibus constringuntur, dentibus mordent.

6. (*Putruerunt.*) Mali diuturnitatem hoc versu commemorat, quod levationi impetrandae valere debuit. Nam quum Dominus apud Iesaiam 40, 2. pronuntiat, impletam fuisse ecclesiae malitiam, et se pro peccatis duplicia ei rependisse: significat, ubi satis exegit poenarum, se mature placari: imo si longius prosequutus fuerit suam vindictam, pro sua clementia quasi taedio affici, ut liberationem acceleret, sicut alibi dicit: Examinaui te, sed non instar argenti, ne te consumerem, Ies. 48, 10. Huc ergo spectat quod de mali duratione conqueritur David, ut iustis poenis perfunctus, tandem levationem obtineat. Fuit autem haec non levis tentatio servo Dei, continuo languore confectum quasi in malis suis putrescere et in saniem liquefieri. In quo magis miranda est eius constantia, quae non magis fracta fuit morae longitudine, quam immenso malorum oneri succubuit. Quod porro *stultitiam* nostram loco peccati ponit, ad extenuandam culpam minime pertinet: sicut hypocritae dum effugere reatum nequeunt, ut tamen excusent dimidia ex parte, fucum ignorantiae obtendunt, vel errore et incogitantia se lapsos esse tergiversantur: sed secundum hebraicae linguae phrasin per stultitiae nomen se desipuisse fatetur, quod carnis libidini obsequutus fuerit adversus Deum. Et certe passim quantumvis atrocia scelera spiritus designans, non sublevat reatum hominum, ac si levibus tantum delictis obstricti essent, quin potius vesani eos furoris accusat, quod pravis desideriis excaecati contra opificem suum ruant. Itaque semper cum stultitia vel amentia coniunctum est peccatum. Et hoc

fieri aliter potest quin simul atque incidimus in aliquod discrimen, caro nostra varios circuitus nobis ingerat, et ad captanda consilia distrahat in multos errores: hic firmissimus quisque labasceret, nisi sibi fraenum iniiceret, quo retentus ac cohibitus fuit David, nempe sensus omnes suos verbi Dei cancellis inclusos tenens. Imo in precibus quietis plus satis experimur, quam erraticae sint mentes nostrae, quas difficile est eodem tenore intentas ad finem usque dirigere. Si hoc extra serium examen contingit, quid fiet in gravibus tempestatum procellis, quae mille mortes ostentant, nullum exitum? Quare mirum non est si cor Davidis abripuerint, ut inter aestus turbulentos variis agitationibus obnoxium fuerit. Addit se virtute fuisse privatum, proinde ac si homini mortuo se conferret. Quod addit de *lumine oculorum*, quidam ita accipiunt, nihil fuisse residuum consilii vel providentiae, adeo undique urgebat desperatio. Simplicior tamen sensus erit, ablatum ei fuisse vitale lumen quia illic praecipuus se exserit animae vigor.

12. *Amici mei et socii mei e regione plagae meae steterunt, et propinqui mei e longinquo steterunt.* 13. *Et laqueos tetenderunt qui quaerebant animam meam: et qui captabant malum meum, loquuti sunt pravitates, et dolos quotidie meditantur.* 14. *Ego autem tanquam surdus non audio, et quasi mutus non aperiens os suum.* 15. *Et fui tanquam vir non audiens, et in cuius ore non sunt redargutiones.*

12. (*Amici mei et socii.*) Alias circumstantias ad augendam mali gravitatem addit, quibus Deum ad misericordiam provocat. Una est, quod apud homines nihil opis vel solatii reperiat. Nam *amicos e regione stare* dicens, intelligit cessare ab omni humanitatis officio. Id autem accidere potuit vel superbia, vel timore. Si contemptu se ab homine misero subdlexerunt, crudeles erant ac superbi: si invidiae metu operam negarunt, timiditas fuit minime excusabilis. Sed interim Davidis calamitatem non parum exaggerat, quod ne amici quidem et propinqui signum aliquod miserationis ostendere ausi sunt. Est autem ista acerbissima tentatio, ubi quis magna amicorum copia floruit, deinde ab omnibus deseritur. Sequitur altera circumstantia, quod hostes tendiculas posuerint, loquuti sint in eius perniciem, et dolos inter se machinati sint. Summa est, Quum amici ignavi sedeant, hostes strenue satagere, et acriter incumbere ad ipsum perdendum. *Quaerere animam suam* dicit, quia ut capitales erant hostes ac sanguinari, mediocri damno non contenti, eius interitum fervide expetebant. Interim tamen non tam queritur vi et armis fuisse grassatos, quam dolosas eorum conspirationes accusat, quas metaphorice primo designat per *laqueos*: deinde sine figura addit,

eos in perniciem suam loqui, et quasi occultis susurris inter se consulere quomodo noceant. Iam certum est Davidem non petere fucatam rhetoricam ex foro qua Deum sibi conciliet, sed potius argumenta ex Dei verbo sumere: in usum nostrum aptandae sunt quas hic ad fidei suae confirmationem sententias colligit. Si nos deficiunt omnia mundi praesidia, alii nos fraudant iustis officiis, alii nihil quam caedem nostram spirant: veniat nobis in mentem, non frustra haec inter precandum Deo proponi, cuius proprium est succurrere miseris, perfide desertos ac proditos in suam tutelam suscipere, compescere improbos, nec modo resistere eorum violentiae, sed astutis etiam consiliis ire obviam, fraudesque eludere.

14. (*Ego autem tanquam.*) Duas ob causas muto et surdo se comparat. Nam primo significat falsis et perversis iudiciis ita se obrutum, ut ne verbum quidem iustae defensionis causa facere liceat. Deinde patientiam suam in medium profert coram Deo, quo magis eum ad misericordiam inclinet. Talis enim mansuetudo non tantum calamitosis et innoxiiis hominibus favorem merito conciliat, sed verae quoque pietatis signum est. Nam qui pendet e mundo, et tantum hominum respectu aguntur, si iniurias suas ulcisci non poterunt, vociferando, quanta intemperie ferveat ipsorum animus, ostendunt. Ergo ut quis placide et sine tumultu petulantiam hostium, iniustos impetus, calumnias et fraudes perferat, eum necesse est in Deum recumbere. Caeterum quisquis ita statuet, Deum esse suum vindicem, spem suam in silentio fovebit, eiusque opem implorans, compescet suos affectus. Ideo Paulus Rom. 12, 19, concinne dicit tunc dari locum irae, ubi coram mundo oppressi acquiescimus tamen in Deo: sicuti rursum quisquis fraenum laxat suis passionibus, praeripit quoad potest Deo vindictam, nec eius auxilio aditum concedit. Certum quidem est Davidem, si data esset audientia, paratum ad suam innocentiam tuendam fuisse: sed quum nihil proficeret, imo quum videret excludi se ac prohiberi omni patrocinio, se in tolerantia continuit, coelestem iudicem exspectans. Ergo se perinde tacuisse dicit ac si iam convictus obmutesceret. Est autem perquam difficile, ubi recte nobis sumus consocii, patienter et clauso ore ferre iniustam damnationem, ac si nos deficerent omnes rationes, et nulla residua esset excusatio.

16. *Quia ad te Iehova exspecto, tu respondebis Domine Deus mi:* 17. *Quia dixi: Ne forte laetentur de me, in lapsu pedis mei adversum me se extulerunt.* 18. *Certe ego ad claudicationem paratus sum, et dolor meus coram me est semper.* 19. *Certe iniquitatem meam annuntio, expavesco a peccato meo.* 20. *Inimici autem mei roborantur, et magnificantur*

rependunt mali et perversi homines, sed ubi succurrit haec consolatio, hac ingratitude non minus Deum offendi, quam eos qui iniuriam sustinent: non est quod ultra modum turbentur. Ergo ad leniendum dolorem semper valeat haec doctrina: Quoties iniuriis nos afficiunt improbi quibus studuimus benefacere, Deum fore certum iudicem. Summus gradus desperatae malitiae adiungitur, quod exosum habuerint integritatis studium in Davide. Nimis enim praeposteros esse oportet, pravoque et contorto ingenio, quibus ita rectitudo displicet, ut data opera cum eius cultoribus bellum suscipiant. Est quidem ista gravis tentatio: quo sincerius ad Deum colendum pii incumbunt, eo sibi plures molestias accersere: sed abunde illis sufficere debet haec consolatio, quod non modo eos subleuat bona conscientia, sed Dei misericordiam erga se hac maxime de causa propensam esse norunt: qua fiducia freti in Dei conspectum prodire audent: et quia communis est ei causa, ut eius patrocinium suscipiat familiariter rogare. Certe David regulam suo exemplo cunctis fidelibus praescripsit, ut omnia mundi odia potius provocent, quam ut minimum declinent ab officio: neque hostes habere refugiant quos vident bono et omni iustitiae adversari.

22. *Ne derelinquas me Iehova Deus mi, nec procul absis a me.* 23. *Festina ad auxilium meum Domine, salus mea* *).

In hac clausula votorum suorum caput, et totius precationis summam breviter perstringit, ut scilicet ipsum ab hominibus desertum, et misere omnibus modis afflictum Deus excipiat et erigat. Tribus autem loquendi formis utitur: ne ipsum deserat vel eius curam abiiciat Deus: ne remotus sit: sed opem suam acceleret. Persuasus quidem erat David, Deum semper propinquum esse servis suis, nec momento uno longius tardare quam oportet: sed quemadmodum alibi vidimus, nihil mirum si sancti, dum curas suas et moerores exonerant in gremium Dei, vota concipiant ex carnis suae sensu. Neque enim vel infirmitatem suam fateri pudet: vel quae obrepunt dubitationes tegere expedit. Interea quamvis mora Davidi secundum carnem molesta esset, uno tamen verbo clare demonstrat se non dubitanter precari quum Deum appellat salutem suam, vel salutis praesidem. Nam quod alii *ad salutem* vertunt, coactum est: potius enim David machinis omnibus quibus impetitam fuisse eius fidem vidimus, murum hunc opponit, indubiam sibi nihilominus in Deo salutem esse.

*) Seigneur, mon salut, *en marge*: ou de mon salut.

PSALMUS XXXIX.

ARG. Refert initio David quanta doloris amarulentia ad querelas nimia intemperie ferventes impulsus fuerit. Fatur enim quum ad tolerantiam et silentium se parasset, moeroris tamen vehementia prorupisse quo minime volebat. Deinde expostulationes precibus mistas recitat, quae summam animi perturbationem ostendunt: ut satis appareat, non vulgari conatu cum desperatione luctatum esse.

1. *Praefecto Ieduthun Canticum Davidis.* 2. *Dixi, Custodiam vias meas: ne peccem in lingua mea, custodiam ad os meum capistrum dum stat impius coram me.* 3. *Obmutui silentio, tacui a bono, et dolor meus turbatus est.* 4. *Incaluit cor meum intra me, in meditatione mea exarsit ignis, loquutus sum lingua.*

Satis notum est Ieduthun unum fuisse ex cantoribus quos sacra historia celebrat. Ideo mihi probabile est Psalmum hunc datum praefecto cantorum qui erat ex eius familia. Nam quod ad modulationem quidam referunt, et initium fuisse putant alterius cantici, coactum est. Nihilo magis recipio quod alii Davidem hic de morbo aliquo conqueri divinant: quia nisi urgeat ratio, generales sententias ad unam speciem restringere absurdum est, imo ex tam diro cruciatu quem describit, conicere licet, vel multas afflictiones comprehendere, vel certe unam ex omnibus gravissimam, et quae in longum tempus protracta fuerit. Tenendum vero est, Davidem hoc Psalmo non praedicare virtutem suam, quod vota ad pietatis regulam composita coram Deo conceperit: sed potius infirmitatis suae vitium fateri, quod efferverit immodico dolore, et impetu raptus fuerit ad expostulandum.

2. (*Dixi, Custodiam.*) Hac circumstantia amplificat David doloris atrocitatem, quod praeter animi sui propositum in acerbissimas querelas proruperit. Summa enim est: Quum animo ad patientiam composito silentium sibi imperasset, vi tamen doloris hoc consilium excussum fuisse, et voces extortas, ex quibus pateret, nimis intemperanter eum dolere. Dicendi verbo, notum est, saepe non externum sermonem, sed quid animo quisque conceperit notari: ideoque interdum additur In corde. Intelligit ergo David se non ostentasse fortitudinem in hominum oculis, sed coram Deo fuisse longa meditatione probe munitum ad mala perferenda. Atque haec sedulitas notanda est. Neque enim ad cavendum frustra tantopere intentus fuit: sed quia suae fragilitatis conscius erat, deinde sciebat quam multiplices insidias struere soleat Satan: circumspexit huc et illuc, et custodiam in omnes partes apposuit, ne a dextra vel sinistra furtim obrepens tentatio, in animum penetraret.

Ergo clausi undique erant aditus, nisi ingenti doloris acerbitate violenter perrupta et aversa fuisset eius constantia. Iam quod se *capistro os clausisse* dicit *ne loquendo peccaret*, non ita intelligere convenit quasi satis habuerit intus premere et vorare quidquid eum angebat: (nihil enim quam fucum faciunt qui vultu et sermone speciem mansuetudinis praebeant, quum intus contumacia turgeant) sed quia lingua nihil est magis lubricum, testatur David se tanto studio incubuisse ad fraenandos affectus, ut ne verbum quidem ex ore efflueret quo proderet aliquam impatientiam. Et certe rara fortitudine praeditum esse oportet quisquis vere et sincera deliberatione linguam suam continet, cuius tam proclivis est lapsus. Particulam quae sequitur, *dum stat impius coram me*, sic fere omnes accipiunt ac si moerorem suum texisset David, ne blasphemandi occasionem daret improbis, qui simul ac filios Dei vident malis succumbere, petulanter insultant non sine ipsius ludibrio. Sed plus quiddam exprimere videtur *standi* verbo: nempe quod impios rerum potiri videns, hanc indignitatem (quae aliqui non parum bonos urit et cruciat) tacitus perferre decreverit. Non simpliciter ergo dicit se improborum conspectu fuisse retentum, ne illis ridendum se propinaret: sed quum florerent pessimi homines, et superiores gradu alios despicerent, sibi fixum fuisse in animo placide quiescere. Certe clare ostendit se fuisse obsessum sceleratis hominibus, ut liberum gemitum edere non posset quin cederet in risum et fabulam. Iam quum Davidi tam difficile fuerit linguam suam compescere, ne obmurmurando peccaret, discamus eius exemplo, quoties nos angunt molestiae, ad moderandos nostros affectus acriter eniti, ne qua impia adversus Deum obtrectatio nobis excoadat.

3. (*Obmutui silentio*.) Iam ostendit non evanidum fuisse illud consilium cuius meminit, sed re ipsa testatum fecisse quam penitus cordi infixum esset. Dicit ergo se instar muti ad tempus tacuisse: quod insigne patientiae documentum fuit. Itaque non ut solent leves homines, tacere proposuit, ut effectum careret voluntas, sed diu et constanter se ad patientiam exercuit: neque id silendo tantum, sed prorsus obmutescendo, ac si elinguis foret. Particulam *a bono* sic exponunt quidam, quod non modo nullam protulerit impiam vel temerariam vocem, sed in totum a loquendo abstinuerit. Alii putant siluisse a bono, quia miseris obrutus nihil usquam solatii invenerit, vel eum dolor prohibuerit a canendis Dei laudibus. Sed genuinus, meo iudicio, sensus est: Quamvis suppeteret iusta defensio, vel non deessent honesti expostulandi praetextus, ultro tamen cessasse. Quamvis ergo adversus improbos opponere liceret iustum innocentiae suae patrociniū, causam tamen suam deserere maluit,

quam sibi ad aliquam doloris intemperiem fraenum laxare. Postea subiicit, ubi se aliquamdiu ita constrinxit, tandem violentia doloris perrupta fuisse claustra quae linguae suae opposuerat. Quod si David tam strenuus athleta in medio cursu certaminis defecit, quanto magis similem lapsum metuere nobis necesse est? *Turbatum vero dolorem suum* fuisse dicit: quia magis accensus fuerit eius ardor ad tumultuandum, ut statim videbimus. Quidam corruptum vertunt, ac si factus esset deterior, sicuti vulnus putredine vel tabe ingravescit. Sed hoc coactum est.

4. (*Incaluit cor meum*.) Nunc similitudine amplificat doloris magnitudinem, quod dolor occulte suppressus, plus caloris conceperit, donec ardor ingens magis ac magis invalesceret. Atque hinc utilem admonitionem colligere licet, nempe quo se quisque magis ad Dei obsequium comparat, totoque studio enititur ad patientiam, eo acrius pungi, quia totas suas vires ad eum oppugnandum Satan exserit, qui stupidis non adeo molestus est. Itaque si quando in nobis ferveant magnae ustiones, memoria revocandum erit certamen hoc Davidis, ne animos despondeamus, vel saltem ne ad desperationem infirmitas nostra nos praecipitet. Siccae et calidae exhalationes quas sol aestate excitat, si nihil in medio aëre obstaret, sursum absque tumultu adscenderent: nubes autem oppositae dum liberum cursum impediunt, ipso conflictu tonitrua generant. Idem et piis contingit, quibus sursum adscendere in animo est. Nam si ad vagas cogitationes transferrent animum, quasi liberi essent discursus: nunc dum se Deo addicere conantur ex carnis impedimenti exoritur repugnantia. Ideo quoties impetus suos emittet caro, et ignem in cordibus nostris accendit: sciamus nos eodem tentationis genere exerceri quod plurimum molestiae David exhibuit. In fine versus fatetur se mali gravitate victum, stultas et temerarias voces profudisse. Nam in sua persona, humanae infirmitatis speculum nobis ante oculos ponit, ut periculo admoniti sollicite sub umbram alarum Dei confugere discamus. Et quum dicit *lingua se loquutum esse*, non est pleonasmus, sed plenior delicti confessio, quod scilicet in apertos clamores eruperit.

5. *Notum fac mihi Iehova finem meum, et numerum dierum meorum, ut sciam cuius ego sim aevi.* 6. *Ecce, instar palmorum posuisti dies meos, et aevum meum ac si nihil esset coram te: certe tota vanitas, omnis homo dum consistit. Selah.* 7. *Certe in umbra obambulat vir, certe in vanum tumultuatur: coascervant, et nesciunt quisnam colliget.*

5. *Notum fac.* Hinc apparet, perperam et vitioso excessu fuisse abreptum, quia cum Deo expostulat, sicuti ex contextu clarius patebit. Miscebit quidem paulo post sanctas et rite compositas preces: sed hic indigne fert, quum fluidus sit et caducus homo, se non mitius tractari: cuiusmodi querelis sermones Iob fere referti sunt. Non ergo sine stomacho et indignatione dicit: Quando tu Deus mecum tam severe agis, fac saltem ut sciam quantum mihi temporis praescripseris ad vivendum. Atqui momentum est vita mea. Quid ergo sibi vult tantus rigor? et cur immensam malorum congeriem in caput meum accumulas, ac si multis saeculis adhuc victurus essem? quid iuvat me natum esse, ut per continuam malorum seriem brevissimum vitae tempus misere traducam? Ideo coniunctim legi debet proximus versus, *Ecce posuisti dies meos instar palmorum.* Est autem quatuor digitorum mensura, quae hic pro exigua mensura sumitur, ac si diceret, vitam hominis subito transvolare, et finem eius initio fere esse contiguum. Unde concludit cunctos mortales coram Deo meram esse vanitatem. Quantum ad verba spectat, non postulat David sibi ostendi vitae brevitatem quasi esset incognita: sed ironiae species est, ac si dixisset, Supputemus annorum numerum qui mihi adhuc residui sunt, an ad malorum quae perfero compensationem sufficient. H quidam Mundanum vertunt, alii Temporalem. Posterior interpretatio quadrare non potest, quia nondum palam exprimit vitae suae brevitatem, sed ambigue adhuc loquitur. Si nomen Mundani placeat, sensus erit, ostende an mihi vitam usque ad mundi finem prorogare velis. Sed rectius, meo iudicio, est quod sequutus sum, et in voce potest esse metathesis H et H . Quanquam potest etiam proprie pro aetate, aut vitae spatio accipi, ubi *aevum suum quasi nihilum coram Deo* esse dicit quo magis ad misericordiam eum permoveat, sua fragilitatis testem ipsum citat, significans eum minime latere quam evanida sit hominis vita. *Tota vanitas vel omnis*, tantundem valet ac si dixisset, in toto humano genere nihil esse praeter meram vanitatem: hoc autem praedicat de hominibus ubi consistunt, hoc est dum in praecipuo suo vigore volunt aliquid censi. Etsi autem has querimonias Davidi expressit moeror, notandum tamen est, tunc demum sentire homines quam nihil sint, dum premuntur rebus adversis. Res enim secundae eos inebriant, ut suae sortis obliti et torpore stupidi somnient immortalem statum in terra. Quanquam autem apprimae utilis est fragilitatis nostrae notitia, cavendum tamen est ne pravo taedio nos ad indignationem stimulet. Vere David et sapienter pronuntiat, etiam dum maxime excellere homo videtur, totum nihil aliud esse quam bullam ex vanitate conflata: in eo solum peccat, quod ansam expo-

stulandi cum Deo inde arripit. Sic ergo nobis misera nostra conditio displiceat, ut prostrati et supplices ad Dei misericordiam tollamus oculos: quod etiam mox facit David se ipsum corrigens. Neque enim subiecit in illa confusa lamentatione, sed fidei sensu transcendit ad coeleste solatium.

7. (*Certe in umbra.*) Prosequitur eandem sententiam. Umbrae enim nomine significat nihil esse in homine solidum, sed innanem (ut loquuntur) apparentiam. Tenebras quidam vertunt, ut sensus sit, vitam hominis evanescere antequam possit cognosci: sed simpliciter praedicat David de singulis hominibus quod Paulus 1. Corin. 7, 31. ad totum mundum extendit, nempe transire eius figuram. Atque ita negat firmum in illis esse statum, quia species virtutis quae ad breve tempus apparet, mox effugiat. Quod addit, frustra eos tumultuari, cumulus est vanitatis, ac si dixisset, videri in hoc natos homines, ut bis ridiculi sint, quia parum a spectris differant: et tamen stultis, imo insanis curis frustra se fatigent. Clarius autem exprimit eos desipere, quod dum se anxie occupant in coacervandis opibus, illis in mentem non venit subita migratio. Quorum enim se adeo macerarent, nisi quia imaginantur nihil sibi sufficere? Perinde enim sua inexplibili cupiditate omnes mundi copias ingurgitant, ac si centum saeculis essent victuri. Porro non eodem omnino sensu David hominum avaritiam deridet, quo Solomo Eccles. 5, 9, quia non tantum de haeredibus loquitur, sed generaliter dicit eos satagere, quum tamen nesciant ad quem perventurus sit fructus. Vellent quidem sibi consulere: sed quae dementia est infelicitate se torquere inanibus curis quae nullum finem nec modum habeant? Fervidas enim et praecipites curas damnat, quibus abrepti profani homines, coelum terrae miscent, dum se mortales esse non reputant: tantum abest ut agnoscant vitam suam ad quatuor digitos restringi. Quanquam autem David ex incomposito et turbato animi affectu hoc protulit, per se tamen utilem doctrinam continet, nullum ad temperandas supervacuas curas melius remedium esse, quam ut in mentem nobis veniat, vitae nostrae curriculum quasi palmare esse.

8. *Et nunc quid exspecto Domine? spes mea ad te est.* 9. *Ex omnibus peccatis meis eripe me, opprobrium stulti *) ne statuas me.* 10. *Obmutui, non aperiam os meum, quia tu fecisti.*

8. (*Et nunc quid exspecto.*) Postquam confessus est David se animi fervore fuisse nimis turbatum, iam ad sanam et quietam mentem se recipit: unde

*) Fol, en marge: ou vauneant et desbauché, ou meschant.

melius apparet quod prius admonui, Psalmum ex precibus recte ordinatis et ex inconsideratis querelis esse compositum. Dixi autem Davidem hic facere initium rite precandi. Idem interdum sentiunt profani homines quod ipse confessus est: sed non eoque eos adducit propriae vanitatis notitia, ut solidam futuram in Deo quaerant: imo se ipsos sponte stupefaciunt, ut suaviter dormiant in sua vanitate. Caeterum discamus ex hoc loco, neminem serio ad Deum respicere, ut ab ipso pendeat vel spem in eo defigat, donec suae fragilitatis convictus fuerit, adeoque in nihilum redactus. Pondus enim subest in adverbio *nunc*, ac si dixisset, ex blanditiis quibus sopitae hominum mentes tenentur, se iam expergefatum. Sed ultra hoc rudimentum progredi necesse est: quia non satis est trepide quaerere quid nobis agendum sit, nisi occurrat nobis Deus in quem recumbat nostra exspectatio. Quia ergo profanis hominibus nihil prodest de suo nihilo ita convinci, ut tamen in eo subsistant: discamus ad ulteriorem progressum eniti, ut Deus nos exanimis vivificet, sicuti proprium munus eius est, ex nihilo omnia creare: quia tunc homo vanitas esse desinit, et vere incipit aliquid esse, ubi Dei manu exceptus sursum adspirat.

9. (*Ex omnibus peccatis.*) Pergit in contextu pia sanctaeque precationis. Neque enim iam rapitur doloris impetu, ut cum Deo expostulet, sed reum se coram Deo suppliciter statuens, ad misericordiam eius confugit: quia dum se a sceleribus eripi postulat, Deo iustitiae laudem adscribens, miseriae quam sustinet culpam in se suscipit: neque unius tantum peccati se accusat, sed fatetur multiplici reatu se esse obstrictum. Atque haec regula nobis tenenda est, si levationem in malis nostris quaerimus: quia donec fons ipse exhaustus fuerit, nunquam mala ex malis fluere desinent. Certe mitigationem suorum malorum petebat David: sed quia sperabat, simul ac reconciliatus esset Deo, futurum quoque ut scelerum poenae finem acciperent: tantum petit sibi remitti peccata. Monemur autem exemplo Davidis, non tantum ab aerumnis quae nobis molestae sunt, levationem petere, sed incipere ab ipsa causa, ut Deus peccata nobis non imputet, sed aboleat nostrum reatum. Quod sequitur de *opprobrio stulti*, tam active quam passive exponi potest, hoc est ne Deus ipsum prostituat impiorum ludibriis, vel ne eodem probro, cui addicti sunt impii, ipsum involvat. Quia uterque sensus non male conveniet, libera sit lectoribus optio. Adde quod נָכַל, non modo stultum, sed etiam contemptibilem ac nihili vel nequam significat. Certum quidem est, reprobos omnes intelligi quos scriptura stultitiae damnat: quia recta intelligentia privati furiose in Dei contemptum feruntur.

10. (*Obmutui, non aperiā os meum.*) Hic iam Calvinus opera. Vol. XXXI.

se obiurgat David, quod non tenuerit silentium illud, quod ante vidimus doloris vehementia fuisse abruptum. Ergo quod se obmutuisse dicit, non aequalis et perpetuae moderationis elogium est, sed vitii correctio, ac si impatientiam suam castigans, ita secum loquutus foret: Quid facis? nam silentium tibi iniunxeras: nunc autem obmurmuras et obstrepis Deo, quid autem hac tua audacia proficies? Continet autem hic locus valde utilem doctrinam: quia nihil ad compescendos doloris impetus aptius est quam ubi nobis in mentem venit, non cum homine mortali, sed cum Deo esse negotium, qui semper iustitiam suam contra omnes obstreperos hominum susurros, imo contra insanos clamores asseret. Unde enim fit ut in tantam impatientiam ruat maior pars hominum, nisi quia non reputat se cum Deo rixari? Ergo dum alii in fortunam reiiciunt, alii in homines quidquid mali acciderit, alii varias causas sibi fingunt, vix autem centesimus quisque agnoscit Dei manum: libere sibi in querimoniis indulgent. Contra David, ut pravos omnes et vitiosos excessus cohibeat, se ad Deum convertit: et quia ab eo profectum sit quod patitur, sibi obmutescendum esse statuit. Iam quum David extremis malis afflicto, quia Deum agnoscit eorum auctorem, legem tacendi sibi imponat: hoc sciamus unum esse ex praecipuis exercitiis fidei nostrae, humiliari sub forti Dei manu, et cum silentio acquiescere eius iudicii. Caeterum notandum est, tunc placide et sedatis animis homines se Deo subiicere, ubi persuasi sunt, non solum absoluta potentia facere quidquid libuerit, sed iustum esse iudicem: nam etsi impii se eius manu percuti sentiunt, quia tamen cum insimulant saevitiae et tyrannidis, non desinunt horrendas in ipsum blasphemias evomere. Interea sic David occulta Dei iudicia reverenter suspicit et adoratur, ut sola eius voluntate contentus, nefas esse ducat verbum contra facere.

11. *Aufer a me plagam tuam: a vulnere manus tuae ego defeci.* 12. *In correptionibus propter iniquitatem castigas virum, et tabescere facis quasi tinea praestantiam eius: certe vanitas, omnis homo. Selah.*

11. (*Aufer a me plagam.*) Confirmat suam precationem David, ut veniam adeptus clementer tractetur. Neque tamen haec oratio silentium illud, cuius nuper meminit, perturbat, quia vota nostra si ad Dei praescriptum formentur, minime turbulenta sunt, ut iram Dei provocent, sed ex fidei et patientiae silentio manant. Verum quidem est, ubi quis ardentem Deum compellat, fieri non posse quin permisceat suos affectus, querimonias profundat, et egerat immodicum ardorem. Sed videmus, Davidem, qui tumultuose nuper mala sua deflebat, nunc

pacato animo expendere quid meritis sit, et veniam precari. Summa autem est, ut Deus poenam quam inflixit, relaxet. Ratio additur, quia *deficiat a contentione manus eius*. Nihil excusationis affert ad levandam culpam, sed infirmitati suae parci cupit. Sicut autem privatim se consumptum esse dicit, quia Dei manum sentiat sibi adversam: mox quoque generalem sententiam addit: Si Deus summo iure nobiscum agere aggressus fuerit, nihil fore reliquum, nisi ut omnes eo irato deficiant, ac diserte ostendit se non de quolibet homine vel de gregariis tantum loqui: quia si viros castiget Deus, quidquid in ipsis pretiosum est, liquefaciet. Summa est, neminem mortalium tanta virtute aut gloria excellere, quem ira Dei, si vehementius in eum exarserit, non sit protinus in nihilum redactura: sed verba propius excutere convenit. Neque enim David simpliciter commemorat quam formidabilis sit ira Dei: sed in omnibus poenis exigendis iustitiam eius praedicat. Profanis etiam hominibus iudicia Dei interdum terrorem incutiunt, sed in furorem eos impellit sua caecitas, ut nihilominus cum ipso litigent. Per *corruptiones* intelligit severas poenas, quae meri rigoris testes sunt ac irae signa. Scimus enim Deum saepe ferulis suis percutere fideles, ut puniendo clementiae et amoris gustum simul praebet: nec solum temperet ipsas poenas, sed solatii condimento suaves reddat. Hic ergo non de paterna castigatione concionatur David, sed quam reprobis infligit, dum iudicium, quale meriti sunt, in eos tanquam inexorabilis iudex exercet: hoc rigore dicit cunctos mortales statim liquefieri, vel *tabescere*. Sed primo intuitu absurda videri posset comparatio Dei cum *tinea*. Quid enim affine habet vermiculo immensa Dei maiestas? Respondeo, aptissime Davidem hac similitudine fuisse usum, ut sciamus, quamvis non palam fulminet e coelo Deus, non aliter tamen occulta eius maledictione consumi reprobos, ac tinea caeco morsu pannum vel linguam absumit: et simul respicit ad excellentiam, quam dicit quasi putredine corrumpi, ubi Deus infestus est, sicuti pretiosissimas quasque vestes sua tabe conficit tinea. Hoc modo scriptura varias similitudines ex optimis causis sumptas ad diversos respectus aptare solet. Ezechias, Iesa. 38, 13, quum Deum similem facit leoni, refert hoc ad animi sui sensum quia pavore exanimatus conciderat. Hic vero admonet David, quamvis non perspiciat mundus horribilem Dei vindictam, reprobos tamen arcano eius morsu consumi. Opportune vero iterum nunc repetitur sententia illa, quod *omnis homo sit vanitas*, quia nunquam, nisi manu Dei prostrati, in nos descendimus, ut vanitatis nostrae cognitio omni fiducia nos exinaniat. Unde enim fit ut sibi tam stulte placeant omnes, atque etiam applaudant, nisi quia sponte ad suas infirmitates caecutiunt, quamdiu

illis parcat Deus? Unum igitur remedium est purgandae superbiae, ubi territi irae Dei sensu, non modo sibi displicere, sed prorsus se deicere incipiunt.

13. *Audi precationem meam Iehova, et clamorem meum ausculta, ad lacrymas meas ne sileas, quia peregrinus ego coram te, inquilinus sicut omnes patres mei.* 14. *Desine a me, ut roborer antequam abeam, et non sim.*

13. (*Audi precationem meam.*) Gradatim amplificat precandi vehementiam. Secundo enim loco *clamorem* ponit, tertio *lacrymas*. Neque tamen haec gradatio est rhetorica, quae ad ornatum et splendorem verborum tantum valeat: sed quemadmodum David ex serio et intimo cordis affectu fleuit, nobis omnibus praescribit orandi legem. Quod se *peregrinum et inquilinum* vocat, his vocibus iterum ostendit quam miserabilis sit sua conditio: et diserte addit, *coram Deo*: non tantum quod a Deo peregrinantur homines quamdiu in mundo habitant, sed eodem quo prius sensu dixit, Dies mei tanquam nihilum apud te: quia scilicet Deus absque monitore satis noverit homines breve itineris spatium in terra conficere, vel exiguo tempore in ea manere tanquam inquilinos. Summa est, Deum e coelo videre quam misera sit nostra conditio, nisi nos sua misericordia excipiat.

14. (*Desine a me.*) Ad verbum est: Claude a me: ideo quidam exponunt, Fac ut maceria sit inter nos interposita, ne manus tua ad me perveniat. Alii subaudiunt Oculos: sed quod ad rem ipsam, parum interest: quia postulat David sibi dari paucillum relaxationis, dum vires recuperet, vel saltem respiret ante mortem. Caeterum haec clausula perturbationem carnis respicit: quia videtur ex postulando liberum moriendi tempus sibi petere, ut solent homines moeroris sui taedio confecti. Vere quidem agnoscit, nullam spem esse recuperandae salutis, donec ab ira supersedeat Deus: sed perperam inducias sibi tantum ad moriendum dari postulat. Posset quidem excusari hoc votum: ac si dixisset, Domine quia si ita in me saevire pergis, mihi necesse erit misere perire: da saltem aliquod temporis momentum quo tranquillus animam meam in manus tuas deponam. Sed ex verbis facile colligimus, doloris amaritudine infectum fuisse eius animum, ut puram et fidei dulcedine conditam precationem concipere non posset. Dicit enim, *antequam abeam, et non sim*. Quae loquendi forma prope ad desperationem accedit: non quod mortem David putaret esse interitum, vel abiecta spe salutis exitio se addiceret: sed quia dolore occupatus animum suum non ita alacriter, ut decebat, sursum

attollit. Atque haec sententia in querimoniis Iob non semel legitur. Sciendum igitur est, quamvis sedulo compesceret David carnis suae affectus, hic tamen adhuc aliquid turbationis fuisse passum, ut modum excederet in dolore.

PSALMUS XL.

ARG. David ex ingenti aliquo periculo liberatus, et forte non uno, sed multis, gratiam Dei magnifice celebrat: et hac occasione in admirationem providentiae Dei evehitur, quae se extendit ad totum humanum genus. Deinde totum se Deo fore addictum profitetur, ac breviter definit quomodo rite colendus sit. Mox iterum ad gratiarum actionem redit, multisque elogiis prosequitur eius laudes. Tandem ubi conquestus est de suis hostibus, Psalmum nova precatione claudit.

1. *Praefecto Davidis canticum.* 2. *Exspectando expectavi*) Iehovam, et inclinavit ad me, et audivit clamorem meum:* 3. *Et extraxit me e puteo resonante, e luto coenoso, et statuit super rupem pedes meos, firmavit gressus meos.* 4. *Et posuit in os meum canticum novum, laudem Deo nostro: videbunt multi, et timebunt et sperabunt in Iehova.*

2. (*Exspectando expectavi.*) Exordium Psalmi est gratiarum actio, qua David non modo e periculo, sed ex praesenti morte se ereptum fuisse commemorat. Cur divinent quidam de morbo, nulla ratio est: imo conicere potius licet, multa pericula quibus defunctus erat, hic complecti. Et certe non semel ad extremum usque de vita periclitatus est: ut merito dicat exitiali se gurgite fuisse absorptum, et demersum in luto coenoso. Fidei tamen suae constantiam ostendit, quod non desierit sperare in Deo, quamvis mali diuturnitas patientiam excutere posset. Neque enim simpliciter se exspectasse dicit, sed repetitione significat diu se fuisse anxium. Ergo quo longius extracta fuit tentatio, eo clarius enituit fidei documentum ubi morem aequo et quieto animo pertulit. Summa igitur est, quum opem suam suspenderet Deus, non tamen Davidis animum taedio elanguisse: postquam vero iustum patientiae suae specimen edidit, tandem fuisse exaudutum. Porro nobis in eius exemplo utilis doctrina proponitur: Quamvis non statim appareat Dei auxilium, quin potius data opera nos suspensos et anxios teneat, non tamen cedendum esse: quia fides non-nisi longa tolerantia solide probatur. Animum etiam

addere debet exitus quem praedicat: quia licet pro desiderii nostri fervore tardius succurrat Deus, multum a frustratione distat eius quies vel dissimulatio. Nam si invictum fidei robur nos sustineat, tandem aderit opportunum liberationis tempus.

3. (*Et extraxit me.*) Lacum desolationis quidam vertunt, quia verbum מַצְלָה unde nomen מַצְלָה descendit, tam perdere aut vastare, quam resonare significat. Sed aptior est allusio ad profundos gurgites ubi tumultuoso impetu aqua fertur. Nam metaphorice ostendit, non longius se abfuisse a mortis periculo, quam si in altum puteum, et violento aquarum fervore perstreptem proiectus foret. Eodem spectat similitudo luti coenosi, qua significat tenaciter se fuisse defixum in suis malis, ex quibus non facile esset eum avelli. Subiicitur deinde subita et incredibilis mutatio, quae magnitudinem gratiae optime illustrat, dum *pedes suos in rupe locatos fuisse* dicit, quum totus ante aquis obrutus esset: gradus suos vel stabilitos vel directos, qui prius non tantum in lubrico vacillabant, sed erant in coeno defixi. Concludit, datum sibi a Deo fuisse in ore canticum novum: quo genere loquendi finem liberationis notat. Nam quocunque modo opituletur nobis Deus, nihil vicissim compensationis exigit, nisi ut grati simus ac memores. Itaque quotquot beneficiis nos prosequitur, toties os nobis aperit ad celebrandum suum nomen. Quum ergo Deus, liberaliter nobiscum agendo, ad canendas laudes suas invitet, merito reputat David, quandoquidem tam mirabiliter fuit ereptus, suggestam sibi novi cantici materiam: et novum ponit pro singulari et exquisito: sicuti genus liberationis non vulgare erat, sed aeterna memoria dignum. Etsi enim nullum est tam leve Dei beneficium quod non magnifice praedicare deceat, quo tamen potentius manum suam exerit ad nos iuvandos, vehementius ad hoc pietatis exercitium nos accendi aequum est, ut cantica nostra gratiae magnitudini respondeant.

4. (*Videbunt multi, et timebunt.*) Auxilii quod expertus est fructum latius extendit, quia scilicet multis commune erit documentum. Et certe quae in unumquemque fidelium beneficia confert Deus, testimonia esse vult suae perpetuae erga omnes bonitatis, ut alii aliorum exemplo edocti eandem gratiam sibi expositam fore non dubitent. Quamquam autem primo intuitu minime inter se congruere videntur *timere et sperare*, non tamen sine ratione ea simul coniunxit David. Neque enim spem quisquam de gratia Dei concipiet, nisi qui prius imbutus fuerit eius reverentia. Nam generaliter timorem accipio pro sensu pietatis, quem in nobis generat potentiae, aequitatis et clementiae eius agnitio. Valuit quidem iudicium Dei quod exercuit contra hostes Davidis ad omnes terrendos: sed potius intelligit David (meo iudicio) salute, quam

*) J'ay attendu et attendu, en marge: ou patiemment.

adeptus erat, multos expergefatum iri ut se Deo addicant, et reverenter se contineant sub eius imperio, quia agnoscunt iustum mundi iudicem. Iam vero quisquis ex animo se Dei imperio subiecit, spem cum reverentia necessario coniunget: praesertim ubi ante oculos versabitur gratiae testimonium, quo Deus ipse communiter omnes ad se invitat. Diximus enim Deum misericordem et beneficium erga alios ideo nobis proponi, ut statuamus eundem erga nos fore. Iam istud *videre* cuius meminit David, non ad oculos tantum, sed praecipue ad mentis sensum refertur: quia etsi promiscue videntur omnes quod acciderat, multis tamen non venit in mentem agnoscere liberationem Davidis opus esse Dei. Quia ergo in considerandis Dei operibus tam multi caecutiunt: sciamus eos modo censeri oculatos, quibus datus est intelligentiae spiritus, ut non occupentur in eventis, sed occultam Dei manum fide perspiciant.

5. *Beatus vir qui posuit Iehovam spem suam, et non respexit ad superbos et qui divertunt ad mendacium.* 6. *Multa fecisti tu Iehova Deus meus mirabilia tua: et cogitationes tuas super nos non licet ordinare ad te: narrabo et loquar, praevalent supra narrationem.*

5. (*Beatus vir qui.*) Recitat qualem bene sperandi materiam sua liberatio piis omnibus datura sit: nempe, ut contemptis omnibus mundi illecebris, se totos in eius fidem secure committant: nec modo persuasi sint beatos esse qui in uno Deo sperant, sed omnes spes contrarias fallaces et maledictas fore. Nam ista persuasio non nascitur nobiscum: sed partim ex verbo Dei, partim ex operibus concipitur, quanquam solus operum Dei conspectus, ut nuper dixi, hanc lucem minime in nobis accenderet, nisi Deus verbo suo praelucens, benevolentiam nobis suam ostenderet. Ubi autem se nobis propitium fore pollicitus est, certis etiam documentis bonitatem suam testatam faciens, quod ore protulit, manu obsignat. Itaque David non abs re commemorat, quia ex profunda morte extractus est in vitam, fideles hoc experimento esse edoctos, quod naturaliter homines sibi non facile persuadent, beatum esse quisquis uno Deo contentus est. Porro quia nos ingenii nostri vanitas fere deorsum retrahit: et quum ultro ad fallacias simus omnes propensi, multis pravis exemplis tentamur: continuo post subiicit David, beatum *esse qui non respicit ad superbos*. רַהֲבִים quidam vertunt Divites, vel Magnates huius saeculi: sed perperam (meo iudicio) quia coniunctim haec duo ponuntur, Superbia et Abstractio ad mendacium. Respicere ergo ad magnates, non significat quod illi imaginantur, ad eorum potentiam et opes se applicare, quasi inde penderet

salus: sed tantundem valet atque eorum exemplo ad imitationem rapi: nam quum passim volitent superbi homines, qui Deo contempto, felicitatis summam in sua ambitione, in fraudibus, in rapinis, in astutia locant: statim obrepit perversa aemulatio, praesertim ubi illis pro voto succedit, vana spes ad idem tentandum nos sollicitat. Quare prudenter et non sine magna necessitate David, ut in pura unius Dei fiducia sensus nostros contineat, a malis exemplis cavere praecipit, quae nos ad defectionem undique sollicitant. Caeterum quod dicit superbos *ad mendacium divertere*, hoc modo stultam carnis confidentiam breviter definit: quid enim aliud est eorum superbia, qui figmenta sua in Dei locum subrogant, quam fallax illusio? Certo quisquis vel minimum sibi arrogat, vento stultae opinionis inflatus, sibi in perniciem suam blanditur. In summa, pia quae in unum Deum recumbit fiducia opponitur superbia et vanitas: quia nec quidquam carni difficilius est quam acquiescere in uno Deo: et mundus semper fastuosis hominibus refertus est, qui sibi in vanis illecebris placentes, piorum animos statim labefactarent, nisi injectum esset fraenum hoc ad cohibendas omnes erroneas et vagas opinioniones.

6. (*Multa fecisti.*) Quanquam in verbis non nihil dissentiant interpretes, satis tamen convenit, Davidem hic cum admiratione expendere Dei providentiam, qua gubernat humanum genus. Ac primo quidem exclamat, *magna vel multa esse operum Dei miracula*: significans, Deum inaeestimabili sapientia sic moderari res humanas, ut eius opera quae assiduo usu vilescent, longe humanum captum superent. Ita videmus ab una specie ad totum genus conscendere: ac si diceret, non hoc tantum uno facto Deum probasse quam de humano genere paternam curam gerit, sed generaliter in singulis mundi partibus fulgere admirabilem eius providentiam. Deinde adiungit, *consilia Dei* in nobis curandis altiora esse ac magis recondita quam ut distincte *ordinari possint*. Quidam exponunt particulam אֱלִינִי, super nos comparative: ac si dictum esset, Dei consilia sensu nostro altiora esse. Sed David potius, quam Deus suscipere de nobis curam dignatur, commendat. Quia autem hoc modo abruptitur contextus, coguntur verbum עָרַךְ secus accipere quam transtuli, nempe quod nullus aequari vel conferri Deo possit. Verum ut a longa refutatione abstineream, hunc genuinum esse sensum prudens Lector mihi concedet, Deum incomprehensibili sapientia ita regere humanum genus, ut eius opera in suum et legitimum ordinem digerere nostrum non sit: quia sensus nostri priusquam in tantam altitudinem perveniant, sua tarditate deficiunt. Additur *ad Deum*, quia etsi ex parte reputamus quam mirifice nobis Deus prospiciat, restringitur tamen haec cognitio ad modulum nostrum: ideoque infra

herus, ut stigma esset perpetuae servitutis. Sed mihi videtur coacta argutia. Simplicius alii tantundem valere docent, atque Aptare in obsequium, neque enim unam duntaxat aurem, sed utramque nominat. Iam scimus natura surdos esse homines, quia hebetudine aures illis obstructae sunt, donec eas perforet Deus. Ergo hac voce notatur docilitas, ad quam formamur spiritus sancti gratia. Ego tamen hoc loquendi genus ad circumstantiam huius loci propius accommodo, Davidem non fuisse gravi et tardo auditu, sicuti vulgus hominum, ut in sacrificiis nihil nisi terrenum intelligeret: sed purgatas fuisse eius aures, ut melior esset legis interpres, externosque omnes ritus ad spiritualem Dei cultum referret. Nam aurium perforationem quasi parenthesi includit, de sacrificiis ex professo tractans: ut apte resolvi possit oratio in hunc modum: Domine tu mihi aures aperuisti, ut dextre agnoscam quorsum spectet quidquid mandasti de sacrificiis, nempe ea per se nihil afferre oblationis: quia tu, qui spiritus es, non moraris terrena haec elementa, nec carne vel sanguine indiges: ideoque aliquid altius et praestantius requiri. Iam si quis obiiciat, sacrificia tamen ex Dei praecepto fuisse oblata: nuper dixi Davidem hic spiritualem Dei cultum ab umbratili distinguere. In hac vero comparatione, nihil mirum si sacrificia nullius momenti esse dicat, quia tantum adminicula erant pietatis, tendebantque in alium finem. Quum ergo talibus rudimentis ad fidem et poenitentiam populum suum exercuerit Deus: colligimus, sacrificiis coli nolle. Semper enim illud tenendum est, quidquid per se Deo non placet, sed propter aliud duntaxat, si pro vero eius cultu censetur, repudiari.

8. (*Tunc dixi, Ecce venio.*) Adverbio *tunc* significat non prius se idoneum fuisse discipulum, quam Deus aures aperuisset: caeterum ubi arcano spiritus instinctu edoctus fuit, dicit se prompto et alacri fuisse animo ad parendum. Atque hic optime a servili coactoque obsequio vera obedientia discernitur. Sciamus ergo, quidquid offerant homines Deo, frivolu met putidum esse, nisi se ipsos offerant: deinde hanc quoque oblationem nullius esse pretii, nisi voluntaria sit. Notanda enim sunt haec verba, *Ecce venio*. Item, *Volui facere beneplacitum tuum*. Si quidem hebraicum verbum *רציתי*, tantundem valet ac Complacuit mihi, vel Libenter acquievi. Notatur itaque tam promptitudo ad parendum, quam liberalis affectus et pergendi constantia, ac si dixisset, libere se praetulisse colendi Dei studium aliis omnibus curis et votis: nec sponte duntaxat se fuisse morigerum, sed firmo animi proposito se regulam pie vivendi amplexum esse. Quod iterum tertio membro melius confirmat, *legem Dei visceribus suis infixam esse asserens*. Nam hinc sequitur, quantumvis resplendeant hominum opera, nisi tamen

ex viva cordis radice nascantur, meras esse larvas: deinde frustra in observationem legis componi pedes et manus, et oculos, nisi a corde incipiat obsequium. Caeterum ex aliis scripturae locis notum est, proprium esse munus spiritus sancti, legem Dei cordibus nostris insculpere. Non agit quidem in nobis Deus tanquam in lapidibus, ut sine cordis nostri sensu vel intrinseco motu nos rapiat: sed quum naturaliter ingenua sit nobis voluntas, naturae autem corruptione vitata sit, ut semper ad peccandum inclinet: corrigit eam in melius, ut libere appetamus iustitiam, a qua toto affectu prius eramus aversi: atque hinc vera libertas, ubi corda nostra, quae prius mancipata erant peccato, Deus in obsequium suum format. (*In volumine libri.*) Quia graecus interpres nomen Capituli posuerat, dum volunt quidam argute philosophari, cum suis ineptis commentis ridiculi fuerunt. Atqui nominis hebraici *במלת* eadem est etymologia, quae Voluminis apud Latinos, barbari rotulum dicerent. Sed videndum est quo sensu peculiariter sibi vendicet David quod omnibus commune est ac promiscuum. Nam quum lex cunctis hominibus praescribat sancte vivendi rationem: non videtur in unum hominem vel paucos competere quod hic dicitur. Respondeo, quamvis communiter ad omnes pertineat literalis doctrina legis, quia tamen per se mortua est, et nihil aliud quam aërem verberat: Deum alio modo suos docere, et quatenus interior et efficacior ista spiritus doctrina, proprius est eorum thesaurus: in arcano Dei libro non nisi de ipsis scriptum est, ut Dei voluntatem compleant. Personat quidem vox Dei per totum orbem, ut inexcusabiles reddantur quicumque non obtemperant: sed tantum in corda piorum penetrat, quibus in salutem destinata est. Sicuti ergo imperator militum suorum nomina recipit, ut certus sit eorum muneris: sicuti magister suos discipulos in catalogum refert: ita Deus filios suos in libro vitae descriptos habet, ut sub iugo suae disciplinae eos contineat. Restat scrupulus unus: quia videtur Apostolus in Epistola ad Heb. 10, 5, violenter locum hunc torquere, dum ad Christum solum restringit quod praedicatur de omnibus electis, et praecise contendit abrogata esse legis sacrificia, quae tantum per comparationem negat David Deo grata esse: et graeci interpretis potius quam prophetae verba recitans, plus colligit quam Davidi propositum fuerit docere. De Christi persona solutio facilis est: quia David non suo tantum privato nomine loquutus est, sed in genere quid conveniat omnibus Dei filiis, ostendit. Ubi autem in medium prodit ecclesiae communitas, ad caput ipsum adscendere necesse est. Nec obstat quod paulo post, quae sustinet mala, culpae suae imputat: quia minime novum est ad Christum improprie vitia nostra transferri. De abrogatione legalis cultus ita respondeo, non inepte

suae custodiam in Dei bonitate et fide locat, quia initium (ut paulo ante dixi) a gratuito Dei favore facere necesse est, ut ad nos usque perveniat eius liberalitas. Sed quia Deum non ante nobis propitium concipimus quam nobis amoris sui fidem faciat, merito constantia eius, et in servandis promissis veritas annectitur.

13. *Quia circumdederunt me mala usque in im-
mensum, comprehenderunt me iniquitates mea ut videre
non potuerim: multiplicata sunt supra capillos capitis
mei: cor meum deseruit me.* 14. *Placeat tibi Iehova
liberare me: Iehova ad auxilium meum festina.* 15. *Pude-
fiant et erubescant simul qui quaerunt ani-
mam meam ad perdendum eam: avertantur retrorsum
et pudefiant qui quaerunt malum meum:* 16. *Disper-
dantur pro mercede pudoris sui, qui dixerunt mihi*,
Euge, euge.*

13. (*Quia circumdederunt.*) Phrasid hebraica plus exprimit quam latine redditur. Dicit enim יָיָ, super me: significans, non modo undique se ad omne latus esse obsessum, sed capiti etiam suo malorum congeriem incumbere. Interea non conqueritur, vel immerito, vel supra culpae suae modum se affligi: quin potius ingenue fatetur rependi peccatis suis mercedem. Nam etsi יָיָ (ut alibi saepius vidimus) poenam quoque significat, etymologia tamen spectanda est. Ergo quum David, quas sustinet poenas, fructus vel effectus iniquitatis vocet, subest modesta confessio: unde colligimus quanta mansuetudine et reverentia Dei iudiciis se submisit, qui ingenti malorum congerie oppressus, suas iniquitates ex opposito longe lateque extendit, ne Deum nimii rigoris insimulet. Iam dum videmus tam severe tractatum fuisse Davidem, discamus etiam sub extremis malis gementes, iudicem nostrum suppliciter deprecari. Adde quod se non fuisse stupidum vel lapideum ostendit, quum relictus vel desertus fuerit a corde suo. Perinde enim est ac si non modo fractum, sed exanimatum se iacuisse dicat. *Cordis* tamen defectum vel deliquium intellige de carnis sensu: quia precandi constantia certo documento est, fidem nunquam penitus in eo fuisse extinctam: sed quum inops consilii et virtute exinanitus secundum hominem esset, non abs re cor suum evanuisse dicit.

14. (*Placeat tibi Iehova.*) Verbum quo utitur David, ex mero beneplacito velle significat. Ergo liberari cupit gratuita Dei misericordia. De festinatione alibi dictum est. Nam etsi tardante Deo contra taedium nobis luctandum est: pro sua tamen

indulgentia hanc precandi formam concedit, ut pro voto nostro acceleret. Postea suo more inimicos ad Dei tribunal citans, ex eorum crudelitate et iniustis sceleratisque odiis fiduciam exorandi petit. Nam ita statuendum est, quo iniquius nobis molesti sunt hostes, ac infestius in nos saeviunt: Deum ad nos iuvandos magis propensum fore. Atque haec non vulgaris consolatio est, cum eorum improbitate certare Dei misericordiam, ut paratior sit ad ferendum auxilium, quo ardentius illi ad nocendum feruntur. Caeterum, quo affectu istas imprecationes conceperit David, iam aliquoties dictum est: atque hic memoria repetere convenit, ne quis iracundiae suae fraena laxans, eius exemplum praetexat. Semper enim damnabitur eorum κακοζήλεια, qui carnis impetum pro spiritus zelo ducem sequuntur. Quum ipsos super mercede opprobrii sui perire optat: sensus est: Sicuti hoc unum spectarunt ut me ignominia opprimerent, et confuso ac perduto petulanter insultarent: ita similis confusio in eorum capita recidat. Nam secundo membro genus illud confusionis designat, falsos paeanas referens, quibus miserum et calamitosum hominem traduxerant. Porro ut hinc docemur, ubi nos atrociter insectati fuerint hostes, paratam illis mercedem esse, ut in eorum capita quidquid machinati sunt, Deus retorqueat aut revolvat: sic eadem doctrina moderationis fraenum esse debet, ut nos humaniter cum proximis geramus.

17. *Exsultent et laetentur in te omnes inquirentes te: et dicant, Semper magnificetur Iehova, qui diligunt salutem tuam.* 18. *Ego autem pauper et inops. Iehova prospexit mihi: auxilium meum et liberator meus, tu Deus mi ne tardes.*

17. (*Exsultent et laetentur.*) Alio argumento, quod etiam alibi saepe usurpat, utitur ad impetrandam liberationem, non quod ad Deum persuadendum rationes proferre opus sit, sed quia fidem nostram his fulturis confirmare utile est. Quia ergo Deus communiter ab omnibus, non tantum ab uno vel altero, vult agnosci misericors: quoties unum ex suis aliquem liberat, commune beneficium praestat, quod simul fideles in se transferre debent, dum in unius hominis persona spectant qualis erga omnes futurus sit Deus, qui sibi non est dissimilis. Ergo se nihil privatim sibi petere ostendit, quod non ad totam ecclesiam pertineat. Precatur ut Deus sanctos omnes exhilaret, vel communem ipsis praebeat gratulandi materiam, ut de eius auxilio certi alacriter ad ipsum se conferant. Unde statuimus, Deum in singulis hominibus suae erga nos bonitatis specimen edere. Quod etiam dicit amare Dei salutem, notatu dignum est: quia hinc colligimus,

*) m'ont dit, en marge: ou ont dit de moy.

vere demum fidem nostram probari, si non aliunde quam ab uno Deo servari speramus aut cupimus. Nam qui sibi varias imaginantur salutes in hoc mundo, salutem quam a se peti Deus iubet negligunt vel respuunt. Idem valet quod prius dixerat, Deum quaerere: quia ut quis a Deo totus pendeat, et cupiat eius gratia salvus esse, necesse abiecta omni vana spe ad amplexaudam eius virtutem adiiungere omnes sensus. Hic rursus notanda sunt duo antitheta. Dixerat nuper, improbos quaerere vitam suam: nunc fidelibus diversum affectum tribuit, quod Deum quaerant. Illorum subsannationem retulerat, Euge, Euge: hos aliter loquentes iuducit, ut *semper magnificetur Deus*.

18. (*Ego autem pauper.*) In hac clausula gratiarum actioni precationem miscet, quanquam fieri potest, ut votum inter angustias conceptum referat. Porro, initium versus ita resolvi potest: Quamvis miser essem et inops, Deus cogitavit de me. Quia enim ut quisque miser est, a mundo contemnitur, ita fingimus Deo non esse curae: statuendum est, miseriae nostras non parere Deo fastidium, ut nobis consulere gravetur. Sic tamen potius legamus: Quum ego miser ac egenus essem, Dominus meam necessitatem respexit: ut hac circumstantia Dei gratiam amplificet. Nam si mature nos Deus sua bonitate praeveniens, non exspectat dum nos res adversae urgeant, non tam clare apparet eius erga nos favor. Haec igitur comparatio non parum illustrat Dei gloriam in liberatione Davidis, quod homini despecto et ab omnibus reiecto, speque et ope destituto manum porrigere dignatus sit. Iam si Davidem huc inopiae redigi oportuit, non mirum si gregarii homines eodem saepe modo humiliantur, quo sentiant et serio agnoscant Dei manu se ex desperatione fuisse ereptos. Precationis simplex ac genuinus hic sensus est, Domine auxilium meum es et liberator meus: ergo ne moreris. Quia enim dubio et vacillanti animo ad Deum accedere absurdum est, fiduciam ab experientia colligit suo more, sibi persuaadet, sibi minime defore auxilium quo hactenus servatus est.

PSALMUS XLI.

ARG. Quum David manu Dei graviter afflicto iniquis se multorum iudiciis premi videret, ac si iam aeterno exitio devotus esset atque addictus: contra hanc tentationem spei consolatione se munit. Conqueritur interea partim de crudelitate de perfidia hostium suorum. Et quamquam agnoscit de suis peccatis iustam sumi poenam, eorum tamen malitiam accusat, quod hominem bene meritum improbe vexarent. Postremo gratulationem attexit, quod servatus fuerit Dei gratia.

Calvini opera. Vol. XXXI.

1. Praefecto canticum Davidis. 2. Beatus qui prudenter iudicat super egenum *): in die mala liberabit eum **) Iehova. 3. Iehova custodiet eum, et vivificabit eum: beatus erit in terra, et non trades eum desiderio hostium eius. 4. Iehova fulciet ***) eum super lectum doloris: omne stratum eius vertisti in infirmitate eius.

2. (*Beatus qui prudenter, etc.*) Vulgo multi interpretes laudari putant humanitatis officia, dum curae sunt miseri homines et iuvantur. Sed rectius alii expendunt Davidis consilium, quod scilicet eorum aequitatem laudet, qui prudenter et moderate iudicant de hominibus afflictis. Nec vero aliter accipi potest participium מַשְׁכִּיל. Sed tenendum simul est cur David beatos esse pronuntiet qui prudenter sanaque intelligentia aestimant Dei ferulas, dum servos suos castigat. Diximus, certamen illi fuisse cum praeposteris iudiciis: quia quum duriter eum urgeret afflictio, putarunt multi perditum esse ac desperatum. Neque enim dubium est idem ei contigisse quod sancto Iob, quem amici severius a Deo tractari videntes, omnium sceleratissimum iudicant. Et sane hoc nimis commune vitium est, ut maior pars hominum miseros exitio adiudicet. Nam siouti divitibus et aliis quibus prospera fortuna arridet, vulgus quoque hominum applaudit, Dei favorem ex caduca felicitate aestimans: sic et miseris contumeliose insultat, et temere Deo exosos esse imaginatur, quia illis non tam clementer parcit ut reprobis. Haec mala et sinistre iudicandi pravitas saeculis omnibus regnavit. Clamitat passim Deus se pluribus de causis probare fideles rebus adversis, nunc ut eos ad patientiam exerceat, nunc ut subigat vitiosos carnis affectus, nunc ut superfluas carnis cupiditates excoquat et purget, nunc ut eos humiliet, nunc ut aliis statuatur in exemplum, nunc ut ad vitae coelestis meditationem excitet. Sed nos ut plurimum absque discrimine praecipites ferimur, et quicunque sub cruce laborant, eos demergimus infra omnes abyssos (ut ita loquar). Huius temeritatis fraenandae causa, dicit David beatos esse qui non ita crudeliter saeviunt perversis iudiciis, sed prudenter discernunt inter plagam et plagam, adeoque malignum illum rigorem carni ingentum, spiritus prudentia temperant. Exemplum nuper in persona Iob proposui, quem dum amici extrema calamitate confectum adspiciunt, reprobum et deploratum esse non dubitant. Si in tale spectaculum incideret aequus et humanus arbiter, prudentiam adhiberet quam nunc laudat David. Nos vero hoc spiritus

*) du povre, en marge: ou de l'affligé.

**) en marge: asçavoir l'affligé.

***) confortera, en marge: soulagera.

testimonio admoniti, cohibere discamus nimiam nostram festinationem. Prudenter autem indicandum est de afflictis fratribus, ut de eorum salute bene speremus: ne si inclementer ante tempus a nobis damnati fuerint, hic iniustus rigor in capita nostra recidat. Praecipue tamen notandum est quod supra attigi, Davidem malignis saevisque iudiciis fere obrutum, hac consolatione se armasse, ne tentationi succumberet. Discamus ergo et nos, si quando superbis hominum iudiciis fidem nostram labefactare molitur Satan, sensus nostros ad hanc prudentiam referre, ne desperatio nobis obrepat. Hic genuinus est praesentis doctrinae usus. (*In die mala liberabit.*) Quidam superiori membro coniungunt: et tolerabilis esset lectio, nisi haec distinctio aptior foret, quam et accentus adiuvat. Certe hinc plenior elicitur doctrina, Dominum liberatorem fore pauperis in die adverso. Putant nonnulli Davidem bene precari dextris et moderatis hominibus, ac si diceret: Dominus, si quando illos contingat misere affligi, vicissim rependat clementiae mercedem. Alii sentiunt referri illorum verba, ex quibus eorum prudentia et rectitudo perspicui queat. Falluntur tamen utrique (meo iudicio) dum sententiam hanc optative legunt. Sive autem in sua, sive in illorum persona loquatur David, breviter aequitatem commendat, quae nobis servanda est erga miseros: nempe quamvis ad tempus se Deus illis infensum ostendat, propitium tamen fore, vel laetior demum exitus appareat, quam iudicium ferri queat ex praesenti intuitu. Videmus nunc quanto hoc uberius sit et magis emphaticum, sperari a Domino salutem, etiam in die malo, nam alioqui nullus ex dolore emergeret. Neque enim solum hortatur fideles spiritus sanctus, ut propensi sint ad mansuetudinem, quoties vident fratres suos affligi, sed remedium quoque ostendit leniendi doloris, quoties rebus adversis concutitur fides nostra.

3. (*Iehova custodiet.*) Prosequitur eandem sententiam, quod Dominus miserum hominem custodiet, quem crudeles et iniqui perditum esse iactant. Semper autem repetenda est antithesis inter diem malum et liberationis gratiam. Eodem sensu additur restitutio in vitam, et felicitas in terra. Significat enim David, quamvis similis fuerit mortuo, sibi et piis omnibus spem vitae non fuisse extinctam. Posset quidem videri absurdum, quod sibi beatam vitam in mundo promittit: quia male nobiscum ageretur, nisi alibi melior nos conditio maneret. Sed quia de ipso multi desperaverant, diserte exprimit, se adhuc tamen fore superstitem, et quidem non sine manifestis gratiae Dei signis. Quibus verbis spem melioris vitae minime excludit. Quod sequitur de *lecto dolorum*, quosdam induxit ad divinationem (meo iudicio) parum firmam. Quod enim indefinite de afflictione narratur, ad morbum restrin-

gunt. Atqui minime novum est, qui moesto sunt animo, conicere se in lectulum, et decumbere, quia homines magis interdum tristitia exanimat quam morbus. Certe probabile est graviores aliquam cladem tunc fuisse Davidi inflictam, quae signum esset non vulgaris irae Dei. In secundo membro versus subest aliqua obscuritas. Quidam enim *stratumvertere* ita accipiunt, quasi Deus, ut refocillationem daret servo suo, culcitram eius componeret, ut aegrotis fieri solet quo mollius recumbant. Alii rectius (meo iudicio) versum dicunt esse lectum, qui morbo destinatus erat, ubi reddita fuit Davidi sanitas: hoc sensu, quamvis nunc moestus iaceat quem Dominus sub cruce erudit, brevi tamen ab eiusdem Dei manu continget levatio, qua vires recuperet.

5. *Ego dixi, Iehova miserere mei, sana animam meam: quia peccavi tibi.* 6. *Inimici mei dixerunt malum de me: Quando morietur, et peribit nomen eius?* 7. *Quod si venit ad visendum, mendaciter loquitur, cor eius accumulatur iniquitatem sibi: ubi egressus erit foras, loquetur.*

5. (*Ego dixi.*) Ostendit hoc versu in suis malis se minime captasse blanditias, sicuti maior pars sibi adulator, et suos dolores vanis solatiis mulceri cupit. Et corte quisquis spiritu Dei regitur, poenis admonitus sponte sua peccata agnosceret, ac placide fratrum suorum correctiones suscipiet: imo eas praeveniet voluntaria confessione. Porro, hac nota discernit se David a reprobis et desperatis, quod suppliciter culpam deprecatus sit, seque contulerit ad Dei misericordiam. Petit quidem poenam sibi laxari: sed altius orditur, nempe ut veniam adeptus reconcilietur Deo. Pervertunt enim ordinem, ut alibi diximus, qui externis malis remedium optantes, causam ipsam negligunt: perinde ac si quis febrim alendo, tantum sitim restingui vellet. Ergo antequam de animae sanitate verbum faciat, dicit, *Miserere mei*: cui debet coniungi quod paulo post sequitur, *quia peccavi tibi*. Deum enim merito sibi offensum fatetur, nec aliter propitium fore quam abolitis peccatis. Particulam *כי* in proprio et nativo sensu accipio, non adversative, ut quidam volunt. Ergo sibi ignosci petit, quia peccavit. Hinc sanitas, quae interponitur quasi misericordiae effectus, quia confidit David, impretrata venia se a calamitate levatum iri.

6. (*Inimici mei dixerunt.*) Dicere pro implicari hic ponitur. Hac vero indignitate ad misericordiam, ut alibi dictum fuit, Deum provocat, qui ad opem miseris ferendam eo benignius inclinatur, dum inclementer eos tractari videt. Atque ita suo exemplo nos ad fiduciam excitat et erigit, quia

hostium nostrorum saevitia, quo iniquior est, plus nobis favoris apud Deum conciliat. Forma etiam imprecationis quam crudele fuerit odium testatur: quod non nisi interitu, et quidem probroso, placari potest. Cuperent enim una cum ipso memoriam eius deleri. Quod proximo versu sequitur, ad perfidos amicos spectat. Nam qui ex professo hostes erant, palam eum insectabantur, idque proxime ostendit. Nunc contextit alteram querimoniam, multos ficto animo, ac si amici essent, accedere, qui tamen postea virus suum evomerent. Est autem hoc hostium genus magis timendum qui malitiam suam tegunt et foveant, seque insinuant ad nocendum. Postquam ergo de hostibus manifestis conquestus est, ad simulatos amicos descendit, quos dicit non alio fine venire, nisi ut *mendaciter loquantur*: interim fraudes in cordibus versare, adeoque clam *sibi coacervare iniquitatem*: perfidiam vero suam prodere, *ubi foras egressi sunt*.

8. *Simul adversum me susurrant omnes osiores mei, super me cogitant malum mihi.* 9. *Facinus*) Belial adhaeret ei, et qui iacet, non addet ut resurgat.* 10. *Etiam homo pacis meae in quo speravi, comedens panem meum, contra me extulit calcaneum.*

8. (*Simul adversum me, etc.*) Generaliter nunc videtur utrosque complecti, tam qui palam et hostiliter tentabant eum opprimere, quam qui sub amicitiae praetextu dolose et per insidias idem machinabantur. Dicit ergo de suo exitio sermones ab omnibus conferri, sicuti multis susurris improbi homines ultro citroque suas prodiones agitant. Ideo addit *cogitandi* verbum, quo perversas et sceleratas eorum consultationes notat. Ceterum, ex proximo versu patet, ideo sic conspirasse in eius perniciem, quod reprobum hominem ducerent dignumque mille mortibus. Atque haec superba insultatio ex maligno illo iudicio oriebatur, cuius in principio Psalmi meminit. Dicunt ergo *facinus Belial* tenere eum conclusum et velut coarctare. Hoc enim proprie significat verbum *יָצַק* Hebraeis. Quamquam in versione sequutus sum quod magis receptum erat.

9. (*Adhaeret ei.*) Quod alii reddunt, fundet in eum, nimis coactum videtur. De voce Belial diximus, Psalmo 18. Quia, autem grammatici compositam esse volunt ex *בְּלִי* et *יָעַל*, quod est Non ascendere, verbum *Belial* hoc loco interpretor scelus inexpiabile, vel a quo non sit regressus: nisi forte quis ad cladem ipsam referre malit, ac si dicerent hostes, malo insanabili constringi. Quidquid sit, statuunt Deum prorsus infestum esse

Davidi, et fore implacabilem, quia tam atrociter eum puniat. Nam spem melioris fortunae mox praecidunt hoc verbo, *non adiciet ut resurgat*. Fuit autem haec non levis tentatio, quum sibi recte conscius esset, sic praecipitari hominum damnatione usque ad ultionis inferos, sed ita placuit Deo servum suum probare, ut contentus bona conscientia nullis hominum probis cederet. Ac eius quoque exemplo nos docere voluit, alibi quam in terra quaerendam esse iustitiae mercedem, quia videmus quam iniqua trutina saepe mundus virtutes et vitia ponderet.

10. (*Etiam homo pacis meae.*) Hanc quasi malorum clausulam ponit David, quod in praecipuo amico, vel etiam pluribus, eandem expertus sit perfidiam. Numeri enim mutatio satis usitata est Hebraeis, ut de pluribus loquantur quasi de uno. Ita sensus esset, non modo vulgus hominum, vel alieni quibuscum mihi propior necessitudo non erat, sed praecipuus quisque ex amicis, imo ipsi familiares ac domestici, quos ad mensam et convictum meum admissi, contumeliose mihi insultant. Viros pacis Hebraei nominant propinquos et affines, sed hoc sanctioris amicitiae symbolum, *panem Davidis comedere*: quia perinde valet ac si diceret, contubernalem. Quod si quis de certo aliquo proditore accipere malit, non repugno. *Efferre calcem* metaphorice accipitur (meo iudicio) pro contumeliose insurgere in hominem deiectum. Alii interpretantur insidias moliri: sed alter ille sensus aptior: quum viderent improbi homines Davidem nutare, vel iam esse prostratum, hac occasione fuisse abusus, ut eum oblique et tamen simul proterve impeterent, quod solenne est pravis et servilibus naturis. Christus locum hunc citans Ioh. 13, 18 ad personam Iudae accommodat. Et certe sciendum est, quamvis de se loquatur in hoc Psalmo David, non tamen quasi privatum hominem loqui, sed qui sustineat Christi personam: quia commune est totius ecclesiae exemplar: idque notatu dignum est, ut quisque nostrum ad eandem sortem obeundam se comparet. Nam sicut solide in Christo impleri oportuit quod inchoatum erat in Davide: ita quotidie in singulis eius membris usu venire necesse est, ut non tantum violenter et aperto Marte vexentur, sed etiam domesticos habeant proditores: sicuti Paulus non tantum pugnas foris, sed intus quoque timores ecclesiae instare dicit.

11. *Et tu Iehova miserere mei: erige me, et rependam illis.* 12. *In hoc cognovi quod placuerim tibi, quia non iubilabit inimicus meus super me.* 13. *Et ego, in integritate mea*) sustentabis me, et*

*) Un acte, en marge: ou mesfait.

*) en mon intégrité, en marge: ou entier.

stabiles me coram facie tua in perpetuum. 14. *Benedictus Iehova Deus Israël a saeculo et usque in saeculum. Amen, et amen.*

11. (*Et tu Iehova.*) Iterum ex hostium suorum iniusta crudelitate colligit precandi fiduciam. Subest autem antithesis inter Deum et homines: ac si diceret, quando nihil in mundo subsidii vel opis restat, imo ubique fera immanitas grassatur, vel interior malitia, tu saltem Domine, misericordia tua subleves. Atque haec ratio miserie omnibus tenenda est, quos iniuste mundus persequitur, ne se tantum in defendendis iniuriis occupent, sed Deo commendent suam causam: et quo magis eorum mentes percellere conatur Satan, hucque et illuc distrahere, eo attentius in unum Deum eas colligant. Iterum vero suae restitutionis causam ponit misericordiam Dei. Sed durum est quod sequitur de vindicta. Nam si nuper vere et ex animo confessus est, merito se affligi, cur non aliis dat veniam, sicut sibi dari postulat? Hoc certe perperam esset abuti Dei gratia, ubi nos restituit, non imitari eius clementiam. Adde quod non fuisset humilitatis vel modestiae, adhuc in media morte spirare vindictam. Sed hic duo tenenda sunt, Davidem non fuisse quemlibet e vulgo, sed regem divinitus potestate instructum: deinde non carnis impulsu, sed pro ratione officii poenam hostibus denuntiare quam meriti sunt. Ergo si quisque promiscue, dum se de hostibus ulciscitur, Davidis exemplum obtendat, primo notandum est personae discrimen, deinde videndum ut idem in nobis regnet zelus, imo ut eodem regamur spiritu. David quum rex esset, Dei vindictam iure suo exsequi potuit: nobis manus sunt ligatae. Secundo ut Christi personam gessit, ita induit puros et sinceros affectus, ut non iracundiae suae morem gereret, sed Deo impenderet fidelem operam. Denique eodem modo exercuit iustum Dei iudicium, quo nobis precari licet ut Dominus ipse poenas sumat de impiis. Nam quia non sumus armati gladio, nostrum est ad coelestem iudicem confugere: sed composito animo rogandus est ut se vindicem nostrum ostendat: et cavendum, ne excusso spiritus fraeno, vota nostra intemperanter exsulent. Quod ad Davidem spectat, sic tulit eius vocatio, ut cogeret in eius obsequium rebelles ac in puniendis omnibus sceleratis legitimus esset Dei minister.

12. (*In hoc cognovi.*) Iam ad gratiarum actionem descendit: nisi forte mutato verbi tempore ita contexere placeat cum proximo versu: In hoc cognoscam te mihi propitium esse, si non fueris passus hostes meos triumphum agere. Sed gratulatio melius convenit. Postquam enim retulit suas preces, iam Deo liberationem suam adscribit, et praedicat hoc clarum et insigne esse eius beneficium. Quaeri

tamen potest, an haec satis firma sit notitia divini in nos amoris, dum hostibus nostris triumphare non permittit. Continget enim saepe aliquem eripi ex periculo, qui tamen propterea Deo gratus non erit. Ad haec beneplacitum Dei non ex nuda experientia, sed praecipue ex verbo eius cognoscitur. Responsio facilis est: Davidem non fidei fuisse expertem, sed in eius confirmationem amplexum esse quae Deus adminicula verbo suo postea addidit. Adde quod non communem tantum favorem quo prosequitur Deus omnes fideles, sed specialem gratiam qua electus fuerat in regem, videtur notare: ac si dixisset: Iam Domine, magis ac magis confirmor in fide adoptionis qua me dignatus es, ut primogenitus essem inter reges terrae. Hoc modo auxilium Dei, quo levatus fuerat ab una clade, ad totum regni statum extendit.

13. (*Et ego in integritate mea.*) Quidam expouunt, quia David integritatem coluerit, porrectam illi fuisse manum a Deo. Sed hoc superiori sententiae non admodum quadraret, ubi confessus est, merito se plecti: et quanquam eius calamitas hostium insultationi erat obnoxia, non tamen verisimile est eos fuisse auctores: ideo tempestiva non esset integritatis mentio in hunc finem: quia tunc Dominus respicere integritatem nostram dicitur, ubi ab hominum iniuriis nos vindicat. Quaerendus itaque alius sensus. Et quidem integritas tam ad corpus quam ad animam referri potest. Ego incolumis stabo, quia tu me sustentabis ac restitues. Videtur tamen longius extendere Dei gratiam, ac si non semel tantum eius manu se adiutum diceret, sed quamdiu prospere vixit, salutem suam fuisse eius virtute suffultam. Si de pictate vel sincero affectu intelligere quis malit, quod optime conveniet, non gloriatur David de vita anteacta: sed in ipso examine, quamvis Satan et improbi eius fidem labefactare conati sint, non tamen se fuisse alienatum a timore Dei narrat. Ergo patientiam suam hoc modo in medium proferret, quod graviter agitatus et concussus, non tamen a rectitudine desciverit. Verum si haec sententia placeat, notandum est, continuo post adscribi Deo beneficium hoc, quod steterit David invictus, et illos tentationum impulsus fortiter sustinuerit: et in futurum tempus non de alia quam manus Dei fultura eum sperare. Si de externo statu loquatur, contextus etiam bene fluat, Deum non ante finem gratiae suae facturum, quam servos suos in finem usque salvos praestet. Dicitur autem *stabilire coram facie sua*, quos ita tuetur ut claris signis paternam erga eos curam demonstret: sicuti dicitur faciem abscondere, dum videtur suorum oblivisci. Confirmat et repetit ultimo versu gratiarum actionem quam nuper attigerat, et nominatim *Deum Israel* exprimens, foedus cum patribus percussum sibi in animo penitus haerere

testatur, quia ex hoc fonte manaverat liberatio. Duplex *Amen* ad vehementiam positum est, quo melius incitarentur omnes pii ad laudandum Deum.

PSALMUS XLII.

ARG. Primo ostendit David, quum profugus erraret ob Saulis saevitiam, nihil sibi fuisse acerbius quam prohiberi a sanctuarii accessu, quod Dei cultum terrenis omnibus commodis praeferret. Deinde quam difficilis eum desperatione sibi fuerit lucta, commemorat. Precem etiam et gratiae Dei meditationem admiscet confirmandae spei suae causa. Postremo interius illud cum moerore suo certamen repetit.

1. *Praefecto erudiens filiis Corae.* 2. *Sicut cervus mat ad fontes aquarum, ita anima mea clamat ad Deum.* 3. *Sitivit anima mea ad Deum, ad Deum: quando ingrediar ut appaream coram facie tua?* 4. *Fuerunt mihi lacrymae meae panis die et nocte, quum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?*

1. (*Filiis Corae.*) Quia non adscribitur nomen Davidis, coniiciunt multi filios Corae Psalmi esse auctores, quod mihi nullo modo probatur. Nam cum in Davidis persona sit compositus, quem solus spiritu prophetico excelluisse inter omnes, quis credet ei fuisse aliunde dictatum? Compositus erat totius ecclesiae doctor, et insigne spiritus organon: Levitis, quorum pars erant filii Corae, multos alios canendos tradiderat, quod igitur opus esset eum precario ab illis mutuari hanc operam, praestandae longe superior erat? Mihi itaque credibile est, ideo nominari filios Corae, quia fuit ad eos depositus thesauri loco, ut scimus ex ceteris libris alios atque alios Psalmorum delectos esse custodes. Quod supprimitur Davidis mentio, nihil est in eo incommodi, quia idem videmus factum in aliis Psalmis, quorum tamen ipsum esse auctorem certis coniecturis licet colligere. De voce מַשְׁכָּח aliquid attigimus Psalmo 32. Fateor quidem non semper adscribi, quoties refert David se Dei ferulis fuisse castigatum: hoc tamen notandum est, proprie in castigationes competere, quarum finis est filios Dei erudire, ubi non satis ex doctrina proficiunt. De tempore etiam non prorsus convenit. Volunt enim quidam Davidem hic de clade sua conqueri, quum a filio Absalom esset expulsus. Ego vero bonis rationibus (nisi fallor) adductus, in contrariam sententiam magis inclino. Nam coniunctio Absalom statim sedata fuit, ut diu a sanctuarii accessu Davidem non impedierit. Atqui diserte diuturnum exsilium hic deplorat, sub quo fere contabuerit. Neque enim paucorum dierum moerorem tertio versu describit, imo totus contextus palam

ostendet diu ipsum iacuisse in misero isto statu de quo loquitur. Quod obtendunt: arcam foederis sub regno Saulis fuisse neglectam, ut non sit verisimile Davidem tunc solennes choros duxisse, non adeo firmum est. Quanquam enim nonnisi defunctorie Deum colebat Saul, noluit tamen profanus videri. Et David ipse alibi ostendit sedulo, festis praesertim diebus, sacros conventus frequentasse. Certe quod videbimus Psalmo 55: In domum Dei profecti sumus pariter, vel unanimes, ad tempus Saulis pertinet.

2. (*Sicut cervus clamat.*) Hi duo versus nihil aliud continent quam Davidem omnibus commodis, opibus, deliciis, honoribus denique praetulisse liberum sanctuarii accessum, ut mandatis in lege exercitiis fidem pietatemque suam aleret ac confirmaret. Nam quod se *ad Deum vivum clamaré* dicit, non simpliciter accipitur pro flagrare Dei amore et desiderio: sed in mentem venire debet quomodo nos ad se invitet Deus, et quibus adminiculis sursum attollat mentes nostras. Neque enim iubet recta nos in coelum conscendere, sed imbecillitati nostrae consulens, propius ad nos descendit. Clamavit igitur David ad Deum, sibi viam clausam esse reputans, quia ab externo cultu erat exclusus: quod vinculum est sacrae cum Deo coniunctionis: non quod per se Deo nos caeremoniae concilient, sed quia pietatis sunt exercitia, quibus carere non sustinet nostra infirmitas. Itaque a sanctuario exsulans David non aliter anxius est, quam si a Deo ipso esset alienatus. Non destitit quidem interea preces suas in coelum dirigere, imo ad ipsum quoque sanctuarium, sed infirmitatis suae conscius, viam qua ad Deum perveniunt fideles, sibi clausam esse dolenter ferebat. Quo exemplo refellitur eorum arrogantia, qui media haec secure praetereunt, imo superbe contemnunt, ac si in eorum arbitrio esset in coelum momentaneo volatu penetrare, quasi vero Davidem zelo et alacritate animi superent. Neque tamen substitit in terrenis elementis propheta*): sed quia sciebat alas sibi deesse quibus volaret, scalis usus est, per quas ad Deum contenderet. Similitudo cervi summum desiderii ardorem exprimit. Quod exponunt quidam fluvios expeti a cervis, ut se ex lassitudine reficiant, nimis forte restrictum est. Fateor quidem, si venator cervum urgeat et canes instant, occursu fluminis novas vires colligere: sed scimus etiam certis anni temporibus cervos incredibili ardore plus quam sitienter aquas expetere: quam sitim a propheta notari arbitror: etsi ea de re non contendo. Posterior autem versus clarius demonstrat quod dixi, Davidem non loqui simpliciter de praesentia Dei, sed cum circumstantia, quo-

*) C'est à sçavoir és ceremonies externes commandees en la Loy.

PSALMUS XLII.

m sibi tabernaculum, altare, sacrificia ritusque os proponit, quibus testatus fuerat Deus se pro-
nquam fore populo suo, atque ita fideles initium
de facere oportuit quum accedere ad Deum cupe-
rent, non ut illic manerent affixi, sed ut gloriam
Dei, quae per se abscondita est, signis adiuti quae-
rent. Ergo ubi notas praesentiae Dei in verbo
vel signis habemus insculptas, dicere licet cum
Davide, illic exstare Dei faciem, modo puros ani-
mos afferamus ad eum spiritualiter quaerendum.
Ubi autem Deum praesentem aliter imaginamur
quam se verbo et sacris signis patefecit, vel crasse
aliquid terrenumque concipimus de coelesti eius
maiestate, fingimus meras larvas, quae Dei glo-
riam deformant, eiusque veritatem convertunt in
mendacium.

4. (*Fuerunt mihi lacrymae.*) Alium doloris acu-
leum refert, quo eius animum pungebant reprobi et
malevoli. Nec dubium est quin talibus flabellis
usus fuerit Satan, quo eum gravius ureret: Quid
tibi vis? nonne te a Deo reiectum esse vides?
Nam certe in tabernaculo vult adorari, a cuius
accessu arceris et exulas. Erant violenti impetus
ad concutiendam sancti viri fidem. Apparet enim
virtute suffultus acriter repugnasset. Continget enim
quam serio affectu tactus fuerit. Continget enim
nos saepe moveri, ut tamen non abstrahamur a
cibo et potu: sed ubi quis cibum sponte abiicit,
lacrymis ita indulget ut se fraudet quotidiano victu,
assiduus est in moerore: non leviter torqueri appa-
ret. Dicit autem David, non alibi se plus reperisse
solatii quam in lacrymis: itaque se illis fuisse
deditum, non secus ac homines cibo oblectantur,
seque reficiunt: idque quotidie, quoties nobis insul-
tant impii, et odiose exprobant Deum nobis esse
adversum, a Satana impelli, ut fidem nostram dei-
ciat: ideoque non esse locum deliciis ubi tam
periculosum bellum nobis movetur. Accedit etiam
altera ratio, quod impiis ludibrio est nomen Dei,
quia non sine eius probro subsannant fidem nostram.
Nisi ergo ferrei simus, gravissimo dolore nos vul-
nerari par est.

5. *Haec dum recordor, effundo super me animam
meam, quia transibam in numero deducens eos usque
ad domum Dei, in voce exultationis et laudis, mul-
titudinem tripudiantem.* 6. *Cur deiiceris anima mea
et tumultuaria in me? exspecta Deum, quia adhuc
confitebor ei salutes vultus eius.* 7. *Deus mi, anima
mea super me deiecta est, dum recordor tui e terra
Iordanis, et Hermonum a monte Mizar.*

5. (*Haec dum recordor.*) Hic versus propter
temporum varietatem non nihil obscurus est. Non
adhuc quin genuinus sit sensus, Davidem,

quum memoria repeteret priorem statum, pri-
stitiae ex comparatione sensisse: recordatio, inquam,
practeriti temporis ad mala eius augenda non parum
momenti attulit, quod nunc templo carcat qui dux
et antesignanus reliquis fuerat ad obeundos sacros
coetus. Scimus, qui a prima pueritia malis sunt
assueti, callum contrahere, et ipsa pueritia malis sunt
tas generat in nobis quandam duritiem: quare nihil
mirum si David, qui non unus e vulgo fuerat, sed
nuper ordinem primum duxerat inter fideles, durius
crucietur, se prorsus reiectum videns, ac ne infi-
mum quidem sibi locum patere. Ita pronomen de-
monstrativum *Haec* cum proxima narratione contexo,
nempe quod recordatus fuerit David se transire
solum in numero piorum et eos deducere ad domum
Dei. *Effundere animam* evomere: aliis tantundem
nunt pro moerore suum evomere: sed mihi potius videtur
valet ac laetitia diffundi. Sed mihi potius videtur
dicere, affectus suos fuisse liquefactos quae eum
sive moerore. Nam anima hominis quae eum
sustinet, quamdiu collectum tenet suum vigorem,
dissolvitur immodico affectu, et quasi evanescit.
Dicitur ergo animam effundere qui sui compos non
est, quin sensus sui dissipati effluant: ac si diceret
David, animum suum prae tristitia liquecere ac
deficere, dum reputat unde ceciderit. Si de gaudio
exponere libeat, talis erit comparatio: Mihi olim
tam iucundum fuit ducere populi ordines ad sanc-
tuarium, ut gaudio animus meus liquesceret, neque
apud me essem: et si hoc idem bonum mihi red-
ditum fuerit, eadem laetitia sensus meos rapiet.
Ego tamen, quid mihi magis placeret, supra ex-
posui. Caeterum non est quod putemus Davidem
humano more fuisse obrutum tristitia, sed quia ex
praesenti miseria iudicium fecit de ira Dei, pie se
ipsum cruciavit, quod sua culpa Deum in se pro-
vocasset. Atque ut hoc omittam, videmus unde
conceptus fuerit dolor. Tot enim privatis incom-
modis gravatus, ob unum sanctuarium angitur, ut
ostendat sibi mitius esse carere vita, quam a Dei
conspectu exulare. Atque ita affectus nostros ad
paternum Dei favorem respiciat: doloris nostri
causa sit, eum habere infestum. Nam haec est se-
cundum Deum tristitia, cuius meminit Paulus 2. Cor.
7, 10. Per numerum, qui $\gamma\delta$ hebraice dicitur, non
dubito quin choros intellexerit David: quia non
confuse vel turmatim, sed per certos ordines gra-
diebantur, quum festis diebus ad tabernaculum ve-
nirent*).

6. (*Cur deiiceris anima mea.*) Hinc appare-
Davidem fortiter luctatum esse cum dolore, et
tentationi succumberet. Sed notemus, arduum

*) Vide ad Luc. 2, 44 in Harmonia evang. Calvinii
margine ed. gallicae.

8. *Abyssus ad abyssum clamat ad vocem canali-um tuorum: omnes fluctus tui et omnes illuviones tuae super me transierunt.* 9. *Die mandabit Iehova bonitatem suam, et nocte canticum eius mecum, oratio ad Deum vitae meae.*

8. (*Abyssus ad abyssum.*) His verbis tam malorum gravitas, quam congeries et diuturnitas exprimitur: ac si dixisset, non uno tantum genere malorum se premi, sed varia subinde recurrere, ut nullus sit finis nec modus. Primo *abyssi* nomine ostendit, tentationes quibus impetebatur, merito posse gurgitibus conferri: postea de longa continuatione queritur, et quidem aptissima figura, quod tentationes se procul inclinent, et aliae alias accersant. In secunda parte versus metaphoram prosequitur, quod *omnes fluctus et inundationes Dei super caput suum transierunt.* Quibus verbis significat afflictionum mole se fuisse obrutum et quasi absorptum. Sed notandum est quod saevitiam Saulis et hostium *Dei inundationes* appellat, ut meminimus semper in rebus adversis nos humiliare sub forti Dei manu quae nos affligit. Ultra deinde progredi operae pretium est, si in nos violenter plueri velit Deus, simulac suas cataractas aperuerit vel canales, nullum finem malis nostris fore, donec placatus fuerit. Habet enim miras et incognitas rationes, quibus nos persequatur. Ita ubi in nos ira eius effluerit, non una modo erit abyssus ad nos deglutandos, sed abyssus ad abyssum clamabit. Quoniam ea est hominum socordia, ut non satis metuant Dei minas: quoties agitur de eius vindicta, veniat nobis hic versus in mentem.

9. (*Die mandabit.*) Quanquam verbum est futuri temporis, non nego posse in praeteritum resolvi, ut quidam faciunt, qui Davidem putant superiora Dei beneficia colligere, ut de tristi et misero statu, in quo angitur, vehementius expostulet: ac si dixisset, Qui fit ut Deus qui se mihi tam elementem ante exhibuit, nunc quasi mutato animo summum rigorem exserat? Sed quia nulla ratio cogit tempus verbi mutare, adeoque altera expositio contextui videtur aptior, eam sequamur. Equidem non repugno quin David Dei beneficia quae iam expertus fuerat, in fidei suae subsidium adducat: existimo tamen eum sibi promittere in futurum tempus liberationem adhuc occultam: ideo de praeterito vel futuro tempore nolim rixari, modo hoc fixum maneat, Davidem ita ratiocinari: Cur non sperarem Deum mihi fore propitium, interdum ut mihi occurrat eius bonitas, et nocte canticum laetitiae mecum cubet? Certe hanc consolationem moerori opponit, quem ex horrendis, quae proximo versu retulit, irae Dei signis, concipere poterat. *Oratio* cuius in fine meminit, non est hominis afflicti vel anxii, sed gratulationem complectitur, ubi Deus favore suo

nos exhilarans, liberum ad se accessum reserat. Et ideo appellat *Deum vitae suae*, quia ex hac notitia emergit alacritas cordis.

10. *Dicam Deo rupi meae, Quare oblitus es mei? quare pullatus incedo in oppressione hostis?* 11. *Occisio*) in ossibus meis, dum me probro afficiunt inimici mei, dicentes mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* 12. *Quare delecta es anima mea? et quare tumultu-aris in me? spera in Deum, quia adhuc confitebor ei salutes vultus mei, et Deus meus.*

10. (*Dicam Deo rupi meae.*) Si proximum ver- sum legamus in tempore praeterito, sensus erit: Quum se mihi Deus antea ostenderit tam benefi- cum, eo maiore fiducia precabor, nam audacem ex- perientia me reddet. Si placeat futurum tempus, coniunget David precationem meditationi quam ex fide conceperat. Et certe quisquis sibi de paterno Dei favore persuadet quod nuper dixit, etiam eius exemplo animosius precabitur. Nunc ergo talis erit sensus: Quia mihi polliceor Deum propitium, ut interdum suam misericordiam mihi emittat, eam- que continuat, ut nocte quoque suppetat canendi materia, liberius apud eum mala mea deflebo, Domine *rupes mea, quare oblitus es mei?* Caeterum hac querela non intelligunt fideles se prorsus a Deo reiectos: quia nisi crederent sub eius cura et tutela se esse, frustra eum invocarent: sed carnis suae sensu ita loquuntur. Quare haec oblivio re- fertur tam ad externam speciem quam ad inquietudinem qua turbantur fideles secundum carnem, licet interea fide statuunt se a Deo respici, nec surdas sibi fore eius aures.

11. (*Occisio in ossibus.*) Quanquam oratio verbis est perplexa, in summa tamen rei nulla est obscuritas. Asserit enim David se non minori cum dolore fuisse vulneratum hostium probro, quam si ossa perforassent, quia *כרצח* occidere significat, sensum hunc in versione retinui. Neque tamen eorum im- probo sententiam, qui vertunt Gladium oecisorium. Diversa autem lectio est, quia quidam loco *כ* po- nunt *כ* notam similitudinis. Ego in re dubia malui literam prorsus omittere quae saepius super- vacua est. Sed de re ipsa (ut dixi) plane liquet, nisi quod interpretes non satis expendunt sub voce *ossium* notari acerbitatem doloris, quae maior sen- titur ex ossium percussione, quam si gladius per viscera vel flexibiles alias partes corpus transfodiat. Nec vero filiis Dei haec similitudo hyperbolica videri debet: ac si quis Davidem miratur tam moleste tulisse hostium subsannationem, ipse suum stuporem prodit. Nam atrocius nihil accidere potest inter

*) Blossure, en marge: ou tuerie.

saevisima quaeque mala, quam dum, ubi laceratur Dei maiestas, fidesque nostra letaliter impetitur. Nota est Pauli doctrina de persecutione Ismael, Gal. 4, 30: etsi enim puerilis risus pro nihilo a multis ducitur, quia tamen eo tendebat ut lusorium esset foedus Dei, saevissima persecutio secundum iudicium spiritus sancti censi debet. Ideo non immerito David probra hostium suorum, quibus verbum Dei cum sua fide calcari videbat, gladio occisorio confert, qui per ossa et medullas penetrat. Atque utinam discerent quicumque se iactant pro filiis Dei, privatas suas iniurias aequius perferre: ubi autem fides eorum cum Dei contumelia oppugnatur, et verbum etiam quod eos vivificat in idem trahitur ludibrium, hunc Davidis zelum induere.

12. (*Quare deiecta es anima mea?*) Repetitio haec admonet, non ita uno congressu Davidem vicisse suas tentationes, quin ad idem certamen descendere coactus fuerit. Quo exemplo monemur, quamvis eandem nobis molestiam facessat Satan, non tamen debere nos taedio frangi. Posterior pars versus vocem unam diversam habet a versu sexto, quum tamen reliqua omnia convenient. Hic enim ponitur relativum primae personae, *Salutes vultus mei*. Nescitur autem an desit in hoc loco litera *y* quae tertiam personam constituit: quia tamen in hac quam retuli lectione, conveniunt omnes codices, non absurde David vocare Deum potuit, salutes vultus sui, quod speraret claram et certam liberationem: ac si Deus visibili modo salutis vindicem se offerret. Certum quidem est hoc loco appositively Deum vocari *salutem*, quia continue post sequitur, *et Deus meus*.

PSALMUS XLIII.

ARG. Psalmus hic proximo affinis est. Nam David, quem probabile est eius auctorem esse, iniuste hostium violentia et tyrannide fugatus et expulsus a patria, Deum vindicem implorat, seque ad spem restitutionis hortatur.

1. *Iudica me Deus, et discepta litem meam: a gente non mansueta, a viro doloso et improbo eripe me.* 2. *Quia tu Deus fortitudinis meae: quare alienatus es a me? quare tristis incedo in oppensione hostis?* 3. *Mitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsae dirigant me, deducant me ad montem sanctitatis tuae, et ad tabernacula tua.* 4. *Et ingrediar ad altare Dei ad Deum laetitiae exsultationis meae: et celebrabo te in cithara, Deus Deus meus.* 5. *Cur te deiicis anima mea, et quare tumultuaris in me?*

Calvini opera. Vol. XXXI.

Spera in Deo, quia adhuc celebrabo eum salutem vultus mei, et Deum meum.

1. (*Iudica me Deus.*) Primo expostulat David de hostium suorum saevitia: paulo post tamen ostendet, nihil sibi tristius fuisse quam privari sanctuarii accessu. Est autem hoc bonae conscientiae signum, quod Deo causae suae patrocinium commendat. Nam *iudicare* istud quod primo loco ponit, nihil aliud est quam causam tuendam suscipere: et clarius deinde sensum suum exprimit per *disceptionem litis*. Haec quidem summa voti fuit, eripi ab improbis et scelestis, a quibus indigne affligebatur. Sed quia miseris et innoxiiis, qui praeter meritum vexantur, auxilium suum promittit: David primo loco se examinandum offert, ut cognita causae bonitate et perspecta, tandem suppetias ferat. Sicuti autem suavissima hinc consolatio ad nos redit, quod Deus causae nostrae cognitor esse non gravetur: ita frustra sperabimus eum fore iniuriarum nostrarum ultorem, nisi in medium prodeat nostra integritas, quae favorem nobis contra adversarios conciliet. Per *gentem non mansuetam* intelligitur tota hostium factio, quae immitis erat ac humanitatis expers. Quod sequitur de *viro doli* et iniquitatis, ad Saulem quidem referri potest, sed videtur potius enallage esse numeri.

2. (*Quia tu Deus fortitudinis.*) Parum differt hic versus a decimo Psalmi superioris: idque magis in verbis quam in re. Tentationi enim hunc clypeum opponens, quod Dei virtutem sibi adesse expertus fuerit, queritur se moestum incedere, quia hostium libidini sit quasi expositus. Nam quia hoc pro certo et confesso sumebat, non plus hostibus esse potestatis ad inferendas sibi molestias, quam Dominus permetteret: ideo tanquam de re absurda, quaerit, qui fiat ut praevalcant hostes, quum ipse sub Dei fide sit ac tutela. Hinc vero animum colligit ad precandum, ut Deus gratiam suam iterum exserat, quam ad tempus visus est abscondere. Per *lucem* intelligitur favor: quia sicuti res adversae non modo obscurant Dei faciem, sed coelum quoque nobis obnubilant: ita in Dei benedictione refulget laeta serenitas: imo lux vitae caliginem, sub qua moesti obruebamur, discutit. Atque hoc verbo significat, non aliunde contingere omnes miseras, nisi quia Deus paterni amoris signa subducit: simul vero ac laetam serenamque faciem ostendere dignatur, liberationem et salutem emergere. *Veritatem* adiungit, quia lucem nonnisi ex Dei promissionibus sperabat. Nam increduli, quamvis Deum sibi propitium esse cupiant, non tamen ad eius lucem attollunt oculos: quia semper in terram proclive est hominis ingenium, nisi Dei verbo sursum erigatur. Hinc ergo David fiduciam gratiae Dei concipit, quia Deus, qui verax est ac

PSALMUS XLIV.

ere non potest, servis suis se adfuturum sit licitus. Itaque sic resolvenda est oratio, Emitte sem tuam, quae fidei tuae mihi specimen sit ac documentum, vel quae re ipsa et effectu probet te lum esse in promissis ac minime fallacem. Etsi nim cognitio gratiae Dei ex verbo petenda est, nec fides aliter stabilis erit nisi verbo nitatur: non vulgaris tamen verbi et fidei confirmatio est ipsa experientia, dum ad nos iuvandos manum extendit Deus. Iam quid maxime expetat, et quem sibi proponat restitutionis scopum, exponit: *Dirigant me (inquit) et adducant ad montem sanctum tuum.* Sicut enim praecipua moeroris causa erat, exulare a coetu piorum: sic etiam caput omnium bonorum fore ducit, si frui liceat pietatis exercitiis, Deumque in sanctuario colere. Tacite quidem David votum gratiarum actionis nuncupat, sed minime dubium est, his verbis notari quem spectabat liberationis finem, ut scilicet liber pateret reditus in sanctuarium, unde hostium tyrannide expulsus et profligatus erat, idque notatu dignissimum est, quum uxore, fortune, domo aliisque commoditatibus spoliatus esset, templi semper desiderio sic aestuasse, ut alia omnia fere negligeret. Sed hoc breviter nunc attingere mihi sufficit, quia de tam pio affectu fusius proximo Psalmo disserui. Quaeritur tamen quomodo montis Sion fiat mentio, qui non nisi post mortem Saulis designatus fuit ad Dei cultum. Cuius nodi non alia occurrit solutio, nisi quod David longo post tempore Psalmum componens, quod alias in genere de tabernaculo dicturus erat, simul ad revelationem sibi postea datam deflexerit, in quo nihil est absurdi.

4. (*Et ingrediar ad altare*). Solenne Deo sacrificium promittit in memoriam liberationis. Neque enim de quotidiano tantum vel ordinario cultu loquitur, sed *altaris* nomine, ubi offerri solebant pacifica, illud quod dixi gratitudinis signum exprimit: ideoque vocat *Deum laetitiae* suae, quia ex moerore ad hilaritatem traductus hoc beneficium profiteri in animo habeat. Et *laetitiam* vocat *exultationis* ut liberationis gratiam splendidius commendat. Nam posterior genitivus epitheton valet: quo significat non vulgari se gaudio fuisse perfusum, ubi Deus eum praeter spem restituit. De quinto versu, quia proximo Psalmo quantum res postulabat disserui, nunc dicere supersedeo.

PSALMUS XLIV.

ARG. Constat Psalmus hic tribus praecipuis membris. Initio enim commemorant fideles immensam Dei misericordiam erga populum suum, et tot documenta quibus paternum amorem testatus fuerat. Deinde queruntur Deum se protitium non iam sentire, ut olim patribus fuerat. Tertio

in medium proferunt foedus cum Abraham percussum, quod se optima fide coluisse asserunt, quamvis duriter afflicti essent: et simul obiiciunt, non alia de causa crudeliter se vexari, nisi quod in sincero Dei cultu constanter permaneant. Subiicitur tandem precatio, ne Deus indignam suorum oppressionem negligat, praesertim quae redundat in pietatis contumeliam.

1. Praefecto filiorum Corae, erudiens.

Quis fuerit Psalmi auctor incertum est, nisi quod liquido constat, a quovis potius quam a Davide fuisse compositum. Querimoniae autem quas continet, proprie conveniunt in miserum illud et calamitosum tempus, quo grassata est saevissima tyrannis Antiochi, nisi forte latius extendere libeat: quia post reditum ab exsilio, nullum fere tempus a duris molestiis vacuum fuit. Certe aetati Davidis, sub cuius regno floruit ecclesia, non quadraret tale argumentum. Fieri etiam potest ut in ipso exsilio unus quispiam ex prophetis querimoniam hanc populo dicaverit. Quanquam simul notandum est, imaginem ecclesiae, qualis post Christum manifestatum futura erat, hic depingi. Paulus enim Rom. 8, 36. (ut suo loco iterum videbitur) non ita accipit, quasi illa fuerit unius saeculi conditio: sed admonet, iisdem aerumnis Christianos esse devotos, nec aliud sperandum illis esse usque ad finem mundi, quam quod in Iudaeis ab exsilio reversis quasi praeludium ostendit Deus. Apparuit quidem postea Christus ecclesiae redemptor, sed non in eum finem, ut luxurietur caro in terra, sed potius ut sub cruce militemus usque dum coelestis regni quies nos excipiat. Quid sibi velit nomen *משכיל*, alibi dictum est. Nam etsi interdum laetis argumentis inscribitur, eius tamen usus frequentior est, ubi agitur de rebus adversis: quia haec optima eruditionis species est, ubi Dominus ferociam nostram domando sub iugum nos cogit.

2. *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri narrarunt nobis opus quod fecisti in diebus ipsorum, diebus priscis.* 3. *Tu manu tua gentes expulisti, et plantasti eos:*) contrivisti populos, et propagasti eos.)** 4. *Quia non in gladio suo adepti sunt terram, et brachium suum non servavit eos, sed dextera tua, et brachium tuum, et lumen vultus tui: quia benevolus fuisti erga eos.*

2. (*Deus auribus nostris.*) Recensent Dei bonitatem, qua erga patres olim usus fuerat Deus, ut ipsa dissimilitudine ad clades suas levandas eum provocent. Praefantur autem, se nequaquam de rebus obscuris vel dubiis loqui, sed referre historias ab idoneis auctoribus probe testatas. Nam quod se

**) Asçavoir nos pères. (in gallico).

auribus suis dicunt *audisse*, non est pleonasmus, sed emphatice exprimunt, tam celebrem fuisse gratiae Dei famam, ut sublata sit omnis dubitatio. Addunt, notitiam hanc ab oculatis testibus per manus fuisse traditam; non quod patres qui ex Aegypto redempti fuerant, post annos mille et quingentos exposuerint posteris Dei beneficia, sed quia continua serie non tantum prima liberatio, sed varia auxilia, quae subinde attulerat Deus populo suo de manu (quod aiunt) in manum usque ad ultimam aetatem pervenerint. Quia ergo ex ore primae generationis loquuti sunt qui post multa saecula testes fuerant ac praecones gratiae Dei, merito dicunt fideles, quod sibi narratum fuit a patribus, compertum ipsis fuisse: quia cognitio vetustate non intercederat, sed vigeat propter continuam memoriam. Summa est, Deum non decem aut viginti annis beneficium fuisse erga Abrahae filios, sed ex quo eos complexus fuerat, non cessasse a continuis gratiae suae documentis.

3. (*Tu manu tua.*) Expositio est proximi versus. Nondum enim diserte notaverat opus illud Dei, patrum sermone celebratum. Nunc ergo addit Deum *expulisse manu sua gentes*, ut in earum locum filios Abrahae plantaret: male illas multasse, ut propagaret eosdem Abrahae filios. Veteres incolas terrae Canaan comparat arboribus, quia longa possessione illic radices egerant. Subita igitur quae contingit mutatio, perinde fuit ac si quis revulsis arboribus in earum locum alias substituatur. Sed quia non satis fuisset populum uno die plantari: additur secunda metaphora, qua fideles factum Dei benedictione fuisse docent, ut electus populus augesceret: sicuti arbor temporis successu tam radicem quam ramos longius emittens, magis confirmatur in loco quem occupat. Quorsum autem hanc Dei gratiam nunc praedicent fideles, notare operae pretium est, nam inde saepe nobis oboritur desperationis materia, dum colligimus, nos a Deo esse repudiatos, quia non eadem, quibus patres nostros dignatus est, beneficia erga nos prosequitur. Eset autem absurdum, fideles qui se ad precandum comparant, tali obstaculo fiduciam suam impedire. Ego certe verum esse fateor, quo magis in mentem nobis veniunt quae Deus in alios contulit beneficia, eo maiore tristitia nos pungi, ubi rebus nostris adversis non succurrit. Sed fides in alium finem nos dirigit, ut statuamus nos quoque tandem aliquid sensuros levationis, quia Deus sui similis manet. Nec dubium est quin hoc consilio fideles nunc revocent in memoriam quae Deus in ecclesiae suae salutem olim egerat, ut se in meliorem spem erigant, sicuti visum fuit initio Psalmi 22. Neque enim subsistunt in nuda comparatione, quae divortium faceret inter eos qui divinitus fuerunt servati, et qui nunc sub afflictionibus laborant et gemunt:

quin potius vinculum sanctae coniunctionis sibi ponunt in Dei foedere, ut inde colligant, ad se pertinere quidquid unquam in Deo bonitatis experta est ecclesia. Expostulant quidem primis verbis, quaerentes quid sibi velit paterni favoris interruptio: sed mox se ipsos colligunt, quia succedit nova cogitatio de fide et constantia Dei, qui eos non minus quam patres adoptavit. Quanquam mirum non est, in animis piorum diversos inter se affectus etiam precando configere. Sed Spiritus sanctus immodicum dolorem sedando, querimonias omnes cum patientia et obediendi studio conciliat. Caeterum quod dicunt redemptionem sibi narratam fuisse a patribus, praecepto legis respondet, quo iubentur patres docere filios suos. Atque hodie idem onus sibi a Deo esse iniunctum meminerint fideles: quia doctrinam salutis deponit apud eos hac lege, ut ad posteros transmittant: et quantum in se est, studeant eius imperium prorogare, quo per continuas aetates vigeat eius cultus.

4. (*Quoniam non in gladio.*) Confirmat a contrariis quod nuper docuit, nam si proprio Marte et industria terrae haereditatem adepti non sunt, sequitur, aliena manu fuisse plantatos. Quanquam enim egressa est ex Aegypto magna multitudo hominum: tamen quum imbelles essent, et servilibus tantum operibus assueti, statim consumpti fuissent ab hostibus, qui et copiis et virtute longe praestabant. Denique claris signis tam sua infirmitas populo, quam Dei virtus testata fuit: ut merito fateri debuerint, terram non suo gladio partam fuisse, et salutem Dei manu sibi fuisse allatam. *Dextrae* autem coniungitur *brachium*, amplificandi causa: ut sciamus non vulgari modo fuisse servatos. *Lumen vultus* hoc loco (ut alibi) pro favoris declaratione capitur: quia sicuti Deus faciem suam oppositis miseriis quodammodo obnubilat et contrahit: sic rursum Israelitae, quum eius virtute freti hostes sine magna difficultate longe lateque prosternerent, serenam et lucidam eius faciem intuiti sunt, ac si palam se illis propinquum ostenderet. Notanda autem ratiocinatio est qua utitur propheta, populum gratuito Dei dono terrae esse haeredem, quia virtute sua eam minime acquisierit. Tunc enim demum tribuere Deo incipimus quod suum est, ubi expendimus quam nihil sint vires nostrae. Et certe quod maligne sepiunt ut plurimum Dei beneficia homines, non aliunde fit nisi quod falsa imaginatione aliquid sibi proprium arrogent. Quare haec optima gratitudinis ratio, ubi stulta propriae virtutis opinio evanuerit. Sequitur deinde illustrius gratiae Dei elogium: ubi tota causa in Dei beneplacitum confertur. Neque enim aliquam in Abrahae persona dignitatem propheta fingit, vel in eius posteris aliqua merita fabricat, cur

tam liberaliter cum ipsis egerit Deus: sed totum adscribit Dei beneplacito, quod sumptum videtur ex Mosis contestatione: Non quia plures essetis aliis gentibus vel praestantiores, eligit vos Deus, sed quia dilexit patres vestros, Deut. 4, 37. Etsi autem specialis hic fit mentio terrae Canaan, generale tamen sumpsit principium propheta, cur populum illum Deus in grege suo censere dignatus sit. Et certe hic fons et origo est ecclesiae, nempe gratuitus Dei amor: et quibuscunque beneficiis prosequitur Deus suam ecclesiam, ex eodem fonte manat. Ideo quod collecti sumus in ecclesiam, quod foveamur ac protegimur Dei manu: causa non alibi quam in Deo quaerenda est. Nec vero hic de communi Dei benevolentia agitur, quae se extendit ad totum humanum genus, sed distinguitur electus populus a reliquo mundo, et discriminis causa ad merum Dei beneplacitum refertur.

5. *Tu ipse rex meus, Deus manda salutes Iacob.* 6. *In te adversarios nostros cornu petivimus: in nomine tuo calcavimus insurgentes contra nos.* 7. *Quia non in arcu meo sperabo, et gladius meus non servabit me:* 8. *Certe servasti nos ab hostibus nostris, et osiores nostros pudefecisti.* 9. *In Deo laudabimus toto die, et nomini tuo in saeculum confitebimur. Selah.*

5. (*Tu ipse rex.*) Hoc versu clarius expriment quod paulo ante attigi, nempe Dei bonitatem non solum in liberando populo fuisse conspicuam, sed per continuas aetates fluxisse: ideo dicit, *Tu ipse rex meus.* Hoc enim valet (meo iudicio) demonstrativum אֲנִי: ac si propheta longam beneficiorum Dei seriem in prima redemptione contexeret: ut appareat Deum, qui semel redemptor fuerat populi sui, non dissimilem fuisse erga posteros. Nisi forte emphatice positum sit asserendi causa, ut omnibus aliis exclusis et valere iuseis, Deum unum salutis suae praesidem celebrent. Hinc precationem quoque deducunt, ut Deus novas salutes ordinet ac emittat populo suo. Nam quia innumeros servandi modos in manu habet, *salutes* dicitur, quasi nuntios, quocunque visum fuerit, destinare.

6. (*In te adversarios.*) Exponit propheta quomodo se Deus regem populi ostenderit: tantum enim virtutis suppeditasse, ut cunctis hostibus essent formidabiles. Nam huc pertinet similitudo a tauris sumpta, plus quam humano robore fuisse instructos, ut quidquid obvium esset, cornibus disiectum ac prostratum calcarent. *In Deo, et in nomine Dei*, idem valent, nisi quod posterior loquutio significat, victorem ideo fuisse populum, quia sub Dei auspiciis militabat. Caeterum, quod de patribus nuper dixerant, nunc applicant ad se ipsos: quia idem erat ecclesiae corpus, et consulto id faciunt ad colligendam fiduciam: quia si a patribus se dis-

iungerent, diversa ratio cursum gratiae Dei quodammodo interrumperet. Nunc ubi datum sibi esse fatentur quidquid in patres Deus contulerat: secure petere licet ut continuet opus suum. Porro tenendum est quod supra admonui, hac ratione Deo in solidum adscribere suas victorias, quia nihil tale gladio vel arcu suo consequi poterant. Antithesis enim ista melius illustrat Dei gratiam, ubi reputamus quanta sit nostra inopia, et quam nihil simus extra Deum. Iterum ergo repetunt, se divinitus fuisse servatos, ab eodem Deo expulsos fuisse hostes et pudefactos.

9. (*In Deo laudabimus.*) Conclusio est primae partis. Nam in summa agnoscunt tantam saeculis omnibus fuisse Dei bonitatem erga filios Abrahae, ut continua gratiarum actionis materia suppeteret. Perinde enim ac si adhuc in praesenti forent, assiduam se Deo laudem debere agnoscunt: quia non uno saeculo vel exiguo tempore, sed continuis aetatibus floruerint, nam quidquid feliciter contigerat, acceptum referunt eius gratiae. Et certe tunc demum ex rebus prosperis sancta et rite composita laetitia concipitur, dum erumpit in laudes Dei. Ergo versum hunc meminimus ad laetum illud tempus referri quo Deus populum suum favore prosequabatur: deinde hic fideles testari suam gratitudinem, dum omni falsa iactantia deposita, fatentur ab uno Deo profectas esse omnes victorias, quibus in sublime elati fuerant, et unica eius virtute se haecenus stetit in incolumes. Tertio non semel vel iterum duntaxat sibi datam canendi fuisse causam, sed longo temporis successu varia paterni favoris documenta sibi exhibita fuisse, ut merito longa possessio spem eorum stabilire debuerit.

10. *Verumtamen abominatus es*) et pudefecisti nos, et non egredieris cum exercitibus nostris.* 11. *Convertisti nos retrorsum ab affligente, et osiores nostri conculcaverunt sibi.* 12. *Dedisti nos quasi oves in cibum: et inter gentes dispersisti nos.* 13. *Vendidisti populum tuum, nec inde divitiae,**) et non auxisti pretia ipsorum.* 14. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, ludibrium et subsannationem his qui circum nos sunt.* 15. *Posuisti nos proverbium in gentibus, agitationem capitis in populis.*

10. (*Verumtamen abominatus.*) Nunc sequitur expositulatio qua praesentes aerumnas et extremam calamitatem deplorant. Describitur autem mutatio, quae non modo testatur Deum a solita benevolentia destituisse, sed palam esse adversum populo suo et infestum. Primo queruntur, se per odium

*) Tu nous as deboutez, en marge: ou mis en oubli.

**) sans aucune chevanche, en marge: ou sans aucun prouffit pour toy.

fuisse reiectos. Id enim proprie significat verbum **נִרְדָּן**, quod Abominari, cum aliis, vertimus. Quanquam si quis malit, Oblivisci, vel longe abesse, non reclamo. Addunt postea se probro fuisse expositos; quia scilicet nudatis Dei praesidio infelicio- ter omnia succedere necesse fuit. Quod etiam mox declarant, ubi dicunt, Deum iam *non egredi* quasi ducem vel antesignanum, ubi ad bellandum pro- deunt. Postea longius extendunt suas querimonias, quod Deus ipsos in fugam coniecerit, quod in prae- dam et cibum exposuerit. Nam quia sanctis hoc persuasum est, fortes et animosos esse homines quatenus eos Deus sustinet arcana sua virtute: statuunt, in fuga et trepidatione divinitus metum incuti, ut ratio et cor deserant miseros homines. Atque haec sententia sumpta est ex lege, Dent. 32, 30. ubi dicit Moses: Quomodo coram uno fugerent mille vel duo fugarent decem millia, nisi quia Dominus tradidit nos, et conclusit in manum hostium? Quum ergo hoc fidelibus testatum foret: non im- putant fortunae quod expavescunt ad hostium con- spectum, in quos prius intrepide fortes impetus facere soliti erant: sed coelesti decreto fieri sentiunt ut agantur retrorsum. Et sicuti antea confessi sunt, fortitudinem suam priorem fuisse donum Dei, sic vicissim timiditatem a Deo sibi inflictam esse agnoscunt. Ubi autem ita Deus animos fregit, di- cunt se patere hostium libidini. Sic enim inter- pretor particulam **וְכֵן**, quod hostes pro arbitrio et sine ulla repugnantia quasi suam praedam diripue- rint. Eodem pertinet altera comparatio, ubi dicunt se datos fuisse *in cibum*, quo significat propheta, iam ante proelium devictos, ad satiendam hostium ingluviem, ultro ante pedes iacuisse. Notandum vero est, Deum fieri harum calamitatum auctorem, non obstrependi causa, sed ut confidentius ab eadem manu quae percussit et vulneravit, remedium pe- tant fideles. Et certe fieri non potest ut qui for- tunae imputant sua mala, serio ad Deum confu- giant, vel ab eo auxilium expectent et salutem. Quare ut medeatur Deus nostris miseriis, statuere convenit, non eas temere vel casu accidisse, sed eius manu esse inflictas. Ubi autem se proiectos hostibus fuisse dixerunt, simul addunt se dispersos fuisse inter gentes, quae dissipatio centum morti- bus erat acerbior. Nam quum tota illius populi gloria et felicitas in eo posita esset, ut sub Deo uno et rege uno collecti unum essent corpus, misceri gentibus quasi lacera membra, signum fuit extremae maledictionis.

13. (*Vendidisti populum.*) Venditos se absque lucro fuisse dicentes, intelligunt se prostitutos quasi vilia et nihili mancipia. Secundo etiam membro videntur ad morem licitandi alludere. Scimus enim venales servos non ante fuisse addictos emptoribus quam licitatio pretium auxisset. Intelligunt ergo,

quia pro nihilo habiti fuerint, se fuisse proiectos, ut deterior esset sua conditio quam omnium servo- rum. Quod autem se potius ad Deum convertunt quam ad hostes, de quorum superbia et crudelitate conqueri iure poterant, hinc discamus nihil melius nobis esse vel utilius, quam in rebus adversis repu- tare Dei providentiam et iudicium. Etsi enim, ubi nobis molesti sunt homines, cum diabolo qui eos instigat nobis negotium est, ad Deum tamen ipsum conscendere necesse est, ut sciamus ab eo nos pro- bari et examinari, sive ut nos castiget, sive ut pa- tientiam nostram exerceat, sive ut vitiosos subigat carnis nostrae affectus, sive ut nos humiliet erudi- atque ad nostri abnegationem. Iam quum audimus tam probrose habitos fuisse qui sub lege vixerunt patres, non est cur nos ullae contumeliae deiciant si quando huc nos Deus pertrahat. Neque enim Deus hic simpliciter quemlibet populum, sed suum vendidisse dicitur, ac si iam contemptibilis esset ei sua haereditas. Ac idem hodie etiam licebit in pre- cibus nostris conqueri, modo fidem nostram fulciat hoc exemplum, ne animos quantumvis afflicti despondeamus. Alio sensu dicit apud Iesaiam Deus populum a se venditum sine pretio, cap. 52, vers. 3. ut doceat nihil sibi in illis redimendis fore negotii, quia fidem emptoribus non habeat obstrictam.

14. (*Posuisti nos.*) De vicinis loquitur quibus omnibus vel simultas, vel apertum odium erat cum populo Dei: ac saepe quidem accidit, ut vicinitas quae ad conciliandum mutuum amorem valere de- bebat, invidiam, discordias et contentiones generet. Sed peculiaris fuit ratio in Iudaeis qui omnibus in- vitis terram occupaverant, et quorum religio apud alios quasi belli classicum erat. Erat etiam in mul- tis perversa aemulatio, ut Idumaeis quibus circum- cisio inflabat animos, ac si Deum Abrahæ ipsi quo- que colerent. Haec vero maior fuit indignitas, subiici eorum ludibriis quibus propter verum Dei cultum exosi erant. Mali atrocitatem alia circum- stantia amplificat fideles, quod undique haec pro- bra ingerantur: quia toto circuitu obsessi erant ab hostibus, ut ne momentum quidem illis quietum foret a molestia, nisi mirabiliter fuissent a Deo pro- tecti. Procedunt deinde longius, sed etiam inter gentes procul dissitas communem fuisse fabulam. Quanquam nomen **לִצְוֶה** quod *proverbium* vertunt, posset tam pro gravi imprecatione quam pro dic- terio sumi: sensus tamen eodem redit, nullum fuisse sub coelo magis detestabilem populum: quia vulgo eius nomen contumeliae causa inter prover- biales figuras volitaret. Huc quoque spectat *con- cussio* vel *agitatio capitis*, de qua dictum fuit Psalmo 22, 8. Nec dubium est quin Dei vindictam, cuius mentio in lege fiebat, fideles in se compleri ani- madverterint. Nam quo melius se expergefacerent ad consideranda Dei iudicia, quidquid poenarum de

ipsis Deus exegit, cum eius minis conferre, curae illis fuit. Lex autem, ista gentium ludibria quae commemorant, ad verbum denuntiaverat. Et ubi dicit *in gentibus et populis* emphatica est repetitio, quia minime consentaneum erat ut profanae gentes populum a Deo electum suis blasphemias proscinderent. Porro, non abs re conquestos esse, vel unus Ciceronis locus pro Flacco luculente testatur, ubi profanus ille rhetor pro sua superbia, non minus Deo, quam Iudaeis insultat, satis constare gentem esse diis invisam, quae tot cladibus subinde attrita, ad extremum miserrima servitute oppressa erat.

16. *Quotidie*) opprobrium meum coram me, et ignominia vultus mei obtegit me.* 17. *A voce exprobrantis et conviciantis, a facie adversarii et ultoris.* 18. *Totum hoc venit nobis, et non obliti sumus tui, nec perfide egimus in foedere tuo:* 19. *Non deflexit retro cor nostrum, nec declinavit gressus noster a semita tua.* 20. *Licet contriveris nos in loco draconum, et operueris nos umbra mortis.* 21. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et expandimus manus nostras ad deum alienum:* 22. *An non Deus requireret hoc? quia ipse novit abscondita cordis.*

16. (*Quotidie.*) כל היום longam durationem significat, sed potest accipi pro toto vel integro die a mane usque ad vespem, vel pro dierum recursum. Utamvis expositionem eligas, summa est nullum esse malorum finem. Quod iterum mutatur numerus, nihil absurdi est, concipi totius ecclesiae sermonem quasi in persona unius hominis. Sequitur postea cur pudore obruti vultum et oculos attollere non audeant: quia nulla datur a petulantia et hostium conviciis respiratio. Nam si permissum fuisset in latebras se abdere, devorassent utcumque in silentio suas miseras: sed vulnus duplicatum est, quum proterve illuderent hostes. Hunc ergo malorum cumulum sibi impositum esse deplorant: quod assidue cogantur probra et blasphemias audire, et hostes suos vocant ultores, quo nomine apud Hebraeos truculentia et crudelitas notatur cum fastu coniuncta, sicut diximus Psalmo 19.

18. (*Totum hoc venit.*) Quum prius Deo adscripserint quidquid patiebantur malorum, si nunc se immerito affligi dicant, Deum insimulant iniustitiae: ita iam non sancta esset precatio, imo sacrilega blasphemia. Sed notandum est, fideles, etiamsi in suis rebus adversis apertas causas non perspiciant, manere tamen in hoc principio defixos, constare Deo rationem cur eos tam severe et duriter tractet. Simul tamen notare operae pretium est, hic non de tempore praeterito verba fieri, sed potius in medium proferri tolerantiam, quae non vulgare

pietatis signum erat, quum obedienter iugo Dei collum subiicerent. Videmus enim ut maior pars, non secus atque equi feroces calcitrant, adversus Deum fremat, et pervicaciter insaniant. Quare non parum in vero Dei timore profecit qui se in afflictionibus continet sub pia custodia, ne qua impatientia transversum feratur. Nam et hypocritis facile est in rebus prosperis Deo benedicere: qui simulac rigidus apparet, in furorem erumpunt. Commemorant ergo fideles, quamvis tot malis a recto cursu abripi potuerint, se tamen non oblitos fuisse Dei, quin semper eum colerent, licet minus propitium ac clementem. Non ergo praedicant superiorum temporum virtutes, sed tantum obiiciunt se inter medias afflictiones constanter retinuisse Dei foedus. Et certe satis constat, longe antequam saeviret Antiochus, populum multis corruptelis fuisse refertum, quae Dei vindictam provocarunt, ut iactari ab ipsis non debuerit quae hic laudatur integritas. Verum quidem est, ut paulo post videbimus, Deum illis pepercisse, ut ob eius nomen magis quam propria delicta afflictus fuerint: sed haec Dei indulgentia efficere non debuit ut se eximerent reatu. Tenendum igitur est, nihil aliud nunc, quam suam patientiam in medium proferre, quia a Dei cultu inter graves et duras tentationes non defecerant. Primo autem negant se fuisse oblitos Dei, quia res adversae coelum quodammodo obnubilant, ut Dei memoria facile nobis intercidat, ac si longe essemus ab eo divisi. Addunt se non fuisse fallaces vel perfidos in eius foedere, quia tunc maxime, ut dixi, retegitur hominum impietas, ubi praeter animi sententiam urgentur. Tertia cor suum negant retro fuisse versum. Postremo gressus suos non declinasse a Dei semitis. Nam sicuti quotidie nos Deus invitat, sic corda nostra semper ad eius vocationem intenta esse decet. Hinc sequitur viarum directio: quia externis operibus et tota vita testamur, cor nostrum Deo sincere addictum esse. Ubi posui non declinavit gressus, altera etiam a quibusdam affertur probabilis lectio, Declinare fecisti gressum nostrum. Nam et verbum נָחַל transitive potest accipi, et nulla negatio ponitur, quanquam de sensu ab illis dissentio, quia locum hunc comparant cum illo Iesaeae 63, 17: Quare nos errare fecisti ut non ambulemus in viis tuis? Potius enim huc tendit querimonia, quoniam Deus manum suam ab illis subduxerit, misere per devia errasse, nam semitae Dei non semper referuntur ad doctrinam, sed ad secundos et optabiles eventus.

20. (*Licet contriveris nos.*) Particula causalis כִּי vel in adversativam resolvi debet, vel in adverbium temporis. Cohærent enim hi tres versus, et pendet sententia usque ad illam clausulam: Quia ipse novit abscondita cordis. Pluribus autem verbis recitant quod nuper vidimus, etiamsi in profundum

*) journellement, en marge: ou tout le jour.

malorum fuerint demersi, stetisse tamen rectos in suo gradu. Porro si expendimus in quas redacti fuerint angustias, non videbitur nobis hyperbolicum, quod se dicunt usque in abyssum fuisse contritos. Nam per *locum draconum* non intelligo deserta et solitudines, sed profundissimos gurgites maris, ideoque דַּרְגִּי potius de balaenis interpretor, sicuti et pluribus aliis locis, atque hanc sententiam confirmat posterius membrum, ubi queruntur se fuisse oportos *umbra mortis*: quod tantundem valet ac fuisse absorptos a morte ipsa. Sciamus autem in his verbis dictari nobis a spiritu sancto precandi formam: ideoque invictam fortitudinem nobis praecipi, quae nos sub malorum omnium congerie sustentet, ut vere testari liceat, etiam in summa desperatione, nos sperasse in Deo, nullis tentationibus excusam nobis fuisse eius timorem, nulla denique mole afflictionum fuisse fractos, quin semper in eum respexerimus. Sed loquutiones quibus utuntur propius notare operae pretium est. Nam ut ostendant se purum retinuisse Dei cultum, animis et manibus non nisi ad unum Deum Israel se intentos fuisse asserunt. Neque enim satis fuisset confusam aliquam opinionem deitatis apud se fovere, nisi vera religio apud eos viguisset. Nam et qui Deo obmurmurant, quamvis cogantur numen aliquod agnoscere, fabricant tamen sibi deum pro arbitrio. Atque hoc diaboli artificium est, quia non statim potest e cordibus evelere omnem religionis sensum, mentes nostras concutere his machinis, quaerendum esse alium deum, vel, quem hactenus coluimus, alio modo placandum esse, vel, aliunde quam ex lege et evangelio petendam esse gratiae eius certitudinem. Quum ergo inter malorum agitationes et fluctus, plusquam difficile sit recte compositos in pura fide manere, sedulo tenenda est ista obtestatio, quod sancti patres miseris omne genus confecti, non destiterint tamen recumbere in verum Deum, quod etiam clarius deinde in contextu exprimunt, *non expandimus manus nostras etc.* Quibus verbis significant se uno Deo contentos, non habuisse spes huc et illuc divisas, neque circumspexisse ut alia subsidia quaerent. Unde colligimus, quicumque animos suos distrahunt in spes varias, oblivisci veri Dei: cui non tribuimus suum honorem, nisi in eo solo acquiescimus. Et certe in legitimo eius cultu primum gradum obtinet fides, et quae inde nascitur invocatio: quia praecipua gloriae suae pars ei eripitur, dum extra eum quaerimus vel minimam salutis nostrae partem. Meminerimus ergo, hoc verum esse pietatis examen, ubi in abyssos deiectionis oculos, spes, et vota dirigimus in solum Deum. Quo convincitur impietas papatus, ubi postquam verbo tenus confessi sunt se credere unum Deum, prostituunt eius gloriam ad creaturas. Etsi enim excusent, se ad Christophorum et quos finxerunt sanctos con-

fugere, ut illis patronis gratiam coram Deo inveniant, constat tamen in forma invocandi nullum esse discrimen. Deinde etiamsi recipimus quod dicunt, frivola tamen excusatio est, patronos sibi quaerere: quia non sufficiat Christus, imo sepultum sit apud eos eius officium. Diligenter autem notanda est circumstantia huius loci, nam fideles se negant manus expandisse ad alios deos: quia vitium est nimis vulgare, si continua mala urgeant Deo posthabito, quaerere alia remedia. Quamdiu nos blande et suaviter fovet Deus, ad eum nos conferimus: sed ubi quid adversi contingit, mox incipimus ambigere. Si vero ulterius premimur, imo si nullus est malorum finis, ipsa assiduitas sollicitat nos ad desperationem, desperatio generat perversas fiducias, hinc novorum deorum fabrica. De elevatione manuum alibi dictum est.

22. (*An non Deus requiret.*) Gravis est et seria obtestatio, dum audent Deum suae integritatis arbitrum statuere: unde constat eos non egisse causam suam coram mundo, sed secum loquutos quasi ad Dei tribunal, confidentius etiam addunt nihil Deo esse absconditum. Unde enim fit ut saepe Deum testem citent hypocritae, nisi quia, dum fuco obtegunt suam pravitatem, se ex Dei iudicio elapsos esse putant: atque ita transfigurant Deum, quasi suis fallaciis oculos eius perstringerent. Quoties ergo prodimus in conspectum Dei, veniat simul in mentem eius memoria, quoniam est cordium cognitor, vanis coloribus nihil apud eum profici.

23. *Certe propter te occidimur quotidie, aestimati sumus tanquam oves mactationis.* 24. *Exsurge, quare obdormis Domine? evigila, ne obliviscaris in finem.* 25. *Quare faciem tuam abscondis? oblivisceris miseriae nostrae et afflictionis nostrae?* 26. *Quoniam afflicta est ad pulverem anima nostra, adhaesit terrae venter noster.* 27. *Exsurge in auxilium nobis, et redime nos propter bonitatem tuam.*

23. (*Certe propter te.*) Alia ratione Dei misericordiam sibi conciliant fideles, quia non ob sua maleficia plectantur, sed tantum propter Dei nomen infestos sibi habeant incredulos. Videtur quidem primo intuitu stulta esse querimonia: nam speciosior fuit illa responsio Socratis in obiurganda uxore, quum diceret, satius esse insontem perire, quam sua culpa. Imo consolatio quam proponit Christus, Matth. 5, 10. videtur longe ab his verbis differre, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Item Petrus: Si quis propter nomen Christi patitur, haec potius materia est laetitiae et gratulationis, 1. Pet. 4, 14. Respondeo, Quamvis optimum sit doloris solatium, causam nobis esse coniunctam cum Christo: non tamen frustra nec perperam fideles Deo obicere, indigne se eius causa affligi: quo se

sibi acquirere. Dicit Solomo ipse in Proverbiis, Prov. 20, 28: Iustitia et clementia stabiliri regis thronum. Atqui dum volunt profani reges potentiam suam efferre et munire, equi eorum et quadrigae sunt ambitio, fastus, ferocia, crudelitas, exactiones, rapinae, violentia: itaque non mirum si Deus saepe ex ventosis vel putridis soliis eos deturbet. Quare haec vera est ac solida regnorum stabilitas, fidem et iustitiam colere, et clementia moderari suum imperium. Posterius membrum admonet, feliciter cessurum quidquid Solomo tentabit, si temperamentum iustitiae et mansuetudinis bellicae fortitudini adiungat, nam qui caeco et turbulento impetu feruntur reges, etiamsi ad momentum metu et pavore omnia repleant, mole statim sua concidunt. Facit igitur iusta et aequabilis moderatio ut manus fortium tremendae sint. Proximo versu redit ab bellicam potentiam, quum dicit *sagittas regis acutas* fore, ut penetrent in corda hostium: quibus verbis significat tela in manu esse, quibus procul feriat hostes quicumque eius imperio repugnaverint, quo etiam sensu *populos* sub eo *sterrendos* fore dicit: ac si diceret, Quicumque ausi fuerint ad labefectandum regni eius statum insurgere, misere perituros: quia ad frangendam omnium contumaciam satis erit praesidii in regis manu.

7. *Solium tuum Deus in saeculum et usque: sceptrum rectitudinis, sceptrum regni tui.* 8. *Diligis iustitiam, et odio habes impietatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.*

7. (*Solium tuum.*) Alias regias virtutes in Solomone commendat, quod solium eius aeternum sit: deinde quod iusta rectaque gubernandi ratio. Nam quod Iudaei locum hunc depravant, quasi ad Deum fieret sermo, nimis putidum est. Quod etiam alii **אלהים** in genitivo casu legunt, ratione caret, ac prodit eorum impudentiam, dum scripturam turpiter lacerare non dubitant, ne Messiae divinitatem cogantur fateri. Simplex autem et genuinus sensus est, Solomonem non tyrannice dominari, ut plerisque reges, sed rectis et aequis legibus, ideoque solium eius omnibus saeculis fore stabile. Quanquam autem *Deus* vocatur, quia regibus aliquam gloriae suae notam Deus insculpsit, non potuit tamen elogium hoc in homine mortali subsistere: quia nusquam legimus vel hominem vel angelum hoc titulo ornatum esse absque ulla adiectione. Sic quidem plurali numero vocantur tam angeli quam iudices, sed nemo unus vocatur **אלהים** quin addatur aliqua restrictio: sicuti dum Moses constituitur in deum Pharaonis: Exod. 7, 1. unde colligere licet, canticum hoc altius quam ad umbratile regnum spectare, ut mox videbimus. Proximo versu ponitur clarior definitio rectitudinis, quod scilicet non minus severus

sit iniquitatis vindex quam assertor iustitiae. Scimus enim quantas dissipationes gignat impunitas et licentia, ubi reges in puniendis sceleribus molles sunt et remissi: unde illud vetus dicterium, Deterrus esse vivere sub principe sub quo licent omnia, quam sub quo nihil licet. Nota est etiam Solomonis sententia, Prov. 17, 15: Qui iustificat impium et comdemnat iustum, uterque abominatio est Deo. Recta igitur moderatio his duobus membris constat, ut qui praesunt severe coerceant maleficia, et iustitiam strenue asserant: sicuti a Platone scite et prudenter dictum est, politicum ordinem duabus partibus constare, praemiis, et poenis. Quod addit *unctum fuisse prae sociis*, non ponitur tanquam effectus iustitiae, sed potius causa est: quia inde recti et aequi studium Solomoni, quod populo in regem divinitus praefectus esset. Nam Deus ad honorem et imperium destinans, simul necessariis dotibus eum instruxit: itaque particula **עליו** rursus hoc loco valet quia: ac si diceret, non mirum esse quod Solomo tam praeclarus sit iustitiae cultor, quandoquidem electus est ex fratribus numero, qui sacra unctione rex adoptaretur. Nam coelesti oraculo, antequam nasceretur, nuncupatus est regni successor: et postquam impositus est solio, regis quoque virtutibus ornatus est, unde sequitur, unctionem ordine priorem fuisse iustitia, atque ita non posse eius causam censer. *Oleum laetitiae* vocatur ab effectu, quia ecclesiae felicitas et salus ex regno illo pendeat.

Huc usque literalem sensum exposui: nunc Solomonis cum Christo comparatio, quam obiter attigi, paulo uberius nobis tractanda est, quanquam piis et modestis hominibus sufficiet, quod frequenti scripturae usu notum est. Veteri populo in posteris Davidis propositam fuisse Christi imaginem, quia tamen Iudaei et alii profani homines non facile veritati cedunt, ex contextu ipso breviter colligere operae pretium est, non solide nec perfecte in Solomonem competere partem eorum quae hic dicuntur. Ac tale sane, ut initio admonui, prophetae consilium fuit, a trepidatione revocare pias mentes, quam incutere potuit tristis mutatio, quae paulo post accidit. Promissa fuerat regni aeternitas, quod uno homine mortuo collapsum est. Excipit igitur propheta: Quamvis abscissa magna parte populi, in fines angustos redactus fuerit Rehabeam, qui primus fuit tam splendidi et opulenti regni successor, non esse tamen cur labascit ecclesiae fides: quia illic exhibita fuerit figura aeterni regni quod adhuc sperandum erat. Ac primum quidem *regis* nomen per excellentiam Solomoni tribuitur, ut sciamus non de rege quolibet haberi sermonem, sed memorabili illo rege, cuius solium Deus statutum promisit, donec fulgeant in coelo sol et luna, Psal. 72, 5. David certe rex fuerat, et qui deinde sequuti sunt.

Notatio igitur est in hac voce, ac si hunc unum ex aliorum ordine delectum spiritus sanctus in summo gradu locaret. Iam bellicam fortitudinem in Solomone tantopere celebrari qui conveniet, qui et mansueto fuit ingenio, et tranquillum statum adeptus, pacis artes tantum coluit, nullum unquam in bello edidit sui specimen? Sed nihil hoc testimonio clarius afferri potest, ubi asseritur regni perpetuitas. Neque enim dubium est quin notetur oraculum cuius nuper memini, Donec sol et luna in coelo manebunt, stabit quoque solium Davidis, Psal. 72, 5. Atqui hoc Iudaei etiam ipsi coguntur ad Messiam referre. Ergo propheta quamvis de filio Davidis sermonem inchoaverit, spiritu tamen altius adscendens, regnum veri et perpetui Messiae complexus est. Huc accedit nomen אֱלֹהִים, quod etsi communiter ad angelos et homines transfertur, simpliciter tamen in unum hominem non quadrat, itaque non dubium est quin divina Christi maiestas diserte hic notetur. Nunc descendo ad singulas partes, quas tamen obiter tantum percurram. Diximus carmen ita vocari *amatorium* vel *nuptiale*, ut sancta eruditio primum locum obtineat, ne quos fingamus lascivos amores vel terrenos. Eodem sensu sciamus Christum vocari *speciosum forma*, non quod oris pulcritudine spectabilis fuerit, sicuti crassi homines somniant: sed quia eximiis dotibus ornatus fuerit, quibus alios omnes supereminet. Neque enim novum est, quod in Christo spirituale est, sub terrenis figuris describi. Regnum Christi opulentum fore dicitur: additur magnificus splendor, qualis in felici abundantia et magna potentia conspicitur: adduntur etiam deliciae, atqui nihil horum convenit Christi regno, quod alienum est a mundi pompis, sed prophetae, quum suam doctrinam accommodare vellent ad captum populi, non de illo secus ac de cultu Dei loquuti sunt, quem adumbrant sub legalibus caeremoniis. Hanc analogiam si tenemus, nulla restabit huius loci obscuritas. Iam quod rex divinus, postquam laudatus est a facundia, armatur etiam gladio, notatu dignum est, nam et oris facundia voluntarios ac dociles gubernat: et quia multi omnibus saeculis rebelles fuerunt et immorigeri, ac futuri sunt, necesse est omnes incredulos exitio suo sentire, Christum non venisse inermem. Ergo dum nos suaviter ad se invitat, subeamus prompto obsequio eius iugum, ne gladio et mortiferis sagittis accinctus in nos ruat. Merito quidem dicitur, in labiis eius diffusam esse gratiam, quia evangelium, vitae odorem natura sua spirat: verum si prae fracti simus, haec gratia in terrorem vertetur: et Christus ex salutis doctrina, gladium sibi et sagittas conflabit. Hinc etiam nobis suggeritur non parva consolatio, ne multitudo et superbia hostium Christi nos exanimet. Videmus quam superbe papistae Christum repudient, quem sibi

iactant esse regem: quam profano etiam contemptu maior pars mundi illudat: quam petulanter Turcae et Iudaei maledicant. Ergo in rebus tam confusis occurrat nobis vaticinium hoc, Christo gladium et sagittas sternendis et perdendis hostibus suppetere. Iterum breviter hoc loco repetam quod ante attigi: utcunque versum hunc suis cavillis eludere Iudaei conentur, solium tuum Deus in saeculum saeculi, satis tamen valere ad aeternam Christi divinitatem probandam: quia dum nomen אֱלֹהִים vel angelis vel hominibus adscribitur, simul addi solet nota aliqua quae discernat eos a vero et unico Deo: hic autem simpliciter confertur in Christum et absque ulla exceptione. Iam vero notare operae pretium est, sermonem hic de Christo haberi, quatenus Deus est manifestatus in carne. Etsi enim Deus vocatur, quia sermo est a patre genitus ante saecula, hic tamen statuitur in persona mediatoris: unde et paulo post Deo subiicitur. Et certe si ad divinam eius naturam restringas quod dicitur de aeterno eius regno, peribit nobis inaeestimabilis fructus, quem ex hac doctrina percipimus: dum intelligimus, quatenus caput est ecclesiae, et salutis nostrae custos ac praeses, non regnare ad tempus, sed aeterno imperio potiri, quia hinc nobis solida tam in vita quam in morte securitas. Clare etiam ex proximo contextu patet, Christum nobis mediatorem proponi, quia unctus a Deo suo dicitur, et quidem prae sociis. Id autem in aeternum Dei sermonem non competit, sed in Christum carne indutum, in qua et servus Dei est, et frater noster.

9. *Myrrha et aloë, et casia omnibus vestimentis tuis, ex palatiis eburneis unde laetificaverunt te.* 10. *Filiae regum inter honorabiles tuas:*) adstitit coniunx ad dexteram tuam in auro Ophir.* 11. *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* 12. *Et amabit rex decorem tuum: quia ipse dominus tuus, et adorabis eum.**)* 13. *Et filia Tyri cum munere: vultum tuum deprecabuntur divites populi.*

9. (*Myrrha et aloë.*) Ego de vocibus anxie non disputo, quia ne inter Hébraeos quidem satis convenit quid significet tertium nomen, nisi quod ex similitudine conicere licet esse casiam. Satis est quod propheta dicit vestes regis, aromaticis et pretiosis odoribus esse perfusas. Solomonem vero describit prodeuntem ex eburneo palatio, unde omnes ei gratulantur et applaudunt. Particulam enim מַלְכִי non interpretor, ex me, quia nullum tolerabilem sensum inde elicere liceret, sed refero ad palatia. Quanquam autem non in plebe modo, sed in regibus

*) entre tes honorables, *en marge*: ou dames d'honneur.
**) et l'adoreras, *en marge*: ou luy porteras reverence.

quoque vitio non carent luxuria et superfluae deliciae: ab altera tamen parte cavenda est nimia austeritas, ne moderatum splendorem, qui eorum dignitati respondeat, prorsus damnemus, sicuti paulo post inducitur regina sumptuose et magnifice ornata. Interea tamen sciendum est, non probatum fuisse Deo quidquid hic laudatur in Solomone. Atque ut de aliis taceam, Deo certe statim ab initio displicuit polygamia. Atqui inter benedictiones Dei ponuntur concubinae, neque enim dubium est quin per *honorabiles* propheta significet uxores quarum alibi fit mentio. Quamvis enim summum gradum teneret uxor Aegyptia, alias tamen quas sacra historia in medio ordine ponit, liberaliter et honorifice tractatas fuisse apparet: quas ideo filias regum vocat propheta, quod ex illis nonnullae regio genere ortae essent. Quo modo igitur polygamiam quam Deus in privatis omnibus, nominatim vero in regibus improbat, in Solomonis laudibus recenset propheta? Certe colligere promptum est, dum vulgari more celebrantur regis opulentia et gloria, non probari abusum: quia prophetae consilium non fuit, exemplum hominis in certamen cum Dei regula committere. Fuit quidem potentia, dignitas et splendor Solomonis non vulgaris Dei benedictio: sed quam ipse (ut fieri solet) multis corruptelis vitiavit, dum sibi non satis temperat, sed largiore copia ad carnis suae licentiam abutitur. In summa, quam liberaliter Deus rerum omnium abundantiam in Solomonem effuderit, hic narratur. Quod autem sibi coacervavit multas uxores, nec frugalem modum in splendore adhibuit, hoc est quasi accidentale.

11. (*Audi filia.*) De uxore aegyptiaca, quam nuper dixit stare ad dextrum latus regis, sermonem haberi non dubito. Etsi autem Solomoni alienigenam ducere uxorem fas non fuit, merito tamen hoc quoque numeratur inter Dei dona, quod a rege potentissimo quaesita fuerit illius affinitas. Iam vero quia ex legis praescripto Iudaeos oportuit dare operam, ut uxores ante congressum assuefacerent ad purum cultum Dei, et superstitionibus exuerent, puellam ex profana gente natam, quae per novum coniugium insita erat in ecclesiae corpus, propheta a prava educatione revocans, iubet deposita memoria patriae et paternae domus, induere aliud ingenium et alios mores. Alioqui enim periculum erat non modo ne privatim foveret vitiosos cultus, quibus assueverat, sed etiam ne publice suo exemplo multos in societatem criminis traheret: quod postea contigit: haec fuit exhortationis ratio, in qua, ut auctoritatem sibi conciliet, *filiae* nomine utitur, quod in persona cuiuslibet privati hominis fuisset ineptum. Iam quo melius pateat quanti intersit novam nuptam prorsus renovari, attentionem pluribus verbis exigit, *Audi, considera, et inclina aurem tuam.* Nam

certe hic vehementia et acerbis stimulis opus est, ubi de abnegatione eorum omnium agitur, quae natura vel consuetudine nobis placent. Admonet autem non esse cur filia Pharaonis aegre patrem, cognatos, totamque Aegyptum deserat: quia ad sedandam absentiae tristitiam praeclara compensatio occurrat. Contentam enim tali marito esse iubet, ut patria libenter careat. Rodeamus nunc ad Christum, ac primo meminerimus, quod spirituale est in eius regno, figurate nobis describi: sicuti propter hominum crassitiam coacti sunt prophetae similitudines mutuari a rebus terrenis. Si tonemus hanc loquendi rationem quae passim trita est in scripturis, non mirabimur quod propheta de palatiis eburneis, auro, gemmis et aromatibus praedicat, significat enim felici bonorum omnium affluentia refertum fore. Quanquam autem donorum spiritualium, quibus ecclesiam suam Deus locupletat, splendor et dignitas a mundo contemnitur, coram Deo tamen praestat omnibus mundi divitiis: etsi necesse non est singula membra curiose ad Christum aptari, quale est quod de multis uxoribus dicitur. Nam si plures fingantur ecclesiae, lacerabitur corporis Christi unitas. Verum quidem est, sicuti quisque fidelium vocatur templum Dei, 1. Cor. 3, 17. ita quodammodo posse vocari Christi sponsam: sed proprie loquendo unica est sponsa, quae ex universo piorum coetu colligitur. Dicitur autem sedere ad latus regis, non quod peculiare aliquod imperium exerceat, sed quoniam in ea dominatur Christus, quo sensu vocatur nostra omnium mater, Galat. 4, 26. Continet autem hic locus insigne vaticinium de futura gentium vocatione: qua factum est ut filius Dei affinitatem cum alienis et hostibus suis contraxerit. Erat enim inter Deum et omnes incircumcisos populos hostile dissidium: et maceria interposita, quae illos ab electo Abrahae genere discerneret: quia foedus quod cum Abraham pepigerat Deus, gentes a regno coelorum usque ad Christi exhibitionem arcebat. Sacro itaque coniugio mundum dignatus est, non secus ac si olim Iudaeus uxorem e gente externa et profana sumpsisset. Porro ut castam et integram sponsam propheta Christo sistat, hortatur ecclesiam ex gentibus adscitam, ut prioris vitae oblita, penitus se marito devoveat. Et quia mutatio haec qua transfigurantur in novos homines, qui ex filiis Adae filii Dei esse incipiunt, difficilis est, eam vehementius urget propheta. Nam hac verborum congerie, Audi, vide, inclina aurem, significat fideles non sine arduo et laborioso conatu se ipsos cum pristina educatione exuere: quia apud propensos et voluntarios supervacua esset talis exhortatio. Et certe experientia ostendit quam segnes ac tardi simus ad sequendum Deum. Verbo autem *videndi* merito perstringitur nostra socordia, quia inde tam caecus nostri amor, falsa opinio prudentiae

et virtutis, mundi illecebrae, arrogantia denique et fastus, quod non reputamus quam pretiosum thesaurum Deus in Filio suo unigenito nobis offerat. Nisi obstaret haec ingratitude, molestum non esset, Pauli exemplo, ad Philipp., capite tertio, versu octavo, quidquid miramur, pro stercore vel nihilo ducere, ut suis nos opibus Christus ditaret. Sicut autem *Filiae* nomine novam ecclesiam blande et suaviter demulcet: ita et praemio allicit, ut libenter in Christi gratiam, quidquid hactenus carum habuit spernat ac relinquit. Neque enim vulgare solatium est nos filio Dei in summis deliciis fore, ubi terrenum ingenium exuerimus. Interea discamus, nostri abnegationem sacrae cum Christo coniunctionis principium esse. Nam per *domum patris et populum*, haud dubie corruptelas omnes intelligit propheta, quas ex utero afferimus, vel quas imbibimus mala consuetudine, imo sub hac loquutione complectitur quidquid ex seipsis habent homines: quia nulla naturae pars integra est, vel a corruptione immunis. Notanda etiam est quae additur ratio, iustam et legitimam subiectionem excutere ecclesiam, nisi Christo se addicat. Nam *adorandi* verbo non externa modo caeremonia, sed pius reverentiae et praestandi obsequii affectus per synecochen notatur. Atque utinam probe, ut par erat, expensa fuisset haec admonitio: quia et Christi imperio melius parvisset ecclesia, et hodie de eius autoritate non esset nobis tantum cum papistis certamen, qui ecclesiam non satis honorifice haberi putant, nisi effraeni licentia contra maritum exsultet. Nam etsi summum imperium verbo tenus Christo concedunt, ut coram eo flectatur omne genu, quum tamen immensam in ferendis legibus potestatem ecclesiae arrogant, quid hoc aliud est quam fraeno solvere, ut sine modo lasciviat? Omitto quod scelerate titulum ecclesiae ad se rapiunt, sed hoc non ferendum sacrilegium est, Christi spoliis ipsam ornare. Est quidem haec non parva dignitas, sedere ad dexteram regis, sicuti non vulgaris honor est, piorum omnium censi matrem, quae sub disciplina sua eos contineat, sed ex innumeris scripturae testimoniis colligere promptum est, Christum ecclesiam suam minime extollere, ut de suo iure quidquam minuat vel abroget.

13. (*Et filia Tyri.*) Haec pars est compensationis, qua propheta mitigat vel potius abolet desiderium prioris fortunae, quod venient Tyrii supplices cum muneribus. Scimus autem quam celebris fuerit fama Tyri olim: ideo summi honoris loco ponit, ex tam nobili et opulenta urbe venturos ad summisionem praestandam. Etsi autem minutias omnes sectari utile non est, ut in ecclesia reperiamus quaecunque de uxore Solomonis hic dicuntur, hodie tamen fructum aliquem gustamus huius vaticinii, quum facit Deus ut nonnulli ex mundi pro-

ceribus, licet Christi iugum non suscipiant, ecclesiam tamen sua humanitate foveant ac tueantur.

14. *Tota gloriosa filia regis intrinsecus, ex vestibus auro intextis indumentum eius.* 15. *In vestibus acu pictis adducetur regi: puellae post eam, proximae eius adducentur tibi.* 16. *Adducentur in laetitiis et exultatione, ingredientur palatium regis.* 17. *Pro patribus tuis erunt filii tui, constitues eos principes in tota terra.* 18. *Memorabile reddam nomen tuum in omni generatione et generatione: propterea celebrabunt te populi in saeculum et usque.*

14. (*Tota gloriosa.*) Duplex potest esse sensus, reginam non modo quum in populi conspectum prodit, sed etiam ubi in cubiculo sedet, semper magnifice vestitam esse: vel splendorem ornatus non esse fucatum, ad fallendos simplicium oculos, sed ex solida opulentia constare. Felicem itaque reginae statum hac circumstantia amplificat propheta, quod non tantum rarae ostentationis causa sumptuosas vestes habeat, sed ad quotidianum ornatum. Alii exponunt, totam gloriam eius in hoc sitam esse, quod eam rex ad se familiariter invitet, quia mox transitus in cubiculum describitur cum magno et splendido comitatu. Etsi autem pompa haec modum excedit, docet tamen interim propheta, non ita pretiose vestiri ecclesiam, ut in se convertat vulgi oculos, sed tantum in gratiam regis. Iam quod hodie ecclesia spirituali decore conspicua non est, in quo refulgeant Christi divitiae, ingratitude hominum imputandum est: qui vel sua segnitie liberalitatem Dei respuunt: vel postquam ditati erant, ad inopiam rediguntur.

17. (*Pro patribus tuis erunt filii.*) Hoc quoque ad regni praestantiam facit, quod posteritas dignitate patribus non cedit, atque ita non minuetur post mortem Solomonis nobilitas generis: quia filii qui ex eo nascentur, proavos omni virtutum excellentia aequabunt. Postea addit *Principes fore in tota terra*, tam late propagato imperio, ut commode in plurima regna distribui queat. Porro vaticinium de Christo hoc esse facile colligitur: quia tantum abest ut filii Solomonis propter regni amplitudinem provincias inter se partiti sint, ut primus eius haeres exiguum tantum partem retinuerit. Ita nemo ex legitimis successoribus ad eius potentiam accessit, sed omnes unius tantum tribus et dimidia domini, quasi in angustias conclusi, fuerunt. Ubi autem ad Christum venit, qui medius fuit inter veterem et novam ecclesiam, vere filios genuit, numero et praestantia patribus non cedentes, quos orbi universo praefecit. Etsi enim coram mundo crucis deformitas ecclesiae gloriam obscurat, si tamen reputamus quam mirabiliter aucta, et quibus spiritualium virtutum dotibus ornata fuerit, fatebi-

mur, non immerito celebrari eius gloriam. Notandum tamen est, principatum hunc, cuius mentio fit, non consistere in personis hominum, sed referri ad caput: nam passim dominatio et potestas quae proprie est capitis, et peculiariter soli Christo convenit, transfertur ad membra: scimus enim, qui in ecclesia maxime eminent, et eam gubernant, Christi nomine non dominari, sed potius esse servos: sed quia evangelium suum apud eos deposuit Christus, quod regni eius sceptrum est, eius potestatem quodammodo exercent. Certe Christus per suos ministros sibi orbem subegit, ac totidem sibi erexit principatus, quot fuerunt in diversis regionibus collectae ecclesiae.

18. (*Memorabile reddam.*) Nihilo hoc magis Solomoni congruit, qui turpi et nefanda defectione memoriam nominis sui foedavit: nam quum superstitionum sordibus terram Deo sacram polluit, nonne se conspersit aeterno dedecore et probro? Certe dignus fuit cuius nomen perpetua oblivio sepultum tegeret. Nihilo plus gloriae promeritus est Rehabeam, qui stolidi sua superbia bonam regni partem amisit. Ergo ut nobis constet elogii veritas, ad Christum transire necesse est, cuius memoria semper viget ac floret, nam etsi contemnitur a mundo, imo superbi homines sacrum eius nomen vel lacerant, vel contumeliose deiiciunt, manet tamen ei salva maiestas. Quanquam undique emergunt hostes innumeri ad opprimendum eius regnum, coram eo tamen flecti incipit omne genu, donec potestates omnes sibi contrarias sternat sub pedes suos. Nam furiosi Satanae et totius mundi conatus extinguere non potuerunt Christi nomen, quin transmissum ad posteros, per singulas aetates gloriam suam obtineat: sicut hodie adhuc videmus linguis omnibus celebrari. Quanquam autem maior pars mundi sacrilegis blasphemias illud proscindit, satis tamen est quod Deus ubique praecones excitat qui Christi laudes sincere personent. Interea nostrum est, sedulo dare operam ne unquam intercيدات memoria haec, quae saeculis omnibus superstes vigere debet in aeternam hominum salutem.

PSALMUS XLVI.

ARG. Videtur gratiarum esse actio, potius pro certa liberatione, quam pro continuo Dei auxilio, quo semper statum ecclesiae tutatus est. Colligere enim licet, quum ingenti metu pericula esset Ierosolyma, et laboraret in summo discrimine, fuisse praeter spem subita et mirabili Dei virtute servatam. Ideo propheta, quisquis fuerit Psalmi autor, tam insigne Dei beneficium commendans, hortatur fideles ut se intrepide in eius tutelam committant, nec dubitent, eo custode et salutis suae vindice freti, contra omnes hostiles insultus, perpetuo

se fore salvos: quia proprium eius munus sit omnes motus sedare.

1. *Praefecto filiorum Corae, super alamothe canticum.* 2. *Deus nobis protectio et robur, auxilium*) in tribulationibus invenitur valde.* 3. *Propterea non timebimus dum movebitur terra, et concident montes in cor maris.*

1. (*Super Alamothe.*) In voce עלמות non consentiunt interpretes: omissis tamen pluribus sententiis, duas tantum referam: vel fuisse musicum instrumentum, vel initium celebris et noti carminis: atque haec posterior coniectura magis mihi probatur. Porro quo tempore compositus fuerit Psalmus incertum est, nisi forte quando repente soluta fuit urbis obsidio, gravissima clade in exercitu Sennacherib divinitus inflata, 2. Reg. 19, 35. quod ego libenter recipio, quia cum toto contextu optime convenit. Certe memorabilem aliquam gratiam Dei celebrari patet, qualis illa fuit.

2. (*Deus nobis protectio.*) A generali sententia incipit, antequam ad speciem liberationis descendat. Praefatur enim, satis esse in Deo praesidii ad suos servandos, illisque dare idoneam sperandi materiam, id enim proprie significat nomen מִחֹסֶה. In secunda parte versus, verbum נִמְצָא praeteriti est temporis: sed posset non incommode restringi ad salutem semel allatam, sicut etiam alii vertunt, Inventus est auxilium, sed quia tribulationes, in numero plurali adiungit Propheta, de continuo actu exponere placuit, quod Deus se tempestive offerat quoties urgent aliquae afflictiones. Quanquam si de experimentis gratiae Dei loquatur propheta, praeteritum tempus melius quadrabit. Prophetarum quidem consilium est, extollere Dei potentiam et bonitatem erga suos: promptum etiam auxilium laudare, ne in rebus adversis alio circumspectiant, sed una eius protectione contenti sint, ideo diserte exprimit, talem esse Deum erga suos, ut sciat ecclesia peculiariter se ab eo defendi. Nec vero dubium est quin hac voce electum populum ab alienis et profanis gentibus separet: atque ita commendat adoptionis privilegium, quo Deus filios Abrahae dignatus erat. Proinde quum dixi generalem esse sententiam, nolui promiscue extendere ad quaslibet personas, sed ad omnia tempora: quia docet qualiter se Deus erga suos omnes gerere soleat. Sequitur deinde illatio, nullam esse fidelibus trepidandi causam, quum Deus semper ad eos liberandos paratus sit, et quidem invicta potentia instructus. Ostendit autem propheta quoniam vera sit et legitima spei probatio, ubi scilicet rebus ita confusis, ut propemodum videatur coelum ruere,

*) Il est trouvé secours, en marge: ou a été trouvé.

terra loco moveri, et montes a radicibus dehiscere, stamus tamen tranquillis et securis animis. Facile enim est magnam fiduciam prae se ferre quamdiu periculum nullum impendit: verum si totius mundi concussio animos nostros labefactet, neque eorum quietem perturbet, hinc facile apparet, Dei potentiae iustum honorem deferri. Porro quum dicit, *Non timebimus*, pias mentes ab omni sollicitudine vel metu non penitus eximit, ac si sensu carerent (stupor enim a fidei constantia longissime abest) sed tantum docet, quidquid acciderit, nunquam eos terrore obrui, sed potius vires colligere quae ad placandum terrorem sufficiant. *Terram mutari, et montes cadere in cor maris*, loquutiones sunt hyperbolicae, sed quae significant totius orbis conversionem. Nam quod nonnulli *cor maris*, de terra exponunt, mihi non probatur. Sed ut constet nobis plena doctrina, ad reliqua pergamus.

4. *Sonabunt et tumultuabuntur*) aquae eius, concutientur montes in elevatione eius. Selah.* 5. *Fluminis rivuli eius lactificabunt civitatem Dei, sanctuarium tabernaculorum Excelsi.* 6. *Deus in medio eius: non movebitur, adiuvabit eam Deus ad conspectum aurorae.*

4. (*Sonabunt.*) Cum hoc versu coniungi debet etiam posterior, quia implet sententiam, ac si dixisset, Quamvis tumultuentur et intumescant aquae maris, ac violento suo impetu montes ipsos concutiant, inter horribiles turbas hilariter et placide quiescet Dei civitas, exiguis rivis contenta. Nam pronomen relativum supervacuum est ex communi usu linguae hebraicae. Simpliciter enim dicere voluit propheta, tenues rivos fluminis sanctae urbi plenam laetitiae materiam daturus, si forte contingat totum mundum labascere. Iam nuper attingi quam utilem doctrinam contineat hic locus, nempe tunc demum rite probari fidem nostram, ubi ad gravissimos conflictus ventum est, adeoque inferi ipsi videntur aperti ut nos absorbeant. Ita nobis depingitur fidei victoria, contra totum mundum, ubi scilicet e rebus confusis sic emergit, ut creaturis omnibus exitium minitantibus, omnes tamen metus superet. Non quod rideant in periculis filii Dei, aut iocose de morte garriant: sed quia promissum sibi a Deo auxilium pluris aestimant, quam mala omnia quae terrorem incutiunt. Praeclara videtur Horatii sententia de viro iusto et sibi optime conscio,

*Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae:**)*

*) tempesteront, *en marge*: ou s'enfleront.

**) *Carm. l. III. od. 3. En français*: lorsque le bastiment universel du monde tomberoit tout en un coup par

Sed quia nunquam repertus est ille quem fingit, nihil aliud quam nugatur. Haec igitur animi magnitudo in solo Dei praesidio fundata est, ut vere iactare queant qui recumbunt in Deum, non modo se impavidos, sed etiam tutos et salvos fore quum ruinae totum mundum obruent. Nominatim vero propheta *Civitatem Dei laetam* fore dicit, quamvis non mare aliquod tumultuosum habeat quod opponat fluctibus illis quos retulit, sed tenuem duntaxat fluvium, alludit autem ad rivum fluentem ex Siloah qui praeterfluebat Ierosolymam. Porro, non dubito quin oblique perstringat propheta fallaces eorum confidentias, qui terrenis opibus muniti, extra iactum telorum se esse somniant. Nam qui sibi hinc inde anxie accersunt invicta mundi praesidia, videntur quidem hostes posse longe ab accessu arcere, non secus ac si undique mari cincti essent, sed saepe a suis munitionibus pessundari contingit: quemadmodum si tempestas insulam diluvio vastet ac evertat. Qui vero Dei tutelae se committunt, quamvis secundum mundum expositi sint omnibus iniuriis, nec satis muniti sint ad prohibendos insultus, quiescunt tamen securi. Hac de causa Iudaeos reprehendit Iesaias 8, 6. quod spernentes aquas Siloah leniter fluentes, profundos et rapidos fluvios appetant. Est autem illic concinna antithesis inter rivulum Siloah ab una parte, et Nilum ac Euphratem ab altera: quasi diceret, Deum ab ipsis fraudari suo honore, quasi non providerit quum elegit urbem Ierosolymam, quibus praesidiis ad eam tutandam opus foret. Ac probabile est, si Psalmus hic, post exercitum Sennacherib caesum et profligatum, fuerit compositus, autorem eius consulto eandem usurpasse metaphoram: ut fideles in posterum, sine mundi opibus unicam Dei gratiam sibi sufficere discerent. Eadem quoque opera nos hodie ad hanc constantiam hortatur et animat spiritus, ut contemptis eorum copiis qui magnifice contra nos superbiunt, inter omnes motus et turbas tranquilli stemus: nec pigeat nos vel pudeat nostrae nuditatis, modo ad nos servandos extenta sit Dei manus. Ergo quamvis Dei auxilium tenuiter in speciem quasi per rivulos distillet, plus tranquillitatis nobis afferat, quam si tota mundi potentia ad nos iuvandos simul coacervata esset. Quum Ierosolymam vocat *sanctuarium tabernaculorum Excelsi*, concinna allusio est ad statum illius temporis: quamvis enim per singulas tribus imperium suum Deus haberet, hanc tamen regiam sedem elegerat unde totum populum regeret. Itaque quum per totam Iudaeam divisa essent tabernacula Excelsi, sub unum tamen sanctuarium colligi oportuit, ut Deo subessent.

6. (*Deus in medio eius.*) Nunc ostendit unde

pieces, les esclats le frapperont sans qu'il en soit espavante.

tanta ecclesiae securitas, quia scilicet Deus in medio eius residet. Nam verbum, *movebitur*, feminini generis est, nec potest ad Deum referri, quasi futurus sit immobilis: sed ita resolvi debet oratio, Non movebitur e statu suo sancta civitas: quia Deus illic residet, atque ad opem ferendam semper est paratus: *conspetus enim aurorae* tantundem valet ac si dixisset, quotidie simulac sol terris exoritur. Summa est, si cupimus Dei manu protegi, dandam in primis esse operam, ut inter nos habitet: quia ex sola eius praesentia pendet spes salutis. Ipse autem non aliam ob causam inter nos habitat, nisi ut nos praestet incolumes. Caeterum, quamvis non semper ad nos iuvandos festinet Deus pro votorum nostrorum fervore, satis tamen opportune nobis aderit, ut facile appareat verum esse quod alibi dicitur, nunquam dormire, ac ne dormire quidem ecclesiae custodem, Psalmo 121, 4.

7. *Tumultuati sunt populi, mota sunt regna: dedit*) vocem suam, liquefacta est terra.* 8. *Iehova exercituum nobiscum: arx nobis Deus Iacob. Selah.* 9. *Venite, considerate opera Iehovae: quas posuerit solitudines**) in terra.* 10. *Cessare facit proelia usque ad extremum terrae: confringit arcum, dissipat arma, currus exurit igni.* 11. *Quiescite***) et cognoscite quod ego sim Deus: exaltabor in gentibus, exaltabor in terra.* 12. *Iehova exercituum nobiscum: arx nobis Deus Iacob. Selah.*

7. (*Tumultuati sunt.*) Quoniam ecclesia Dei nunquam caret hostibus, et quidem nimium validis, deinde qui eam crudeliter et effraeni intemperie oppugnant, propheta nunc doctrinam quam posuit de inexpugnabili Dei tutela, ab experientia confirmat, deinde generalem consolationem elicit: quod perpetuum sit Dei munus, compescere tumultus omnes ac sedare, et quod satis robusta sid eius manus ad frangendos omnes hostium conatus. Posset, fateor, locus hoc indefinite accipi: quod obnoxia quidem sit Dei civitas multis tempestatibus, sed tamen Dei beneficio incolumis semper maneat: verum magis probabile est, ut initio diximus, sermonem haberi de insigni aliqua liberatione, in qua Deus aeternae suae in servanda ecclesia virtutis et gratiae specimen praeberat. Refert igitur propheta quid contigerit, nempe horribili apparatu hostes ecclesiae venisse ad eam perdendam, sed mox Dei voce fuisse quasi liquefactos. Atque hinc ad nos redit inaestimabilis consolatio, ubi audimus, quamvis totus mundus contra nos surgat, et vesano fervore omnia perturbet, posse momento redigi in nihilum, simulac

Deus se nobis favere ostenderit. Quamvis autem vox Dei imperium vel nutum significet, videtur tamen ad Dei promissiones alludere propheta, quibus testatus est se fore ecclesiae custodem. Interim notanda est antithesis inter vocem Dei, et turbulentos regnorum motus.

8. (*Iehova exercituum.*) Hoc versu docemur qualiter in usum nostrum accommodare liceat quae passim de immensa Dei virtute praedicat scriptura, nempe, si persuasi simus ex eorum nos esse numero, quos Deus paterno amore amplexus fovere velit: nam iterum adoptionem commendat, qua segregatus erat Israel a communi gentium omnium sorte: alioqui non nisi formidinem incuteret potentiae Dei commemoratio. Hinc igitur gloriandi fiducia, quod nos sibi in peculiarem populum delegit, ut virtutem suam ad nos servandos exserat. Qua ratione propheta postquam *Deum exercituum* vocans, eius potentiam celebravit, statim adiungit alterum epithetum, quo foedus cum Abraham olim percussum confirmat: ut non dubitent eius poster, ad quos promissae gratiae haereditas pertinet, Deum sibi quoque fore propitium. Nam ut solide quiescat fides nostra, in Deo simul haec duo consideranda sunt: nempe immensa virtus, qua ad totum mundum subigendum instructus est: deinde paternus amor, quem verbo suo patefecit. Ubi autem haec duo coniuncta sunt, nihil ob stare potest quominus cunctis hostibus insultet fides nostra, neque enim dubium est, velitne opitulari nobis Deus, qui se hoc facturum promisit. Iam virtus ad id implendum suppetit, quia Deus est exercituum. Hinc colligimus misere eos vagari in scriptura, qui in aere suspensum relinquunt quidquid de potentia Dei praedicatur, nec statuunt sibi fore in patrem, eo quod sint ex grege eius, et adoptionis particeps.

9. (*Venite, considerate.*) Videtur persequi historiam liberationis, qua testatus fuerat Deus, se optimum et fidelissimum esse protectorem ecclesiae suae: ut inde petant fideles arma et vires superandis tentationibus quaecunque in posterum emergent. Debent enim ante oculos nobis versari documenta gratiae Dei, quae re ipsa exhibuit in nobis servandis, ut promissionum fidem in animis nostris sanciant. Caeterum, hac exhortatione tacite obiurgat eorum socordiam, qui Dei potentiam non aestimant quanti par erat: imo totum fere mundum ingratitude arguit, quia vix centesimus quisque satis sibi in Deo praesidii esse agnoscit: ita caecutiunt omnes ad opera Dei, imo sponte claudunt oculos: quod ad aedificandam eorum fidem maxime valeret. Videmus ut multi fortunae adscribant quod Dei providentiae decebat ferre acceptum: alii imaginentur se propria industria adeptos esse quidquid Deus contulit: vel quidquid ab eo solo profectum est, transferant ad medias causas: alii prorsus stupeant.

*) Il a donné sa voix, *en marge*: on fait resonner.

**) quelles desolations, *en marge*: ou quels deserts.

***) desistez, *en marge*: ou arrêtez, demeurez coy.

quia eius maiestas quae prius habita fuerat contemptui, ad frangendam totius mundi contumaciam sufficiet. Notandum enim est spiritus sancti consilium, quum diu contumeliose tractati et oppressi fuissent Iudaei, ac variis subinde calamitatibus afflicti: tanto nunc illustriorem esse Dei beneficentiam erga eos, quia domitis undecunque gentibus vicinis, florentissimum erat Davidis regnum: interea verum esse quod monui, nempe in regnum Christi hoc competere, ex contextu verborum colligere promptum est, ubi *Deus rex terribilis et magnus vocatur super omnem terram*. Ergo non dubium est quin his elogiis celebrata fuerit Dei gratia ad confirmandos piorum animos intermedio tempore: quo non tantum collapsa erat populi Israelitici dignitas, sed extremis contumeliis oppressus, nullo Dei gratiae gustu recreari poterat, nisi in solas promissiones recumberet. Scimus quam longa fuerit huius magnificae potentiae interruptio, a morte Solomonis usque ad Christi adventum. Erat hoc veluti chasma, quod absorbere posset pias mentes, nisi Dei verbo suffultae essent. Ergo quum specimen huius regni, quod nunc praedicatur, a Deo fuisset editum sub Davide, quanquam paulo post sequuta est tristis et fere pudenda imminutio, deinde gravissimae clades, et tandem exsilium, et miserrima dispersio, quae ab interitu parum distabat: spiritus sanctus fideles ad continuandum plausum hortatus est, donec veniret promissus redemptor.

4. (*Ordnavit.*) Quod alii vertunt Subiicere, cum hac mea interpretatione convenit, paulo remotius est quod alii Ducere exponunt, alienum vero prorsus a mente prophetae, quod verbum יָרַךְ alii accipiunt pro perdere. Neque enim dubium est quin subiectio utilis, laeta, et optabilis notetur. Si quis futurum verbi tempus retinere malit, mihi non displicet: quia tamen certum est sub typo celebrari futuram Dei gratiam, libenter amplexus sum quod magis probarunt alii interpretes. Porro quamvis hoc versu peculiariter gentiles suos hortetur propheta ad gratitudinem, quod per Dei gratiam cunctis populis dominarentur: certum tamen est, eos qui sub iugum redacti erant, in societatem gaudii coniungi ipsis Iudaeis. Ergo quantum ab umbra differt corpus, tantum discrimen fuit inter fictitium plausum, quem olim dederunt profanae gentes Davidi, et eum quo fideles Christum excipiunt: quia ex voluntario cordis obsequio manat. Et certe si post arcam in templum adductam nulla apparuisset sublimior veritas, quasi puerile erat ludiorum, in angusto illo domicilio Deum locari: sed ubi Dei maiestas quae in tabernaculo habitaverat, toti mundo patefacta fuit, et cunctae gentes sub eius imperium fuerunt redactae, tunc enituit praerogativa ista generis Abrahae. Itaque his verbis regnum illud cuius meminerat propheta, definit: subiectionem

gentium commemorans, ut electo populo parere non recusent. Neque enim de arcana providentia hic agitur, qua Deus totum mundum gubernat, sed de speciali potestate quam per verbum suum exercet. Itaque ut proprie rex vocetur, necesse est talem a suis agnosci. Quaeritur tamen, dum suis auspiciis et coelesti potentia restituit Christus ecclesiam, quo sensu dicantur populi subiecti esse Iudaeis: quia scimus non aliter rite compositum esse ecclesiae ordinem, nisi emineat unicum caput, et fideles omnes a summo usque ad infimum inter membra se contineant: imo quum imperium suum erexit Christus in toto orbe, communis esse coepit cunctis gentibus adoptio, quae propria unius populi antea fuerat. Hoc autem modo libertas omnibus simul data est, ut fraterno iure inter se coniuncti, ad coelestem haereditatem adspirent. Sed facilis est solutio: quando gentibus impositum fuit legis iugum, dominium adeptos esse Iudaeos: quemadmodum pastores iurisdictionem spiritus verbo exercent, sic ecclesia vocatur regina, et piorum omnium mater: Galat. 4, 26, quia apud eam deposita fuit coelestis doctrina, quae instar sceptri est ad nos omnes subigendos. Quamvis ergo Iudaei, quo tempore in lucem emersit Christi regnum, misere et probrose profanis gentibus servierint, fuerintque veluti illarum mancipia, vere tamen et merito imperium illis tribuitur, quia Deus virgam virtutis suae emisit e Sion, quum ipsi legis essent custodes, munus eorum fuit eius autoritate gentes fraenare: quia non aliter sub Dei obsequium collectus fuit reliquus orbis, nisi dum homines spiritu Dei renovati, ultro se prae-buerunt Iudaeis dociles ac morigeros, seque passi sunt eorum magisterio regi, quemadmodum alibi dicitur: In illa die apprehendent septem viri fimbriam unius Iudaei, ac dicent: Ambulabimus post Deum vestrum, etc. Zach. 8, 23.

5. (*Selegit nobis haereditatem.*) Clarius celebrat propheta peculiarem illam gratiam, qua dignatus fuerat Deus electum et sanctum genus Abrahae. Sicut enim, posthabito toto mundo, paucos homines et ignobiles sibi adoptaverat: ita illud tam insigne paterni amoris pignus segregari oportuit a communi beneficentia qua totum humanum genus prosequitur. Itaque emphaticum est Selligendi verbum, ac si diceret, Deum non egisse cum Abrahae filiis, ut promiscue solet cum aliis gentibus, sed quasi haereditario iure dignitatem contulisse qua reliquos omnes praecellant, quod idem continuo post exprimit sub nomine *Gloriae*. Ergo gratias Deo agere iubet propheta, quod in persona Iacob populum electum extulerit in summum honoris gradum: ut gloriari posset sortem suam ab aliis omnibus distinctam esse. Simul etiam docet factum id esse gratuito favore Dei: nam relativum pronomen, causalis particulae vice ponitur, ac si causam dignitatis

et praestantiae in Deo ipso statueret propheta. Atque haec regula tenenda est, quoties laudatur Dei gratia erga Iudaeos, quia patres eorum dilexerit, merita omnia in nihilum redigi: iam quum tota sancti patriarchae dignitas ex mero Dei beneplacito pendeat, quis sibi proprium quidquam arrogare audeat? discamus ergo, quidquid nobis peculiariter confert Deus supra alios, paterno eius amoris adscribere: quia nos sibi in gregem elegit. Colligimus etiam ex hoc loco, gratiam quam Deus erga electos suos exserit, non communiter ad omnes patere, sed privilegium esse quo paucos a maiori numero discernit.

6. *Adscendit Deus in iubilo, Iehova in voce tubae.* 7. *Psallite Deo, psallite, psallite regi nostro, psallite.* 8. *Quia rex universae terrae Deus, psallite intelligens*).* 9. *Regnum obtinuit super gentes, Deus sedet super solium sanctitatis suae.* 10. *Principes populorum congregati sunt ad populum Dei Abrahæ: quia Deo clypei terrae, valde exaltatus est.*

6. (*Adscendit Deus.*) Allusio est ad veterem legis ritum, nam quia ad celebrandos sacros conventus adhiberi solebat tubarum clangor, dicit propheta Deum adscendere, quum buccinae ad extollendam eius potentiam hortantur populum et animant. Id enim tantundem valebat olim, ac si rex magnifico splendore ad suos ingrediens, venerationem sibi conciliet. Interea non dubium est quin sub illa umbratili caeremonia alium adscensum propheta commendaverit: nempe dum Christus supra omnes coelos evectus mundi totius imperium adeptus est, et coelesti virtute instructus superbiam omnem et altitudinem subiugavit. Porro memoria repetendum est quod prius admonui, ad arcam transcribi *Iehovae* nomen: quia tametsi illic non inclusa erat Dei essentia vel maiestas, nec virtus etiam alligata, non tamen inane erat praesentiae Dei symbolum. Nam sicuti promiserat Deus se habitaturum in medio populi, quamdiu eum ex legis praescripto Iudaei colerent: ita re ipsa monstrabat vere se illis adesse, nec frustra invocari inter ipsos, verius tamen hoc in gloriae manifestationem competit, quae tandem refulsit in Christi persona. Summa est quum canerent apud Iudaeos buccinae ex legis praescripto, non evanuisse in aëre sonitum illum, quia Deus qui in arca foederis praesentiae suae pignus ac tesseram dederat, vere praesideret in coetu illo. Hinc exhortationis argumentum duxit propheta, ut Deo psallant fideles: quia non sint id facturi fortuito, sicut superstitiosi, quum nihil habeant certitudinis, frustra eiulant coram suis idolis. Causam

*) psalmodiez entendu, *en marge*: o vous chacun entendu.

ergo fidelibus suppetere docet propheta, cur alacriter laudes Dei personent: quia certo sciunt praesentem sibi adesse, ac si inter eos regale solium locasset. Caeterum postquam vocavit regem electi populi, continuo post dicit regem esse totius terrae, atque hoc modo ius et honorem primogeniturae asserens Iudaeis, gentes deinde socias adiungit. His autem verbis significat propheta longe nobilius fore Dei regnum adventu Messiae, quam sub legis figuris, quia propagandum sit in ultimos terrae fines: ideo maioris vehementiae causa, quinque repetit verbum *Psallite*. In voce *משכיל* mutatio est numeri: nam omnes canendi peritos ad hoc exercitium invitat. Sed quamvis loquatur de scientia artis musicae, requirit tamen in canendis Dei laudibus veram intelligentiam, ne linguae tantum reboent, ut scimus fieri in papatu. Requiritur ergo ad legitimum psallendi ritum scientia, ne vano clamore nomen Dei profanetur.

9. (*Regnum obtinuit super gentes.*) Quia verbum *מלך*, sub tempore praeterito continuum actum designat, ideo vertimus regnum obtinuit. Porro quum toties repetat propheta, Deum super gentes regnare, colligere promptum est de novo et prius inaudito regnandi modo haberi sermonem. Subaudienda enim est antithesis inter legis tempus, quo Deus imperium suum continuerat intra Iudaeae limites, et Christi adventum quo illud ampliavit quam longe lateque patet totus orbis. Quanquam autem Dei maiestas scintillis quibusdam enituit inter gentes, quum eas sibi tributarias fecit David: non tamen proprie dixisset propheta Deum inter illas regnasse, quia et eius cultum adspernabantur, et optassent extinctam prorsus esse ecclesiam. Quare ut constet vaticinii huius complementum ad Christum venire necesse est. Quod additur secundo membro, *Deum sedere super solium sanctitatis suae*, duplicem sensum recipit. Saepe enim hac loquutione tabernaculum vel templum intelligitur: interdum vero coelum significat. Si de templo exponere libeat, sensus erit, Deum sic praeesse toti mundo, ac populos omnes sub imperio suo complecti, ut primaria tamen eius sedes Ierosolymae maneat: sicuti etiam inde fluxit evangelii doctrina, qua sibi Deus cunctos mortales subegit. De coelo tamen commodè accipere licebit, quod Deus manum suam exserens ad homines sub obsequium suum cogendos, palam ostendat, se ex solio coelesti dominari super homines: quia nisi propinquis et claris signis virtutem suam demonstrat, mundi gubernator non agnoscitur.

10. (*Principes populorum.*) Exornat et amplificat pluribus verbis proximam sententiam: rursus enim definit qualiter sibi Deus regnum acquisierit super gentes, dum scilicet qui prius alieni erant, in eundem fidei consensum coaluerunt cum Iudaeis.

Atque ita ex misera dissipatione in unum corpus variae gentes collectae sunt: nam quum illuxit evangelii doctrina, non abduxit Iudaeos a foedere quod pridem Deus cum illis pepigerat, sed potius nos illis adiunxit. Quum ergo vocatio gentium nihil aliud fuerit quam insitio in familiam Abrahae, merito dicit propheta, undique fuisse congregatos extraneos ad illam gentem electam: ut talis accessio regnum Dei per omnes terrae plagas diffunderet. Qua ratione dicit Paulus, Ephes. 3, 6. ut haereditatis aeternae participes essent gentiles, factos fuisse Iudaeis concorporeos. Quanquam autem abolitis caeremoniis sublatus est intermedius paries, qui alios ab aliis separabat: verum tamen est, non aliter nos censerī inter Dei filios, nisi quia insiti sumus in genus Abrahae. Nec de vulgo tantum loquitur propheta, sed ipsis quoque principibus nihil ad summam felicitatem potius fore dicit, quam ut se aggregent ad Iudaeos, sicuti alibi videbimus: De Sion dicetur, Hic et ille in ea natus est, Psal. 87, 5. Porro collectio futura dicitur ad populum Dei Abrahae, ut sciamus nullam carnis dignitatem tribui Iudaeis, quae in ipsorum personis resideat, sed totam eorum praestantiam inde pendere, quia purus Dei cultus inter ipsos floreat, et emineat coelestis doctrina. Quare nihil hoc ad reiectitios Iudaeos pertinet, quos sua incredulitas ab ecclesia abdicavit. Sed quia radices sanctae, ut Paulus docet Rom. 11, 16. rami naturaliter sancti sunt, non obstitit maioris partis defectio, quin reliquiis maneret hic honor. Itaque consumptio illa quae secundum Iesiae vaticinium exundavit in totam terram, vocatur populus Dei Abrahae, Iesa. 10, 23. Continet autem hic locus utilem doctrinam, et eam duplicem. Primo enim hinc discimus, quicumque inter Dei filios numerari volunt, debere locum in ecclesia quaerere, ut fraternam unitatem cum piis omnibus colant: deinde unitatem ecclesiae non aliunde esse aestimandam, quam ex sincero ad obsequium verbo Dei praestandum consensu, ut sit unius ovilis unus pastor. Monentur etiam, qui honore et opibus excellunt in mundo, deposita omni superbia libenter et modeste commune iugum subire, ut se obsequentes ecclesiae filios probent. Quod proxime sequitur, *Dei esse clypeos terrae*, multi de principibus intelligunt. Et fateor quidem metaphoram hanc frequenter in scriptura occurrere: deinde videtur hoc non male quadrare ad contextum: ac si dixisset propheta, in arbitrio Dei esse procures mundi in ecclesiam suam inserere, quia illis quoque dominetur. Sensus tamen simplicior est, quia mundus protegitur, servaturque ab uno Deo, iure tantam celsitudinem cum admiratione suspici, quae ad tam arduam custodiam sufficit. Nam ideo clypeos plurali numero ponit, quia in variis et prope innumeris periculis, quae assidue singulis mundi

partibus impendent, multiplicem Dei providentiam, tanquam multos clypeos, intervenire necesse est.

PSALMUS XLVIII.

ARG. Hoc Psalmo celebratur memorabilia quaedam Ierosolymae liberatio, quum in eius excidium conspirassent multi reges. Ubi autem propheta (quisquis fuerit autor) Deo gratias egit, occasione inde sumpta, magnificis elogiis felicem eius urbem statum extollit, quod Deum habeat perpetuum salutis suae custodem. Neque enim satis fuisset, pios sentire et agnoscere semel Dei manu se fuisse servatos, nisi in posterum confiderent se Dei eiusdem praesidio salvos fore, quia in populum peculiarem adoptati essent. Ideo propheta in eo praecipue insistit, non frustra in monte Sion erectum esse sanctuarium Dei, sed illio invocari eius nomen, ut in populi sui salutem virtus eius conspicua appareat. Porro ex argumento colligere licet, Psalmum post mortem Davidis fuisse compositum. Fateor quidem Davidi infestos fuisse quosdam externos reges, nec per eos stetisse quominus Ierosolymam funditus delerent: huc usque tamen progressos fuisse non legimus, ut eam obsidione premerent, ut oportuerit admirabili Dei virtute reprimi illorum conatus. Potius credibile est notari tempus regis Achaz, quo soluta repente fuit obsidio in summa desperatione, vel etiam tempus Iosaphat, et Asaph: quia tunc scimus non nisi coelesti auxilio Ierosolymam ab extrema clade mirabiliter servatam fuisse. Hoc quidem pro certo tenendum est, specimen unum Dei gratia proponi fidelibus, in quo agnoscant bene et feliciter secum agi, quod domicilium sibi elegerit Deus in monte Sion, unde ipsa in salutem praesideat.

Canticum Psalmi filiorum Corae. 1. Magnus Iehova et laudabilis valde, in civitate Dei nostri, in monte sanctitatis eius. 2. Pulcer situ, gaudium totius terrae, mons Sion ad latera aquilonis, civitas regis magni. 3. Deus in palatiis eius, notus est in praesidium.

1. (*Magnus Iehova.*) Antequam speciale illud quod attigi, gratiae Dei exemplum commemoret propheta, docet in genere beatam esse Ierosolymam, quod eius tuendae curam Deus suscipere dignatus fuerit. Atque hoc modo Dei ecclesiam a toto mundo separat: sicuti hoc inaeestimabile beneficium est, quod Deus ex toto genere humano exiguum numerum complectitur paterno favore. Quamvis ergo in universa mundi gubernatione sapientia eius, bonitas et iustitia sic refulgeant, ut nulla pars vacua sit ab eius laude, sed ubique eius laudandi materia occurrat: in ecclesiae tamen protectione Dei gloriam nunc propheta celebrat. *Magnum et laudabilem esse* dicit in urbe sancta, an non etiam in toto mundo? Certe, ut dixi, nullus est angulus tam reconditus, quo non penetrent eius sapientia, iustitia, bonitas et reliquae virtutes: sed quia praecipue vult eas

in ecclesia sua conspici, non temere hoc speculum nobis ante oculos ponit, in quo Deus magis ad vivum faciem suam exprimit ac repraesentat. Cæterum *Montem sanctum* nominans, breviter admonet quo iure Ierosolyma sit Dei civitas, nempe quia eius mandato arca foederis illic erat locata: ac si diceret, Ierosolymam non proprio suo merito sublime esse theatrum, in quo Deus magnitudinem suam spectari velit: sed quia arca foederis coelesti mandato illic in symbolum singularis gratiae deposita fuerit.

2. (*Pulcer situ.*) In confirmationem proximæ sententiæ, prædicat dotes quibus tunc excelluit mons Sion, quia in illis spectabilis fuit Dei gloria cuius nuper meminit. Etsi autem naturalis hæc fuit situs gratia quam propheta primo loco recenset, significat tamen in ipsa urbis specie insculptas ab initio fuisse notas divini favoris, ut intuitus ipse ostenderet specialiter locum illum fuisse divinitus ornatum, ut aliquando in talem usum consecraretur. Quamquam formosum et delectabilem locum non simpliciter vocari arbitror, quia parem in Iudæa non habuerit, quum satis constet alias urbes tam foecunditate quam amoeno prospectu, et aliis commoditatibus Ierosolymæ non cessasse: sed coniunctim, meo iudicio, una cum situ adventitiam dignitatem complectitur, quæ ex templo originem ducebat. Ergo quum laudari audimus urbis pulchritudinem, veniat nobis in mentem spiritualis ille decor, qui post vaticinium de perpetua arcae statione ad loci naturam accessit. De voce *הַיְי* non consentiunt interpretes. Quidam pro elevatione accipiunt, ac si dictum esset, in excelso et edito loco Ierosolymam sitam esse. Alii clima vertunt, quia metaphorice Hebraei climata vocant ramos, quod in longum extendantur. Ego in re non magni momenti nolui tantopere esse curiosus. Tantum elegi quod magis erat probabile, regionem illam adspectu præ aliis iucundam et amoenam esse. Dubium autem est ponatne in laudibus montis Sion, quod versus aquilonem expositus fuerit, an ita resolvi debeat oratio: Quamvis ad septemtrionem spectet mons Sion, hoc tamen de eius pulchritudine nihil diminuit. Quamquam prior sensus magis genuinus videtur. Atque hoc quoque elogio montem ipsum insignit Iesaias, præstantiam etiam notare volens. Sic enim 14, 14 in persona Sennacherib loquitur: Adscendam super excelsa nubium, et sedebo super montem testimonii in lateribus aquilonis. Vocat deinde *Gaudium totius terræ*, non tantum quod salubris esset regio illa propter aëris temperiem, ut insulse nugantur Iudæi, vel quod proferret suaves et eximios fructus, qui exteris gentibus possent afferre lætitiā, quod etiam frigidum est commentum: sed quia inde exoritura erat salus toti mundo, sicuti inde vitæ lucem et coelestis gratiæ testimo-

nium mutuatae sunt omnes gentes. Nam si extra Deum lætantur homines, exitialis tandem est exitus, risusque convertitur in stridorem dentium. Christus autem e Sion cum evangelio suo apparuit, ut solido gaudio aeternaque felicitate mundum perfunderet. Quamquam autem prophetae aetate nondum ad externos manaverat evangelii cognitio, merito tamen hac loquutione usus est, ut scirent Iudæi non aliunde petendam esse beatitudinem, quam ex gratuito Dei foedere quod in illo sacrario depositum erat. Interea etiam prædixit quod novissimo demum tempore impletum fuit Christi adventu. Hinc autem discamus ad exhilarandas pias mentes, plane sufficere unicum Dei favorem: sicuti eo sublato, necesse est cunctos mortales misera inquietudine et tristitia torqueri. Quod continuo post additur de *Civitate regis magni*, in hunc finem tendit, montem Sion non modo sanctum esse, sed donatum tanto privilegio, ut urbem totam sanctificet, quia sedem sibi Deus illic delegerat, ut cuncto populo dominaretur. Tertio versu, ubi dicit *Deum esse notum in palatiis Ierosolymæ*, rursus dignitatem eius commendat a Dei praesidio, sicuti Psalmo 46, 6 vidimus: Deus in medio eius, non movebitur. Palatia vero diserte expressit ad antithesin, ut scirent Iudæi, quamvis civitas sancta validis turribus munita foret, aedesque haberet splendidas et similes propugnaculis, solo tamen Dei auxilio tutam esse. Proinde his verbis monentur fideles, quamvis in arcibus vel palatiis habitent, sedulo cavendum esse ne splendor ille vel altitudo potentiam Dei obruat, sicuti profani homines terrenis opibus contenti, pro nihilo ducunt Deum habere custodem. Porro quia hæc nobis ingenua est pravitas, ut terrena opulentia oculos nobis perstringens Dei oblivionem inducat, summa attentione meditanda nobis est hæc doctrina, ne virtutis et gratiæ Dei notitiam obscuret quidquid videtur in nobis esse pretio dignum: sed in cunctis dotibus quibus ornati erimus, semper clare fulgeat Dei gloria, ut statuamus non alibi quam in ipso, nos beatos esse.

4. *Quia ecce reges congregati sunt, transierunt simul: 5. Ipsi viderunt, sic admirati sunt, trepidaverunt, præcipientes acti sunt. 6. Tremor apprehendit eos, illic dolor quasi parturientis. 7. Per ventum orientalem confringes naves Tharsis.*

4. (*Quia ecce reges.*) Hic specialis illa quam dixi, liberatio attingitur. Refert enim propheta, quum reges simul congregati essent ad perdendam Ierosolymam, impetus tamen eorum irritos transisse, non secus ac nebulae evanescent: imo dicit, solo adspectu fuisse perditos, neque id vulgariter, sed quemadmodum mulier parturiens, subito dolore opprimitur. Etsi autem certo non liquet quam hi-

storiā commemoret propheta, aptissime tamen quae hic dicuntur, tam in tempus Achaz, quam Ezechiae vel Asa conveniunt: fuit enim mirabile illud Dei opus, quum duo potentissimi reges Syriae et Israel, ingenti exercitu instructi, tanto metu perculissent urbem, ut rex cum populo fere exanimis iaceret, repente frangi, et frustrari certa spe potiundae urbis, unde et Iesaias capite 7, versu 4, per ludibrium titiones fumantes vocat: quum duae quasi faces accensae essent ad consumendam incendio Iudaeam. Nec minus stupendum fuit miraculum, innumeras copias Sennacherib nocte una sine hominum manu ab angelo deleri, 2. Reg. 19, 35. Iam quum rex Aethiopum collecta myriade ad oppugnandam Ierosolymam venisset, memorabile fuit potentiae Dei specimen, tantum apparatus disicere. Quidquid sit, Iudaeos claro documento expertos esse dicit, Deum fuisse sanctae urbis custodem, dum invicto hostium robori se opposuit. Ideo dicit fuisse *congregatos reges*: quo verbo significat initum fuisse foedus in ecclesiae perniciem. Verbum *Transeundi* bifariam exponi potest: vel quod copiae ab illis collectae, in nihilum redactae fuerint: vel quod simul et uno consensu, quasi instructa acie expeditionem susceperint. Et hoc secundum videtur contextui esse aptius: quia postea sequitur ad conspectum urbis stetisse attonnitos. Quanquam licebit non incommode hunc versum accipere, quasi amplificandi causa additum. Sed quia ad rei summam hoc non adeo facit, eligant lectores utrum magis placuerit. Caeterum ubi dicit, *Miratos fuisse urbem visa, trepidasse, actos fuisse praecipites, correptos dolore tanquam subiti partus*, exornat quibuscunque potest elogiis miraculum quod exhibuit Deus in profligando tanto apparatu. Sic autem resolvi debet oratio, simulac viderunt miratos esse. Notum est illud Caesaris dictionem, Veni, vidi, vici, quo Aegyptiacae victoriae facilitatem notavit: Propheta hic contra, impios dicit obstupuisse solo conspectu urbis, ac si Deus splendore gloriae suae eorum oculos hebetasset. Et particula γ translativae posita est, quasi ad rem digito monstrandam, sicuti paulo post sequitur eodem sensu adverbium loci δ . Similitudo parturientis ad exprimendam subitam mutationem pertinet, nam hac circumstantia luculentius enituit gratia Dei, quod inopinato metu perculsi subito animis conciderint, et ex securo fastu acti fuerint praecipites. Monemur autem hoc loco, nihil novi hodie accidere si validis copiis oppugnetur ecclesia, ac formidolosos impetus sustineat: quia sic Deus ab initio suos humiliare consuevit, quo admirabilem suam potentiam magis conspicuam reddat. Interea nobis occurrat, solum Dei nutum sufficere ad nos liberandos: atque, ut nobis obruendis undique immineant hostes, in eius arbitrio esse, quoties placuerit, stupore percutere eorum animos,

ut inter medios conatus momento deficient. Atque haec cogitatio mentes nostras, quasi injecto fraeno, compescat, ne huc et illuc circumspiciant ad humana media.

7. (*Per ventum orientalem.*) Etsi hunc locum varie exponunt interpretes, contenti simus genuino sensu, non secus afflictos et exitio demersos fuisse ecclesiae hostes, ac Deus subitis procellis naves Ciliciae in mare profundum deiicit. Commemorat autem Dei potentiam quam exserere solet in magnis et violentis tempestatibus, ac si diceret, non esse mirum si Deus, qui confringit ventorum impetu robustas naves, hostes quoque suos virium suarum confidentia inflatos prostraverit. Per *Mare Tharsis*, apud Hebraeos Mediterraneum intelligitur, propter Ciliciam, quae sic olim vocata fuit, etiam Iosepho teste: licet tandem nomen hoc ad urbem unam restrictum fuerit. Quia autem praecipua navigatio Iudaeis erat in Ciliciam, per synecdochen huic regioni tribuunt quod aliis remotioribus et minus notis commune erat.

8. *Sicut audivimus, sic vidimus in urbe Iehovae exercituum, in urbe Dei nostri: Deus stabiliet eam usque in perpetuum. Selah.* 9. *Expectavimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* 10. *Sicuti nomen tuum Deus, sic laus tua super extrema terrae, iustitia plena est dextera tua.*

8. (*Sicut audivimus.*) Duplex sensus potest huic loco congruere: prior erit, si in persona fidelium dicat propheta, qualem Deus olim potentiam exseruerat in liberandis patribus, prosequutum nunc fuisse erga nepotes et posteros. Audierant enim ex ore patrum, et ex sacris historiis didicerant, quam clementer et paterne Deus ecclesiam suam invisset: nunc se oculatos esse testes praedicant, quia re ipsa eandem erga se misericordiam sint experti. Summa igitur esset, fideles non modo in historiis habere bonitatis et potentiae Dei testimonium, sed usu et experientia sentire, adeoque perspicere oculis quod prius cognoverant ex auditione et relatu patrum. Itaque Deum semper manere sui similem, qui vetusta gratiae suae exempla subinde assiduis documentis confirmet. Alter sensus paulo argutior est, optime tamen quadrat, Deum scilicet re ipsa praestitisse quod pollicitus fuerat populo suo, ac si dicerent fideles, sibi ante oculos fuisse exhibitum quod prius tantum auribus perceperant: quia ubi nuda tantum promissiones apparent, Dei gratia et salus in spe adhuc abscondita est, effectum autem conspicua redditur. Si haec interpretatio placeat, continet uberem doctrinam, nempe quod Deus spem verbo suo datam minime frustratur: nec magis liberaliter promittere soleat, quam implere quod promisit. Ubi dicitur, *in urbe, γ acci-*

pitur loco \mathfrak{D} vel \mathfrak{H} , hoc est, de urbe, vel quoad urbem. Neque enim dicere voluit propheta, Ierosolymae narratum fuisse fidelibus, Deum servis suis opem esse laturum: sed Deum ab initio fidum urbis suae fuisse custodem, et semper talem fore. Et nominatim urbis Dei fit mentio, quia non eandem promiscue omnibus salutem promittit, sed populo electo et peculiari. Nomen *Iehovae*, ad exprimendam Dei virtutem positum est: sed mox addunt fideles *suum esse Deum*, notandae adoptionis causa, ut in eum sperare, et familiariter ad eum confugere audeant. Quod vero in concilio Niceno secundo, hunc locum torserunt boni patres,*¹) ut probarent non sufficere doctrinam in templis, nisi ad confirmationem accederent picturae et imagines:**²) nimis pudenda fuit insulsitas et relatu indigna, nisi quod utile nobis est intelligere horrendum in modum percussos fuisse spiritu vertiginis et stuporis, quibus propositum erat ecclesiam Dei corruptela illa inficere. Clausula versus, Ierosolymam a cunctis mundi urbibus discernit, quae suas habent vicissitudines, ut nonnisi ad tempus floreat. Quia autem status Ierosolymae a Deo fundatus est, inter varias mundi conversiones firmus permanet. Non mirum igitur si per continuam aetatum seriem, Deus urbem a se electam tueatur, in qua nominis sui invocationem semper vult residere. Quod autem abducto in exilium populo urbs semel excisa fuit, cum hac sententia non pugnat, quia iam ante vaticinio Ieremiae ostensa fuerat restitutio, Ierem. 27, 22. ideoque tunc maxime quam stabile esset opus suum, probavit Deus. Nunc, postquam adventu suo saeculum renovavit Christus, quidquid olim de urbe illa dictum fuit, ad spirituales Ierosolymam pertinet, quae per omnes mundi plagas dispersa est. Atque haec doctrina, quoties animis fluctuamur, succurrere nobis debet, quidquid discriminum immineat, salutem ecclesiae quam Deus stabilivit, posse quidem graviter concuti, sed non ita labefactari ut cadat. Caeterum verbum futuri temporis in praeteritum resolvi potest, sed eodem sensu.

9. (*Expectavimus.*) Docet hic versus fideles fuisse divinitus servatos, quia in summa rerum omnium perturbatione patienter quieverint, donec tandem misertus ipsorum Deus opem afferret. Verbum enim hebraicum $\mathfrak{D}\mathfrak{M}\mathfrak{T}$, quod est proprie silere, animi tranquillitatem notat, unde colligimus fuisse periculis agitados fideles, ut pro carnis sensu consternari possent vel expavescere, quemadmodum scimus homines in continuo tumultu versari, et quasi contrariis fluctibus huc et illuc impelli, donec

eorum mentes fides tranquillet, et ad silentium componat. Summa igitur est, fideles, quum misere affligerentur, non fuisse tamen e gradu deiectos, quin recumberent in Dei auxilium: quin potius eius gratiae patientia et spe ianuam patefecisse. Porro hoc ad illustrandam Dei gratiam valuit, quod quum ab eius expectatione penderent, non fuerint frustrati. Unde etiam colligi potest utilis admonitio, prohiberi a nobis Dei auxilium, quia diffidimus eius promissionibus, nec prae tumultu patimur ad nos usque fluere gratiam, quae silentibus est reposita. Sed quid sibi vult, *in medio templi*? an quod illic tantum spem suam aluerint fideles? quum autem quisque domum suam esset reversus, sperare desierint? Imo certum est spem in templo conceptam domum retulisse, ut in ea constanter starent. Verum quia promiserat Deus, locum illum ubi invocaretur, sedem et domicilium virtutis et gratiae suae fore, nunc dicunt fideles se oraculo illo fretos, non dubitasse quin se Deus misericordem et propitium ostenderet, quia certum haberent praesentiae eius insigne. Neque enim nostrum est ex proprio sensu imaginari, Deum fore nobis liberatorem, sed quatenus ultro se nobis offert. Iam si umbratile illud praesentiae Dei symbolum sub lege valere eo usque debuit, ut vitam sperarent fideles in media morte: quum ad nos descenderit Christus, ut multo plenius nos patri suo coniungeret, quamvis sursum ac deorsum misceatur mundum, iusta nobis quiescendi causa est. Tantum danda est opera, ut purus et integer apud nos vigeat Dei cultus, quo templum eius in medio nostri refulgeat.

10. (*Sicuti nomen tuum.*) Quidam hunc versum cum proxima sententia contextunt: ac si dictum esset: Domine, tu non frustra nomen tuum vis celebrari: quia simul suppeditas materiam laudis. Ita sensus erit, nomen Dei praedicari cum effectu: vel eius potentiam simul cum promissionibus exstare. Alii paulo argutius exponunt, opera Dei congruere cum nomine eius, quia vocetur $\mathfrak{H}\mathfrak{X}$ a potentia,*³) dum re ipsa demonstrat non temere hoc nomen sibi fuisse impositum, sed veram ac debitam laudem tribui. Prior expositio, sicuti minus coacta est, ita propius accedit ad verba et mentem prophetae, Deum scilicet operibus testari, se non frustra coli apud Iudaeos pro vero et unico Deo. Sed dum particulam expendo quae sequitur, *Super extrema terrae*, prophetam aliud velle existimo, nempe, quocumque pervenerit nominis Dei fama, cognituros homines ipsum esse summa laude dignum: subest enim his verbis tacita antithesis. Scimus tunc passim volitasse idolorum nomina per totum orbem: sed quantumvis celebres essent fictitii dii, iusta laude caruisse, quod nullum illic exstaret signum

*¹) *Le français porte*: ces bons prudhommes de Peres qui y estoient.

**²) *In margine ed. gallicae legitur*: cf. Instit. C. III. § 38 ss. (i. e. Lib. I c. XI. § 15 ss.).

*³) *En marge*: c'est-à-dire fort.

divinitatis. Propheta autem hic contra: Domine, ubicunque auditum fuerit nomen tuum, cum solida laude coniunctum erit, vel secum proferet laudis materiam, quia intelliget totus mundus qualem te praestiteris electo populo. Eodem pertinet quod mox additur, *Dexteram Dei plenam esse iustitia*, nempe quod auxilium suis ferendo, quasi porrecta manu, iustitiam suam palam demonstret: nec unum modo vel alterum specimen edat suae iustitiae, sed omnes numeros impleat. Porro tenendum est quod alibi diximus, Iustitiam Dei accipi pro fide quam in suis tuendis servat, unde inaestimabilis ad nos redit consolatio, quod in salute nostra curanda velit iustus agnoscere. Iam tenemus prophetae mentem, nempe falsorum deorum nomen per ora hominum volitare, sine re et vera laude: aliam esse rationem in Deo Israel: quia quocunque perlata fuerit eius fama, intelligent omnes liberatorem esse populi sui, qui spem et vota suorum non frustratur, nec eos in discrimine deserit.

11. *Laetabitur mons Sion, exsultabunt filiae*) Iuda, propter iudicia tua.* 12. *Circumdate Sion, et circuite eam, numerate turres eius.* 13. *Adiicite cor vestrum**) ad murum eius, exaltate turres eius, ut narretis generationi posterarum.* 14. *Quia hic Deus, Deus noster in saeculum et usque: ipse deducet nos usque ad mortem.***)*

11. (*Laetabitur.*) Nunc gratulationem suam absolvit, quod Ierusalem et aliae Iudaeae urbes, iustitiae materiam habebunt, quia Deum vere senserunt vindicem suae salutis. Nam *Iudicii* nomen ideo positum est, quod Deus ecclesiae suae causam suscipiens, eius oppressoribus se hostem professus sit, ut eorum ferociam compesceret. Deinde rursus propheta situm et pulcritudinem Ierosolymae commendat, ac si diceret, urbem esse optime munitam et inexpugnabilem: quia aliqua ex parte in his externis notis fulgebat Dei benedictio. Quanquam memoria tenendum est quod prius dixit, Deum in eius palatiis conspici in arcem. Neque enim *turres* vel *murum* nunc commemorans, vult piorum mentes in illis subsistere, sed potius speculum proponit quod Dei faciem repraesentet. *Circumdate* ergo *Sion*, inquit, hoc est, attente circumspecte: *numerate turres, et studium vestrum applicate ad considerandum eius murum*: aestimate pro dignitate palatia eius, ita facile constabit urbem esse divinitus electam: quia longe supra alias omnes emineat. Nam in hoc totus est ut appareat qualitas illa et persona qua Dominus Ierosolymam induerat: eam sibi in

sacrarium et in domicilium populo suo origens. Caeterum propheta finem notando, ut narretur posteris forma et splendor urbis sanctae, tacite innuere videtur venturum aliquando tempus quo non amplius poterit conspici. Quorsum enim narratio in re manifesta et ante oculos posita? Quanquam ergo paulo ante dixit, urbem illam perpetuo stabilitam esse, nunc per modum correctionis admonet qualis futura sit perpetuitas, nempe quae ad renovationem duntaxat ecclesiae duret. Nos enim sumus illa posteritas ad quam pertinet ac dirigitur narratio, quia quaecunque veteri populo Deus beneficia contulit, nobis communia sunt: non quod splendor ille externus, quo admirabilis fuit Ierosolyma, hodie inter nos emineat, sed quia spiritualibus donis non minus splendide ornata fuit ecclesia post exhibitum Christum, quam olim muris et turribus instructa Ierusalem sub legis umbris. Verbum יְהוָה, verti exaltate, ad aestimationem praestantiae referens. Nam quod alii exponunt Roborate, minus videtur esse consentaneum, si cui magis probetur aliorum interpretatio, Adspicite, non repugno.

14. (*Quia hic Deus.*) Hinc melius liquet non loquutum fuisse Prophetam de palatiis Ierusalem, ut illic defixi haerent piorum oculi: sed ut se ad intuitum gloriae Dei attollerent. Nam quocunque se verterent, voluit Deus insculptas gratiae suae notas cerni, imo se agnoscere quasi praesentem. Unde colligimus, quidquid dignitatis vel praestantiae in ecclesia refulgeat, non aliter esse considerandum, quam ut nobis Deus occurrat, atque in suis donis celebretur. Porro demonstrativum pronomen הוּ minime supervacuum est, sed unicum Deum ab omnibus fictitiis adhibita certitudine discernit. Quantumvis enim audacter Dei nomen usurpent increduli, ac de religione garriant, si quis tamen propius inquirat, reperiet nihil subesse certi vel firmi: imo quicumque in vera fide fundati non sunt, necesse est in suis figmentis evanescere. Hoc itaque fidei proprium est, distinctam nobis Dei notitiam proponere, in qua non vacillemus: sicuti superstitio imaginarios et multiplices deos semper ingerit. Quo magis notanda est emphatica ista demonstratio, cui similis fere est ista Iesa. 25, 9. Ecce Deus noster hic, expectavimus eum et salvabit nos: hic Iehova, expectavimus eum. Ac si profiteantur fideles non esse sibi incertum Deum, vel quem confusa opinione apprehendant, sed cuius firma ipsis constet veritas. Praedicant autem fideles Deum perpetuo constantem fore in servanda ecclesia, ut se hortentur ac confirmant ad pergendum in continuo fidei tenore. Quod proxime sequitur membrum, videtur exegeticum esse, *Deducet nos ad mortem*. Deum enim sibi hoc verbo aeternum ducem ac custodem fore promittunt fideles. Quanquam non intelligunt se Dei gubernatione tantum in hac vita fore tutos, ut

*) les filles, *en marge*: ou villes.

**) mettez votre coeur, *en marge*: ou prenez bien garde.

***) iusques à la mort, *en marge*: ou dès l'enfance.

in media morte deserantur: sed crasse designant quod dixi, usque ad finem Deo curae esse quicumque in ipsum recumbunt. Si *עלמות* coniunctim legere, ut sit simplex nomen et pro saeculo accipere libeat, idem erit sensus. Alii pueritiam interpretantur, hoc sensu; Sicuti ab exordio ecclesiam suam fovere coepit Deus, quemadmodum pater alios a pueritia educat, ita perget in eodem cursu. Sed prior sententia, meo iudicio, aptius fluit. Aequè remotum est quod alii interpretantur, In abscondito. Nisi forte ex professo gubernationem Dei absconditam dixerit propheta, ut eam non sensu carnis, sed fide aestimemus.

PSALMUS XLIX.

ABG. Quia ut plurimum contingit impios homines, vel terrenis deliciis addictos, prospere et feliciter agere, veros autem Dei cultores, vel rebus adversis premi, vel sub miseriis suis languere: ne priores nimis in sua fortuna superbiant, alii vero despondeant animos, docet Propheta, quamvis bonis omnibus pro voto affluant profani homines, quamdiu a Deo alieni sunt, umbratilem felicitatem in qua sibi placent, quae instar somni evanescit, minime expetendam esse: bonos autem, quamvis contumeliose tractentur, vel affligantur multis malis, respici tamen a Deo, ut tandem ipsos liberet.

1. *Praefecto filiorum Corae canticum.* 2. *Audite hoc omnes populi, auscultate omnes incolae orbis.* 3. *Tam filii mortalium*), quam filii viri, simul dives**) et pauper.* 4. *Os meum loquetur sapientias: et meditatio cordis mei, intelligentiae.* 5. *Inclinabo ad parabolam***) aurem meam: aperiam cum cithara aenigma†) meum.*

2. (*Audite hoc.*) Quoniam Psalmus hic, a quocunque fuerit compositus, unum ex praecipuis coelestis philosophiae capitibus continet, non abs re tam splendidis verbis autor praefatur, de rebus magnis et reconditis sibi fore sermonem, quo sibi attentionem conciliet. Putaret forte quispiam prima specie, nonnisi vulgare argumentum tractari, quia de brevitate huius vitae disseritur, et de vana fiducia qua se ipsos plurimi inebriant, quorum utrumque videtur satis esse notum. Finis autem est, ut probi et pietatis studiosi homines, quibus res sunt minus prosperae in mundo, hac consolatione dolorem suum mitigent ac taedium levant, sibi tandem melius fore, ubi Deus res confusas in ordinem restituet. Sed altius conscendit propheta, utcunque non statim

Deus palam ostendat mundum sua providentia regi, patienter tamen expectandum esse exitum, qui carnis sensu non percipitur. Hoc quidem philosophi quoque ipsi praecipunt, quamvis misere vexemur in mundo, nullis tamen afflictionibus cedendum esse. Deinde stulte sibi placere qui beati censentur, quia divitiis, honoribus, et deliciis nihil sit magis evanidum: sed ad fontem ipsum non perveniunt: quia ubi optime disputant de beata vita, contenti sola virtute, non constituunt Deum in medio, qui res humanas gubernet, ut in eum recumbere discant, quibus alioqui nihil praeter desperationem apparet. Friget igitur philosophica de his rebus praeceptio. Itaque spiritus sanctus licet in medium proponat quae experimento nota sunt, mox tamen altius conscendit, mundum scilicet divinitus regi, et dum improbi intemperanter exsultant, boni autem contumeliose calcantur, Deum semper in coelo iudicem sedere, ut opportune reprobis delicias excutiat quibus se oblectant: suos autem cultores e profundis tenebris erutos, vero gaudio perfundat. Hinc vero petenda est solida consolatio in omnibus miseriis, quae formidabili conspectu nos obruunt, nisi illuceat Dei facies, quia nisi persuasi simus ipsum habere salutis nostrae curam, nullum cernimus remedium nec finem. Haec, ut dixi, ratio est cur propheta nos attentius iubeat mentes et studia erigere ad suam doctrinam: quia de rebus praeclaris et sublimibus verba facturus sit. Duo tamen notantur in hoc versu: quod scilicet doctrinae quam proponit utilitas omnibus sit communis: deinde quod omnes seria admonitione opus habeant: quia nemo animum ad rectam considerationem, nisi expergefactus, erigat. Pro eo quod vertimus *Incolas orbis*, quidam vertunt Habitatores temporis: quod tametsi praesenti argumento non male convenit, asperius tamen est. Nobis sufficiat cunctos mortales promiscue vocari a propheta, quia aequè ad omnes pertineat quod dicturus est. Per *filios Adam*, plebeios et ignobiles intelligit: per *filios viri*, proceres ac nobiles, vel qui dignitate aliqua excellunt. Praefatur ergo, summos quosque et infimos, sine exceptione, sibi docendos esse: quia nemo eorum sponte sapiat, quum tamen doctrinam proferre instituat quae peraeque attingit totum humanum genus.

4. (*Os meum loquetur.*) Merito his elogiis doctrinam suam propheta commendat. Quamvis enim postea ab experientia coarguat hominum stultitiam, principium tamen docendi quod sumet, non cadit sub communem sensum, quanquam hoc prooemio utitur non solum ut doctrinam suam vendicat a contemptu, sed etiam ut mentes sopitas excitet: et quo id faciat efficacius, non alios modo hortatur ad studium discendi, sed profitetur se simul fore attentum: hoc autem modo constituit se unum ex discipulis, qui doctoris partes exsequendo, proficere ipse

*) les fils d'Adam, *en marge*: ou ceux de bas estat.

**) le riche, *en marge*: ou les nobles.

***) mon proverbe, *en marge*: ou sentence grave.

†) mon enigme, *en marge*: ou dire obscur.

Calvini opera. Vol. XXXI.

quoque cupiat. Et certo ita omnes Dei prophetas affectos esse convenit, ut Deum libenter habeant communem magistrum cum reliquo populo, et vocem eius, quam ore suo perferunt ad alios, primi omnium excipiant. Caeterum prophetae consilium fuit auctoritatem et reverentiam suae doctrinae asserere, quia non futiliter garriat de suis commentis, sed tantum proferat quod didicit in schola Dei. Haec autem unica est probe docendi ratio in ecclesia Dei, ut qui aliis praefectus est magister, aurem ad discendum inclinet priusquam os aperiat ad loquendum, atque ita fideliter de manu in manum tradat quod a Domino accepit. Et certe sapientia non nascitur in hominis ingenio, sed e coelo petenda est: ideoque nemo prudenter et scite in aedificationem ecclesiae unquam loquetur, nisi qui Deo se prius docilem praeberit. Quantum ad verba spectat, in tertio versu quidam vertunt Intelligentias: sed quia impropria et dura esset loquutio, si dicatur cordis meditatio loqui, sequutus sum quod simplicius erat. In quinto versu nomen *משל* quod *Parabolam* verti proprie similitudinem significat: sed saepe ad graves sententias transfertur, quia figuris et translationibus ut plurimum ornantur. Eodem fere sensu capitur nomen *חידה*, quod aenigma vertunt: itaque Ezech. cap. decimo septimo, versu secundo, duo verba et nomina simul iunguntur, *חידה ומשל משל*, hoc est, aenigmatiza aenigmate, et paraboliza parabola. Fateor quidem illic notari allegoricum sermonem: sed iam dixi cur Hebraei aenigmata et similitudines vocent insignes et notatu dignas sententias. Nam *Aperiendi* vel *retegendi* verbo testatur propheta sibi minime esse propositum res de quibus acturus est, perplexis et obscuris ambagibus involvere. Et certe quamvis longe a sensu nostro remota sit coelestis doctrina propter suam sublimitatem, spiritus sanctus ad captum nostrum sic temperavit sua oracula, ut tota scriptura utilis sit nobis ad aedificationem, unde frustra ignorantiae praetextus a multis captatur: quia nihil tam arduum est vel difficile, quod non rudibus et idiotis sit patefactum. Quod mentionem *Citharae* factam esse putant multi interpretes, ut cantus suavis et illecebra mitigaret si quid esset asperum, nescio an satis firmum sit. Mihi satis est, pro recepto more loquutum fuisse prophetam, quia tunc solenne erat Psalmos ad citharam canere.

6. *Cur timebo in diebus mali? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* 7. *Confidunt super opulentia sua, et in multitudine divitiarum gloriantur.* 8. *Frater non redimet redimendo: nullus dabit Deo pretium redemptionis eius.* 9. *Et pretiosa*) erit redemptio*

*) précieux, en marge: ou cher.

animae eorum, et duratio in saeculum. 10. *Ut vivat amplius in perpetuum, nec videat sepulcrum.*

6. (*Cur timebo.*) Iam in ipsam doctrinae tractionem ingreditur propheta, non debere filios Dei ultra modum turbari rebus adversis, etiamsi proterve eos urgeant impii, et iam pro libidine undique conclusos teneant: quia scilicet Dominus, quamvis dissimulet ac quiescat, non tamen dormit in coelo, sed iudicia sua in tempus opportunum differt ac suspendit. Porro interrogatio magis emphatica est, quam si simpliciter assereret se in rebus adversis aequo et tranquillo animo fore. Secundo membro versus specialiter designat afflictiones quae plus acerbatis in se continent, et gravius vulnerant animos, dum scilicet improbi dominantur, et violentiam suam impune exercent, ideo saubaudiendum est adverbium temporis, dum *iniquitas*, etc. Sunt quidam interpretes qui alium sensum eliciunt: Si timeam in diebus malis, et mihi nimis anxie prospiciam, sicut solent increduli: ubi tandem ad mortem ventum fuerit, iniquitates meae tenebunt me obsessum. Ita *calcaneum* pro vitae exitu accipiunt, sed hoc totum tanquam longe petiti repudio. Neque etiam video qua ratione alii ad cogitationes referant: nullum enim exemplum huius metaphorae alibi reperiri posse existimo. Plus coloris habet quod alii vertunt *Insidiatores*, quia verbum *קק* significat decipere: ac si dixisset propheta, Quamvis mihi tendant insidias perfidi et astuti homines, non est tamen cur timeam. Sed ego absque figura accipere malo: Quando me obsidebit hostium iniquitas, qui urgendo quasi me supplantant. Sicuti etiam gallice dicimus, *Poursuivre usques aux talons*. Fateor eum de hostibus loqui, sed iniquas eorum persecutiones calcaneo suo haerere dicit, quia potentia praevaleant, et quasi talos pede prementes, immineant ad ipsum obruendum.

7. (*Confidunt super opulentia.*) Sequitur ratio cur non debeant filii Dei trepidare in rebus adversis, ac multo minus succumbere, etiam dum videntur constringi sub hostium manu, ut eorum violentiam vel fraudes effugere nequeant: nempe quia umbratili potentia frustra turgent, quae statim evanescit. Ratiocinatur ergo propheta, dum homines metumimus, vano et fallaci metu nos turbari: quia non reputamus qualis sit eorum conditio: perinde ac si ab umbra vel spectro quispiam sibi metuat. *Gloriantur* inquit, *in multitudine divitiarum*: et nos stulte in eundem errorem abripimur, quia non reputamus quam caduca sit et momentanea terrenae huius vitae conditio. Altius tamen respicit propheta, neque enim tantum ex re ipsa ostendit, falso putari beatos qui deliciis, vel opibus, vel honore excellunt in mundo, sed ex eorum sensu, vel potius stupore miseros esse coarguit. Nam quum

felicitas in eius sensu qui fruitur sit posita, stultos et socordes nemo felices esse dicet, quia intelligentia carent. Propheta autem profanos homines vesanos esse ostendit: quia confidere in sua opulentia, et in divitiis gloriari, certum amentiae signum sit, ubi stulti homines non vident quod eorum oculis est expositum. Quotidie enim experiuntur, nullo pretio cuiusque vitam ab aliis posse redimi, unde sequitur, non minus intelligentia privatos esse quam phreneticos. Si magis placeat vertere, Fratrem vir redimendo non redimet: idem manebit sensus, et phrasis hebraica hoc patitur. Sunt qui **אחרי** pro uno accipiant, quod tametsi non reiicio, videtur tamen non tam apte congruere. Quod postea dicitur, *Nemini esse pretium* quod Deo solvat pro alterius redemptione: huc pertinet, omnium vitam in unius Dei manu et arbitrio esse: nec posse ulla pactione transigi, ut tempus prorogetur quoties Deo visum fuerit hunc vel illum evocare. Eandem sententiam confirmat sequenti versu, Quod pretiosa sit eorum redemptio. Significat enim non modo raram esse, sed nusquam posse inveniri, sicut primo Samuelis, 3, 1 dicitur, sub sacerdotio Heli rara fuisse oracula, quia tunc desierant visiones. Summa ergo est, non posse inter homines inveniri pretium quo sibi, vel aliis aeternitatem in mundo redimant. Ubi nos vertimus, *Et duratio eorum in saeculum*, alii **לדור** verbum esse putant, quod cessare interpretantur: ac si diceret propheta: Nullum pretium tanti erit, ut locum habeat. Cessabit igitur perpetuo, quia nunquam ad suum effectum perveniet, sed quia nomen **לדור**, ut Psalmo 39, 5 vidimus, praefixum vitae tempus significat, visa est illa magis genuina interpretatio. Quum dicitur versu decimo, *ut adhuc vivat*, clarius exprimit propheta, non solum postquam mortui fuerint homines, non posse redimi, sed dum superstites adhuc agunt in mundo, non posse longius illis prorogari vitam. Docet enim, praefixum cuique esse vivendi finem, quem transilire nequeat: itaque dum in sua perversa fiducia desipiunt profani homines, propinquos esse sepulcro, a quo frustra se eximere tentabunt. Etsi autem non videtur aenigmaticae loqui propheta, dum submisso et humili stylo populariter disserit, quia tamen quasi e sublimi Dei solio stuporem hominum hic damnat, qui superbia excaecati obliviscuntur se esse homines: quisquis rem ipsam expendet, fatebitur aenigmata hic proponi. Interea in verbis perspicitur illa apertio cuius meminit, quia Deus articulatam doctrinam tradere vult, quae ne rudissimos quidem idiotas lateat.

11. *Quia videbit ut sapientes moriuntur, simul stultus et insipiens peribunt, et relinquent alienis opulentiam suam.* 12. *Intimum eorum domus eorum in*

saeculum,) habitationes eorum in generationem et generationem, vocaverunt nomina sua super terras.* 13. *Et homo in excellentia non manebit, similis factus est iumentis: intereunt.*

11. (*Quia videbit.*) Ego versum nonum cum decimo coniunctim lego, quia prophetae consilium est, ostendere quanta sit eorum vecordia qui sibi imaginantur aeternam in mundo vitam, studiaque sua applicant ad fabricandam sibi in terra perpetuam sedem, quum tamen assidue videant diffuere cunctos mortales. Vulgari proverbio dicitur, experientiam esse magistrum stultorum: ergo plusquam stulti sunt, qui tot et tam claris exemplis convicti non respiscunt, ut se mortales esse natos cogitent. Sic ergo cohaerent verba prophetae: Quum videant eaeci isti Dei contemptores, mortem omnibus esse communem, et sapientes promiscue cum stultis mori: non desinunt tamen aeternum sibi in terra domicilium fingere, perinde enim vitam instituunt, ac si nunquam hinc migrandum foret. Videt igitur quisque eorum quid aliis contingat, hoc est, sine discrimine in eundem interitum involvi omnes, quorum diversa fuit conditio in terris: imo vident multorum opulentiam transferri ad alienos. Nam **אחרי** (quamvis ad quoslibet successores extendi possit hoc nomen, quod simpliciter tam alios quam alienos significat) legitimis vel suis haeredibus opponi arbitror: quia si haeredem quis relinquit ex suo semine, videtur in illius persona quodammodo superstes. Ubi vero ad mortem accedit orbitas, nomen hominis penitus exstinguitur, quo minus solati est profanis hominibus, in quorum locum non succedunt filii qui personam eorum sustineant. Sed adeo nihil proficiunt his documentis, ut nihil aliud in corde versent, quam aeternam vitam in terra. Nam hebraicum nomen **קר** quum medium cuiusque rei significet, metaphorice pro corde hominis vel intestinis capitur. Sensus itaque clarus est, quod fictitia terrenae vitae perpetuitas intimos eorum sensus occupet. Argutior interpretatio ab aliis affertur, nam quia **קר** interdum sumitur pro sepulcro, rideri putant eorum stultitiam qui magnifica palatia ingenti sumptu exstruunt, in quibus habitet eorum memoria post mortem, sed hoc commentum nimis frigidum est. Et quod continuo post sequitur, priorem sententiam melius confirmat, nempe istos homines mundo deditos *vocare nomina sua super terras*, hoc est, magno conatu incumbere ut famam obtineant inter mortales. Huc deberent tendere eorum vota, ut nomen ipsorum scriptum esset in libro vitae, ac benedictum coram Deo et angelis,

*) Le dedans d'iceux leurs maisons à jamais, en marge: ou ils ne peussent à autre chose sinon comment ils pourront faire durer leurs maisons.

nunc perperam rapiuntur in contrarium affectum, ut famosi sint super terram, et alte resonent nomina sua. Nam vocandi verbo, inanem sonitum oblique designat propheta, quo celebrantur profani homines. Quibusdam magis placet diversus sensus: Indiderunt nomina sua regionibus, ut gloriae monumentum posteris relinquerent. Sed non dubito hanc esse prophetarum mentem, laboriose ipsos eniti ut sibi celebrem famam in terra comparent.

13. (*Et homo in excellentia.*) Postquam insanas cogitationes derisit, quibus se sponte decipiunt increduli, nunc addit, quamvis ita sibi placeant, instare tamen illis communem cum brutis pecudibus exitum. Etsi enim quoad animos inter homines et bruta animalia magnum est discrimen, merito tamen propheta de praesentis vitae statu loquens, incredulos iumentis similes in morte fore dicit. Neque enim opus erat disputare de futura vita, quia negotium erat cum filiis huius saeculi qui ad illius spem non penetrant, nec animis aliam felicitatem concipiunt, quam qua nunc fruuntur. Ergo eorum vecordiae insultans, Vos quidem, inquit, quasi exempti communi hominum sorte, cornua effertis supra nubes: sed mors vobis imminet quae abolebit vestram istam superbiam, ut nihil inter vos et asinos vel canes intersit. Nam quod subtilius ludunt nonnulli interpretes, mihi non probatur, fieri homines iumentis similes quia non intelligunt ad quam praestantiam sint conditi, nempe dum animam illis Deus indidit quae nunquam dormiet vel morietur. Nam mens prophetarum satis perspicua est, frustra sibi blandiri profanos homines propter caducam vitam, quia mox superveniet interitus, qui eos brutis pecudibus aggreget. Ac ultimo verbo se ipsum declarat propheta, cur comparet terrenos homines iumentis: quia scilicet exciduntur, vel pereunt. Quod alii subaudiunt relativum *וְאֵלֶּיךָ*, in eo parum est momenti.

14. *Haec via eorum stultitia ipsis,* et posterorum ori ipsorum acquiescent. Selah.* 15. *Tanquam oves in sepulcro ponuntur, mors pascet eos et dominabuntur eis recti mane, et robur eorum** ut veterascant: sepulcrum a domicilio eius.* 16. *Atqui Deus redimet animam meam e manu sepulcri,***) quia suscepit me. Selah.*

14. (*Haec via.*) Quia varie exponitur hic versus, antequam verum sensum profero, aliorum sententias breviter perstringam, quia nomen *כֶּסֶל* illa

*) leur est folie, *en marge*: ou est cognue n'estre que folie en eux.

**) leur force, *en marge*: ou leur figure.

***) sepulchre, *en marge*: ou puissance et domination de la mort.

interdum significat Hebraeis, quidam argute hoc loco pro adipe accipiunt: ac si dictum esset: Haec cogitatio illis est instar adipis, qua sensus suos tegunt ac suffocant. Sed hoc asperius est quam ut longa refutatione indigeat. Quidam sic distinguunt: Haec via eorum quasi stultitia est: quasi diceret propheta eos perverse vitam instituire, quia sanae mentis non sunt compotes, nec enim fieri posse ut adeo turpiter delirent homines, nisi carerent omni iudicio. Nam si qua intelligentiae gutta essent praediti, an non reputarent quorsum creati sunt, mentesque in coelum arrigerent? sic illi. Ego autem prophetam existimo simpliciter hoc velle, eventum tandem coarguere, mente fuisse privatos qui sic felicitatem suam in mundo locant: ac si diceret, detegi tandem cum magno dedecore eorum vesaniam qui in mundo subsidunt: et quamvis se rara prudentia pollere existiment, sibi plaudant in suo acumine, patefieri tamen cum iusto ludibrio, quam fuerint insipidi. Hoc autem consulto dicit propheta, ut filiorum amentiam magis amplificet, qui patrum exemplis edocti non resipiscunt. Quia autem hoc quoque posterius membrum varie torquetur ab interpretibus, primo referam quid alii sentiant. Verbum *לִלְכֹּךְ* accipiunt pro ambulare, et nomen *מִידָּה* pro mensura: ac si dictum esset, filios secundum patrum rationem incedere vel progredi, atque ita literam *כ* in *כ* resolvunt notam similitudinis, quod Hebraeis satis tritum est. Atque hic sensus, fateor, non adeo longe distat a verbis et sententia prophetarum. Quod alii ad iumenta referunt, nimis est contortum. Sed rectius meo iudicio sentiunt alii, nomen *אֵרִיס* pro institutis vel praeceptis sumentes, deinde melius convenit verbum *לִלְכֹּךְ* secundum communem et magis receptum sensum accipere, ut consensum vel beneplacitum notet, ideo verti Acquiescere. Hoc autem vult propheta, quum profanis hominibus vana sua confidentia cedat in stultitiam, ut merito apud omnes sint ridiculi, prodigiosum esse in posteris furorem, qui ne tali quidem experimento admoniti sapere incipiunt, sed se oblectant iisdem deliriis, idem sentiunt ac loquuntur quod patres. Porro, quum velit Deus expendi sua iudicia in mundo, eos attentius decebat reputare quid actum sit cum patribus: nunc dum praeteritis ac neglectis tam insignibus exemplis praecipites in eandem vanitatem ruunt, eo magis convincitur bruta eorum amentia.

15. (*Tanquam oves.*) Similitudo valde appositae, descendere istos homines in sepulcrum, sicuti oves sub manu pastoris in suum ovile aggregantur. Nam vix superbo homini sufficit totus mundus: adeo vanis suis figmentis turgent singuli, ut fere proprium sibi solem, aërem, terram seorsum appetant. Ab illo immenso fastu, quo se longe lateque extendunt, propheta eos quasi oves coacervat in sepul-

crum, et morti pascendos tradit. Sensus ergo est, quum sibi primatum usurpent inter homines, venturos tandem sub iugum mortis, ut sero discant de nihilo se fuisse gloriatos. Nam prostratos iacere sub tyrannide mortis, miserius est servitus ac foedior, quam subesse quibuslibet hominum imperiis. Secundo membro ab hac tristi et infausta sorte separat propheta Dei filios: atque ita anticipat quod alioqui promptum fuisset obiicere: Tu quidem vere praedicas morituros esse qui in hoc mundo confidunt: sed quid novi affers? vel cur hominibus exprobras naturae legem, quum omnibus imposita sit ista necessitas? deinde quid mortalibus insultas? quasi non sis unus ex numero. Huic obiectioni scite occurrit propheta, quasi diceret: Si mors esset totius hominis interitus, nihil dicerem novi: sed quia increduli meliore vita, ad quam conditi sumus omnes, indigne se privant, merito et recte eorum vecordiam insector. Nimis enim perversum est, ut beati sint ad momentum, et quasi somnio, abiicere spem et meditationem futurae vitae, seque abdicare coelesti gloria. Iam videmus quod initio dixi, longe differre huius Psalmi doctrinam a praeceptis philosophicis, nam eleganter et facunde ridetur a philosophis mundi ambitio, refelluntur stultae hominum cupiditates, coarguitur etiam caduca hominum fragilitas: sed quod praecipuum est, ab illis omittitur, nos, quia regimur Dei providentia, beatos esse: deinde felicem omnibus nostris malis fore exitum, quia nos manet aeterna in coelo haereditas. Nunc si quaeratur quale futurum sit rectorum dominium, expedita est responsio: quia reprobos omnes prosterni sub Christo capite nostro oportet, ut sint scabellum pedum eius, hoc quoque ad omnia eius membra pertinere. Nam quod dicitur traditurus regnum Deo et patri, hoc certe non faciet ut aboleat suam ecclesiam, sed ut sit Deus omnia in omnibus. Ac in adverbio temporis *mane*, apprime concinna est translatio. Nam quia nunc in tenebris versamur, vita hominis super terram tacitae comparatur nocti vel somno, idque praesertim respectu infidelium, qui in terra quasi sopiti desident: imo tam confusa est rerum omnium caligo, ut pia quoque mentes torpore obruantur, nisi quatenus per verbum suum Deus affulget. Certe non nisi per speculum et in aenigmate cernimus, ideoque adventus Domini instar aurorae erit, qua tam electi quam reprobi suo modo evigilent: priores scilicet, quia excussa tarditate et pigritia, discussis etiam nebulis, claro intuitu facie ad faciem Christum solem iustitiae, et in eo plenum vitae fulgorem cernent: hi vero qui nunc prorsus caecutiunt, a sua socordia excitati, cognoscere incipient novam vitam cuius nullum gustum nunc percipiunt. Atque haec admonitio non ideo tantum necessaria est, quia caro nostra semper nos deorsum trahit, et magna ex parte fidei

lucem suffocat vel obscurat: sed quia profani homines ex continuo mundi circuitu colligunt nullam fore aliam vitam, quemadmodum etiam Petrus admonet ridere eos spem resurrectionis, quoniam ab initio continuus naturae ordo fluxerit per tot saecula, 2. Petr. 3, 4. Quare ne eorum petulantia nos conturbet, succurrat nobis hoc prophetae dictum, quamvis nunc demersus sit in tenebris mundus, exorturum subito novum mane, quod faciem verae et aeternae vitae nobis restituet. Sequitur postea, *robur eorum*, vel figura ad vetustatem, vel *ut veterascat*. Nam utroque modo exponitur nomen צוֹרָא. Si legamus Robur, optime quadrabit sensus: valere istos opibus et potentia, sed ad breve tempus, quia statim marcescunt et concidunt, imo potius liquefiunt. Sed quia maiori consensu recepta est diversa sententia, libenter subscribo, figuram eorum ad defectionem tendere. Sicut enim Paulus 1. Cor. 7, 31 dicit, Praeterire figuram huius mundi, significans terreni status evanidam duntaxat esse speciem: sic propheta eleganter figurae comparat gloriam inanem, et cui nulla subest soliditas. Quod sequitur, non nihil obscurum est: quidam vertunt, Sepulcrum est domicilium illis: et tum ד faciunt literam formativam nominis. Sed verbis et menti prophetae melius congruit diversa interpretatio, sepulcrum illos a domicilio suo manere. Nam mutatio numeri Hebraeis familiaris est, intelligit autem propheta, quamvis nunc in splendidis aedibus habitent, ubi videntur fixum sibi habere nidum, brevi tamen fore ut egredi cogantur, ac sepulcrum eos excipiat. Forte etiam tacite alludit ad ambitiosos eorum transitus, quia nunquam in publicum prodeunt sine magna pompa, negat igitur propheta hoc illis fore perpetuum, quia tandem in sepulcrum descendent.

16. (*Atqui Deus.*) Potest etiam particula אֲנִי transferri Certe. Nam quod in genere dixit propheta, iustos mane dominaturos, nunc in peculiarem usum suum applicat, quo fidem suam certius aedificet. Est igitur quasi appendix superioris sententiae: dum ad suam personam accommodat propheta quod nuper de iustis omnibus dixerat. *Manum* pro imperio et potestate accipi, satis notum est, nam quod alii pro plaga accipi volunt, nimis est coactum. His autem verbis fatetur propheta se quidem naturaliter morti esse obnoxium, sed Deum fore vindicem suum et redemptorem. Porro hic praeclarum habemus testimonium fidei, in qua vixerunt et mortui sunt sancti patres sub lege. Videmus enim non substituisse eos in praesenti vita, sed mentibus in coelum sublatis cucurrisse per hunc mundum, donec stadium suum peragerent. Nam si speraret propheta ab uno vel altero periculo se esse redimendum: hoc etiam filiis huius saeculi commune esset, quos saepe Deus ex magnis discriminibus

eruit. Speravit igitur vitam in morte, quia superioris mundi tenebris, oculos ad illud mane dirigebat quod secum afferret aeternum diem. Unde etiam colligimus spirituales fuisse promissiones legis, quibus freti sancti patres, sponte et libenter peregrinati sunt in mundo, ut in coelesti haereditate tandem quiescerent, quo magis mirum est Sadducaeos qui in lege educati erant, eo stuporis delabi potuisse, ut animam hominis putarent nihil aliud esse quam halitum. Plus quam enim caecus erit qui hunc locum transiliet ac si nulla in eo fieret coelestis vitae mentio. Quomodo enim torquebitur quod proximo versu de novo et insolito mane dixit? Certe quotidie exoritur lucifer terris: sed diem certum illic designat, quo Deus ipse solis partes implebit, ut nos illustret gloriae suae conspectu. Iam vero quum subiicit, certe *Deus animam meam redimet ab imperio sepulcri*, nonne sibi peculiare aliquid promittit, quod non competit in reliquos homines? Quodsi redimi a morte privilegium est solis Dei filiis datum, certo colligimus meliorem vitam sperandam esse. Notare etiam operae pretium est quod prius attingi, rite nos demum proficere in Dei promissionibus, dum sibi quisque accomodat quod generaliter omnibus Deus offert, hanc rationem nunc tenet propheta. Unde enim de animae suae redemptione certus est, nisi quia futura est olim alia conditio piorum, quam nunc in mundo appareat? ipse autem ad Dei filios se aggregans, huius gratiae se quoque participem esse statuit. Quod postea subiicit, hebraice ad verbum sic legitur, *quia suscipiet me*. Sed quidam causalem particulam *כי* in adverbium temporis resolvunt: et verbum *לקח* accipiunt pro tollere e medio: ut sit sensus: Quando me Dominus ex hac vita ad se colliget, animam meam eruet ex potestate sepulcri. Sed vereor ne hoc sit nimis contortum. Rectius sentiunt alii, futurum tempus loco praeteriti positum esse, et propriam significationem causalis particulae retinent. Neque enim prophetae in se ipso quaerenda fuit spes suae resurrectionis, sed in gratuita Dei adoptione: quia eum amplexus suo favore Deus fuerat, eumque assumpserat in ordinem suorum. Quanquam tempus verbi mutare necesse non est, si cui haec sententia arrideat: Deus animae meae custodiam suscipiet in morte, ideo eam asseret ab interitu. Unde enim fit ut de se vulgo actum esse putent homines ubi in sepulcrum descenderint, nisi quia animas suas Dei tutelae et fidei non commendant? quia non reputant eas, instar pretiosi depositi, salvas manere sub eius custodia? Ergo utcumque in speciem evanescat hominis anima dum migrat a corpore, statuendum tamen est, colligi tanquam in Dei sinum, ut illic fideliter servetur usque ad diem resurrectionis.

17. *Ne timeas quum ditabitur vir, quum multiplicabitur gloria domus eius:* 18. *Quia non auferet omnia in morte, non descendet post eum gloria eius:* 19. *Quia animae suae in vita sua benedicet, et confitebuntur tibi quum benefeceris tibi.* 20. *Veniet ad aetatem patrum suorum, usque in perpetuum non videbit lucem.* 21. *Homo in excellentia, et non intelliget: similis factus est iumentis: interibunt.*

17. (*Ne timeas.*) Eandem quam prius habuimus sententiam repetit sub forma exhortationis, frustra scilicet terreri Dei filios hostium suorum divitiis et potentia, nec esse cur illis invidiant, quia instar umbrae cito praeterit caduca haec felicitas: ac ne in terra subsidant animi nostri, finem vitae vult semper nobis versari ante oculos. Sic enim fiet ut nos minime obruat taedium miseriarum, quibus nos in hoc brevi curriculo exerceri oportet: deinde ut alto animo spernamus fallaces pompas, in quibus sibi tantopere plaudunt profani homines. Ne ergo eiusmodi spectaculis turbemur, prudentes nos propheta ad mortis considerationem revocat, quae momento superveniens, fucato isto splendore exutos in sepulcrum deiciet. Hoc enim significat his verbis, *non auferet omnia in morte*, ut praeclare agatur cum mortalibus, non posse tamen ultra vitae finem in eadem manere gloria, et hanc nuditatem proximo membro confirmat, quum dicit, *non descendet post eum gloria eius*. Quantumvis enim luctentur miseri homines, et quasi invita natura aliquid post mortem gloriae sibi asserere conentur, putredinem tamen et nuditatis probum non effugiunt, quemadmodum soite a poeta dictum est,

— *mors sola fatetur*

Quantula sint hominum corpuscula.)*

19. (*Quia animae suae.*) Versus hic variis modis torquetur. Quidam ita resolvunt verba: Animae suae debuerat benedicere in vita. Alii prius membrum ad incredulos referunt, secundum vero ad fideles qui Deum celebrant in omnibus suis beneficiis. Quidam etiam totum contextum de fidelibus accipiunt, sed perperam. Ego vero eos recte sentire non dubito qui hic quoque notari docent homines carnis deliciis addictos. Ac priore quidem membro dicit eos *animae suae benedicere*, quamdiu in mundo agunt: quod suaviter se oblectent ac ingurgitent terrenis voluptatibus, secure denique sibi in belluina intemperantia indulgeant, sicuti a Christo describitur apud Lucam 12, 19 dives ille, Epulare anima mea ad satietatem, etc. vel certe quod non alibi quam in mundo felicitatem exspectant: quia nullo coelestis vitae studio tangantur. Quod alii Benefacere vertunt, mihi non placet, videtur enim

*) Iuvenal. X. 172.

mihi locus hic congruere cum illo Mosis, Deuteronomii 29, 19: Ne forte errore quis seductus, animae suae benedicat, hoc est, ne sibi blandiatur quasi Deum impune contemneret. Ridetur enim hic eorum socordia qui se beatos somniantes, delicias sibi faciunt. In altero autem membro personae mutatio est, atque apostrophe ad voluptuarios istos homines qui se in mundo beatos esse somniant. Intelligit enim propheta eos non proprio tantum errore inflari dum semideos se esse putant, sed dementari fallaci mundi plausu: dum passim laudantur habenturque in pretio, et vulgi opinione felices censentur, dum libidines suas explent posthabita coelestis vitae cura.

20. (*Veniet ad aetatem.*) Iam admonet quam fallaces sint illae blanditiae quibus se decipiunt increduli, et ab aliis etiam falluntur. Postquam, inquit, inebriati fuerint tam proprio errore quam vulgi plausu, non tamen pervenient ultra patrum aetatem. Atque ut maxime sint longaevi, non tamen fruuntur perpetua luce. Alii paulo secus interpretantur, Venire ad patrum aetatem pro eo quod est in sepulcrum una cum patribus colligi, sicuti mors vulgo dicitur via universae carnis. Et paulo ante dixit propheta turmatim aggregari in sepulcrum, quasi in ovile. Ita hunc volunt esse sensum: Quia in coelum non adspirant, sed iacent in mundo defixi et terrae putredine, venturos ad finem patrum. Ita secundum eos lumen perpetuo non videre, tantundem valet ac demergi in aeternas tenebras, vel prorsus exstingui, quia a Deo alienari longe deterius est omni interitu. Ego autem malo coniunctim legere: Quamvis se inanibus blanditiis deludant, non transibunt tamen metam cunctis mortalibus praefixam. Caeterum quia ad summam rei parum interest, libera sit electio. Tantum notandum est, si haec posterior interpretatio magis probetur, quod sequitur de luce sic debere intelligi, luce vitali non potiri incredulos nisi ad breve tempus: quia simul ac e mundo migraverint, non alia vita illis superest. Monemur autem sedulo cavendum esse ne in hac vita nobis benedicamus, sed potius dandam operam, ut extra mundum egressi ad coelestem benedictionem toti feramur: nec minus etiam cavendum esse, ne vani hominum plausus nos abripiant. Hoc idem dixerunt profani homines,

— *non si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina: nec te quaesiveris extra.*)*

*) *Pers. Sat. 1. v. 5 ss. En français:* Si Rome, ville pleine de troubles et esmotions, vient à exalter ou despriser quelque chose, donne toy garde de t'amuser à son poids ny à sa balance, c. à d. de t'arrester à ton iugement, et ne regarde point à ce que les autres disent de toy, ains entre en toy mesme et sonde quel tu es.

Sed quia nobis fere ingenitus est hic error, vanis adulationibus nimium credere, audienda est haec prophetae admonitio.

21. (*Homo in excellentia.*) Quoniam prius videri poterat nimis contemptum loquutus esse de praesenti vita, quae si per se aestimetur, singulare est Dei beneficium, speciem correctionis adhibet, vel sententiam prius a se dictam uno verbo interposito mitigat, quod scilicet homines in iumenta degenerent, quia insipide vorant quidquid bonorum illis largitur Deus, atque ita excellentiam qua Deus ipsos dignatus fuerat, quasi in nihilum redigunt. Invehitur ergo propheta in perversum abusum, ubi sine ullo pietatis gustu absorbent profani homines quidquid bonorum in eos Deus confert: praesertim vero ubi obstupescunt in caduca dignitate, quae potius adminiculum esse debebat mentibus eorum sursum erigendis. Hanc ingratitude damnat propheta, quod indigne praestantiam suam corrumpant profani homines, et a recto usu desciscendo, lucem convertant in tenebras, unde etiam colligimus nonnisi nostra culpa nos in mundo esse miseros: quia si bona nostra agnosceremus quibus nos prosequitur Deus, illisque rite uteremur, iam hic emicaret quaedam futurae beatitudinis scintillae. Sed honor hic corruptela nostra perit. Quanquam autem increduli quoque ipsi, quantisper in mundo vivunt, praecellunt brutis pecudibus, quia ratione et intelligentia praediti notas adhuc aliquas imaginis Dei retinent: vere tamen a fine ipso pronuntiat propheta *iumentis fore similes*, quia inani sua gloria spoliati, in eundem cum pecudibus interitum cadent. Nam quod superstites a morte erunt eorum animae, id minime obstabit quominus in aeternum dedecus mors ipsos demergat.

PSALMUS L.

ARG. Quia semper hypocritis referta fuit ecclesia, qui defunctorie externis tantum caeremoniis Deum sibi colendum fingerent: praesertim quia apud Iudaeos multi legales figuras, posthabita veritate, perperam sectati sunt, ac si tantum sacrificia et alios ritus Deus exigeret: crassum hunc errorem castigat propheta: severeque denuntiat, impie profanari Dei nomen, dum in caeremoniis locatur pietas: et spirituales esse Dei cultum ostendit, cuius praecipuae partes sint invocatio et gratiarum actio.

Canticum Asaph. 1. Deus deorum Iehova loquutus est, et vocavit terram ab ortu solis usque ad occasum. 2. E Sion perfectione pulcritudinis Deus resplenduit. 3. Veniet Deus noster, et non silebit, ignis in conspectu eius vorabit, et in circuitu eius turbo agitabitur valde. 4. Vocabit coelos superne, et

terram ad iudicandum populum suum. 5. Congregate mihi mansuetos meos, qui percutiunt foedus meum super sacrificiis.

1. (*Deus deorum.*) Quanquam Psalmus inscribitur Asaph, nescitur tamen fueritne eius autor: an vero, quum unus esset ex praecipuis cantoribus, eum ex manu Davidis suscepit. Sed quoniam in ea re parum est momenti, potius videamus quod ad rem magis pertinet. Multi putant hic describi renovationem ecclesiae: et haec opinio passim obtinuit, huc spectasse prophetae consilium, ut Iudaeos moneret, umbratilem legis cultum nonnisi temporalem esse, qui paulo post abrogandus esset. Hoc quidem verissimum est, Deum olim talibus rudimentis Iudaeos quasi pueros, exercuisse, usque dum adolesceret ecclesia, et veniret tempus plenitudinis, ut Paulus vocat, Galat. 4, 4 sed nunc aliud quaeritur, dirigatne propheta sermonem ad seculi sui homines, et legalis cultus abusus et corruptelam simpliciter damnet, an vaticinium edat de futuro Christi regno. Ex contextu vero facile patebit, prophetam apud suos aequales fuisse legis interpretem, ut doceret caeremonias, quo tempore vigeant, nullius per se esse momenti, sed referri potius in alium finem. Et quod obtenditur, Deum nunquam totum orbem vocasse, nisi quum evangelium promulgatum fuit, quia legis doctrina certum et peculiarem populum sibi collegit: nullo negotio refelli potest. Neque enim intelligit propheta totum orbem advocandum, ut communem doctrinam pariter audiant omnes gentes, sed ut coram toto genere humano Deus causam suam cum Iudaeis disceptet. Convenit enim haec contestatio cum illa Moysi Deut. 32, 1: Audite coeli quae loquar, audiat terra verba oris mei. Item, Deut. 30, 19: Contestor hodie coelum et terram quod tibi proposuerim viam vitae et mortis. Cum illa etiam Iesaeae, 1, 2: Audite coeli et auscultet terra: quia Dominus loquutus est. Et haec vehementia apud hypocritas necessaria fuit, ut excussis blanditiis serio ad Dei iudicium attenderent. Praesertim vero in hac causa necesse fuit gravius expergefieri Iudaeos. Nam quum propensi sint homines ad externas larvas, Deum ex suo quoque ingenio metiuntur, atque ita optime se erga eum defunctos putant, ubi caeremoniis operam dederint. Ita Iudaeis proclive fuit legis figuras temere arripere, ac si earum observatione Deum rite placarent, et scimus de hac superstitione accerrimum semper fuisse certamen prophetis, quia pessimi quique et impurissimi homines se pro veris Dei cultoribus audacter venditabant, si modo suam impietatem tegere possent fallaci aliqua pietatis specie. Quare non satis habuit propheta simpliciter docere corrumpi et violari Dei cultum, ubi neglecta fide et puritate cordis, tantum ad externos ritus intenti sunt homines: sed ut

torporem excuteret ac fallacem fiduciam corrigeret, necessario severam hanc denuntiationem adhibuit. Quod ergo Deum hic gentes omnes ad suum tribunal citantem inducit, non ita interpretor, quasi promiscue toti mundo verae et sinceræ pietatis regulam tradat, et undique ecclesiam colligat in suum obsequium, sed ut hypocritae suo more sibi adulari desinant. Nam ad eos pungendos hic non levis fuit stimulus, testes improbae suae dissimulationis habere cunctos mortales, et spoliari larva illa pietatis qua se venditabant. Huc etiam pertinet, quod Iehova Deum deorum nominat, quia nisi iniecto serio terrore, nunquam Deo illudere desinunt. Quod etiam ex reliquo contextu melius patebit, ubi Dei maiestas formidabilis describitur: ut sentiant hypocritae nihil se proficere puerilibus nugis, quia negotium sit cum tam severo iudice. Sed ne quis obiciat diversum quidquam a lege hic tradi, et convelli cultum a Mose praescriptum, nominatim exprimit propheta, consentaneum cum lege fore iudicium hoc, cuius est praeco. Deum enim verba facere *e Sion*, tantundem valet ac legis suae auctoritatem sancire, ideoque prophetae, quoties hac loquendi forma utuntur, se legis interpretes esse asserunt. Nam quia mons ille non hominum temeritate fuerat delectus, relationem habet ad legem. Itaque nunc propheta ansam disputandi praecidit Iudaeis, quia Deus ipse non aliquo novo iure reos faciat qui cordis impuritatem fucata specie tegunt, sed ex lege sua per Moysen lata cum ipsis disceptet. *Sion* autem vocat *perfectionem decoris* honorifico nomine: quia Deus sacrarium illud elegerat, ubi nomen suum invocaretur, et illic eius imago in legis doctrina fulgebat.

3. (*Veniet Deus noster.*) Quod repetit venturum, ad confirmationem doctrinae valet, ut vehementius concutiat torpentes animos: Veniet, inquit, nec silebit usque in finem: ne eius patientia abuti pergatis. *Deus noster.* Duobus modis hoc potest exponi, vel quod propheta se veris Dei cultoribus, qui paucissimi erant numero, aggregans, se ex adverso statuatur, ut demonstret hypocritas falso et inaniter iactare, Deum sibi esse communem cum sanctis patribus. Verum alter sensus mihi magis arridet, quod propheta, quasi unus e populo, pronuntiet Deum illum cuius nomen obtendebant omnes filii Abrahae, violati sui cultus fore vindicem. Veniet ergo Deus noster, quo nos gloriamur, Deus ille qui foedus pepigit cum Abraham, idem ille qui per manum Moysi legem nobis dedit. Quod de *igne et turbine* sequitur, tametsi ad expergefaciendos Iudaeos positum est, ut tandem expavescere discant ad Dei iudicium, quod hactenus nimis secure spreverunt: allusionem tamen continet ad horribile illud spectaculum quod Deus in monte Sinai exhibuit, Exod. 19, 16. Scimus enim tonitrua in toto aëre

sonuisse una cum tubis, coelum refertum fuisse fulguribus, flammam undique ex monte micuisse: ut Deus populi animos ad reverentiam legis suae subigeret. Itaque sensus est: Quemadmodum olim tremefecit Deus populum in lege sua promulganda, ita nunc terrifica potentia armatum fore, ut crasum doctrinae suae abusum ulciscatur.

4. (*Vocabit coelos.*) Ex his verbis colligere promptum est quorsum prius dixerit vocandam esse terram, nunc enim idem repetens, Deo nonnisi cum Iudaeis item et iudicium fore affirmat, sed praesente toto mundo, quia scilicet solenne hoc et insolitum iudicium, longe ab ordinariis differet, quae Deus quotidie exercet per suos prophetas. Ergo ne semper in suis latebris desideant hypocritae, causam illis propheta agendam esse denuntiat coram angelis et cunctis mortalibus nec posse effugere quin trahantur ad tam celebrem conventum. Quae tamen potest cur reos citet propheta pios Dei cultores, quum expostulatio, quam mox subiiciet, nonnisi in fucatos et perfidos Iudaeos competat. Respondeo hic Deum de tota sua ecclesia loqui: et quamquam magna pars generis Abrahae a pietate desciverat, respicere tamen ordinem a se institutum. *Mansuetos* ergo vocat, non ut omnibus promiscue reddat verae pietatis testimonium, sed ut melius ad finem vocationis suae attendant, ideoque species ironiae subest quoad degeneres et simulatos Iudaeos: quia oblique mordentur, quod professioni suae minime respondeant. Si quis subtilius exponere malit, Segregate mihi pauculos qui sincere et ex animo me colunt, ab ista promiscua multitudine quae nomen meum scelerate polluit, ne posthac fallaci externi cultus integumento se involvant: non repugno quin hoc prophetae consilio et causae quam agit bene conveniat. Nihil tamen absurdi erit, si dicamus, in ecclesia corrupta, piis et integris, quamvis pauci residui essent, deferri tantum honoris, ut eorum respectu mixta ex bonis et malis turba sanctus Dei populus vocetur. Quod postea sequitur, in varios sensus trahunt interpretes. Quidam enim *super sacrificia* putant dici loco Praeter: quasi Deus in veris cultoribus hoc laudet, quod altius aliquid in suo foedere requiri agnoscant quam externas caeremonias, ideoque non subsistant in terrenis umbris. Putant alii directe opponi sacrificiis spirituales Dei cultum: ac si dictum esset, Pro sacrificiis, vel illorum loco *foedus meum* legitimo ritu sanciant: quia sincerum cordis obsequium mihi consecrant. Atqui propheta, meo iudicio, potius verum et genuinum usum legalis cultus hic commendat. Magni enim interfuit, probe cognosci quem in finem exigeret Deus sacrificia in lege. Propheta autem clare hic denuntiat nihil esse momenti in sacrificiis, nisi ut sint quasi sigilla, vel syngraphae, vel alia adminicula ad sanciendum Dei

Calvini opera. Vol. XXXI.

foedus. Imo alludit ad morem passim receptum: nam ut maior esset foederibus religio et fides, scimus interpositis sacrificiis fuisse confirmata. Itaque Deus quo sanctius populum sibi obstringeret, atque ut firmum ratumque esset suum foedus, sacrificia instituit. Locus notatu dignus: ex quo apparet quinam apud Deum pro veris ecclesiae membris censeantur: nempe qui spiritu mansuetudinis praediti, aequitatem colunt cum fratribus, et oblatum ab ipso foedus adoptionis sincero fidei obsequio confirmant. Quicumque ergo alium praetextum Dei cultum, et a pura coelestis doctrinae sanctione deflectunt, ut millies plenis buccis se Dei esse ecclesiam iacent, eos spiritus sanctus ab ecclesia Dei exterminat: quia non alio spectent sacrificia et omnes caeremoniae, quam ut in nobis obsignetur pura Dei veritas. Unde sequitur, ritus omnes qui non pendent ex Dei verbo, adulterinos esse, et cultum omnem qui illuc non refertur, nihil aliud esse quam pietatis corruptelam.

6. *Et annuntiabunt coeli iustitiam eius, quia Deus iudex ipse. Selah.* 7. *Audi popule mi, et loquar tecum: tu Israel, et annuntiabo tibi, Deus Deus tuus sum ego.* 8. *Non super sacrificiis tuis arguam te, et holocausta tua coram me semper.* 9. *Non sumam e domo tua vitulum, e caulis tuis hircos.* 10. *Quia meae sunt omnes bestiae silvae, animalia in montibus mille.* 11. *Novi omnem volucrem montium: et bestia agri penes me est.* 12. *Si esuriam, non dicam tibi: quoniam meus est orbis et plenitudo eius.* 13. *An comedam carnem taurorum, et sanguinem hircorum bibam?*

6. (*Annuntiabunt coeli.*) Quia tantum erat stuporis in Iudaeis, ut ludendo et ineptiendo se fingerent implere omnes iustitiae numeros, minatur propheta, quamvis nunc conniveat Deus, patefacturum iustitiam suam e coelo quae refellat et exinaniat omnia eorum commenta. Putatisne, inquit, vestris fallaciis placari Deum, quibus habetur ludibrio? utcumque nunc spargatis fumos istos, Deus tandem e coelo patefaciet suam iustitiam, et asseret a pravis vestris figmentis: testes erunt coeli ipsi vestrae perfidiae, quod contempta vera sanctitate corrueritis sincerum Dei cultum: quia non amplius patietur Deus se vestro arbitrio transformari, ac si in rationem coram eo non veniret interior vestra malitia, quam frivolo praetextu nunc fucatis. Videmus iam apposite loquutum fuisse prophetam pro causae quam agit ratione. Nam ut fateantur homines Deum esse iudicem, quia tamen lusus deinde sibi fabricant, quibus transigant cum eo, oblique iudicandi munus et potestatem ei abrogantes, a vanis eorum cavillis necesse est quam laturus est sententiam asseri.

7. (*Audi popule mi, et loquar.*) Postquam officio praeconis functus est propheta, et addidit etiam quae merito percellerent hominum mentes, Deum continuo tenore loquentem inducit: atque ut iterum ostendat causam maximi ponderis tractari, attentionem excitat pluribus verbis. Nam Deus populum suum appellans, auctoritatem verbo suo vendicat: deinde admonet non vulgarem sibi sermonem fore, sed expostulandi sibi esse materiam, quod a legibus pacti sui desciverint. Vertunt quidam: contestabor contra te. Sed ex communi scripturae usu colligimus notari potius contestationem de mutuo iure, ac si Deus foederis sui memoriam renovaret: ac solenni ritu, quod sibi ex pacto debetur, exigeret ab electo populo. Eadem ratione praefatur se Deum esse Israelis, ut Iudaeos ad suum unius arbitrium ac nutum revocet, atque emphatica est nominis Dei repetitio: ac si diceret: Dum me alligatis vestris figmentis, quantum distat haec audacia et temeritas ab ea quae mihi debetur reverentia? Nam quum Deus sim, compescere omnem proterviam debebat maiestas mea, ut ad vocem meam sileret omnis caro. Inter vos autem quibus me patefeci in Deum, eo plus obsequii merebar.

8. (*Non super sacrificiis.*) Hic est causae status, Deum sacrificia nihil morari, neque dignari ullo pretio si per se aestimentur, non quod frustra sacrificaverint Iudaei, et absque ullo fructu: quia nimis absurdum foret, quidquam inutile fuisse a Deo praeceptum. Sed quum Deus officia quaedam simpliciter probet, pietatis vero exercitia, quatenus referuntur in legitimum finem: ubi signis nulla veritas coniuncta est, ea merito repudiat Deus. Atque haec loquendi forma prophetis trita est, ut diximus aliquoties, ac praesertim Psalmo 41. Quoniam ergo caeremoniae, si per se reputentur, nullius sunt momenti: negat Deus eas se flagitare ac si in illis occupari vellet servos suos, quum tantum sint spiritualis cultus adiumenta. Sic Ierem. 7. 22 negat se quidquam mandasse de sacrificiis. Sic propheta Mich. 6, 7 dicit: Numquid abs te postulat Deus tuus ut immoles greges arietum? aut in millibus arietum beneplacitum eius? quin potius ut facias iudicium, diligas aequitatem, etc. Sic Oseas 6, 6. Misericordiam volo, et non sacrificium. Denique referti sunt prophetae hac doctrina: maxime apud Iesaiam insignes sunt loci, cap. 1, 12 et 58, 1 et 66, 3. Quanquam saepe Deus ubi sacrificia ab impiis vitiata esse conqueritur, non modo fructu vacua esse pronuntiat et respuit, sed addit etiam, talibus corruptelis iram suam provocari. Haec autem distinctio tenenda est, ubi viget inter homines Dei institutio, et se in caeremoniis ad fidem suam alendam et confirmandam exercent, in parte verae pietatis locari, cuius sunt adminicula. Ubi autem non modo sine fide eas hypocritae obtrudunt,

sed neglecta cordis munditie ad propitiandum Deum fingunt esse piacula: non tantum pro nihilo duci quasi frivolas nugas, sed graviter damnari tanquam inquinamenta quae Dei cultum profanant. Tenemus quid sibi Deus velit his verbis, Non arguam te ob sacrificia: quod scilicet altius respiciat. Posterius membrum commode ita potest accipi, quod holocausta ante Dei oculos ad satietatem, imo fastidium usque versentur, quemadmodum Iesaiæ 1, 13 dicit nauseam sibi provocari. Alii negationem subaudiunt, et contexunt cum priore membro, quod Deus rationem exigere nolit de omissis sacrificiis, si Iudaei in illis non tam ut decebat seduli fuerint. Probabilis tamen est eorum sententia, qui relativo interposito legunt, De sacrificiis quae coram me iugiter, ac si dictum esset: Quamvis ex legis praecepto assidue holocausta mihi offerri conveniat, ego tamen de hoc neglectu litem vobis non movebo.

9. (*Non sumam e domo tua.*) Duas adducit rationes cur sacrificia non curet, neque illis oblectetur, prior est, quod etiam si vescatur sacrificiis, non tamen indigeat hominum opera, quoniam tota mundi plenitudo sit sub eius manu: altera est, quod cibo et potu nihil opus habeat, quae subsidia sunt humanae infirmitatis. Priore igitur loco suam opulentiam profert Deus in medium, ut minime opus sit quidquam ab hominibus mutuari: atque hanc doctrinae partem prosequitur quatuor versibus. Deinde se disiungit ab hominibus, qui caducam vitam cibo et potu tolerant: quum propria vita, quae totum mundum vivificat, abunde contentus sit. Etsi autem nihil dicere videtur propheta quod non palam omnibus notum sit ac testatum, quia tamen ad carnalem Dei cultum natura tam sumus proclives ut Deum aestimemus ex nostro ingenio: haec admonitio valde utilis est, arcanamque sapientiam continet, ubi omnia conati fuerint homines, nihil tamen posse Deo commodare, sicuti Psalmo 16, 2 vidimus: Beneficentia mea non ad te. Secundo, Deum nihil in usum poscere, sed quum sua perfectione contentus sit, hominum utilitatem quaerere in omnibus praeceptis. Eodem fere tendit illud Iesaiæ cap. 66, vers. 1: Coelum sedes mea, terra scabellum pedum meorum. Quam igitur domum exstruetis mihi, etc. Item, Nonne manus mea haec omnia fecit? Quibus verbis se ab omni necessitate eximit, quia ipse sit aeternus: mundus autem initium habuerit. Unde sequitur, penes ipsum plenam esse *ἀνάγκην*, quia ut non suppetat aliarum rerum copia, sibi ipse sufficit.

14. *Sacrifica Deo laudem, et redde Excelso vota tua.* 15. *Invoca me in die afflictionis, eruam te et glorificabis me.*

14. (*Sacrifica Deo laudem.*) Haec secunda pars

non parum lucis addit superiori doctrinae. Nam si tantum sacrificiis nihil pretii esse dixisset, dubitari poterat cur sibi Deus offerri iussisset: nunc comparatio veri cultus illam obscuritatem tollit, quia inde colligitur non contemni a Deo sacrificia, si modo legitimus usus accedat. Principium illud naturaliter omnium cordibus infixum est, nec potest excuti, Deum esse colendum. Quia vero omnium ingenio nihil magis repugnat, quam pure et spiritualiter Deum colere, figmenta imaginari necesse est quibus umbram aliquam obtendant. Quod si intelligant se nihil proficere, manent tamen impliciti suis illis fallaciis: quia verentur, imo exhorrent, omnem Dei cultum abicere. Ita donec regula probe et rite colendi Dei innotuerit, regnum semper obtinent caeremoniae. Porro in vocibus *laudis et precationis* est synechoche, quia partem unam duntaxat veri cultus attingit propheta, quum iubet Deum agnoscere autorem bonorum omnium, et quam meretur laudem ei tribuere, ne iure suo fraudetur: deinde ad eius fidem confugere, in eius sinum deponere omnes curas: nec alium expetere liberatorem in precibus, ut tandem pro accepta salute ei gratiae agantur. Fides enim et abnegatio nostri, et vitae novitas, et tolerantia crucis, vera sunt sacrificia quae sibi placere Deus pronuntiat. Sed quia ex fide nascitur Dei invocatio et cum patientia semper coniuncta est, et carnis mortificationem secum trahit, neque etiam potest constare vera gratitudo sine integro et sincero cordis affectu: non mirum est si sub hac specie totum genus complexus fuerit propheta. Porro ut doceat spirituale esse Dei cultum, laudem Dei et invocationem caeremoniis quibuscumque ac externae pietatis professioni opponit. Nec vero ordinem invertit a Dei laude incipiens. Videri quidem posset haec ratio esse praepostera, quum invocatio gratiarum actionem praecedat: sed quia hinc orandi principium ducitur, quum adscribitur Deo iustus ac debitus honor, atque haec etiam fidei rudimenta sunt, Deum quaerere, tanquam unicum bonorum omnium fontem, non temere propheta laudem in primo gradu locavit. Adde, quum suis beneficiis nos etiam nondum natos praeveniat, antequam ad opem eius implorandam nos urgeat ulla necessitas, iam ei deberi gratitudinis testimonium. Denique si secum ex utero afferrent homines rationem et iudicium, a sacrificio laudis eos incipere deceret. Quanquam hac in re non adeo anxie sudandum est: quum satis prophetae fuerit pro vulgi captu crasse describere spirituale Dei cultum sub laude, precibus, et gratiarum actione. Quod de *votis reddendis* additur, allusio est ad veterem legis ritum, sicuti et Psalmo 116, 13: Quid rependam Domino super omnibus quae contulit mihi? Calicem salutis accipiam, et nomen Iehovae invocabo. Postulat in

summa gratitudinem a filiis Dei: quam olim solebant testari solennibus sacrificiis. Sed quia locus apprimè observatu dignus est, fusius tractandum est hoc doctrinae caput. Ac primo notandum est quod hic traditur, Deum spiritualiter colendum esse, Iudaeis nobiscum fuisse commune ab initio. Nam dum Christus probare vult non alium cultum Deo gratum esse, hac ratione nititur, Deum esse spiritum, Ioan. 4, 24. Atqui non coepit demum esse spiritus quum abrogavit caeremonias legales. Sequitur itaque, eodem quo nunc modo voluisse coli a patribus. Quod autem eos caeremoniis oneravit, hoc fecit pro temporis ratione, sicuti in abrogatione nobis consuluit. Caeterum idem cultus quoad substantiam, externa tantum specie diversus est, quod Deus olim ad rudis et infirmi populi captum se attemperans, per caeremonia set eiusmodi rudimenta manum prorrexit: nobiscum vero qui post Christi adventum adolevimus, simplicius agit: in ipso interim nulla mutatio. Nam quod blaterabant Manichaei mutatum fuisse Deum propter varium ecclesiae regimen: non minus putidum fuit cavillum, quam si quis mutabilem esse Deum garriat, quia non aequabilis est anni tenor, sed ver hiemi, et rursum veri aestas, sicut aestati autumnus per vices succedit. Iam quum per se frigeant ac ieiuni sint omnes externi ritus, et tantum ad aedificandam fidem sint utiles, ut pure invocetur Deus: vere denuntiat propheta frustra hypocritas satagere, qui inanes tantum pompas ostentant. Si quis obiciat, sacrificia perperam omitti, quorum usus non fuit supervacuum sub lege: solutio in promptu est, quum propheta Iudaeos ad metam vocat, vel scopum illis proponit, non tollere adiumenta, sed vitium duntaxat corrigere, quod illis Iudaei tanquam obstaculis, a recta via abducerentur. Notandum autem quod versu 15 primum invocatio praecipitur: deinde inseritur promissio, non fore irritas eorum preces qui ad Deum confugerint: tertium locum gratiarum actio occupat. Quum autem dicitur *in die afflictionis*, non ita restringitur hac temporis circumstantia officium orandi, quin quotidie et singulis momentis illud persequi debeant fideles. Ergo quamvis quieti simus, et immunes ab omni molestia, prospere fluant nobis omnia, nec ullo incommodo premamur, minime tamen a precibus cessandum: quia de nobis actum fore scimus, si vel momento submoveat Deus suam gratiam. Sed quia rebus adversis magis serium fidei nostrae examen agitur, non abs re tempus angustiae exprimitur: ac si diceret propheta, Deum in omni necessitate quaerendum esse, quia unicus sit salutis portus. Iam quia ad Dei conspectum fere trepidant homines, vel quod immensa eius gloria terrentur, vel quod propriae indignitatis sensus eos deiecit, mox additur promissio quae nos ad orandi fiduciam animet, atque etiam stimulet.

Ubi autem pollicitus est Deus se votis nostris fore propitium, vicissim a nobis gratitudinem postulat. Porro ubi audimus invocationem quasi primas tenere in Dei cultu, si cupimus nostram pietatem vero experimento testari, hunc Deo honorem summo studio integrum et illibatum deferre convenit. Quo foedior ac magis detestabilis fuit corruptela quae adhuc hodie grassatur in papatu, angelos et homines mortuos temere Deo miscere. Excusant se quaerere patronos quorum precibus apud Deum iuventur. Sed primo satis constat, quia non agnoscitur Christus mediator, in eius locum subrogari qui patroni vocantur. Deinde formae precandi palam convincunt nullum Dei et cuiuslibet sanctuli haberi discrimen, quoniam nullo adhibito delectu tantundem a Claudio, quantum a Deo postulant: et dominicam orationem ad statuam Catharinae perinde effutiunt ac si Deo supplicarent. Nec vero papistae suo iudicio mortuos invocando quidquam Dei honori derogant, quia nullum statuunt eius cultum in precibus. Sic enim balbutiunt de adoratione latriae, ut nihil invocationi faciant residuum. Atqui si probe expendimus prophetarum verba, colligere promptum erit collapsam esse totam pietatem, nisi invocetur solus Deus. Siquis papistas roget, an licuerit sacrificare hominibus mortuis: fortiter negabunt, et vere: atque hodie nefas esse concedunt, sacrificium offerre Petro vel Paulo, quia a tam crasso sacrilegio abhorret communis sensus. Atqui Deus invocationem sui nominis praeferens omnibus sacrificiis, annon palam demonstrat non posse absque summo piaculo invocari mortuos homines? Unde sequitur, papistas quamvis millies genua flectant coram Deo, praecipuum tamen gloriae suae caput ei eripere, dum vota sua ad sanctos convertunt. Quod autem expressa fit mentio afflictionis, non parum solatii affert infirmis ac trepidis mentibus. Nam simulac signum gratiae suae Deus subducit, obrepit dubitatio an curam suscipere velit salutis nostrae, imo diffidentia nos sollicitat. Contra vero Deus rebus adversis quasi stimulis nos pungit ad se quaerendum et invocandum. Hoc quoque diligenter notandum est, tunc preces nostras ad regulam probe orandi formari, ubi nos praecepto suo invitat Deus, et addita promissione ad fiduciam impetrandi animat. Quod locum hunc de votis reddendis papistae ad quaelibet vota trahunt, quibus temere et sine delectu permittunt sibi cum Deo ludere, nimis pueriliter ineptiunt. Certum est, ut nuper diximus, de solenni gratiarum actione agi: ipsi autem votis suis cum Deo paciscuntur ad se redimendos. Deinde in votis nuncupandis adeo non curant quid Deo probetur, ut vovere non dubitent quae palam repugnent eius verbo.

16. *Impio autem dixit Deus, Quid tibi ad enarrandum statuta mea, ut sumas foedus meum super labiis tuis?* 17. *Et tu odisti correctionem, et proiecisti verba mea post te.* 18. *Si videas furem, cures cum eo, et cum adulteris portio tua.* 19. *Os tuum emittis ad malum, et lingua tua nectit dolum.* 20. *Sedebis contra fratrem tuum, loqueris contra filios matris tuae, statues probrum.*

16. (*Impio autem.*) Nunc apertius invehitur in fucatos Dei cultores, quorum tota religio erat caeremonias obicere Deo, ac si fumum oculis eius adaspergerent, ut scimus mundum libenter sub falsis umbris delitescere. Hic ergo pronuntiat Deus, nihil apud se proficere qui impuro cordi et sceleratae vitae caeremonias obtendunt. Haec sententia, quae recipi debuerat communi omnium consensu, aegerime et valde iniquis auribus apud Iudaeos accepta fuit. Uno quidem verbo fatentur omnes, polli Dei cultum nisi sincere et ex animo colatur: profanis etiam poetis extorta fuit haec confessio: et scimus scelestos a sacrificiis et templorum ingressu fuisse prohibitos. Interim quod omnium cordibus insculptum erat, suffocat hypocrisis, adeoque penitus obliterat, ut audeant impurissimi quique se ingerere in conspectum Dei, quasi frivolis nugis eum sibi devinctum tenerent. Itaque non sine summa necessitate toties doctrinam hanc inculcant prophetae: quo magis laborant impii in simulanda pietate, eo gravius sibi accersere iudicium talibus fallaciis. Imo utcumque clamet spiritus Dei sacrilegium esse nominis Dei abusum, sine vera fide et poenitentia, externam pietatis speciem ostendere, Papistis diabolicus hic error excuti non potest, sufficere finalem intentionem (ut loquuntur) ut evanidae nugae Deo placeant. Fatentur quidem non mereri de condigno nisi qui sunt in statu gratiae: sed haec persuasio apud eos obtinet, valere ad praeparationem nuda pietatis exercitia, quamvis absit cordis integritas. Ita si monachus ab impuro lecto surgens, os suum pollutum et foetidum obtrudat Deo, et psalmos sine ullo cordis affectu cantillet: si quis vel scortator, vel periurus, vel rapinis deditus, missis, votivis peregrinationibus, et similibus nugis scelera sua redimat: nolunt irritum esse laborem. Ex adverso autem reclamatur Deus, non modo operam perdere qui externa pietatis signa a fide et sincero cordis affectu disiungunt, sed sacrilegii reos esse, quia nomine suo perperam abutuntur. Atque hoc loco tritam objectionem diluit propheta et refutat, Quid? annon aliquo saltem loco admittet Deus quae in eius honorem fiunt sacrificia? Ostendit enim merito hoc illis in crimen imputari: quia Deo mentiuntur, quantum in se est, sacrumque eius nomen indigne profanant. Improbam enim eorum audaciam coarguit his verbis, *Quid tibi ut statuta mea enarres?*

hoc est, simules te unum esse ex sancto populo, quasi ad te pertineat foedus meum? Caeterum, quum totam pietatis professionem hic repudiet Deus, quae non prodit ex puro corde, quid de caeremoniis fiet, quae infra verbi Dei praedicationem subsidunt?

17. (*Et tu odisti correctionem.*) Convincit hypocritas suae perfidiae, quod pietatem quam ore iactant, vita et operibus abnegent. Contemptum vero Dei hinc probat, quod nullam eius verbo reverentiam deferant: haec enim vera est timoris probatio, ubi nos verbo Dei subiicimus, et libenter amplectimur quicquid illic praecipit ac docet. Atqui huc semper tendit hominum hypocrisis ut longis et tortuosis ambagibus hanc obedientiam effugiant. Ideo fontem impietatis propheta designat, ubi verbum Dei post tergum proiici conqueritur, et principium veri cultus statuit in fidei obedientia. Simul etiam huius pervicaciae causam notat: quod scilicet impuri homines non sustineant ferre Dei iugum. Libenter enim hanc gloriam concederent, quicquid ex ore eius prodit, verum esse et rectum, sed quia Deus loquendo in ordinem nos cogit, frantumque iniicit ad cohibendos omnes carnis nostrae affectus, molestus est ac odiosus nobis eius sermo. Itaque ferocia nostra nos exasperat contra Dei verbum, quia correctionem non libenter suscipimus, nec fieri potest ut quis mansueto et docili animo Deum loquentem audiat, eiusque verbo obtemperet, donec se regendum et corrigendum ei tradat. Postea fructus impietatis recenset propheta, quod hypocritae furtis et adulteriis addicti, sacrum Dei nomen talibus flagitiis involvunt ac permiscunt. Porro species tantum quasdam attingens, significat, praefractos omnes et immorigeros qui correctionem respuunt, quocunque tulerit libido, vel provocaverint mala exempla cupide et effraeni licentia ruere. Ponit furta, deinde adulteria, tertio calumnias et falsa probra. Verbum *וַיִּרְרֵן* maior pars interpretum pro currere accipit, quancquam alii deducunt a *וַיִּרְרֵן* ut sit consentire. Quantum ad Prophetam mentem, quia parum interest utrumvis legamus, et utrumque est probabile, iudicium lectoribus in medio relinquo. Quum dicit hypocritas *os suum mittere ad malum*, forte non modo obtrectandi morbum perstringit, sed alios omnes noxios sermones: quia statim sequitur, *lingua tua concinnat dolos*. Scimus autem quam variis nocendi laedendique artibus instructae sint mendaces et dolosae linguae. *Sedendo* verbo alludere videtur ad iudicia, ac si diceret, sub legitimae censurae praetextu fratres iniuste proscindere, quancquam potest de vulgari petulantia exponi, quia garruli homines sedendo suum otium in maledicentia consumunt. Sed mihi magis probatur atrocius illud crimen damnari, ubi scilicet in foro ipso, bonos et simplices calumniantur improbi, et falsa invidia gravant. *Fratres et filios matrum no-*

minans, magis emphatice exprimit quam crudelis sit eorum maledicentia: quia communis naturae obliti, ne uterinis quidem fratribus parcunt.

21. *Haec fecisti et tacui: existimasti quod essem futurus tui similis: coarguam te, et ordinabo coram oculis tuis.* 22. *Hoc nunc intelligite qui obliviscimini Deum: ne rapiam, et non sit qui eripiat.* 23. *Sacrificans laudem glorificabit me: et qui viam disponit, ei ostendam salutem Dei.*

21. (*Haec fecisti.*) Quia hypocritae, donec infestam sentiant Dei manum, in socordia se obdulant, nec ullis quamlibet severis reprehensionibus facile moventur: ideo vehementius insistit propheta, et denuntiat, quamvis ad tempus conniveat Deus, eos male et in suum exitium vanis adulationibus se mulcere: imo hoc ludibrium Dei gravissime exagitat, quod eum sceleribus favere existiment. Neque enim atrocior contumelia potest affici, quam dum iustitia sua spoliatur. Non quod palam sic loquantur hypocritae, sed quia prava imaginatione Deum transformant, ut sibi delicias faciant ex eius tolerantia, nam si serio persuasi essent, Deum abominari scelera, necesse esset continua inquietudine ipsos torqueri. Ergo tam supina indulgentia ostendit ipsos Deo imponere falsas personas, nec modo detrahare iudicis munus, sed etiam fingere scelerum patronum et approbatorem. Simul etiam hypocritas obiurgat, quod Dei lenitate et patientia tam perperam abutantur, ut spem impunitatis inde sibi faciant. Itaque denuntiat brevi in apertam lucem trahendos esse, ut cernere oculis suis cogantur quae a Dei oculis abscondere conati sunt flagitia. Sic enim interpretor verbum *ordinare*, quod Deus distincto ordine catalogum omnium scelerum proponet, quem (velint nolint) legere et agnoscere cogantur.

22. (*Hoc nunc intelligite.*) Haec obiurgatio rursus demonstrat, ubi cum securis hypocritarum negotium est, nisi acerrimis aculeis pungantur, doctrinam omnem contemptim eludere, sic tamen minatur propheta et terret ut spem veniae residuam faciat, modo festinent. Sed ne tarditati indulgeant, tam severitatem iudicii Dei, quam celeritatem proponit: ac simul probrose ingratitude obicit, quod Deum obliti sint. Hoc porro in primis notabile est gratiae Dei specimen, quod sceleratis pietatis corruptoribus manum porrigit, quamvis eius cultum improbe violassent, quamvis sacrilega audacia risissent eius patientiam, et in crassa flagitia proiecti forent: etiam, modo ad sanam mentem redeant, ostendit se illis fore propitium. Neque enim ad poenitentiam homines invitat, nisi spe reconciliationis proposita, ut alacriter ante eius conspectum prodire audeant. Haec certe inaeestimabilis est cle-

mentia: perfidos apostatas et foedifragos qui desciverant a doctrina pietatis in qua fuerant educati, rursus ad se invitat, ut locum obtineant in ecclesia. Et certe nihil hic dicitur quod nos magna ex parte non simus experti, quos Deus incredibili misericordia rursus in ovile suum collegit, quum perfida defectio nos ab eo alienasset. Notandum simul, quod admonet propheta, nisi maturent ad Deum redire, qui ab eo desciverunt, non semper apertam fore ianuam. Et sane cavendum semper est ne per ignaviam nobis effluat tempus beneplaciti, ut frustra deinde, exemplo Esau, ululemus, Genes. 27, 34. Huc enim pertinet comminatio, ubi rapuerit Deus, nullum fore liberatorem.

23. (*Sacrificans laudem.*) Iam tertio inculcat propheta, Deo nihil esse acceptius sacrificio laudis, quo nostram erga eum gratitudinem testamur. Nec supervacua est repetitio, ob duas causas, nam et beneficiorum Dei facile nobis obrepit oblivio, imo etiam ex mille vix unum leviter et defunctorie gustamus. Deinde laudem Dei minime quo decebat pretio aestimamus. Nam quum praecipuum sit pietatis officium, in quo nos tota vita exerceri vult Deus, quasi vulgare aliquid ac frivolum negligitur. Itaque pronuntiat, legitimum Dei cultum laudis sacrificio contineri. *Glorificandi* enim verbo significat Deus, rite demum ac vere hoc se modo coli, et tribui quam postulat gloriam, ubi sua beneficia sincero gratoque animo celebrantur inter homines: alia vero sacrificia, quibus sedulo incumbunt hypocritae, nihil se morari, nec in cultu reputare. Interea tenendum quoque est quod supra attigi, sub laude comprehendere tam fidem quam invocationem: sola enim experientia nobis os aperit ad Deum laudandum. Atqui Dei bonitatem non sentimus nisi fide. Unde sequitur, a posteriori, vel ab effectu, totum spirituale cultum hic notari: ideo paulo post generaliter requirit propheta ut viam recte instituam qui cupiunt sua obsequia probare Deo. Nam quod *viam ponere*, quidam nihil aliud esse putant quam peccata confiteri: alii autem interpretantur, tollere offendicula e medio, et viam sternere quam omnes sequantur, utrumque videtur esse coactum. Ego autem non dubito quin rectam viam propheta flexuosis eorum erroribus opponat, qui Deum se quaerere simulant: atque ita significet, non nisi sincero corde et simplici rectitudine ad Deum accedi. *Salutem Dei* non accipio pro insigni et memorabili: (ut nonnulli volunt) sed Deum in tertia persona de se loquentem arbitror, ut clarius exprimeret, se patefacturum veris suis cultoribus, quam non frustra censeri velit eorum servator.

PSALMUS LI.

ARG. Inscriptio quam mox videbimus, ostendit qua de causa compositus fuerit hic Psalmus, nam quum post admissum gravissimum scelus, diu in letifero torpore iacuisset David: postquam eum sua obiurgatione expergefecit Nathan, non modo sibi serio displicuit, et humiliatus est coram Deo, sed palam apud omnes testari voluit suam poenitentiam, eiusque monumentum ad posteros relinquere. Ac initio quidem, sceleris sui atrocitatem sibi proponens, ut se ad spem veniae erigat, immensam Dei misericordiam variis elogiis magnifice extollit: et suppliciter fatetur non uno modo se reum esse, sed dignum multis mortibus: quo melius Dei misericordiam provocet. Deinde quia aeternam abdicationem meritis erat, ut merito spoliandus esset omnibus spiritus sancti donis, sollicitè precatur in integrum restitui. Tandem si veniam impetraverit, se gratum et memorem fore affirmat. Ad haec ostendit totius ecclesiae referre ut a Deo exaudiat. Et certe quia Deus apud ipsum gratiae suae foedus deposuerat, videri potuit in unius hominis persona collapsa esse omnium salus.

1. *Praefecto canticum Davidis.* 2. *Quum venit ad eum Nathan Propheta postquam ingressus fuerat ad Bathseba.*

2. (*Quum venit ad eum Nathan.*) Consulto hic memoratur Prophetæ adventus, ad stuporem Davidis coarguendum: fuit enim hoc prodigio simile, quod potuit tantus vir, tantaque spiritus excellentia praeditus, ultra annum torpere in suo vitio, ac si mente alienatus esset. Quis enim non diceret fuisse a Satana fascinatum, quod sopita conscientia, Dei iudicium contempserit, vel saltem neglexerit? haec ergo recordiae nota crimen amplificat, quod nulla punitione sponte tactus est, donec ad eum missus esset propheta. Sed eadem ratio ad illustrandum Dei gratiam non parum valet, quod vagum et errantem per manum sui prophetæ ad se reducere conatur: quo pertinet repetitio eiusdem verbi Venire, in quo subest antithesis. Postquam venisset David ad Bathseba, dicitur ad eum venisse Propheta Nathan. Atqui impuro illo accessu, longe a Deo recesserat: clarius ergo in eo enituit Dei bonitas, dum ad fugitivum retrahendum, manum suam procul extendit. Neque tamen putandum est, sic caruisse omni sensu, quin Deum in genere agnosceret mundi iudicem: quotidie precaretur: nec modo se exerceret in eius cultu, sed vitam quoque et officia sua ad legis normam exigere studeret. Sciamus ergo, non omni Dei timore fuisse penitus vacuum, sed excaecatum in una specie, ut sensum irae Dei perversis blanditiis sopiret. Ita pietas eius quae aliqui multas scintillas emittebat, hac in parte suffocata fuit. Porro, quum sancto prophetæ et praestantissimo regi obrepserit tam bruta socordia, nemo est qui non ad eius exemplum expavescere debeat. Quod autem ad prophetæ vocem statim percussus est, ac deposita omni contumacia docilem

se ac morigerum prae-buit, hinc colligimus non fuisse exstinctum in eius animo pietatis sensum: quia non tam facile nec subito erumperet in illam vocem, Peccavi Domino, quid faciam? 2. Sam. 12, 13 nisi retinisset aliquod pietatis semen, licet absconditum. Docemur autem hoc exemplo, non esse expectandum, ubi peccavimus, dum e coelo tonet Deus, sed placide et libenter obtemperandum esse eius prophetis, quorum ore ad poenitentiam nos invitat.

3. *Miserere mei Deus secundum clementiam tuam: secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.* 4. *Multiplica ad me lavandum a peccato meo, et a scelere meo munda me.*

3. (*Miserere mei.*) Iam praefatus sum Davidem a precatione veniae incipere: deinde non simpliciter et uno verbo petere ut Deus ignoscat, sed pro atrocitate criminis anxie supplicare ut se Deus exorabilem praestet. Itaque postquam clementiae meminit, addit *multitudinem miserationum*: eo quod non vulgari misericordia indigeat, tanto reatu implicitus. Si tantum optasset Deum sibi esse propitium, secundum clementiam vel bonitatem suam, hoc modo fuisset confessus se hominem esse perditum: sed dum scelera in medium proponens, diserte exprimit non posse aliter deleri quam si Deus cum immensa miserationum copia succurrat, non parum exaggerat culpae suae gravitatem. Subeat enim tacita antithesis multitudinis scelerum. Sed magis emphaticum est quod continuo post sequitur, ut Deus *multiplicet lavare*: nam quod *רבה* quidam nomen esse putant, ab usu loquendi paulo remotius est: quanquam eodem etiam rediret sensus, ut Deus abunde et cum multiplicatione lavet. Phrasin tamen illam quae proprietati linguae melius convenit, libentius amplector. Interea minime ambiguum est quin clare asserat non leves esse suas sordes, ut modica lotione elui queant, sed tenaciter haerere, imo esse profundas, ut iteratis lotionibus ad eas purgandas opus sit: non quod Deus ipse aliqua difficultate laboret in hominum purgatione, sed quia peccator, quo se magis inquinatum sentit, magis se ipsum incitare debet ad anxios et continuos gemitus, quo tandem e terroribus conscientiae emergat. Quod ad metaphoram pertinet, scimus frequenter in scripturis occurrere. Quia enim peccata, quasi sordes et immunditiae, nos in Dei conspectu foedant ac pollunt foetidosque reddunt, eorum remissio apte ablutio vocatur. Atque haec doctrina tam ad commendationem gratiae Dei, quam ad peccati odium et detestationem valere debet. Nimis enim stupidi sunt quos horrore non percellit haec loquutio.

5. *Quia peccata mea ego cognosco, et scelus meum coram me est semper.* 6. *Tibi, tibi soli pec-*

cavi, et malum coram oculis tuis patravi, ut iustificeris in sermonibus tuis, mundus sis iudicando. 7. *Ecce in iniquitate genitus sum, et in peccato concepit me mater mea.* 8. *Ecce veritatem dilexisti in intimis, et in occulto sapientiam mihi patefecisti.*

5. (*Quia peccata.*) Ostendit cur tam anxie et ardentem in flagitanda venia insistat: quia scilicet non possit quietus manere donec reconciliatus sit Deo. Atque hoc modo testatur se nihil afferre simulationis: qualiter interdum magno verborum splendore, gratiam Dei in remittendis peccatis ornant, qui tamen eam frigide curant, quia non admodum eius iudicio tanguntur. David ergo ut veniam impetret, non abs re dicit continuis se tormentis vexari, et inquietudine quam patitur, cogi ad hanc precandi vehementiam. Unde colligimus, non alium reconciliationis modum esse, nisi dum nos propria conscientia vulnerat et affligit, et assidua inquietudine sollicitat, donec propitius sit Deus, ut nos misericordia sua tranqillet. Tunc ergo serio a Deo petimus ut nobis ignoscat, dum scelerum atrocitas oculis nostris se ingerens, horrorem simul incutit. Unde sequitur, quamdiu sibi indulgent homines, magis in se accendere Dei vindictam, ut severius ipsos puniat. Ideo discamus, non modo ore nos damnare, sed rigidum et formidabile examen habere de peccatis nostris, si cupimus a Deo absolvi. Neque enim David se apud homines fateri peccata dicit, sed intus sentire, et quidem non sine diro cruciatu: quum hypocritae a tergo secure proiciant, vel prava oblivione sepeliant quidquid vitiorum eos pungit. Ac iterum notandus est in Peccatis pluralis numerus. Quanquam enim ex uno fonte omnia manabant, multiplex tamen eius culpa erat, quod adulterio adiunxerat perfidiam et crudelitatem: nec unum hominem modo prodiderat vel paucos, sed totum exercitum, pro salute ecclesiae Dei pugnantes. Itaque non abs re in uno scelere multas species agnoscit.

6. (*Tibi, tibi soli.*) Sic quidam exponunt haec verba, quod David, tametsi in homines deliquerat, non nisi Deum habuerit sceleris sui testem. Duplex enim iniuria quam Uriae intulerat, hominibus erat incognita: quod exercitum sibi militantes ad caedem et carnificinam non minus perfide quam crudeliter obiecerat, id quoque erat occultum. Scelera ergo in solum Deum admissa intelligunt, quorum nullus mortalium erat conscius. Alii secus interpretantur, quamvis offenderit David homines, hoc tamen uno maxime cruciari, quod violaverit Dei legem. Sed ego tantumdem valere arbitror haec verba, ac si dixisset: Domine etiamsi me totus mundus absolvat, mihi tamen plus quam satis est, quod te sentio iudicem meum, quod me conscientia ad tribunal tuum citat et trahit: ut nihil proficiant

hominum levationes, si vel mihi parcant, vel adlandi causa extenuent scelus meum, vel blanditiis dolorem meum leniant. Significat ergo se oculos et sensus omnes habere defixos in Deum, ideoque non respicere quid sentiant vel loquantur homines. Quisquis autem sic premitur iudicii Dei gravitate, vel etiam obruitur, non opus habet alio accusatore, quia Deus unus pro mille sufficit. Nec dubito quin David, ut aulicas omnes delicias excluderet, ne se illis mulcendum praeberet, totum se ad Dei iudicium revocaverit: ac statuerit, quamvis nullus mortalium esset molestus, sibi plus satis fore cum Deo negotii. Atque haec regula nobis tenenda est, si cupimus vero poenitentiae affectu imbui. Et sane quid nobis prodest hominum suffragiis absolvi, vel conniventia effugere reatum, si conscientia nos coram Deo accusat? vel saltem Deus ipse nobis infestus est? Haec autem una est ratio, ne vanis imaginationibus ludamur, atque aptissimum remedium, ingredi in nos ipsos, et sensus omnes ad Deum colligere, ut coram ipso expavescamus, ac metus irae eius delicias omnes nobis excutiat. Secundam partem versus, *ut iustificeris in sermonibus tuis*, quidam interpretes violenter torquent, dum contextunt cum primo versu, ac si ad proximam sententiam referri non debeat. Atqui praeterquam quod abrumpunt verborum tenorem, non video quem tandem sensum possint elicere ex hac precandi forma, *Miserere mei*, ut purus sis in tuo iudicio. Paulus vero ad Romanos cap. 3, v. 3 dubitationem omnem tollit, hominum iniquitatem Dei iudicio opponens. Quid ergo, inquit: an si quidam ex Iudaeis fuerunt increduli, iniustus erit Deus? absit: imo sit Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, *Ut iustificeris in sermonibus tuis*, etc. Videmus enim huc aptari testimonium, quod in hominum sceleribus semper reliceat Dei iustitia, et in mendaciis veritas. Porro, ut sciamus quid sibi velit David, et quorsum tendat, operae pretium est in memoriam revocare foedus quod pepigerat Deus cum ipso. Nam quum apud eum deposita esset salus mundi, promptum impiis erat calumniam hanc evomere: Si hic fuit ecclesiae columna, quid nunc miseris hominibus fiet, qui eius sanctitati innixi sunt? si hic erat instar solis vel luciferi, quomodo se ad inferos proiecit? post tam turpem eius lapsum, quomodo ab eius semine petenda esset spes salutis? Ergo quum videret pravis hominum iudiciis materiam captari oppugnandae Dei iustitiae, mature occurrit, ac pronuntiat indigne transcribi ullam culpae partem in Deum: se enim ita obnoxium teneri, ut Deus maneatur integer, stet illaesa eius iustitia et veritas. Quanquam per sermones non intelligo promissiones, sicuti quibusdam placet, sed potius iudicium quod de ipso Davide

laturus erat Deus: nisi gratuita remissione deletus fuisset eius reatus cum culpa. Neque enim dubito quin suo more, idem bis repetat. Itaque Deum *iustificari in suis sermonibus, et iudicando purum esse*, unum et idem significant. Sed quia videtur Paulus Rom. 3, 4 tam vocem hanc, quam sententiam totius versus alio inflectere, breviter ostendam quomodo proprie eius instituto conveniat quod dicit David. Haec quidem verba citat, ut probet quamvis foedifragi sint Iudaei, et a gratia sibi promissa exciderint, Deum tamen non esse mendacem: quod primo intuitu non videtur hinc posse colligi. Verum si illa cuius memini, circumstantia nobis in mentem veniat, facile videbimus apposite adduci testimonium. Nam quum rex et propheta esset in ecclesia conspicuus, adeoque ut praecipua columna, non dubium est quin multorum animos concusserit eius ruina, imo fidem promissionum Dei labefactarit. Certe putassent multi, quia Deus hominem illum sibi tanta necessitudine coniunxerat, partem aliquam culpae sustinere. Huic calumniae occurrit dicens, Domine quamvis me e coelo detractum ad inferos praecipites, iacebo et succumbam: tu interea tribunal tuum tenebis ut dignus es, nec si tibi obtrecent homines, quidquam decedet tuae iustitiae. In hac tantum parte a prophetae verbis discedit Paulus, quod graecum interpretem sequutus, Iudicandi verbum passive accipit: et pro Mundum esse, ponit vincere. Caeterum, non adeo in recitandis verbis curiosos fuisse Apostolos quoties ex lege et prophetis testimonia adducunt, satis notum est. Ideo sufficere nobis debet, quod recte hunc locum Paulus proposito suo accommodet. Atque hinc colligenda est generalis doctrina: Quidquid reperietur culpae in hominibus, residere in ipsis, ut Dei iustitia semper integram laudem retineat. Videmus enim quam sacrilega sit mundi audacia ad obstrependum Deo, quoties pro carnis sensu et arbitrio non iudicat. Ergo utcunque interdum, ubi de nihilo extollit Deus contemptissimos quosque: vel quos in sublime extulerat, sinit ruere: in his iudiciis species aliqua repugnantiae vel absurditatis nos conturbet: tamen haec admonitio in sobria modestaque reverentia nos contineat, quidquid statuatur iustum esse. Ideoque tam in operibus quam in dictis eius semper fulgere summam rectitudinem. Porro adverbium *ut*, vel hebraicum *כִּי*, non tam est causale hoc loco quam consequentiam notat, neque enim proprie Davidis lapsu factum est ut Dei gloria in iudiciis emineret: sed quum peccando Dei iustitiam obscurant homines, dicit tandem ipsam sua virtute emergere, ut appareat illustrior: quia proprium Dei munus est, lucem educere ex tenebris.

7. (*Ecce in iniquitate.*) Iam non modo peccati unius vel plurium etiam, sicut hactenus, se reum fatetur, sed altius conscendit, se ab utero matris

nihil aliud attulisse quam peccatum, et naturaliter se totum corruptum esse, et quasi vitiis delibutum. Ita sceleris unius atrocitatem reputans, in hanc usque cogitationem tractus est, quod natus peccato, nihil in se haberet sincerum vel integrum. Et certe non aliter peccata nostra in solidum agnoscimus, nisi totum ingenium nostrum damnemus corruptionis. Imo unumquodque particulare delictum ad hanc generalem notitiam adducere nos debet, meram pravitatem in omnibus animae nostrae partibus regnare. Priusquam tamen ultra progrediar, de verbo *קִמְצָתִי* aliquid dicam. Hebraeis ad verbum est, Calefecit se de me, a verbo *קָמַץ*, vel *קִמַּץ*, quod significat calefacere, quia tamen loquutio illa durior est, scite mitigant interpretes metaphoram quum reddunt Concepit me. Mihi videtur propheta significare velle, foveri nos et calefieri in peccato quamdiu in visceribus matrum latemus. Redeo nunc ad rem ipsam, Davidem unius peccati agnitio ad longum totius vitae examen trahit, donec in se nihil reperiat praeter peccatum, neque tamen de naturae suae corruptione loquitur, sicut hypocritae hoc velum obtendere solent ad tegendam suam culpam, Peccavi fateor, sed quid facerem? caro sum, nos ad vitia naturaliter propensi sumus, imo pravae cupiditates nos sibi devinctos et addictos tenent, ut prorsus humanum sit peccare. Tales latebras minime captavit David, quibus se a Dei iudicio subduceret: quin potius ad amplificandam malorum suorum gravitatem a peccato originali ducit exordium, ac si diceret non se hoc vel illo genere criminis nuper reatum contraxisse, sed iniquitate fuisse refertum ab ipso utero. Caeterum hoc est illustre testimonium de peccato originali, quo Adam totum humanum genus implicuit. Et hinc etiam colligi potest recta eius definitio. Olim Pelagiani, quia absurdum ducebant nos omnes unius hominis culpa esse perditos, nugati sunt peccatum sola imitatione ex Adam profectum esse. Atqui scriptura tam hoc loco quam pluribus aliis, palam asserit ingenitum nobis esse peccatum, ut intus resideat et infixum sit corruptela, neque enim parentes suos accusat David, vel crimen in eos derivat, sed se ad tribunal Dei sistens, vitiosum figmentum esse asserit, ut iam prius esset peccator quam emergeret in lucem. Itaque nimis improbe Pelagius peccatum negavit contagione manare in posteros, ut sit haereditarium. Hodie papistae, tametsi non negant vitiatam esse hominum naturam, sic tamen extenuant ut peccatum originale nihil fere aliud sit, quam prava ad peccatum inclinatio. Restrungunt deinde ad inferiorem animae partem et crassos appetitus, et quamvis experientia clare ostendat corruptelam hanc in hominibus usque ad vitae finem grassari: negant tamen ex quo baptizati sumus peccatum esse. Atqui nisi constet peccato occupari omnes animae

Calvini opera. Vol. XXXI.

partes, vim eius minime tenemus. Proinde quisquis non fatetur mentem hominis penitus esse corruptam, et cor perversum: non nisi particulam originalis peccati agnoscit. Et certe longe aliud sonant verba Davidis, quam balbutiant papistae, *factum* scilicet *fuisse in peccato, et calefactum in malitia*. Neque enim de crassis libidinibus agitur, sed nullam sui partem eximens, peccatum naturaliter in se haerere dicit. Hic iam movetur quaestio, quomodo a parentibus peccatum transferatur in filios: quae deinde aliam parit de traduce animae, quia multi labem parentis ad filium pervenire negant, nisi anima gignatur ex substantia animae. Sed ne istos labyrinthos ingredi necesse sit, sufficiat tenere, Adam post suam defectionem spoliatus fuisse donis omnibus, quibus ornatus fuerat, ita quum extincta esset quae prius in eo fulgebat ratio, et voluntas, quae prius in Dei obsequium formata erat, contumax facta esset: tam mente quam corde fuisse corruptum, et deinde genuisse filios sui similes. Si quis excipiat, corpora tantum ex corporibus creari, ideoque nihil animae commune esse cum anima: solutio est, Quia Deus Adam non ornaverunt spiritus sui donis tanquam privatum quemlibet hominem, sed in eius personam contulerat quod volebat commune esse toti humano generi, nos omnes in ipso a prima integritate excidisse.

8. (*Ecce veritatem.*) Confirmat hic versus quod nuper dixi, non captandi praetextus causa Davidem ad tempus usque conceptionis reatum suum traxisse, sed potius ut testatum faceret, iam ab infantia se fuisse aeternae morti obnoxium. Unde sequitur totam eius vitam fuisse damnabilem. Adeo enim culpam in Deum non transcribit (sicut impuri quidam canes cum eo expostulant, quod non aliam indiderit naturam hominibus) ut potius eius iudicium corruptelae nostrae opponat: ac si diceret, Quoties prodimus in conspectum Dei, certam nobis damnationem instare: quia quum ad peccatum nati simus, Deo ipsi placeat rectitudo et sinceritas, unde necesse est nos ei esse exosos. Quanquam magis emphatice loquitur, dum asserit non modo Deum requirere ut vita nostra composita sit ad aliquam iustitiae formam, sed ut cor purum sit et bene purgatum omni fallacia, hac ratione dicit Deum sinceritatem velle in penetralibus: vel quod idem valet, non modo infensum esse externis peccatis, sed exigere sinceram cordis munditiam, ut occultas sordes abominetur. Proximo membro crimen adhuc exaggerat, quod praetextum excusationis obtinere non liceat ab ignorantia: quandoquidem fuerat de officio suo divinitus, quantum satis erat edoctus. Dictio *כִּסְפוֹתַי* a multis ita accipitur ac si diceret, arcana mysteria sibi patefacta esse. Ita secundum eos, *occultum* ponitur pro rebus ab humano sensu absconditis. Meo autem iudicio, obscuritas vel ab-

sconsio de qua loquitur David, non tam ad res ipsas, quam ad mentem eius refertur. Hoc enim membrum proximo respondet, ideoque fatetur se non leviter tantum gustasse coelestem doctrinam, vel specie tenus se illa fuisse adpersum, sed infixam penitus fuisse cordi suo: quia Deus familiariter eum edocuerat, ut nihil prorsus utile cognitu celaret. Itaque minus excusabilis erat David, quia vera intelligentia tam praeclare instructus, tamen instar brutae pecudis se proiecisset ad foedam libidinem: deinde varie precando tandem fere obstupuerat. Videmus quorsum spectet David: postquam enim confessus est sceleris sui atrocitatem, se totum quasi ex peccato conflatum agnovit: et damnata sua natura, quo sibi plus horroris incuteret, proposuit sibi iudicium Dei, dixitque illic non magni momenti esse externam speciem, sed exactam sinceritatem requiri. Iam addit se non esse quemlibet e vulgo, ut in turbam se coniiciens communi poena defungi queat: sed quia decoratus esset eximiis spiritus donis, se maiore culpa constringi. Nunc ad se quisque transferre discat hanc doctrinam, et sibi conscius unius peccati, alia quoque revocet in memoriam, ut se totum coram Deo prosternat. Deinde expendat quam formidabile sit eius iudicium, et cum illius rectitudine suam vanitatem comparans, se prorsus obrui sentiat. Tandem addat hunc cumulum, si edoctus fuerit a Deo quasi unus ex domesticis, eo se maiori damnationi esse obnoxium, quia suffocavit lucem spiritus sancti, perversus fuerit discipulus, et tot pretiosa dona quibus ornatus fuerat pedibus calcaverit.

9. *Expiabis me hyssopo et mundabor: lavabis me, et prae nive albescam.* 10. *Audire me fac laetitiam et gaudium: exsultabunt ossa quae contrivisti.* 11. *Abconde faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.*

9. (*Expiabis me etc.*) Prosequitur eandem precationem, atque ista congeries sermonis ostendit quam sollicitus fuerit de impetranda venia. *Hyssopi* vero nunc meminit, alludens ad legales caeremonias: non quod fiduciam suam locaret in externo expiationis symbolo: sed quia sciebat nihil in lege frustra esse mandatum. Nam quum sacrificia tunc sigilla essent gratiae Dei, merito illic testimonium reconciliationis suae quaesivit: sicut his adminiculis fidem nostram fulcire decet quoties mentes nostrae vacillant. Hoc ergo simpliciter voluit David, efficax et ratum in se fore quod Deus populo suo testatus fuerat. Atque eadem nobis tenenda est hodie regula. Quamvis enim non alibi quam in Christi sanguine quaerenda sit expiatio, quia tamen nec oculis perspicitur, nec manibus palpatur spiritualis gratia, non possumus nisi externis signis adiuti, tranquillis

animis statuere, Deum nobis esse propitium. Idem quod de hyssopo diximus, in lotionem quoque valeat, nam umbratiles adpersiones, quibus sub lege usi sunt Iudaei, testatae sunt purgari nos ab omni immunditie, ut Deus placatos nos in gratiam recipiat. Porro spiritus sancti officium esse scimus, intus abluere conscientias nostras sanguine Christi, ne ab accessu Dei nos prohibeant sordes nostrae. Coniuncti etiam sunt duo versus, quorum finis est ut se Deus placatum esse ostendat. Quod existimant quidam optari a Davide nuntium laetitiae, ut mittatur propheta quispiam reconciliationis praeco et testis, videtur nimis restrictum esse, potius nuntium laetitiae indefinite accipitur pro gratiae testimonio, nam per *ossa contrita* intelligit se extremo moerore fuisse afflictum, ut vigore exhausto et consumpto, prope deficeret. Itaque sibi merito *gaudium* restitui postulat, quo animetur in novam vitam. Hoc autem gaudium dicit auditu percipi, quia donec verbo Dei exhilaretur peccator ut animum colligat, frustra alia solatia sibi accerset. Haec igitur vera est pacis et solidae laetitiae ratio, acquiescere in Dei promissionibus. Nam utcumque se ad tempus demulceant qui neglectis promissionibus, conscientiae terrores pacare vel effugere conantur, certum est caecis tormentis intus semper uri. Verum utcumque illi obtorpeant, quisquis serio Dei timore tangitur, non aliud inquietudinis suae remedium optabit quam auditionem istam laetitiae, dum scilicet promittit Deus, abolito nostro reatu, se nobis esse propitium. Quamvis autem continuis miseriis laborent fideles quamdiu in mundo peregrinantur, et inter varios metus, discrimina, molestias suspirent, solus tamen auditus laetitiae ad mitigandos eorum dolores sufficit, sicuti gaudium spiritus a fide est inseparabile. Notanda est etiam haec loquutio, ubi Deus *abscondere* dicitur *faciem suam a peccatis*, dum ea remittit: nam exegetice mox additur, *iniquitates meas dele*. Hinc autem intelligimus iustificari nos coram Deo, ubi voluntaria oblivione peccata nostra delet: atque hanc esse nostram puritatem, dum gratuita venia nos dignatur. Caeterum hic repetendum quod prius dixi, Davidem quum unum a Deo postulat, nempe recipi in gratiam, non frustra congerere tot verba, sed exprimere quam anxie expetat quod sibi fecerat difficile impetratum. Et certe ubi quis defunctorie tantum pro remissione peccatorum vota concipit, nondum didicit quam horribilis sit Dei offensio: ideo beatos esse pronuntiat Solomo, qui se ipsos terrent, Prov. 28, 14 quia scilicet tristitia quae eos excruciat, ianuam ad verum gaudium aperit. Sed hic quaeritur, Quum iam ex ore Nathan prophetae audisset David ablatum esse suum peccatum, 2. Sam. 12, 13 cur non absolutionem hanc fuerit amplexus, ut placide vero gaudio fruere, nam fidem abrogare prophetae

non potuit, quin Deo faceret iniuriam. Sicuti hodie non angelos e coelo mittit Deus, sed hominum voce ad nos recreandos contentus est: sicuti dicit Christus, Quidquid remiserint in terra discipuli, remissum fore in coelo, Ioan. 20, 23. Et Paulus 2. Cor. 5, 20 Evangelii ministros docet legatione fungi ad reconciliandos homines Deo. Videtur ergo signum infidelitatis fuisse in Davide, quod audita voce Nathan, perplexus et dubius novam certitudinem adhuc quaerit. Duplex huius quaestionis afferri potest solutio: nam fieri potest ut non statim promiserit Nathan, placatum esse Deum. Neque enim novum est contexi in scriptura quae simul tempore non cohaerent. Nec vero absurdum est, postquam servum suum perculit Deus in illa anxietate, aliquamdiu voluisse eum torquere, quo melius humiliaret. Hoc modo referret David quantopere territus fuerit, et quam diros cruciatus pertulerit, ubi in peccati sui notitiam adductus fuit, antequam veniae nuntium acciperet. Quanquam fidei naturae minime repugnat, qui iam de gratia Dei facti sunt certiores, ardentius tamen et sollicitius in petenda venia insistere. Quare utcumque David iam levatus esset parte aliqua moeroris, non destitit tamen novas subinde punctiones sentire, quae ad Dei misericordiam suppliciter et timide refugere ipsum cogerent. Etsi enim Deus, veniam nobis promittens, liberaliter nos ad pacem invitat, nostrum tamen est reputare quam graviter fuerit offensus, ut cordibus nostris insideat profundus dolor. Adde quod exiguo nostrae fidei modulo, non statim recipimus illam quae offertur gratiae plenitudinem. Quare nihil mirum si David angustiis constrictus, tertio et quarto in petenda venia perstiterit, et saepius in Dei conspectum se obtulerit, quo se plenius confirmaret. Imo sic habendum est, non posse nos serio precari, ut Deus peccanti ignoscat, nisi iam fide conceperimus, ipsum fore placabilem. Quis enim aperire os auderet, nisi de paterno eius favore persuasus? Atqui semper initium precandi a petenda venia facere convenit: unde apparet non pugnare haec duo inter se, ubi fide amplexi sumus Dei gratiam, precari tamen ut peccata nostra aboleat. Atque huc spectat precandi formula, quae nobis a coelesti magistro tradita est, ubi ab exordio Deum vocantes patrem, postea tamen addimus ut peccata remittat, Matth. 6, 9. Quamvis enim Deus in solidum ignoscat, non admittit tamen fidei nostrae angustia tam effusam eius bonitatem: sed necesse est ut paulatim distillet. Ideoque hoc ad fidei nostrae captum refertur, quod saepius iteramus eandem precationem, quia licet non paulatim mitigetur Deus, more hominum, lenti tamen sunt fidei nostrae progressus, qui ad plenam certitudinem nos deducunt. Iam vero admonet nomen *expiationis* *hyssopi* et *adspersionis*, quoties pro remissione pec-

catorum vota facimus, mentes nostras ad sacrificium erigendas esse quo patrem Christus placavit. Neque enim sine sanguine, ut docet apostolus Hebr. 9, 22, remittuntur peccata: et quod Deus sub figuris legis testatus est veteri populo, plenius Christi adventu manifestavit. Ergo ut gratiam impetret peccator, primo ad Christi sacrificium mentem suam convertat, quo expiata sunt mundi peccata, deinde sacram coenam et baptismum in fidei suae confirmationem advocet, quia minime sperandum est ut Deus (qui iudex est mundi) redeat nobiscum in gratiam, nisi intercedente placationis pretio.

12. *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* 13. *Ne proicias me a facie tua, et spiritum sanctitatis tuae ne auferas a me.* 14. *Restitue mihi gaudium salutis tuae, et spiritu liberali sustentas me.*

12. (*Cor mundum.*) Hactenus precatus est David pro obtinenda peccatorum venia: nunc se gratia spiritus, qua privatus erat, vel saltem dignus erat privari, iterum donari postulat. Magni autem interest, duas istas precationes, quas perperam docti quidam viri confundunt, distinguere. Ergo hactenus de gratuita peccatorum remissione egit, nunc transit ad vitae novitatem. Nam quia se dignum agnoscit qui spoliatur omnibus spiritus donis, imo sentit magna ex parte illis se esse exutum, merito ad instaurationem adspirat: ac verbo *Creandi* significat, donec mirabiliter renovatus fuerit Dei virtute, se fore quasi inutilem truncum, quo elogio poenitentiae donum. ut par est, commendat. Sophistae, quamvis non negent opus nobis esse auxilio spiritus, et fateri cogantur tam praecunte quam subsequente gratia nos iuvare: Dei tamen gloriam extenuant vel obscurant, dum in medio gradu constituunt rationem hominis quae eligat, et voluntatem in praeibendo assensu. Atqui David *Creandi* verbo magnificum et singulare Dei opus extollit in renovatione hominum, ac si de integro novas creaturas fingeret. Porro quia iam praeditus fuerat spiritu illo, petit in se renovari. *Creandi* tamen verbo prius confessus est, sive ab initio nos regeneret Deus, sive lapsos in gradum restituat, quidquid est in nobis rectitudinis, gratuitum esse eius donum. Neque enim petit cor suum infirmum adjuvari, et spiritum debilem fulciri aliquo subsidio: sed fatetur nihil esse in corde suo rectum vel purum, donec aliunde proveniat. Unde sequitur totum cor hominis, ubi in sua natura consideratur, contortum esse et perversum: quia si ulla esset a natura rectitudo vel mundities, non hanc vocaret David spiritus donum, illam vero Dei creationem. Proximo versu idem votum prosequitur, et remissionem peccatorum cum spiritus gubernatione connectit: sicuti hoc a

gratuita reconciliatione pondet, spiritu adoptionis nos regi: ac si Deus tanquam filios in sinu suo nos foveret. Quia ergo spiritus sui participatione non dignatur nisi quos diligit, et in suis reputat: ideo David, ut maneat in possessione spiritus, sibi adoptionis gratiam manere salvam cupit, quia nisi locum obtineat inter Dei filios, nihil sibi amplius residuum fore videt. Porro colligere ex his verbis licet, quamvis suffocata essent in eo spiritus dona, non tamen fuisse in totum ablata. Et certe res ipsa ostendit non fuisse exinanitas dotes quibus ante pollebat, neque enim interea destitit praeclare regis officio fungi, precibus et aliis pietatis exercitiis incumbere, vitamque suam formare ad Dei cultum. Quamvis ergo in una parte stupefactus esset, non erat tamen coniectus in reprobum sensum. Et sane non tam facile et subito expefactus esset ad obiurgationem prophetae Nathan, nisi occultum timoris Dei semen latuisset in eius animo. Nam quod nuper *spiritum innovari*, precatus est, restringi debet ad partem. Quae doctrina utilis est cognitu: quia docti quidam homines inconsiderate putant, si in peccatum mortale labantur electi, exstingui in illis Dei spiritum, et alienari a Deo: quum Petrus clare affirmet: Verbum quo regeniti sumus, esse semen incorruptibile, 1. Petr. 1, 23 et Iohannes etiam doceat retineri electos ne prorsus excidant, 1. Iohan. 3, 9. Ergo quamvis interdum Deus eos abiiciat in speciem, non tamen ita exuit donis omnibus, quin tandem appareat non fuisse penitus abdicatos, etiam quo tempore in illis gratiae signa non fulgebant. Si quis obiiciat, dubitanter loqui Davidem, ac si privari metueret Dei spiritu: respondeo, fideles, quum peccarunt, merito esse anxios, quia repudiaverunt quantum in se est Dei gratiam: debere tamen in hoc articulo consistere, quia semen Dei incorruptibile est, gratiam qua praediti semel fuerunt, nunquam posse evanescere. Sic David peccatum suum reputans, timore percussus fuit: ex opposito tamen statuit, quia unus erat ex Dei filiis, quod sua culpa perdiderat, sibi adhuc manere.

14. (*Restitue mihi.*) Iterum repetit moerori se fore addictum, donec pacem cum Deo fuerit adeptus, et certe nimis stupidi sunt qui Deo infenso quietem sibi indulgent. Docet ergo David sibi nullam fore quietem donec affulgeat paternus Dei favor. Secundum membrum eodem pertinet quo superiores duo versus, ne scilicet exuatur spiritus sancti donis, sed maneat in illis integer. In verbis aliqua est ambiguitas: nam verbum חסמכני quidam interpretes volunt esse tertiae personae, quia nomen רחמי femininum est: itaque vertunt, spiritus me stabiliat. Sed haec diversitas quoad sensum non magni est momenti. Plus est difficultatis in epitheto נריב: nam quum verbum נרב significet

liberaliter agere, Hebraei נריב principes appellant, נריבים. Ideo docti homines existimant Davidem hic loqui de *spiritu principali* vel regio, sicut etiam Graeci ηγεμονικόν verterunt. Competeret autem haec precatio in personam Davidis, cui necesse fuit, quum rex creatus esset, heroica virtute excellere ad exsequendum suum munus. Etsi autem hic sensus mihi non displicet, nec male quadrat, longius tamen hanc sententiam extendo, quod David se peccati mancipium agnoscens, et reatu suo constrictus, ad liberum illum et ultroneum spiritum adspiret, a quo fere exciderat. Quia enim se peccato mancipaverat, illud inaestimabile libertatis donum nonnisi singulari Dei gratia recuperare potuit.

15. *Docebo sceleratos vias tuas, et impii ad te convertentur.* 16. *Libera me a sanguinibus Deus, Deus salus meae, et cantabit cum iubilo lingua mea iustitiam tuam.* 17. *Domine labia mea aperias, et os meum annuntiabit laudem tuam.*

15. (*Docebo sceleratos.*) Hic se Deo gratum fore promittit, si fuerit exauditus: et fructum suae gratitudinis commemorat, nempe se daturum operam ut suo exemplo alii resipiscant. Et certe non modo hoc praescribit caritatis regula, ut manum aliis porrigant qui erecti sunt a Domino: sed huc etiam impellere eos debet pietatis studium et zelus gloriae Dei, ut omnes, quantum in se est, eiusdem gratiae participes faciant. Iam suae doctrinae conversionis effectum adiungens, laboris sui profectum se sperare ostendit. Etsi enim surdis saepe fabula canitur, dum studemus in viam revocare errantes: non tamen semper ludimus operam, quia Dominus verbo suo benedicit.

16. (*Libera me.*) Hinc apparet quam non sibi blanditus sit David, et quam arduum sustinuerit certamen cum terroribus mortis, quod toties ad petendam veniam recurrit. Quod *sanguines* quidam pro iniusta caede Uriae accipiunt et clade exercitus, cuius sibi conscius erat David, mihi non probatur. Nam quia per sanguines Hebraei quodvis scelus capitale significant, potius videtur, se mortis supplicio obnoxium facere, ut ostendat unicam sibi spem restare in Dei misericordia. *Iustitia* autem Dei, quam se cum iubilo celebraturum dicit, pro bonitate accipitur. Neque enim iustitiae elogium, ut vulgo putant, tribuitur Deo quod rigidus sit ad exsequendam vindictam, sed potius quod in servandis promissis et tuenda suorum salute fidelis sit, neque unquam miseros homines frustretur quicumque eius opem implorant. Caeterum ubi dicit, *Deus Deus salutis meae*, subest in hac repetitione emphasis aut vehementia: unde etiam colligimus, trepide semper et cum anxio gemitu reputasse quid esset promeritus. Interim ita se inquietudine torqueri

et desiderio flagrare demonstrat, ut tamen armis fidei sit instructus: quia salutem sibi in Deo repositam esse statuit. Eodem spectat proximus versus, ubi precatur labia sibi aperiri: quod tantundem valet ac praebere laudis materiam. Scio locum hunc ita solere exponi, quasi David linguam suam dirigi optaret a spiritu Dei, ut idoneus sit ad canendas eius laudes, et certe nisi Deus verba nobis suppeditet, prorsus muti erimus. Sed aliud voluit David, se nunc quodammodo obmutescere, donec veniam adeptus, ad gratiarum actionem vocetur. Eodem mihi videtur sensu nunc sibi labia aperiri postulare, quo alibi praedicat datum sibi in ore fuisse canticum novum, Psalm. 40, 4. Atque ita rursus gratum Deo se fore testatur, et beneficii memorem: quia non alio fine in gratiam se recipi postulat, nisi ut apud omnes gratiae Dei clamorus sit praeco. Est enim loquutio emphatica *Os meum annuntiabit laudem tuam*: ac si promitteret, clara et sonora voce palam se Deo gratias acturum.

18. *Quia non acceptum habebis sacrificium: etiamsi dem holocaustum, non placebit.* 19. *Sacrificia Dei spiritus afflicti, cor afflicti et contriti Deus non despicias.* 20. *Benefac in beneplacito tuo Sion, aedifica muros Ierusalem.* 21. *Tunc accepta habebis sacrificia iustitiae, holocaustum et oblationem: tunc adscendent super altare tuum vituli.*

18. (*Quia non.*) Hoc loco docet, quamvis nihil compensationis ad Deum afferat, se gratuita eius misericordia fretum, certo sperare illum sibi fore exorabilem. Ac primo quidem se inopem et vacuum accedere fatetur, sed hoc obstaculum non fore quo minus impetret quod cupit, quia non moratur Deus sacrificia. Nec vero dubium est quin tacita comparatione crassum vulgi errorem perstringat, quem scimus fere omnibus saeculis regnasse apud Iudaeos. Nam quum sacrificiis expiari peccata lex doceret, ut operibus suis diffusi satisfactionem ab uno Christo peterent: illi audacter, ac si dato pretio redimerent se a iudicio Dei, cum sacrificiis prodibant. Praeposterum hunc fastum a Davide rideri certum est, quum sibi quidquam suppetere negat, quo Deum reconciliet, qui sacrificiis non oblectatur. Iubebat quidem Deus sibi offerri sacrificia, et David cultum hunc minime neglexit: non ergo simpliciter loquitur ac si respiceret Deus quae ex eius mandato offerebantur sacrificia, vel quispiam ea posset quasi supervacua ommittere, imo nuper vidimus Davidem cum toto piorum coetu, legis caeremoniis fuisse adiutum: sed finem tantum spectavit, quia hypocritae, prava fiducia excaecati, Deum se promereri fingebant. Tametsi ergo se in sacrificiis sedulo exercuit: sicuti Deum sibi placabilem fore nemo confidet, nisi qui in medio sistet unicum Christi

sacrificium, quo expiata sunt mundi peccata: vere tamen et merito nihil se compensationis afferre testatus est: quia gratuitam reconciliationem petebat. Neque enim, proprie loquendo, ex se ipsis quidquam afferebant Iudaei, sacrificia mactando, sed potius a Christo mutuabantur quod cunctis mortalibus deest, redemptionis pretium: adeoque sacrificia legis, hominum respectu, mere passiva erant.

19. (*Sacrificia Dei.*) Postquam sacrificiis detraxit propitiandi Dei virtutem, quam falso affinxerant Iudaei, nunc dicit, Etiamsi nihil praeter cor contritum et humiliatum afferat, hoc Deo abunde sufficere: quia unum hoc exigit a peccatoribus ut deiectionis pretium: adeoque sacrificia legis, hominum respectu, mere passiva erant. Neque frustra plurali numero usus est, quo melius exprimeret poenitentiae sacrificium, pro omnibus unum sufficere. Si dixisset boni odoris esse hoc sacrificii genus, promptum fuisset Iudaeis cavillari, alias tamen esse species quae non minus Deo placerent. Sicuti videmus hodie papistas sua opera Dei gratiae miscere, ne gratuita sit peccatorum remissio. Consulto itaque David, ut omnia satisfactionum commenta excluderet, unicam spiritus deiectionem, quaecunque Deus probat sacrificia, in se complecti asseruit. Et quum sacrificia Dei nominat, videtur oblique mordere hypocritas, qui suo tantum arbitrio sacrificia aestimant, dum ad propitiandum Deum valere imaginantur. Hic tamen exoritur difficilis quaestio: quia si afflicti spiritus pro omnibus sacrificiis censetur coram Deo, sequetur, poenitentia nos veniam consequi: quod si verum est, iam desinet esse gratuita. Respondeo Davidem hic non disserere quid pretii Deo persolvant homines, vel quo merito remissionem peccatorum obtineant, imo data opera spiritum afflicti, fictitiis compensationibus opponens, nuditatem hominum detegere voluit: sicuti etiam non alio tendit spiritus deiectionis, quam ut hominem exinaniat, vel in nihilum redigat. Neque enim fieri potest, ubi quid reliquum nobis facimus, quin se animus noster in aliquam fiduciam tollat. Unde sequitur, corde contrito iacere omnia merita, ut nihil mutuum afferant homines. Si quis excipiat, fidem praestantius esse sacrificium, et ad placandum Deum maioris efficaciae: quia Christum cum vera et solida placatione in medium producit: primo tenendum est, non posse fidem ab hac humilitate, de qua loquitur David, separari. Etsi enim expavescent coram Deo impii, foveant tamen intus perversam contumaciam, nec fremere vel obstrepere desinunt: et quamvis suam ferociam non palam despument, cor tamen semper inflatus manet. Quum ergo spiritus afflictionis et cor contritum hominem irae Dei sensu vulneratum vero timore et displicentia non modo subigant, sed vere mortificent, ut nullus sit apud se, sed totam suam salutem ex Dei misericordia petat: non mirum est si Deum hoc

uno sacrificio contentum esse, David pronuntiet: quia nec fidem disiungit, nec subtiliter numerat singulas poenitentiae partes, sed tantum docet non aliter gratiam nos consequi apud Deum, quam dum in nobis deiecti et confusi, in solam eius misericordiam recumbimus, dum supplices prodimus cum ingenua nuditatis nostrae confessione: denique curvi et fracti iacemus ut nos erigat.

20. (*Benefac, etc.*) Iam non pro se uno privatum orat, sed totam ecclesiam adiungit, neque immerito: quia per eum non steterat quominus concideret totum Christi regnum. Nam rex in hunc finem unctus ut ecclesiam Dei colligeret, turpi defectione illam dissipaverat, ut timenda esset exitialis ruina. Quamvis ergo sua culpa everterit Dei ecclesiam quantum in se erat, petit tamen eam gratuita Dei misericordia restitui. Neque vero aliorum innocentiam allegat, sed tantum innititur Dei beneplacito: ac si diceret, ecclesiae restorationem ubi collapsa est, non aliunde quam ex mera Dei gratia sperandam. Quanquam autem iam exstructa erat Hierosolyma, pro eius tamen aedificatione adhuc precatur, quia nondum scilicet in suam perfectionem venerat, quum deesset praecipua pars. Respexit enim David ad oraculum in quo pollicitus erat Deus fixam illic arcae foederis stationem fore: deinde regiam sedem. Ideoque templum nondum conditum quasi tugurium erat. Caeterum docet hic locus proprium esse Dei opus, ecclesiam aedificare, sicut alibi dicitur, Fundamenta eius in montibus sanctis, Psalm. 87, 1. Neque enim David externam duntaxat structuram respexit, sed animum praecipue applicuit in spirituale Dei sacrarium, quod hominum manu et industria erigi non potest. Verum quidem est, quantumvis lapidum et caementi congerant homines, nihil tamen suo labore profecturos in exstruendis terrenis muris: sed peculiaris est ecclesiae orectio, quae admirabili Dei virtute, in terris fundata, supra coelos attollitur. Adde quod non tantum de unius mensis vel anni aedificio hic agitur, sed ut Deus statum ecclesiae suae incolumem usque ad Christi adventum tueatur. Verum quum David initio Psalmi et toto contextu professus sit se esse perditum et desperatum, unde nunc repente tanta audacia, ut totam ecclesiam Deo commendare non dubitet? Quomodo enim alios omnes in coelum evehet, qui vix ex inferis emersit? Hic certo videmus, simulac reconciliati sumus Deo, non tantum liberam cuique pro salute sua precandi fiduciam permitti, sed nos etiam pro aliis admitti suffragatores: imo quod magis honorificum est, regni Christi gloriam, quae magis pretiosa est quam totius mundi salus, commendare licet.

21. (*Tunc accepta habebis.*) Hic primo intuitu species aliqua repugnantiae occurrit, sed quae nullo negotio discutitur. Dixerat, nullius per se momenti

esse sacrificia: nunc quatenus exercitia sunt fidei, et poenitentiae, et gratiorum actionis symbola, Deo grata fore dicit. *Sacrificia* autem *iustitiae* diserte vocat, hoc est recta vel legitima, quae rite ex Dei praescripto offeruntur. Qua etiam loquutione Psalm. 4, 6 usus est, vanas eorum pompas deridens qui tantum fallaci titulo superbiebant. Rursus vero se ad gratitudinem hortatur: et suo etiam exemplo pios omnes, ut voti compotes non modo tacite secum reputent Dei gratiam, sed in celebri etiam conventu praedicent. Ad nomen generale sacrificii duas species adiungit. Quanquam nonnulli כליל et עולה volunt synonyma esse: mihi tamen magis arridet eorum sententia qui prius nomen distincte positum esse intelligunt pro sacerdotum sacrificio, quia libatio illic comburebatur. Caeterum, hac varietate significat David non aliter placere Deo legales omnes ritus, quam dum referuntur ad iustum finem. Quod totum hunc versum metaphorice quidam accipiunt, trahentes ad Christi regnum, nimis argutum est et coactum. Fateor *vitulos labiorum* vocari ab Hosea cap. 14, 3 laudes quibus gratiae aguntur Deo: sed minime obscurum est, cum puro affectu cordis hic coniungi solennes caeremonias, quibus suam pietatem profitebantur sub lege cultores Dei.

PSALMUS LII.

ARG. Quum occiso Achimelech et reliquis sacerdotibus passim terror iniectus esset toti populo, ne quis Davidem iuvare auderet, ac Doeg ob prosperum impiac delationis successum triumphos suos ageret, sanctus vir nihilominus animum fide erigens, Psalmum hunc composuit: ubi improbi delatoris crudeli perfidiae insultat, seque ad bene sperandum hortatur, quia Deus in coelo iustus iudex sedeat, tum ad opem servis suis ferendam qui spes suas omnes in eum coniiciunt, tum ad ulciscendam eorum superbiam, qui eo contempto quidvis sibi pro libidine indulgent.

1. *Praefecto, crudiens Davidis.* 2. *Quum venisset Doeg Idumaeus, et nuntiasset Sauli, ac ei dixisset Davidem venisse in domum Achimelech.*

Quantum attinet ad nomen משיביל, iam ante diximus proprio solere Psalmis inscribi, ubi David se Dei manu castigatum fuisse commemorat, vel saltem aliquo afflictionis genere admonitum, ut proficeret tanquam sub magistri ferula, cuius rei exempla habuimus Psalmo 32 et 42. Diversa Psalmi 45 ratio fuit, nempe ut scirent lectores, in illo amatorio carmine nihil esse lascivum, sed sacrum et spirituale Christi cum ecclesia coniugium illic describi. Huic autem Psalmo et sequentibus convenit eruditio ex correctione profecta, nec enim

dubito quin significet David, se non vulgari modo fuisse tunc probatum et examinatum, ut totum se Deo resignare disceret. Nota vero est historia, quum profugus erraret David, venisse in Nob ad Achimelech sacerdotem, et quum discrimen suum detegere non auderet, simulasse cum arcanis mandatis ad gravia quaedam negotia se fuisse a rege missum, ita et viaticum obtinuit, et gladium quo occiderat Goliath. Quum vero Doeg, qui regis pastoribus praefectus erat, impia delatione favorem Saulis venatus esset, tyranni rabiem non modo in unum hominem innoxium, sed in omnes sacerdotes accendit. Ita factum est ut omnes aditus praeclusi essent misero exsuli: quia tam formidabili saevitiae exemplo territi erant omnes, ne ullum humanitatis officium praestarent. Iam quia Doeg hoc scelere elatus, ferocius se gerebat: et perfidiae merces quam adeptus erat, instar stimuli poterat esse ad alios instigandos, quo certatim ruerent in Davidis perniciem: sanctus vir pia consolatione se in sublime erigens, sceleratam illius audaciam refutat.

3. *Quid gloriaris in malitia potens? bonitas Dei quotidie.* 4. *Pravitates computat lingua tua, quasi novacula acuta fraudulenter agens.* 5. *Diligis malitiam prae bonitate, fallaciam potius loqui quam iustitiam.* Selah. 6. *Diligis omnia verba absconsionis lingua dolosa.*

3. (*Quid gloriaris.*) Quum proditio ex voto cessasset scelerato homini Doeg, gravis (ut dixi) et dura illa fuit tentatio ad percellendum Davidis animum. Itaque non dubito quin se ad luctum sancta hac gloriatione armaverit, ac primo quidem exaggerat crimen Doeg, quod in potentia nefario scelere parta exsultet. Nec vero mirum est praefectum pastorum tam splendido titulo ornari, quia non fuit homo pecuarius, qui custodiendis gregibus operam locaret, sed cum auctoritate ordinatus pastorum magister: quales forte hodie sunt in aulis regum, summi equisonum praefecti. Dicit igitur non esse cur sibi in sua magnitudine applaudat Doeg, quamdiu ad crudelitatem et scelus ea perperam abutitur: imo cur superbiat de novo favore regis, quem sibi acquisivit impia calumnia: quia sola integritas fidelis est potentiae et dignitatis custos. Nulla autem vis tyrannica, nulla perfidia vel iniquitas diuturna. Secundo autem membro clarius exprimit unde tanta impiis recordia et caecitas, ut excusso Dei metu, et extincto pudore, in malitia sibi placere audeant: nempe quia contemptos et humiles spernendo, quidvis in eos sibi licere fingunt: nam indignos esse putant quorum Deus suscipiat curam. Imo Dei providentiam qua suos tuetur pro nihilo ducentes, aeternam sibi peccandi licentiam promittunt. Ex opposito David sancta

confidentia insurgit, superbis istis gigantibus exprobrans, quod Dei bonitati nihil honoris deferant. Caeterum quia non semper aequali cursu fuit gratia Dei, quin potius videtur magnis obstaculis procul esse a nobis remota: contra hanc tentationem David se munit, dicens eam singulis diebus vigere. Neque enim dubito quin significet, non obstare multas interruptiones quin Deus subinde bonitatis suae documenta renovet. Haec quidem voce, quod ante expertus erat, se in posterum sperare ostendit: quia Deus suos iuvando, et eorum misérias levando non fatigetur: sed ut centies rebus adversis affligi permittat, semper ad opem ferendam paratum fore.

4. (*Pravitates meditatur.*) Non facit David quod vulgo solent qui iniuste laesi sunt: neque enim convitia evomit, ut se ulciscatur, sed hostem suum coram Deo accusans, spei materiam inde colligit. Nam quo insolentius proterviunt mali, eo magis iram Dei ipsos accendere certum est, unde optima consolatio ad nos redit, maturum instare liberationis tempus, dum se ad extrema quaeque scelera proiciunt qui salutem nostram iniuste oppugnant. Non recenset igitur David hoc loco adversarii probra, quibus eum infamet apud homines, sed Dei iudicium sibi ante oculos ponens, contra tam atroces quas passus erat iniurias se ad bonam spem animat. Porro etsi crudelis et sanguinarius erat Doeg, hic arguitur praecipue interior eius pravitas, quod occulta delatione, per insidias et fraudem prodiderit innoxios sacerdotes, et ideo comparat eius linguam novaculae acutae, sicuti Psal. 120, 2. Virulentae omnes linguae dicuntur similes esse sagittis acutis. Particulam *Faciens dolum*, multi ad novaculam referunt, quia dolose scindat, non autem aperto ictu ut gladius: atque haec quidem est comparisonis ratio, sed mihi syntaxis videtur fore aptior, si hoc epithetum iungatur linguae. Nomen *ללע* quod perditionem vertunt, quum sit etiam Hebraeis absconsio, mihi sensus hic posterior magis placuit. Videtur enim alludere David ad linguae abstractionem, quae est deglutiendi principium. Et concinna est metaphora, linguam Doeg appetere fraudulenta verba, quae simplices et innoxios absorbeant. Porro his versibus nihil aliud vult David, quam ab extrema et deplorata hostis sui iniustitia spei confirmationem petere, quo certius liberationem a Deo expectet.

7. *Etiam Deus perdet te in aeternum, rapiet te, et evellet a tabernaculo, et eradicabit te e terra viventium.* Selah. 8. *Et videbunt iusti, et timebunt, et super eum ridebunt.* 9. *Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam: et confisus est in multitudine divitiarum suarum, et roboratus est in pravitate sua.*

7. (*Etiam Deus perdet te.*) Clarius ostendit quod nuper attigi, se in hunc finem exagitare crimen Doeg, quo maiore fiducia propinquum ei iudicium denuntiet: neque id tam illius terrendi causa, quam ad spem suam erigendam. Colligit ergo, quamvis ad tempus cesset Deus, non passurum semper ut tam scelerata proditio inulta maneat. Quia autem nihil magis prae fractum est impiis, quamdiu prospere habent, et quia se extra telorum iactum imaginantur, despiciunt ac subsannant omnia Dei iudicia: pios etiam terret illorum potentia, et dum firmis opibus munitos vident, fere exanimantur. Pluribus verbis eandem sententiam confirmat propheta, ut quod difficile est creditu, melius sibi persuadeat. Hac ergo verborum congerie, Perdet te Deus, destruet, evellet, eradicabit, tollet e medio, surperbi hominis securitati insultans David, animum suum ad bene sperandum attollit, et timiditatem castigat: quasi diceret, Quamlibet profundas radices egerit Doeg, ac validum sit eius robur, Deum ad eius evulsionem satis superque potentem fore. Eodem pertinet quod dicit *tabernaculo et terra vivorum*, quamvis tuto nidulentur impii, et in suo tabernaculo suaviter lateant, quia nihil adversi putent posse illuc penetrare, et de perpetua vitae possessione gloriantur, subito, ubi maturum venerit irae Dei tempus, deiectum iri. Quanquam fieri potest, ut in voce tabernaculi alluserit ad personam Doeg: quia solebant in tabernaculis habitare pastores.

8. (*Et videbunt iusti et timebunt.*) A fine etiam argumentatur, fieri non posse ut quam meritis est poenam effugiat Doeg: quia scilicet ideo sua iudicia exercet Deus, ut maiorem sibi reverentiam apud fideles conciliet, atque eos exhilaret iustitiae suae documentis. Etsi enim reprobis quoque et Dei contemptoribus spectabile futurum erat exitum Doeg, duas tamen ob causas peculiariter eius intuitum ad solos iustos restringit. Nam in manifestis quoque Dei operibus caecutiunt reprobi, ut mirum non sit in eius iudiciis nihil proficere: ideoque merito iustos viros dicit David, quia oculati sunt. Accedit altera ratio, quod Deus in suorum gratiam, ut quam pro tuenda eorum salute sollicitudinem gerit illis testetur, retundit impiorum ferociam, atque ita eorum dolores in gaudium convertit. Itaque non mirum est si eos David compellet testes, quibus tale spectaculum proprie exhibet Deus. Porro Timor hoc loco non formidinem significat, quo saepe homines consternant et expavesciunt Dei vindictae: sed pro laeta et alacri reverentia accipitur, dum agnoscunt fideles tanti se fieri coram Deo, ut causas eorum suscipiens, eorum hostibus se opponat. Quamdiu enim expositi iniuriis non sentiunt Deum vindicem, multis dubitationibus aestuant, ac si eum non attingeret cura re-

gendi mundi. Experimenta autem iustitiae eius, ad serium pietatis studium sopitas mentes excitant: atque hic timor risum, quem mox subiicit David, minime impedit: quia duo haec optime inter se conveniunt: ut se reverenter Deo subiiciant fideles, quem iniustae crudelitatis ultorem agnoscunt: et eum videntes a parte sua stare, inae stimabile gaudium concipiant, quia dum se nobis coniungere dignatur in commune bellum, haec societas potior est triumphis omnibus. Elegans paranomasia quae est in verbis hebraeis inter Videre et Timere, latine reddi non potest: qua notare voluit propheta, intuitum de quo loquitur, non otiosum sed efficacem fore.

9. (*Ecce vir.*) Putant quidam hoc proverbii loco in vulgus fuisse iactatum de superbia Doeg. Sed hoc videtur nimis restrictum: potius existimo exegesis esse timoris et risus, quia voluit exprimere David quomodo proficiant in Dei iudiciis fideles. Nam impiorum frustratio eos admonet patienter ferendam esse superbiam, quae suo impetu ruit: deinde eos quoque erudit ad modestiam, ne simili vanitate inflati, contra Deum et homines insolent. Risuros ergo fideles de reprobis interitu asserit David, non tantum ut ipsis insultent, sed ut se quietos contineant sub Dei auxilio, et valedicentes mundi illecebris ei se libenter subiiciant. Quoties ergo nobis occurrunt eiusmodi exempla, Deus sensus nostros, qui ad vagandum nimis alioqui propensi sunt, ad se retrahit, ut eos solus possideat. Porro adverbium, *Ecce*, *δεῦτα* hic sumitur, ac si in theatrum produceret David infelicem exitum, qui superbos Dei contemptores manet: sicuti haec non vulgaris prudentia est, ex uno documento colligere miseros esse omnes, ac pessimo exitio destinatos, qui alibi quam in Deo spem suam constituunt. Caeterum coniunctim legenda sunt haec duo membra, *Non posuit Deum robur suum, et speravit in multis divitiis*: quia significat David, nunquam sincere homines in Deum recumbere, donec propriae inopiae conscii, se ipsos prorsus exinaniant. Quantisper enim imaginantur in se aliquid residere, fieri non potest ut ad Deum conscendant: ita hoc perpetuum est, quantum sibi arrogant homines, tantundem Deo detrahare: et qui suis divitiis confidunt, non ponere Deum robur suum. Et quod de una specie hic pronuntiat David, ad omnes extenditur: quoties in mundo et terrenis opibus subsidunt hominum mentes, totidem obstaculis prohiberi a quaerendo Deo. Nomen *מַלְּיָתָא* (quod Malitiam vertit bona pars interpretum, quidam etiam pro pernicie active accipiunt) videtur hoc loco potius notare substantiam. Scimus enim Davidi nihil esse magis familiare, quam rem unam repetere diversis verbis. Ergo optime fluit hic contextus, hominem qui divitiis suis confidit, et roboratur in

sua substantia, vel in suo esse (ut loquuntur) Deum fraudare iusto honore.

10. *Ego autem sicut oliva frondosa in domo Dei: speravi in bonitate Dei in saeculum et usque.* 11. *Celebrabo te in saeculum, quia fecisti: expectabo nomen tuum, quia bonum est coram mansuetis tuis.*

10. (*Ego autem.*) Postquam David fidei et spei alis in sublime evehctus, splendorem opulentiae Doeg, quo secundum carnis sensum fuisset obrutus, animose despexit: exsurgit etiam ipse ex suis miseris. Et quamquam instar inutilis ac putridi trunci prociectus iacet, propter spem futurae instaurationis, olivae se comparat. Et certe nulla ex interitu Doeg consolatio redire poterat ad Davidem, nisi persuasus fuisset, sumptam fuisse divinitus vindictam de hominis crudelitate quam adversus innoxios exercuerat. Ergo Deum malorum quae indigne perpeccus fuerat, ultorem esse reputans David, quod reliquum est sibi promittit, ut collecto novo vigore iterum floreat: simul tamen ostendit hoc prosperi status summum sibi fore caput, inter Dei cultores censeret et locum tenere, ut se in professione pietatis exercent: sicut alibi vidimus acerbius ei fuisse exsulare a Dei sanctuario, quam uxore, et bonis omnibus privatum errare per ferarum speluncas. Quod tacitam personae Doeg antithesin quidam subesse volunt, quia fallaci praetextu, tanquam sedulus Dei cultor, speculandi causa ad tabernaculum accesserit, ex remota coniectura petatum est. Potius tam ipsi Doeg quam aliis suis hostibus se opponit David, quod licet nunc profugus a terra sancta tabernaculi conspectu careat: se tamen restitutionem sperare, ubi evulsi fuerint hypocritae, qui non modo locum illic occupant, sed templo soli potiuntur, quod tamen inquinant et polluant suis sordibus. Hic ergo memoria repetamus quod alibi dictum fuit, hunc vivendi finem semper nobis esse spectandum, ut reputemur in grege Dei: et quia infirmitas nostra externis adminiculis indiget, singularis beneficii loco ducendum esse, dum sacros conventus, ubi fideles alii alios ad Deum colendum et invocandum incitant, frequentare licet. Adde quod Deus, sicuti unus est, ita ut unum in se simus, communibus sacramentis in spem beatæ aeternitatis nos colligit, unoque omnium ore nomen suum vult celebrari. Ergo Davidis exemplo, fallaciis omnibus praeferre discamus locum in Dei ecclesia. Additur ratio cur futurus sit similis oleae frondosae, quia scilicet *speravit in bonitate Dei*, causalem enim particulam subaudio: atque hoc modo antithesin quam nuper attigi prosequitur, quamvis hostes eius virerent, longaeque extenderent suos ramos, procera etiam altitudine superbirent, radicem tamen eorum brevi emarcidam fore,

Calvini opera. XXXI.

quia in Dei bonitate fixa non erat: itaque dum illi arescent, succum et vigorem sibi nunquam defore quia spem suam in Deo reposuit. Porro quia longo malorum tractu confici potuit, nisi fiduciae suae constantiam in longum tempus produceret, diserte exprimit se non praescripsisse Deo certum aliquod tempus, sed aeternitatem spe sua fuisse complexum. Neque enim perare in saeculum potuit quin Deo permitteret liberam mortis et vitae suae potestatem. Ubi perspicimus quid legitimos Dei filios discernat ab hypocritis, nam quum utrique in ecclesia simul permixti sint, sicuti in area triticum paleae mixtum est: alios tamen spes sua in perpetua statione confirmat, alios sua vanitas instar paleae discutit.

11. (*Celebrabo te.*) Psalmum concludit hac gratiarum actione, qua se ex animo et sincere defungi dicit, quia agnoscat hoc esse Dei opus, quod observatu dignum est: quia, ut maligni sunt homines, quamvis ore gratitudinem aliquam testentur, vix tamen centesimus quisque serio Dei beneficia reputat et expendit, ut sentiat ipsum esse auctorem. Statuit ergo David, quod elapsus fuerit e manu Doeg, quod etiam non centies deinde perierit, id fieri non potuisse, nisi protectus esset Dei auxilio: nec se uno tantum die gratum fore promittit, sed perpetuo vel tota vita. Et certe quum in aliis omnibus pietatis officiis Dei filios ad perseverantiam eniti conveniat, hac in parte maxime eos sibi instare necesse est: quia et facile obrepit oblivio, et maior pars etiam, dum se defunctam putat tridui laudibus, statim sepelit quod aeterna memoria colendum erat. Postremo spem suam cum gratitudine coniunctam fore dicit, nam *expectare nomen Dei*, nihil aliud est, quam patienter attendere ad eius gratiam, quamvis sit abscondita, et ab eius verbo pendere, quamvis effectus in longum tempus extrahatur. Et quo meliore animo id faciat, spem suam negat fore irritam, *quia bonum* sit Dei nomen coram fidelibus. Quidam neutraliter accipiunt, quod bonum sit sperare, sicuti Psalmo 118, 8 sed alter sensus, meo iudicio, simplicior est, quod Deus fideles suos nunquam frustretur, quin suam bonitatem illis conspicuam exhibeat. Quamvis ergo incredulis odiosum sit Dei nomen, adeoque terrorem innotiat quoties insonat eorum auribus, quia expertes sunt eius bonitatis, dicit David fideles semper continuis experimentis sensisse quam suave et iucundum sit Dei nomen. *Mansuetos* autem vocari Dei filios, quia humanitate et beneficentia coelestem Patrem referre debeant, diximus Psalmo 16, 3.

PSALMUS LIII.

Quia Psalmus iste idem fere est cum XIV, illino huius interpretatio petatur.

1. Praefecto super Mahalath, erudiens Davidis. 2. Dixit stultus in corde suo, Non est Deus: corruerunt, abominabile fecerunt opus: non est qui faciat bonum. 3. Deus e coelis prospexit super filios hominum, ut videret an sit qui intelligat, qui requirat Deum. 4. Quisque recessit, simul putridi facti sunt: non est qui faciat bonum, ne unus quidem. 5. An non cognoscunt omnes operarii iniquitatis? comedentes populum meum, comedunt panem, Iehovam non invocant*). 6. Illic trepidarunt trepidatione ubi non est trepidatio: quoniam dispersit Deus ossa castramentantis contra te: pudore affecisti, quoniam Deus sprexit eos. 7. Quis dabit ex Sion salutem Israel? ubi converterit Deus captivitatem populi sui**), laetabitur Iacob, exsultabit Israel.

PSALMUS LIV.

ARG. Hoc Psalmo recitat David quas apud Deum preces conceperit, dum se a Zyphaeis proditum intelligens, in praesentissimum vitae discrimen venisset: atque hoc modo invictum fidei suae robur ostendit, quod morte ante oculos posita, Deum tamen invocare non destitit.

1. Praefecto in Neginoth, erudiens Davidis. 2. Dum venerunt Zyphaei, et dixerunt Sauli, Annon David latet apud nos?

2. Davidem saepius quaesisse latebras in illa deserti parte quae vicina erat Zyphaeis, notum est ex sacra historia. Bis vero ab accolis fuisse proditum apparet ex primi libri Samuelis cap. 23, 19 et 26, 1. Hanc temporis circumstantiam non abs re designat, ut sciamus nullis malis unquam fuisse ita fractum, quin spe ad Deum assurgeret. Certe rarae et heroicae fortitudinis specimen fuit, quum hostilibus copiis undique oclusus, quocunque pedem moveret, sibi videret occurrere exitium, non tamen desperatione obrui, sed ex profundis illis tenebris ad implorandam Dei opem emergere. Neque enim precari sic potuit, nisi persuasus foret, tam facile esse Deo, mortuum e sepulcro educere, quam vivum et incolumem in statu suo tueri: quando nihil iam

*) mangeant mon peuple ils mangent du pain, *en marge*: ou n'en font non plus de conscience que de manger un morceau de pain.

**) la captivité de son peuple, *en marge*: ou son peuple captif.

restabat, nisi ut animam in speluncae latebris deponeret.

3. Deus in nomine tuo serva me, et in virtute tua iudica me*). 4. Deus audi precationem meam, ausculta ad sermones oris mei: 5. Quia alieni surrexerunt in me, et formidabiles quaesierunt animam meam: non posuerunt Deum in conspectu suo. Selah.

3. (Deus in nomine tuo.) Quia scimus Davidem tunc omnibus humanis opibus et subsidiis fuisse exutum, subaudienda est antithesis inter nomen ac virtutem Dei, et inter media omnia (ut loquuntur) quibus iuvare solent homines. Etsi enim nihil est auxilii extra Deum, ordinarios tamen modos habet quibus exserat erga nos gratiam suam et virtutem. Ubi autem ita nos destituit, ut nihil auxilii sub coelo appareat, tunc per se ipsum agit. Ergo David, quum in creaturis nihil spei esset residuum, merito ad sacrum hoc asylum confugit, ut sola Dei virtute contentus, miraculo se fore salvum confideret. Caeterum, in secundo membro Deum vindicem advocans, qui causam suam disceptet, hoc modo suam innocentiam asserit. Et sane ut nos Deus tuendos suscipiat, danda in primis opera est ut probe et recte nobis simus conscii: quia nihil magis perversum est, quam temere ad eum invocandum prosilire, ac si malarum causarum esset patronus. David igitur, causae suae bonitate, et probitatis conscientia ad petendam salutem animatur. Neque enim dubitat, dum suam integritatem Dei iudicio examinandam proponit, eum sibi fore propitium, simulque in ulciscenda hostium perfidia et crudelitate, severum fore iudicem.

4. (Deus audi.) His verbis affectus sui vehementiam exprimit. Nec vero dubium est, quum tanta urgeret necessitas, anxie et summo ardore precatum esse: quia fieri non potest quin ex animo aestuante verba prorumpant: idque etiam proximo versu declarat, ubi conqueritur sibi cum barbaris ferisque hominibus esse negotium, quos nulla religio a scelerum audacia cohibet, neque id facit quod monitore opus habeat Deus: sed metus et inquietudinis suae causam referens, in illius sinum curas suas exonerat. Porro sive solos Zyphaeos, nomine *alienorum* intelligat, sive illis coniungat totum Saulis exercitum, mihi videtur immanem eorum barbariem ita perstringere. Multi putant vocari alienos, qui degeneres erant filii Abrahae, et abiecto pietatis studio desciverant in profanas gentium corruptelas. Et fateor Iudaeos saepe extraneos vocari a prophetis, quia impie et scelerate vivendo ab ecclesia Dei se abdicaverint. Sed huius loci mihi videtur diversa esse ratio, nam quum vicinitas hostes quo-

*) me juge, *en marge*: ou fay moy droit.

quo ipsos ad aliquam humanitatem flectere soleat, David ut eorum truculentiam amplifcet, a quibus non minus violenter impetebatur, quam quispiam ignotus, et fere natus in alio orbe, dicit ab alienis in se impetum fieri: significans belluino furore ruere. Quo etiam pertinet secundum epitheton, *formidabiles*. Nam qui Robustos vertunt, nimis extenuant atrocitatem rei. Sensus est igitur, hostes Davidis abiecto omni humanitatis sensu, non secus ac rabiosas feras in eius perniciem ferri. Unde mirum non est eum expavescere, ut trepide sub Dei tutelam confugiat. *Quaerere vero animam* dicuntur, quorum crudelitas nulla mediocri laesione contenta, satiarum non potest nisi morte. Iam quo melius effraenem rabiem exprimat, nullum illis esse Dei respectum dicit: quia hoc solum erat fraenum quo poterant cohiberi, si venisset illis in mentem, sodere mundi iudicem in coelo, ad cuius tribunal semel omnibus reddenda est vitae ratio: excussa vero Dei memoria nullus erat moderationi locus.

6. *Ecce Deus mihi auxiliator, Dominus inter fulciantes animum meum.* 7. *Rependet malum adversariis meis, in veritate tua succide illos.* 8. *Voluntarie*) sacrificabo tibi, celebrabo nomen tuum Iehova, quia bonum.* 9. *Quia ex omni angustia eruit me, et in adversariis meis vidit oculus meus.*

6. (*Ecce Deus mihi adiutor.*) Docet hic versus Davidem non fortuito vota in aërem iecisse, sed precatum esse ex vivo fidei sensu. Et demonstrativum adverbium magnam emphasis continet. Quum iam ne inter feras quidem tuto lateret, ubi ista Dei propinquitas? quum fere in sepulcro demersum obrueret mortis caligo, quomodo Deum praesentem adspicere potuit, et quasi digito monstrare? quum trepidus in singula momenta interitum expectaret, quomodo de praesenti certoque Dei auxilio gloriari potuit? Ergo necesse fuit mira fidei virtute excellere, qua tot obstacula transcendens, ab ipsis inferis usque ad Deum celeriter penetraret. Caeterum, ubi Deum inter defensores animae suae numerat, non simpliciter intelligit unum esse ex illis: quia parum tribueret honoris, eum locando in hominum gradu: ac praestaret nullam eius fieri mentionem, quam ita in ordinem cogere, sed potius significat Deum stare ab eorum parte quibus curae erat ipsius salus, qualis erat Ionathan,* et similes. Quum vero illi et numero pauci essent, et debiles, et timidi, hac tamen fiducia se sustentat, quod Deo praeside et direttore futuri sint omnibus impiis fortiores. Forte etiam alludit ad suam nuditatem. Nam (quia omnium mortalium ope destituebatur)

potest ita resolvi loquutio haec, ac si dixisset, unius Dei fulturam sibi pro innumeris sufficere.

7. (*Rependet malum.*) Quia verbum ישיך tandundem valet ac, Redire faciet, non modo videtur poenam minari, sed speciem poenae simul notare: quod Deus prava eorum consilia, malignas artes, et improbos conatus in eorum capita retorquebit. Etsi autem non improbo eorum sententiam qui optative accipiunt verbum futuri temporis, magis tamen placet proprium sensum retinere, ut David, quasi voti compos, secure quod precatus est exspectet. Et saepe videmus (quo acrius se stimulet ac perseverandi studium erigat) eum talibus sententiis interpositis precandi contextum abrumpere, quare nihil absurdi si votis suis sententiam hanc permisceat, Deum fore iustum ultorem, qui mercedem rependat impiis et sceleratis. Iam ad spei confirmationem hoc non parum valet, Deo *suam veritatem* produci in medium: quia nisi in tentationum procellis fixa maneret persuasio, Deum, qui salutis nostrae curam sibi vindicat, esse veracem, neque inanibus verbis suos lactare, quoties auxilium suum differt ac suspendit, labascere mentes nostrae. Non temere igitur David spem impetrandi in eo locat, quod Deus non magis fidem suam abnegare potest, quam se ipsum.

8. (*Voluntarie sacrificabo.*) Suo more promittit se, ubi fuerit liberatus, gratiae Dei memorem fore. Nec dubium est quin promittat, simulac data fuerit facultas, solennes se Deo gratias acturum. Etsi enim interiore affectu contentus est Deus, non debuit tamen David ritus in lege praescriptos negligere. Ergo sacrificiis accepti beneficii memoriam testatus est, ut ferebat commune piorum officium, ut suo quoque exemplo alios excitaret. Se vero hoc liberaliter facturum dicit, non modo quia pro suo arbitrio cuique liberum erat sacrificia gratiarum actionis offerre, sed quod libenter et alacri animo, periculo iam defunctus votum suum solvet. Scimus enim maiorem mundi partem, ubi aliqua necessitate constringitur, satis large polliceri se fore in Dei obsequio: mox vero ubi quisque elapsus est, revolvi ad suum ingenium, Deique gratiam oblivisci. David ergo spontanea sacrificia vovet, ut se ab hypocritis discernat, qui non nisi serviliter et metu coacti Deo se subiiciunt. Discamus itaque ex hoc loco, quoties prodimus in Dei conspectum, liberales afferre animos, si cultum nostrum cupimus ei probare. Posterius membrum cum ultimo versu ad tempus laetum et tranquillum referri debet. Quamvis enim totum Psalmum post liberationem composuerit, hactenus tamen recensuit qua precandi forma usus esset adhuc in ipso discrimine laborans: nunc omni anxietate solutus ac liber, novam gratiarum actionem subiungit, ac fieri potest ut uno exemplo admonitus, plura Dei beneficia quae diversis temporibus erat

*) volontairement, en marge: ou d'un franc courage.

expertus, quasi in fasciculum collegerit: ideoque generaliter pronuntiat *nomen Dei esse bonum, et se ereptum ab omni angustia*. Quid sibi velit istud Videre, alibi diximus Psalmo 35. Notat enim haec loquutio suavem et incundum adspectum. Si quis autem roget an filiis Dei liceat, quum Deus scelera ulciscitur, tale spectaculum cupide expetere, responsio facilis est, modo puri sint oculi, pie et sancte oblectari iustitiae Dei testimoniis: sed ubi prava aliqua libidine tanquam macula infecti sunt, in vitiosum et perversum finem omnia trahere.

PSALMUS LV.

ARG. Etsi multi interpretes Psalmum hunc ad conspirationem Absalom referunt, qua David e regno pulsus trepide in desertum profugit: magis tamen probabile est, quum a Saule redactus esset in extremas angustias, de iniusta eius saevitia conquestum coram Deo fuisse. Est enim lamentabilis precatio, magnoque affectum fervore plena, in qua circumstantias omnes colligit, quae Deum ad misericordiam moveant. Votis tamen conceptis, et exposito suo dolore animum ad spem liberationis erigit: et quasi iam adeptus quod optavit, gratiam Dei praedicat.

1. Praefecto in Neginoth, erudiens Davidis. 2. Ausculta Deus precationem meam, et ne te abscondas ab oratione mea. 3. Attende ad me, et responde mihi: plangam in sermone meo, et tumultuabor. 4. A voce inimici coram afflictione impii: quia devolvunt super me iniquitatem, in ira adversantur mihi.

2. (Ausculta Deus.) Ex his verbis liquet, Davidem, quum preces has concepit, constrictum fuisse summo dolore. Neque enim mediocre aliquid incommodum, aut vulgaris molestia animum sancti viri heroica virtute praeditum tantopere perculissent. Gravis ergo necessitas planetum et tumultum ei extorsit. Nam quod verbum *אֶרְאֶה* quidam vertunt, Dominabor, contextui prorsus repugnat, neque enim iactat David fortitudinem, qua sermoni suo imperet: sed calamitatem suam deplorans, ut se miserabilem faciat, dicit se compelli ad tumultuosos clamores. Quod deinde sequitur *a voce inimici*, tametsi bene cohaeret cum proximo versu, potest tamen cum verbis illis contexi: Ausculta et ne te abscondas, nisi forte malis extendere ad totum contextum. Per vocem putant notari strepitum qualis solet esse in hominum turba: ac si dixisset hostem suum magnis copiis instructum venire. Sed ego minas potius intelligo: quia non dubium est quin Saul, ut caedem innoxii prophetae animo spirabat, sic etiam ore subinde creparet. Quod etiam *devolvere iniquitatem* accipiunt pro onerare vel gravare falsis criminibus hominem insontem et nihil tale meritum, videtur

nimis argutum esse, et a contextu dissentaneum. Coharet cum hac loquutione posterius membrum, *in ira adversantur mihi*. Ergo devolvere iniquitatem, meo iudicio, nihil aliud est quam iniuste irruere in perniciem miseri hominis, et quidvis machinari ad eum opprimendum. Nisi forte distinguere sic placeat inter haec duo membra, ut *in furore adversari* sit palam et violenter grassari ad hominem perdendum: *Devolvere iniquitatem* sit fraudibus et insidiis pugnare. Ita *אֶרְאֶה* occulta malitia erit. *Afflictio impii* active sumitur pro iniusta oppressione quam infert. Atque impii nomine infamat hostem suum, non tam eius accusandi causa, quam integritatis suae testandae. Nam hoc in persecutionibus, magnum solatium est, sibi bene esse conscium, neque sua culpa, sed gratis provocari: quia tunc quoque sperandum est levamen a Domino, qui se miseris omnibus patronum et defensorem fore pollicitus est.

5. Cor meum contremiscit intra me, et terrores mortis ceciderunt super me. 6. Timor et tremor venerunt in me, et operuit me horror. 7. Et dixi, Quis dabit mihi alas sicuti columbae? volabo et requiescam. 8. Ecce elongabo transmigrationem,*) quiescam in deserto. Selah. 9. Accelerabo liberationem mihi,**) a vento excitato a turbine.

5. (Cor meum.) Hinc iam clarius liquet quam diros cruciatus pertulerit David. Certe non effeminatus quispiam vel mollis loquitur: sed qui iam multa constantiae documenta praeberat. Nec tamen hic tantum de atrocibus hostium iniuriis conqueritur, sed se opertum terroribus et obrutum dicens, cor sibi non esse saxum fatetur. Hinc quidem colligitur certaminum magnitudo. Discendum tamen simul est, ubi durius servos suos exercet Deus, nullam esse tantam fortitudinem quae non labascit, quum nobis bene est, quisque sibi videtur invictus miles: sed ubi serio et consertis manibus pugnandum est, palam se prodit nostra infirmitas. Hac vero occasione Satan astute nos ad desperationem sollicitat et impellit: ac si Deus, subducto spiritus sui auxilio, se curam salutis nostrae abicere ostenderet. Hoc igitur exemplum observatu dignum est, quod David circumdatus ingenti malorum congerie, simul etiam intestinum cum timoribus suis certamen habuerit, nec sine lucta et violento conatu emergerit ad invocandum Dei nomen. Et *terrores* vocans *mortiferos*, ostendit, nisi suffultus esset virtute Dei, sibi protinus fuisse succumbendum.

*) j'allongeray la fuyte, en marge: ou ie m'enfuyray bien loing.

**) ie hasteroye delivrance, en marge: ou me hasteroye de m'eschapper.

7. (*Quis dabit mihi.*) His verbis non modo significat nullum sibi effugium patere, sed miserum statum suum deplorat, quod nihil exilio melius appetere iam queat: non quale hominibus conceditur, sed perinde ac si columba procul in desertum aliquem angulum evolet, denique intelligit se nonnisi miraculo elabi posse. Deinde non fore locum exilii inter homines, sed eo se redactum, ut deterior sit sua conditio quam aviculæ cuiuslibet. Quod *columbam* nominari quidam putant potius quam alias aves, quia pernici volatu excellit: nescio an satis firmum sit. Longe ineptius est quod garriunt Iudaei, alam poni in singulari numero, quoniam una tantum ala volitent columbae: quum numeri mutatio passim trita sit in scripturis. Haec potius similitudinis ratio est, quod David effugere cupiat hostium suorum saevitiam non secus ac columba, quæ meticulosa est et imbellis, accipitrem fugit. Unde colligimus in quas angustias coniectus esset qui regni promissi oblitus, trepide tantum de ignominiosa fuga cogitet, ac relicta patria, extra hominum consuetudinem alicubi in deserto latere paratus sit. Atque huc pertinet quod addit, ut furori hostium cedat, se migrationem longinquam non recusare: nec se inducias quaerere, vel tempus trahere, quemadmodum solent quibus aliquid spei vel solatii adhuc residuum est. Voces autem sunt hominis desperati secundum carnis sensum. Unde colligimus quam diros cruciatus senserit quum paratus omnibus renuntiare, ne hoc quidem modo vitam redimeret. Itaque non mirum est in istis anxietatum tormentis cor eius letali moerore penitus fuisse vulneratum. סער quidam Tempestuosum vertunt, et certe procellosus ventus hic notatur quem excitat turbo. Sed quum dicitur motus a turbine, paraphrasis est impetuosus venti ac turbulenti qui ad celerem fugam compellit viatores, donec tectum vel latebras reperiant.

10. *Perde Domine, divide linguam ipsorum: quia vidi vexationem et rixam in urbe.* 11. *Die et nocte circumdant eam super muros eius, et labor et molestia in medio eius.* 12. *Pravitates in medio eius, et non discedit a plateis eius fraus et dolus.*

10. (*Perde Domine.*) Hic collecto animo rursus se ad Deum invocandum convertit: alioqui stultum fuisset, sine profectu querimonias in aërem spargere: sicuti profani homines hoc inani solatii genere non tam se exonerant quam fatigant. Miscet quidem precibus suis sancti confusos vel inordinatos gemitus, sed tandem ad orandi fiduciam se revocant. Quod autem *linguam eorum scindi* vel dividi optat, in eo videtur alludere ad poenam Babylonis inflictam. Summa est, ut Dens subitis dissidiis abrumpat impia consilia, et nefarias conspirationes dissipet.

Sed memorabile illud specimen oblique commemorat, quo semel testatus est Deus in suo arbitrio esse, mutuum inter sceleratos et improbos communicationem tollendo, frangere eorum vires ac conatus. Sic quotidie perversas factiones discindit, dum inter se committit ecclesiae hostes, ut alii aliis invident, laborent diffidentia, ferantur in contrarios affectus: et dum quisque dominari cupit, nec sustinet aliis oedere, se ipsos ultro enervent. Porro ad exorandi fiduciam, quanta sit hostium improbitas et malitia recenset, quia semper tenendum est principium illud, Quo insolentius ruunt homines ad peccandum, propius instare Dei vindictam quæ eorum furori occurrat. Ergo ex effraeni hominum licentia propinquum sibi fore Dei auxilium colligit David: quia Dei proprium est superbis resistere, humilibus autem dare gratiam, Iacob. 4, 6. Primo affirmat se non temere imprecari hostibus: quia expertus sit esse iniuriis, vexationibus, et molestiis deditos. De urbe frustra, meo iudicio, laborant interpretes, fueritne Ierosolyma an Ceila: quia videtur alio sensu nomen urbis posuisse David, quod scilicet passim et in publico regnaret nocendi laedendique audacia. Subest enim tacita inter urbem et occultos recessus antithesis: ac si dixisset, sine pudore invaluisse rixandi morem, et quotidiano usu non secus esse receptum, ac communes urbis leges. Etsi vero metropolim regni notari probabile est, vel saltem in qua habitabat Saul: nihil tamen impedit quominus ad totum populi statum communiter hoc extendere liceat. Teneo tamen quod iam dixi, nomen *urbis* indefinite esse positum, quo ostenderet David non secus in publico grassari licentiam peccandi, quam latrones in silvarum latebris homines spoliant. Eodem pertinet quod sequitur in muris excubare hæc vitia. Nam quum muris cingantur urbes, ut a rapinis et violentis incursibus tutæ sint, inversum naturæ ordinem deplorat David, quod loco munitionum, rixæ et oppressiones urbem circumdant, vel per circuitum occupant muros. De vocibus און et עמל, alibi dictum fuit. Fontem quoque designat, *pravitates in medio eius* habitare dicens, *dolum et fraudem in plateis regnare*. Fieri enim non potest, ubi fraudandi cupiditas, et improbae perversaeque artes locum obtinent, quin ad praedandum et rapiendum, ad vexandos simplices et quietos prosiliant qui se impune id facturos vident. Breviter, politiae bene compositae, foedam et detestabilem quæ sub Saule passim erat, אַזאַלן opponit, ac si diceret, omnem illius iustitiam, omnem ordinem, omne recti honestique studium exsulare. Quod sive de una tantum urbe, sive de pluribus dictum sit, potenti certe loco habendum est, in tam crassas corruptelas fuisse progressos, qui se iactabant sacrum Dei populum, ut eorum urbes essent quasi latronum spoliaria.

Interea tenendum est, urbes ita vitiatas, et pravis moribus imbutas, non solum imprecatione Davidis, sed spiritus sancti iudicio in aeternum exitium devoveri.

13. *Certe non inimicus opprobrio me affecit, nam sustinuissem:*) non adversarius magnificatus est super me, nam me abscondissem ab eo.**)* 14. *Tu vero homo secundum ordinem meum, dux meus et familiaris meus.* 15. *Qui simul suaviter fruebamur secreto, in domum Dei ibamus in societate.* 16. *Sit mors exactrix super eos, descendant in sepulcrum vivi: quia malitiae in habitaculo eorum, in medio eorum.*

13. (*Certe non inimicus.*) Exaggerat iniuriarum atrocitatem, eo quod non solum professi hostes molesti essent, sed etiam fucati et perfidi amici: crescit enim indignitas, ubi perniciem nobis moliuntur qui iuvare debuerant. Sed quia male exponitur verbum *אָפּפּרױבן*, ac si diceret David se patienter latum fuisse si probrum intulisset apertus hostis: monendi sunt lectores, potius eum conqueri quod sibi ab occultis insidiis cavere non potuerit. Ego enim repetitionem expendo, *tulissem, et abscondissem me, vel delituisset.* Ferre igitur hoc loco, non tolerare significat, sed potius ictum elevando repellere: quod gallice dicimus, *J'eusse reçu le coup.* Nam quum ad cavendos hostes intenti simus, perfidi homines ad laedendum facilius penetrant, simulatae amicitiae praetextu. Dicit igitur non fuisse hostem, cuius ictum excipere poterat vel sustinere: non fuisse adversarium, a cuius noxa deflectere poterat. Quod *magnificandi* verbum quidam accipiunt pro verbis insultare: meo iudicio nimis restrictum est, tantundem enim valet ac violenter se efferre, vel exurgere contra aliquem nocendi causa. Conqueritur in summa David, se clandestinis artibus fuisse oppressum, quibus nullam defensionem opponere potuit. Quem vero hic perstringat incertum est. Ut eorum sententiae subscribam qui volunt esse Achitophel, adduci nequeo: quia totus contextus in persecutionem Absalom non competit. Quod alii putant proditorem aliquem notari ex urbe Ceila, in medio relinquo. Quanquam non minus probabile est, unum ex aulicis proceribus accusari, cuius sancta cum Davide coniunctio et familiaritas vulgo nota esset. Nisi forte quis ad plures extendere hoc malit: sicuti facile conicere licet non unum duntaxat fuisse foedifragum, sed ut quisque honore pollebat, ne regis gratiam amitteret, sancto prophetae fuisse infestum. Nihil ergo impedit quo minus primarios ex regia cohorte una cum capite

suo hic compellet. Ubi autem videmus Davidem non modo fuisse vi aperta oppugnatum, sed etiam malitiose proditum ab amicis, in eius persona nobis depingitur piorum omnium conditio, ut quisque nostrum ad subeundum hoc duplex certamen paratus sit. Non enim gladiis tantum et caedibus ecclesiam Dei Satan infestat, sed subornat etiam hostes domesticos qui eam per insidias et fraudes adorantur. Quod genus hostium, (ut dicit Bernardus) neque fugere neque fugare datur. Quisquis autem hic fuerit, primo David eum vocat *hominem sui ordinis*, sic enim *רֵעִי* interpretor, quia nomen aestimationis non convenit: sive passive sumatur pro aequalitate, sive active pro ipsius Davidis iudicio, sicuti quidam vertunt: Tu eras aequalis meus: alii autem: Perinde fuisti a me reputatus atque alter ego. Hoc autem optime quadrat quod David queratur, mutuae societatis vinculum, quo Deus homines inter se copulat, fuisse abruptum. Sicuti enim eadem statio milites in castris consociat, ita in omnibus vitae partibus aequum est ut necessitudo et communis usus, commune etiam officium, amicitiam inter homines conciliet. Ergo quum ad munus aliquod duo simul vocantur, Deus eos quasi suis auspiciis coniungit, ut fraterne mutuo se invent. Crimen ergo proditoris hac circumstantia augeat David, sicuti etiam quum *ducem* suum vel praefectum nominat. Tertio quum exprobat quod secreto communicaverint cum summa dulcedine. Postremo quod simul celebraverint sacros conventus. Nam *רַגְשׁוֹ* *raghes* societatem hoc loco potius significat; (ac si diceret, se huic perfido amico fuisse proximum comitem) quam ad turbae strepitum referri debeat. Caeterum hoc ultimo membro conqueritur proditum se fuisse ab eo homine, quo non solum in terrenis negotiis, sed etiam in Dei cultu, socio atque etiam magistro usus fuerat: quum tamen religio sacratissimum sit humanae coniunctionis vinculum. Interea sciamus damnari a spiritu sancto eos omnes qui sacra naturae foedera violant quibus erant inter se devincti. Quaedam est totius humani generis societas: sed quo quisque propius ad nos accedit, eo sanctiore vinculo nobis est coniunctus. Nam principium, quod profanis hominibus incognitum fuit, nobis tenendum est, non fortuito, sed Dei providentia fieri, ut vicinitas, cognatio, vocatio communis, homines ipsos inter se consociet. Sacratissimum autem est pietatis foedus.

16. (*Irruat mors.*) Iam contra totam factionem invehitur, neque tamen promiscue sub hac imprecatione totum populum involvit, sed duces vel antesignanos qui nulla de causa scelestae eum persequerentur. Diximus autem alibi Davidem non ita fuisse hostibus suis imprecatum caeco vel pravo affectu: quia non privatam, sed Dei causam agebat, et moderatorem habebat illius spiritum. Non fuit

*) ie l'eusse porté, *en marge*: ou reçu et soutenu le coup.

**) ie me fusse caché de luy, *en marge*: ou donné garde.

igitur votum hoc vel turbidi et inconsiderati zeli, vel iracundiae, ne quis sibi exemplo Davidis licere putet, simulac laesus fuerit, diras et maledictiones evomere: quia si nos agat vindictae cupiditas, perperam sanctum prophetam aemulabimur, qui sincero et composito zelo hic Deum vindicem implorat contra reprobos qui iam aeterno exitio devoti erant. Quod verbum *et* quidam vertunt condemnet, coactum est: sicut etiam quod aliis placet, mortem exactricem constituat, ego quod simplicius erat elegi. Libenter autem recipio quod annotant quidam, ubi optat vivos in sepulcrum descendere suos hostes, alludere ad poenam Corae, Dathan, et Abiron, eorumque factioni infligam, Numer. 16, 31: etsi mihi videtur ideo subitum et inopinatum mortis genus ponere, quia sua opulentia tutos se a morte fore putabant: ac si diceret David: Domine, quoniam sua potentia excaecati non amplius reputant se esse ex ordine mortalium, fac ut terra vivos deglutiat: hoc est, ne quid impediatur quominus ad poenam qua digni sunt, cum suo fastu trahantur. Causae redditio iterum ostendit Davidem non tam in personas hostium suorum ferri, quam poenam denuntiare improbis omnibus qui Dei ecclesiam iniustis molestiis affligunt. *Malitiae*, inquit, *in tabernaculis ipsorum*, ac si diceret, Ubicumque domicilium sibi eligant, illic habitare multas pravitates. Quod postea melius exprimit, dicens residere *in medio eorum*, quod tantundem valet atque intus ab ipsis foveri, ideoque individuas esse comites, vel in eodem contubernio manere.

17. *Ego ad Deum clamabo, et Iehova servabit me.* 18. *Vespere, et mane, et meridie orabo et strepitum edam: et audiet vocem meam.* 19. *Redemit in pacem animam meam a proelio quod mihi erat: quoniam in multis fuerunt mecum.* 20. *Audiet Deus, et affliget eos,*) et qui sedet ab initio, Selah, quia non sunt mutationes ipsis: et non timent Deum.*

17. (*Ego ad Deum clamabo.*) Retineo futurum tempus in verbis, quia non tam refert quid egerit, quam se ipsum animat et hortatur tam ad precandi studium, quam ad spem et fiduciam. Quamvis ergo nullum effugium pateat, ut nihil propemodum a mortuo differret: profitetur tamen se finem precandi non facturum, et sibi successum promittit. Proximo versu perseverantiam sibi expressius iungit, neque enim satis erat uno verbo dixisse, orabo: quia idem perfunctorie faciunt multi qui mox fatiscunt. Primo autem notatur assiduitas, deinde vehementia. Et quod *mane, vespere, et meridiem* nominat, colligere licet statas fuisse piis

horas ad precandum istis temporibus. Nam quum mane et vesperi quotidie sacrificia offerebantur in templo, quisque admonebatur privatim quoque domi suae esse orandum. Medium tempus aliis sacrificiis destinatum erat. Iam quia sumus aequo tardiores ad orandum, nisi quisque se ipsum sollicitet ac urgeat, praecipuum hoc pietatis officium apud nos frigebit, adeoque obrepet precandi oblivio, nisi nos fraeno aliquo retineamus. Deus ergo certas horas praefigens, infirmitati nostrae mederi voluit: quae eadem ratio transferri debet ad privatas preces, sicuti patet ex hoc loco: cui etiam respondet Danielis exemplum, 9, 3. Quanquam autem hodie abolita sunt sacrificia, quia tamen ab ea pigritia quam talibus adminiculis expergefieri olim necesse fuit, non sumus immunes, communis nobis cum patribus est ratio, ut singuli nostrum certas sibi horas praescribant, quas non patiantur sibi elabi absque precibus. In verbo *tumultuandi*, ut diximus, notatur fervor: quod tanquam summae aegritudinis et valde anxii metus signum posuit David. Neque enim sonitum vel clamorem edidit nisi quem anxietas animi vel moestitia extorquebat. Testatur igitur nullos cruciatus vel dolores sibi fore obstaculo quominus suas querimonias ad Deum dirigat, et spem salutis fixam ac firmam foveat in corde suo: quia certo persuasus sit, vota sua a Deo exauditum iri.

19. (*Redemit in pacem.*) Qui duos superiores versus in tempore praeterito legunt, videntur aliqua ratione niti, ac si David hic probaret se fuisse exauditum, quia redemptus fuerit, sed hoc facile diluitur, vel quod de salute sua persuasus, gloriatur se salvum esse: vel quod diversas meditationes permisceat: sicuti soimus votis interdum adiungi narrationem eventus qui sequutus est. Postquam ergo narravit suas preces, profectum quoque addit, ut pro liberatione gratias agat. Dicit autem se redemptum fuisse in pacem, vel ad pacem: quia ultimo discrimine oppressus, eam non nisi singulari miraculo adeptus sit. Quod postea sequitur, *in multis fuerunt mecum*: duplicem sensum admittit. Quidam de hostibus exponunt: ac secundum eos, *mecum* tantundem valet ac contra me. Ita confirmatio esset redemptionis de qua nuper loquutus est: quod ingenti hostium turba obsessus, nonnisi admirabili Dei gratia salvus evaserit. Alii de angelis intelligere malunt, quos scimus turmatim pro nobis pugnare, ut castra locant in circuitu timentium Deum. Literam vero *et*, ut saepe alias, supervacuum esse putant, ac si dixisset simpliciter, multi fuerunt mecum. Atque hic posterior sensus doctrinam continet plenam consolationis, quod Deus, licet alienis subsidiis non indigeat, infirmitatis tamen nostrae causa multis adiutoribus ad salutem nostram utatur. Sed forte aptius erit ad hostes referre, ut

*) les affligera, en marge: ou leur respondra.

David eorum multitudinem commemorans, liberatricem potentiam magis inde extollat.

20. (*Audiet Deus.*) Quia verbum ענה testificari interdum significat, sic quidam accipiunt: Deus ex adverso testis contra eos exsurget. Sed nescio an syntaxis patiatur: quia ubi de contestatione agitur, Hebraei addunt literam נ. Ego vero non dubito quin David verbum hoc posuerit pro affligere, in ambiguitate tamen quasi ironice ludens, nam ut plurimum ענה Hebraeis significat respondere. Dixerat autem, *Audiet Deus*: quod ad suam personam haud dubie refert. Nunc ergo addit se fuisse exauditum, ut Deus vindex exsurgeret in hostibus eius affligendis. Simul Deum epitheto ornat, ex quo non parum solatii pie mentes sentiunt in rebus turbulentis ac confusis. Unde enim tantus impatientiae fervor qui nos praecipitat, nisi quia ad Dei aeternitatem mentes non attollimus? Atqui nihil magis perversum, quam mortales homines, qui singulis momentis instar umbrae diffiunt, Deum sensu suo metiri: quia hoc modo eum ab aeterno solio detractum variis mundi inclinationibus subiiciunt. (*Quia non mutationes.*) Quia הלה tam excindere quam mutare significat, quidam putant Davidem conqueri quod Deus nimis diu eorum interitum differat, qui subita poena digni erant. Sed quomodo hoc conveniat non video, melius ergo alii *mutationes* vertunt. Quanquam hic quoque variant interpretes. Quidam enim ita intelligunt, quod nulla conversio in melius speranda sit, quia perdita sit eorum obstinatio adeoque sint addicti suae malitiae, ut ad poenitentiam sint inflexibiles, ac nativa quaedam crudelitas eorum animos occupet, ne ad misericordiam vel humanitatem unquam inclinent. Rectius alii exponunt sub querimoniae specie hoc dici, quod continuo tenore fluat eorum prosperitas, ac si non essent communibus incommodis subiecti. Tanta vero Dei indulgentia eos corrumpi dicit, ut omnem metum exuant ac si immunes forent ab omnium hominum sorte. Hoc modo copula hebraica illationem valebit: Non sunt mutationes, ideoque non timent Deum. Et certe quo diutius torpent in suis deliciis, in malitia quoque magis obdurescunt: et ubi dominatur superbia, quamdiu Dominus nobis parcit, non revocamus in memoriam nos esse homines. Oblique vero perstringit eorum amentiam qui se imaginantur quasi semideos, quia rebus adversis non subiaceant ut reliqui, quantum enim humanae vitae curriculum est, si ad aeternam Dei sessionem conferatur? Sedulo igitur cavendum ne rebus prosperis obrepant nobis securitas, quae etiam contra Deum exsultet.

21. *Misit manus suas in paces suas,*) violavit foedus suum.* 22. *Lenia prae butyro verba oris eius, et cor eius proelium: dulces sunt sermones eius prae oleo, et ipsi iacula.* 23. *Proiice super Iehovam tuum dare,**) et ipse te pascet: non permittet in aeternum mutationem iusto,***)* 24. *Tu Deus proicies eos in puteum corruptionis: homines sanguinarii et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem superabo in te.*

21. (*Misit manus.*) Quoniam paulo post in plurali numero loquetur, probabile est, antequam ad turbam descendat, perstringere autorem et caput impiae conspiracy. Obiicit autem quod bellum intulerit in media pace, atque hoc modo fidem violaverit. Quibus verbis eum perfidiae accusat, quod neque laceratus iniuria, neque bello legitime indicto, vim et arma ex inopinato intentaverit. Longe enim sceleratior est qui foederatos suos sine causa adoritur, quam qui suas iniurias aperte et ingenue vindicat. Quod fusius deinde prosequitur, dicens butyrum et oleum esse in labris eius, quum tamen proelium sit in corde, et ipsi quoque sermones sint iacula. Tametsi enim nihil praeter dulcedinem primo gustu saperent, occulta tamen virulentia non secus ac gladio vel spiculis vulnerabant: velut proverbio dicitur, fallaces homines venenum melle illitum ore gerere. Ac crudelitas ex corde manans illic quoque se exerebat. Porro scimus Saulem saepe blandis verbis omnia fuisse pollicitum: imo adulatum esse Davidi, ut eum in suas nassas alliceret, nec dubium quin eandem vafritiem sequuti sint aulici. Et certe hoc peculiare est certamen filiis Dei, ut illecebris deceptos astuti homines contentur in perniciem illaqueare. Sed interea spiritus sanctus omnes obliquos astus damnans, praesertim fallaces blanditias, eos ad simplicitatem colendam hortatur.

23. (*Proiice super Iehovam.*) Quia verbum דר Hebrew dare significat, ratio grammaticae postulat ut דר hoc loco vertatur *tuum dare* vel *donum*, et si autem maior pars interpretum diversum sensum probat, nullam tamen rationem affert ut verti debeat, *Onus tuum*. Nusquam enim verbum דר pro onerare sumitur: et quod nomen inde deductum, onus significet, nullo exemplo constat. Unde apparet, quia illis dura et absurda erat loquutio, *proiice donum tuum super Iehovam*, necessitate compulsos sensum illum excogitasse. Pia quidem sententia est, curas omnes et molestias quibus gravamur, in Dei sinum exonerandas esse, quia nullum aegris animis levandis aliud remedium est

*) ses paix, *en marge*: ou ses alliés et gens qui vivoient paisiblement avec luy.

**) ton don, *en marge*: ou ta charge.

***) que le iuste chancelle, *en marge*: ou tombe.

quam si in Dei providentiam recumbant. Quia tamen nullum occurrit simile exemplum in scripturis, libenter alteram sententiam amplector, quae utilem, et valde uberem in se doctrinam continet: siquidem dare nostrum accipimus passive pro beneficiis omnibus quae nobis a Deo conferri expetimus. Huc itaque tendet exhortatio, ut curam eorum omnium quae nobis usui sunt Deo resignemus. Neque enim satis est a Deo petere ut necessitatibus nostris succurrat, nisi etiam petitiones nostrae et vota in eius providentiam recumbant, quia plerosque videmus tumultuose precari: et dum sine modo laborant vel solliciti sunt, Deum ad suas leges velle adigere. Quare non frustra David modestiam hanc in precibus commendat, ut fideles eorum quae postulant curam remittant Deo, nec enim aliter corrigi potest nimiae festinationis vitium, quam si Dei arbitrio subiicimus quid nobis concedi oporteat. Qui vero exponunt: Agnosce Deum tibi hactenus tot bonorum fuisse autorem, ut de eius liberalitate adhuc sperare debeas: nimis longe recedunt a genuino sensu. Sive autem David alios hortetur, sive se ipsum compellet, parum interest, quanquam mihi probatur, suo exemplo communem piis omnibus doctrinam ipsum praescribere. Quod proxime subiicit, *ipse te pascet*, optime doctrinam illam confirmat quam exposui. Nam quia multis subsidiis indiget vita nostra, semper fere sumus inquieti et fluctuamus. David autem promittit Deum fore pastoris loco, qui necessitates nostras curae habeat, nobisque suppetat quaecunque usus noster flagitabit. Addit postea non passurum ut iusti unquam labantur: vel perpetuo nutent. Nam si *יָדָה* pro lapsu accipias, sensus erit: Stabiliet Deus semper iustum, ne in aeternum labatur, quem sensum tametsi non improbo, magis tamen inclino in alterum. Videmus enim ad tempus nutare iustos: et dum agitantur huc et illuc quasi variis procellis, prope labascere. Quia autem nihil miserior est quam ita inter continuos aestus versari, finem tandem fore promittit David, quia Deus passurus non sit ut semper anxietatibus obnoxii sint, vel periculis et curis concutiantur, sed daturus sit tranquillum statum.

24. (*Et tu Deus.*) Iterum ad hostes suos redit, ut discrimen ostendat inter suum et illorum exitum. Nam quum ad tempus quasi victores exsultent, pii autem iaceant proiecti sub eorum pedibus unum hoc solatium restat, ut quietem sibi paratam esse confidant, qui trepidantes inter multa discrimina vix se sustinent: fide etiam speculantur quod hostibus suis impendat iudicium. Quod ad verba spectat, quia ponitur nomen *putei*, et additur *קֶבֶר* quod sepulcrum significat: improprie autem dictum esset, trahendos esse in puteum sepulcri: ideo multi interpretes etymologiam vocis hebraicae (deducitur enim a *קָרַח*, quod est corrumpere, vel perdere)

Calvini opera. Vol. XXXI.

potius sequuntur, ac vertunt, Foveam corruptionis. Quia ad summam rei parum interest utrumvis eligas, in medio relinquo: significat enim David, non temporalem modo cladem instare suis hostibus, sed aeternum interitum. Atque ita eos a fidelibus discernit, qui et ipsi merguntur saepe in profundas malorum foveas, ex quibus postea resurgunt: sed letalem hostium suorum ruinam David fore pronuntiat, quia Deus in sepulcrum eos deiciet ubi putrescent. (*Viri sanguinarii.*) Generali ratione confirmat quod dixit. Nam quum certa Dei ultio crudeles et dolosos omnes maneat, hostes suos (quorum saevitiam et dolos erat expertus) illam effugere non posse colligit. Atqui reclamatur experientia. Tyrannis enim nihil est magis sanguinarium, qui totum genus humanum pro sua libidine caedibus addicunt. Vivet autem tyrannus ad senectutem usque qui trecenta hominum millia occiderit, et tales diserte notat David, non autem vulgares sicarios. Respondeo, quamvis non ita subito poenas Deus semper exigit, multis tamen documentis planum fieri quod hic dicitur. Satis autem est temporales poenas ut plurimum conspici: nec praecise exigendus est in illis aequalis modus, sicuti Psalmo 37 fusius disserui. Deinde utcunque scelerati homines vitam longius producant, agere tamen trepidam et inquietam vitam, ut versentur in umbra mortis, et proprie loquendo, vitam minime vivere. Quum vero omni morte deterior sit vita quae sic maledicta est a Domino, in rationem venire non meretur: praesertim ubi mala conscientia suis tormentis, tanquam saevissimus carnifex, eos excruciat. Et certe si probe reputamus quid sit iustum vitae cursum peragere, non alii ad metam perveniunt, quam qui Deo vivunt et moriuntur: quia illis solis tam mors quam vita lucrum est. Atque haec valde tempestiva est consolatio, quoties improbi vel gladio vel fraudibus nos oppugnant, non diu victuros, quia quasi repentino turbine Deus ipsos abripiet: ac discutiet, tanquam nebulas, eorum conatus, quibus videntur totum mundum perdituri. Clausula quoque Psalmi admonet iudicium hoc non nisi fide et patientia cerni: quia David salutis suae custodiam in spe reponit. Unde colligimus, non ita mature e medio tolli impios, quin diuturnis iniuriis ad taedium usque nos exerceant.

PSALMUS LVI.

ARG. Psalmus hic partim querimonias precibus miscet, partim dolorem mitigat, gratiae Dei meditatione. Nam auxilium Dei contra saevitiam Saulis et hostium suorum implorans David, de successu gloriatur: fieri tamen potest ut iam defunctus periculo istam gratiarum actionem addiderit.

1. *Praefecto super columba muta in remotis Davidis Michtham, quum apprehendissent eum Philistini in Gad.*

1. Historia cuius meminit inscriptio habetur priore libro Samuelis, capite vicesimo primo. Nam quum nulla iam in latebris omnibus quies esset, coactus est tandem fugere ad regem Achis. Quamquam hic se dicit fuisse comprehensum in itinere: et ex sacra historia idem colligere licet, ubi dicit Achis: Ecce vidistis hominem insanum, ut quid introduxistis eum ad me? Et probabile est, fuisse suspectum ac si esset proditor, vel aliquid machinaretur. Etsi autem mortis discrimen stultitiae dissimulatione effugit, hic tamen satis declarat, se composita mente constanter invocasse Deum, ut fides sub illa infirmitate occulta virtutem suam coram Deo exsereret. Non fuit igitur talis animi perturbatio quae eum ad illicita media praecipitem ageret: sed in re desperata astutum consilium excogitare coëgit eum metus, ut vitae suae potius quam dignitati consuleret. Quod autem minus enituit eius magnanimitas apud homines, eo magis strenue cum caecis timoribus intus luctata est eius fides, sicuti ex Psalmo apparet. Quod autem dicit *super columba muta*, quidam initium tritae cantilenae fuisse putant. Aliis placet, Davidem metaphorice vocari columbam, et certe argumento optime convenit hoc epitheton. Eodem etiam pertinet, *in remotis*: quia hostium furore pulsus in hostilem terram, merito conquestus est, se procul velut in deserta loca eiectum esse. Nam quod alii *palatium* vertunt coactum est. De voce Michtham alibi dictum fuit. Quamquam autem nihil assero, ubi hebraei quoque interpretes inter se dissentiunt: probabile tamen videtur, ut tunc dixi, speciem fuisse melodiae, vel musicum instrumentum.

2. *Miserere mei Deus, quia devorat me homo, quotidie oppugnans*) coarctat me.* 3. *Devorant inimici quotidie, certe multi**) ad coarctandum me excelsae.* 4. *Quo die timui, ego in te speravi.* 5. *In Deo laudabo verbum eius: in Deo speravi, non timebo quid faciat caro mihi.*

2. (*Miserere mei.*) Incertum est de externis hostibus, an domesticis loquatur. Certe quum ad regem Achis deductus esset, quasi unica erat ovis inter duas luporum turmas: quum esset Philistinibus capitaliter exosus, nec minus atrociter in eum saevirent Gentiles. Porro *hominem* singulari numero dicens, indefinite conqueritur se nihil inter homines humanitatis reperire: ac si diceret, Domine iam

ultima necessitas fidem auxiliumque tuum flagitat: quia ad me vorandum totus mundus inhiat, nam statim plurali numero eandem sententiam repetit. Particula *quotidie* Sauli eiusque factioni magis convenit. Caeterum miseriam suam deplorat David, quia magna et potenti hostium multitudine prematur, et oppugnetur summa crudelitate. Quod ad verba spectat, quidam *אֶשׁ* exponunt Respicere, sed non dubito eleganti inetaphora exprimi inexplabilem illam rabiem qua ad eum deglutendum ardebant hostes. Verbum etiam *חַלַּל* quod post alios reddidi per verbum oppugnare, etiam Hebraeis comedere significat, ita esset continuatio metaphorae. Sed quia pluribus locis priore sensu capitur, nolui mutare quod magis receptum erat. Hoc tantum breviter attingam, male sensum corrumpere qui secundo loco vertunt, Multi pugnantes mecum: ac si diceret, Angelos sibi esse subsidio: abruptum enim querimoniam, quae continua est toto versu.

4. (*Quo die timui.*) Verba sunt futuri temporis, sed quae in praeteritum resolvi debent. Confessio autem infirmitatis est in timore: sed cum exceptione, quod tamen non succubuerit timori. Quantumvis enim angerent eum pericula, negat tamen spem sibi fuisse excussam. Non iactat ergo heroicam animi altitudinem, qua secure contempserit omnes casus, sed confessus de suo metu, se tamen semper in spe gratiae Dei perseverasse dicit. Et certe hoc verum est fidei nostrae examen, ubi nos pro sensu carnis, timores sollicitant, non tamen exturbant animos nostros e gradu. Videntur quidem timor et spes magis esse contrarii affectus, quam ut in eodem corde habitent: sed experientia ostendit vere demum illic spem regnare ubi partem cordis occupat timor. Neque enim tranquillo animi statu spes exercetur, imo quasi sopita est: sed vim suam tunc demum exserit ubi animum curis deiectum erigit, aegritudine turbatum sedat, formidine perculsum sustinet ac fulcit. Ac proinde haec seria fuit probatio fidei in Davide, quod metuens non destitit sperare in Domino: ac periculi magnitudine anxius, animum tamen collegit, quod Deum liberatorem fore confideret.

5. (*In Deo laudabo.*) Hoc versu animum sperando sibi crevisse docet: quod solet omnibus Dei servis accidere. Nam etsi aegre in spe initio consistunt, imo non sine arduo certamine timoribus oppressi in spem assurgunt: nitendo tamen vires colligunt ad emergendum, donec maiore fiducia, tanquam strenui athletae ad insultus repellendos progressum faciant. Porro *laudare* tantundem hic valet ac gloriari: ac si diceret, se victrix fiducia instructum iam certa spe exsultare. Huius vero laetitiae materiam statuit in Dei verbo, subindicans, utcumque videri possit ab eo desertus, et quasi proditus, sibi tamen fidem datam sufficere, quia

*) combattant, *en marge*: ou mangent.

**) plusieurs, *en marge*: ou des puissans et robustes.

certo persuasus sit, esse veracem in suis promissis. Non desinam (inquit) gloriari in Deo: quia acquiescam in verbo eius, atque ut palam non iuvet, imo subtrahat manum suam ab ope ferenda, contentus tamen ero unico eius verbo. Haec sententia memorabilis est. Videmus quales sint nostrae deliciae et morositas, ubi Deus mox votis nostris non respondet. Nam etsi obstrepere non audemus, fremit tamen intus caro, quia praeter nudas promissiones nihil appareat. Multum ergo profecit qui inter tentationes unico Dei verbo fretus viriliter pergit in eius laude. Quod postea sequitur, primo intuitu videtur non magni esse momenti. Quis enim tam amens, ut hominum vire spluris ad nocendum aestimet, quam immensam Dei potentiam ad iuvandum? Sed pravae huius et malignae diffidentiae, qua Dei potentiam sub creaturis delicimus, quisque nostrum sibi nimis idoneus est testis. Itaque non vulgarem fidei profectum hic expressit David, se ad spernendas hostium minas fortitudine instructum dicens. Atque hoc certaminis genere praecipue se exercere debent pii omnes, ut Dei auxilium noxis omnibus praeferendo, quidquid terroris est despiciant. Simul atque in nos insiliunt hostes, veniat nobis in mentem, eorum impetus contra Deum ipsum irruere, ac si eo superiores esse contenderent. Iam quid magis indignum, quam in aequilibrio, ut loquuntur, furiosos istos conatus cum invicta Dei virtute relinquere? Sicut enim fidem nostram labefactando, verbum Dei et auxilium quod promisit, evertere tentant: ita nisi statuimus Deum a parte nostra stantem, minimo digito vel solo flatu satis valere ad frangendos eorum conatus, et copias dissipandas, oblique eius potentiam extenuamus: imo nihilo plus ei deferimus, quam homini mortali, qui tantum uni par, a duobus vincitur. Sed quaeritur quo modo omnem infirmitatem sic repente exuerit David, ut qui nuper mortem horrebat, nunc intrepide hostibus suis insultet. Respondeo, hac fiducia non notari vacuitatem timoris, ac si extra telorum iactum positus suaviter rideret omnia discrimina: sed quia adeo timori non cedebat, ut victor emergeret, ac opposito spei clypeo metus omnes repellens munus esset certa salute, merito sancta iactantia efferri, *in Deo sperans non timebo*. Contemptim vero homines Carnem appellat, ut se de stulta eorum audacia commonefaciat, dum sui obliti tam multa moliri non dubitant.

6. *Quotidie verba mea conturbant me: supra me omnes cogitationes eorum ad malum.* 7. *Congregantur, occultant se, calcanea mea observant, quia expetunt animam meam.*)* 8. *Super iniquitate evasio ipsis:*

*) ils desirent mon ame; en marge: ou ne demandent qu'à m'ôster la vie.

in ira populos deiicies Deus. 9. *Fugam meam tu in numerato habes: pone lacrymas meas in utre tuo: an non in commentario tuo?*

6. (*Quotidie.*) Priorem partem versus varie distrahunt interpretes. Quidam *verba mea* in casu nominandi legunt, et recte meo iudicio. Alii referunt hoc ad hostes Davidis, ac ita vertunt: Calumniantur sermones meos: vel, tristitia me afficiunt propter sermones meos. Sunt qui verbum עֲצַב neutraliter accipiant, ac vertant: Molesta sunt verba mea. Sed quum עֲצַב ut plurimum Hebraeis significet tristitia afficere, ac semper in Piel transitive sumatur: nihil opus est a linguae proprietate deflectere. Melius etiam fuit loquutio illa, Verba mea me afficiunt moerore: quam si ad hostes trahatur. Duplex igitur querimonia est, quod David ab una parte nihil reperiat solatii, infelicioer etiam omnia sibi cadere videat, tristisque exitu everti sua consilia: ex opposito autem conspirent hostes ad eum perdendum, variasque insidias machinentur. Videtur quidem hoc, primo intuitu, minime consentaneum, quod nuper se a metu liberum et solutum fore professus nunc se ipsum tristitiae sibi autorem esse dicat. Sed iam admonui, quamvis hostes suos despiceret ex fidei specula, non tamen extra anxietatem fuisse et metum. Hic autem de tentationibus suis loquitur, quas fidei constantia vincebat, non tollebat. Dicit ergo se ratione et consilio destitui, quia incommode cedit quidquid concipit vel deliberat. Mali huius gravitatem auget, quod hostes non cessant capita inter se conferre, et excudere varias artes in eius perniciem. Hoc idem prosequitur quum dicit *congregari*, nam cum uno aut altero habere negotium, tolerabile utcumque esset: oppugnari vero unum hominem a turba et exercitu, nimis durum. *Occultandi* verbo perstringit astutias, vel clancularias artes quibus studebant ex inopinato incautum opprimere, nam verbum יִפְתִּינִי secundum rationem grammaticae debebat in medio habere ך literam: ergo ך putant esse quasi notam Hiphil, ut exprimat, latebras in suis fallaciis captare hostes Davidis, ut eum occulte circumveniant. Addit, quocumque se vertat, illos acriter instare, et quodammodo talos premere, ut nulla sit relaxatio. Causam esse dicit implacabile odium: quia satiari aliter quam eius morte nequeant.

8. (*Super iniquitate.*) Quidam initium versus interrogative legunt, An erit illis evasio in pravitate? Sed quia nulla necessitas cogit sensum illum remotum accersere, praestat sumere verba ut sonant: Quamvis illis evasio sit in pravitate, tu populos tamen deiicies, o Deus. Hoc autem ideo dicit, quia ubi impotenter et sine obstaculo grassati sunt in suis maleficiis impii, quasi licentiam nacti lasciviunt: sicuti videmus hodie cyclopica audacia pro-

fanos homines inflari, quia sibi videntur esse extra Dei manum. Nec vero impunitatem sibi tantum promittunt, sed spes et opes suas locant in maleficiis: et quo audacius et furiosius ruere pergent, putant omnibus incommodis sibi paratum esse remedium. Postquam hoc ex eorum sensu protulit David, statim retundit perversam hanc confidentiam, provocans ad Dei iudicium. Quamvis ita superbiant, inquit, ubi maturum advenerit vindictae tempus, tu Deus populos prosternes. Plurali autem numero utitur, confirmandi animi sui causa, quia difficile erat, non expavescere ad tantam hostium turbam. Quoties ergo nos obruent hostium copiae, veniat nobis in mentem, proprium esse Dei munus, non unum hominem duntaxat vel paucos, non populum modo unum, sed totum mundum deicere.

9. (*Fugam meam.*) Abrupta est precatio, nam petere exorsus ut Deus lacrymas suas respiciat, statim, quasi voti compos, pronuntiat, in libro Dei scriptas esse. Nisi forte hanc quoque interrogationem precative accipere quispiam malit, videtur tamen sensus hic esse simplicior: Domine nihil opus est ut te pluribus verbis compellem: quia te sponte antevertisse agnosco, ut praestares quod petendum erat. Sed praestat singula verba expendere. *Fugam* suam dicit numeratam esse Deo, quo se miserabilem faciat: quia longo iam tempore vagus et profugus errare non destiterat. Nec de una tantum fuga loquitur, sed mutatio est numeri. Quamquam videtur magis emphatice numero singulari totam vitam suam erraticam notare, ac si vocaret continuum peregrinationem. Debebat igitur continua illa erratio favorem ex misericordia conciliare Davidi, quod anxie et aegre per longos et perplexos circuitus vitam traxisset. Itaque lacrymas suas in utre Dei recondi postulat. Solebant in utribus servare vinum et oleum. Itaque sensus est, Ne patiat Deus lacrymas Davidis in terram excidere, sed fideli custodia tanquam pretiosas conservet. Porro videmus Davidem hic preces suas fundare in Dei providentia: quia gressus suorum prosequatur oculis suis, quaemadmodum etiam Christus docet capillos capitis nostri numeratos esse coram Deo, Matth. 10, 30. Nisi enim persuasi simus, quidquid patimur molestiarum, venire in rationem coram Deo, nunquam in hanc precandi fiduciam animi nostri emergent, ut Deus in lagena recondat lacrymas nostras, ut earum conspectu ad opem nobis ferendam tandem flectatur. Mox vero se adeptum esse pronuntiat quod optavit. Malo enim (ut iam dixi) affirmative hanc partem legere, ut se ad sperandam salutem hac consolatione muniat David, quod omnes suae lacrymae in Dei commentario descriptae sint: quia scilicet earum memoria coram eo non deletur. Quod si piorum lacrymis Deus tantum honoris defert, certe multo minus sinet effluere sanguinem, quin

singulas eius guttas numeret. Ossa ipsa et carnem exurant tyranni, sanguis tamen semper manebit superstes ad clamandam vindictam: quia nulla aetas delebit quod Deus in sua memoria descriptum habet.

10. *Tunc vertentur inimici mei retrorsum quo die clamavero: hoc novi, quod Deus mecum.* 11. *In Deo laudabo verbum: in Iehova laudabo verbum.* 12. *In Deo speravi: non timebo quid faciat mihi homo.*

10. (*Tunc vertentur.*) Alacrius victoriam suam iactat, nam quasi in re praesenti articulum temporis designat, quo vertendi sint inimici sui retrorsum. Quamquam autem nondum tam propinquam eorum ruinam cernebat, Dei tamen promissione fretus ita notare potuit maturum tempus, quod adhuc patienter expectandum erat. In summa, quamvis non tantopere festinet Deus, nec eodem quo David precatus est momento hostes eius dissipet, statuit tamen sanctus vir preces suas non fore irritas: ac optime declarat quomodo vel unde certus sit de hostibus suis profigandis: nempe quia Deus nunquam frustratur suorum vota et preces, quia hoc penitus animo inflexum habet, patienter suspendit animi sui desiderium, ut effectum placide exspectet. Continet autem hic locus utilem doctrinam, quia David ut impetret quod postulat, non fortuito vel dubitanter se orare dicit, sed afferre certam persuasionem, quod Deus vota sua propitius exaudiet. Porro hac fide concepta spernere non dubitat quidquid Satan cum omnibus impiis tentabit.

11. (*In Deo laudabo.*) Hic non exprimitur relativum, ut paulo ante: sed tamen esse subaudiendum, ex illo priore loco colligitur. Repetitio vero non parum habet vehementiae: ac si dictum esset: Quamvis Deus gratiae suae manifestationem differat, ut videri possit nihil praestans inanibus verbis Davidem lactare: non tamen deiectionem iri sancti viri animum, quin semper gloriatur in Dei verbo. Et certe hoc est subscribere quod Deus sit verax, Ioan. 3, 33 ubi ablato bonitatis et potentiae eius sensu, verbo solidam gloriam tribuere non desinimus. Repetitio, ut dixi, tendit in hunc finem: Quamvis hodie visus a me fuerit Deus recedere, quia opem suam subduxit, in eius tamen verbo quiescam. Idem si cras contingat, et perendie, in eadem laude persistam. Ad hanc meditationem se assuefaciant fideles, ut inter tentationes firmam gloriam retineant, nudo verbo contenti. Nam etsi Deus illis multiplicem gloriandi materiam subinde in suis beneficiis suppeditat: vix tamen unquam tres passus conficere licebit, nisi in solum verbum recumbere didicerint. Eodem pertinet alterius sententiae repetitio, *In Deo speravi, etc.* Etsi enim

fatentur omnes unius Dei praesidio se fore satis tutos, experientia tamen ostendit, minimis quibusque agitationibus ab eo nos abstrahi. Ergo cum Davide assidue meditemur hanc doctrinam: quidquid intentent homines, quibuscunque polleant consiliis, aut viribus, quocunque apparatu sint instructi, si eos conferimus cum Deo, non esse cur terreamur, quia evanescet quidquid alioqui in illis terribile est.

13. *Super me Deus vota tua, solvam laudes tibi:*

14. *Quia liberasti animam meam a morte: an non pedes meos a praecipitio? ut ambulem coram Deo in luce vivorum.*

13. (*Super me.*) Diximus initio, quia iam discrimen evaserat David dum Psalmum hunc composuit, probabile esse, successu edoctum attexuisse hanc gratiarum actionem. Interea tenendum est, in mediis afflictionibus ea semper fiducia animatum fuisse, ut paratus et accinctus esset ad gratias agendas. Dicit autem *vota Dei esse super se*, quia ad ea reddenda obstrictus sit: sicuti Latini dicunt voti se damnatos, dum adepti sunt quod sub voti nuncupatione petierant. Contrahitur enim obligatio, ubi polliciti sumus nos gratos fore, Deus autem precibus nostris annuit. Vota autem Dei intellige, ac si dicam pecuniam quae in manu mea est, esse creditoris, quia ipse quoque sum in eius aere. David ergo liberatus, salutem hanc a Deo profectam fatetur: ideoque votis quae conceperat se oneratum dicit: quia conditio iam impleta erat. De quibus autem votis loquatur, patet ex secunda parte versus. Quod ideo notandum est, ne quis inconsiderate cum Papistis, vota quaelibet probari imagineatur. Dicit enim se redditurum laudes, vel laudum sacrificia. Nam hoc nomen quamvis laudes significet, ad sacrificia tamen, quatenus earum symbola erant, transfertur. Sciebat quidem David, Deum sacrificia neque praecise et per se exigere, neque morari: sed quia legi subiectus negligere sacras caeremonias non debuit, quae toti populo mandatae erant, verisimile est de solenni testimonio loqui, quale solebant reddere fideles quum insigni aliquo Dei beneficio affecti essent.

14. (*Quia liberasti.*) Confirmat quod nuper dixi, se vitam suam Deo acceptam ferre, quia perierat, nisi mirabiliter servatus foret. Nam quo dubitationem eximat, dicit non modo se a fraude, malitia, impetu et gladiis hostium fuisse servatum, sed ab ipsa morte. Idem alia loquendi forma exprimit, Quum praeceps rueret, se retentum esse Dei manu. *יְהוָה* enim quidam male vertunt, A lapsu: quum potius violentum impulsus significet David. In summa, colligit ex magnitudine periculi, se divinitus fuisse servatum. Atque id nobis agen-

dum est, ubi nos eripuit Deus ex aliquo discrimine, ut meminerimus quantum et quam formidabile fuerit. Sumus enim in ipsis malis plus satis meticulosi: sed postea simul cum metu evanescit gratiae Dei memoria. *Ambulare in luce vivorum*, nihil aliud est quam vitali solis luce frui. Sed particula interposita, *coram Deo*, discrimen notat inter fideles, quibus propositum est vitam suam referre ad Deum: et profanos homines, qui velut fugitivi licentiose oberant: non quod fugiant Dei oculos, sed quia tergum ei obvertant.

PSALMUS LVII.

ARG. Duae sunt huius Psalmi partes: Priore enim suas anxietates exponit David: atque ut necessitas ferebat, opem Dei implorat contra Saulem et reliquos hostes suos. Deinde liberationis spe concepta, ad solvendum Deo sacrificium se accingit.

1. *Praefecto Ne perdas, Davidis Michtham, quum fugeret a facie Saul, in spelunca.* 2. *Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo,*) donec transeat iniquitas.* 3. *Clamabo ad Deum excelsum, ad Deum qui perficit erga me.* 4. *Mittet e coelo, et servabit me ab opprobrio absorbentis me:**) mittet Deus clementiam suam et veritatem suam.*

1. (*Davidis Michtham.*) Quia de voce Michtham nihil praeter coniecturam afferri potest, posthac nihil attingam. Nihilo etiam certior ratio afferri potest, cur Psalmus inscriptus sit, *Ne perdas*, ideoque, ut in re obscura et dubia, variant interpretes. Quidam initium fuisse putant veteris cantilenae. Alii vocem hanc Davidi expressam fuisse putant, quum nullum pateret effugium, O Deus ne perdas. Alii hac voce laudari putant Davidis probitatem, qui Abisai in caedem Saulis ruentem, ab impetu revocavit: quia etiam in sacra historia haec obiurgatio ponitur, *Ne perdas*. Sed quia ante precatus fuerat David, quadrare non potest illa opinio. Ergo alterutrum ex illis duobus eligere convenit: vel quod ad numeros tritae cantilenae compositus fuerit Psalmus: vel quod David precationem subito metu sibi extortam, ut in re memorabili, breviter hic notare voluerit.

2. (*Miserere mei.*) Precatio duplicata ostendit Davidem non levi moerore, cura et metu fuisse constrictum. Sed ratio petendae misericordiae no-

*) j'espereray, en marge: ou hebergeray.

**) de l'opprobre de celui qui m'engloutit, en marge: ou en la confusion de celui qui m'aguette.

tanda est, quod in Deo speraverit. Quanquam emphasis etiam subest in nomine Animae, ac si ex intimo cordis affectu se sperasse diceret: vel spem suam non esse volaticam, ut loquuntur, sed penitus altas radices egisse. Idem metaphorice mox repetit, umbram alarum Dei sibi integumento fore dicens. Quanquam enim verbum **חַס** interdum sperare significat, ut ego etiam verti: quia tamen etiam idem valet ac hospitari vel protegere, non displicet ita accipi hoc loco ubi mentio fit umbrae alarum. Summa huc tendit, quando se totum commisit David Dei tutelae, ut nunc sentiat quod Psalmo 91, 1 videbimus, Qui in protectione Dei habitant, tuto et excelso loco quiescere. Caeterum, Dei custodiam umbrae alarum conferri, alibi diximus: quia Deus ut nos familiarius ad se invitet, dicit se instar gallinae vel avis, alas expandere ad nos fovendos, quo minus excusabilis est nostra ingratitude et pravitas, nisi ad tam blandam invocationem celeriter accurrimus. Adde quod spem suam non sine circumstantia fixam in Deo fore dicit, et sub umbra alarum eius quieturam, sed quo tempore instar procellae vel turbinis transibit iniquitas. Nisi quis forte nomen **חַס** malit Potentiam vertere. Quidquid sit, affirmat David sibi fore in Deo refugium, et alas eius sibi fore loco integumenti quousque transierint omnes afflictionum procellae. Et certe quamvis interdum nobis sereno et tranquillo coelo apricari liceat: quia tamen subitis procellis quotidie obnoxia est haec vita, spes nostras in Deum contrahere convenit, ut nos operiant alae eius. Spei invocationem subiicit: quia fieri non potest ut non preces suas ad Deum dirigant qui in eum confidunt, ideoque spem suam ab effectu probat David, quia ad Deum in necessitate confugiet. Deum autem ornat insigni epitheto, nempe quod erga se compleat quaecunque est pollicitus: vel quod ad finem usque perducere velit quod incepit opus. Eodem enim sensu hic positum esse interpreto verbum **נָס**, quo legitur Psalmo 138, 8 quia eadem utrobique ratio est. Atque hoc nobis occurrere debet ad fulciendam spei nostrae perseverantiam, Deum, quia opus manuum suarum non deserit, salutem fidelium numeris omnibus complere, et illis semper fore ducem, donec eos ad metam usque perduxerit. Quod alii vertunt, *ad Deum qui rependit mihi*, frigidum est. Melius quadraret, meo iudicio, *Ad Deum qui deficit erga me*. Adversative autem hoc modo resolvenda esset sententia: Licet nunc Deus me destituat, neque me exserta manu invet, clamabo nihominus ad eum. Coactor sensus est, Clamabo ad Deum qui perficit, vel perfecte exsequitur rigorem suum erga me, et contextus postulat potius ad Dei beneficia referri, ut semper nobis occurrat Dei constantia in prosequenda sua bonitate, quia opus manuum suarum inchoatum non deserit.

4. (*Mittet e coelo.*) Dixi iam saepius, Davidem pias meditationes inserere suis precibus ut aegrum animum soletur, quasi sibi repraesentans spei suae fructum. Ita nunc non secus ac si manum Dei praesentem cerneret, de eius auxilio gloriatur. Quum dicit, *Mittet e coelo*, quidam subaudiunt angelos, mihi indefinita loquutio melius videtur congruere: quod scilicet non obscure, nec vulgari modo, sed potenter et evidenti miraculo proferet Deus quam facturus est salutem. Ergo hac voce magnificum et singulare liberationis genus David, se sperare intelligit. Atque ita coelum opponit terrenis mediis vel naturalibus. Quod sequitur, potest duobus modis exponi. Qui vertunt *ab opprobrio*, subaudiunt literam **ב**. Sed forte non minus commodum esset appositively accipere, *Servabit me in opprobrium devorantis me*. Quanquam participium **שָׁמַר** pro exspectante sumi posset: ac si dixisset David, Hostes quidem mei cupide inhiant meo exitio, et ex insidiis occasionem me perdendi captant: sed Deus cum ipsorum dedecore me eripiet. Pudorem enim et probum incutere Deus impiis dicitur, dum spes eorum frustratur. Sicuti autem prius mirificam et plane coelestem sibi liberationem promisit David, ita nunc se eam sperare dicit a Dei clementia et fide: easque statuit tanquam auxiliares eius manus.

5. *Anima mea in medio leonum, iaceo inter ardentis, inter filios hominum: quibus dentes lancea sunt ac sagittae, et lingua eorum gladius acutus.* 6. *Exaltare super coelos Deus: super omnem terram gloria tua.* 7. *Rele paraverunt gressibus meis: incurvata est anima mea: foderunt coram me foveam, ceciderunt in eam. Selah.*

5. (*Anima mea.*) Describit rursus hostium suorum saevitiam: quo Deum citius ad opem ferendam inclinet. Primum comparat leonibus: deinde furore ardere dicit vel implacabili odio, et dentes eorum similes esse lanceae et sagittis. Quod de lingua subiicit, apte intelligi potest de virulentis calumniis, quae altius penetrant ad vulnerandos innoxios quam ulli gladii. Et scimus Davidi praecipuum fuisse certamen cum falsis criminibus quibus eum improbi gravabant. Quando autem sanctum virum ita crudeliter et variis modis oppugnatum fuisse audimus, ne molestum nobis sit in eandem arenam trahi: sed querimonias nostras coram Deo deferre sufficiat, cuius est fallaces linguas et sceleratas manus a noxa compescere. Ideo mox cum David vindicem implorat. Etsi enim extra rem videtur esse haec precatio, *Exaltare super coelos Deus, super terram gloria tua*, si tamen reputamus quanta sit impiorum protervia, et quam supinus fastus, ubi Deus ad iniurias connivet, facile iudicabimus non abs re hoc

esse dictum: praesertim quia Saul et totus populus simul conspiraverant, Deum praeclaro modo exsurgere oportuit ad sternendam illam altitudinem. Atque hinc summa ad nos consolatio redit, dum se ostendit Deus nobis succurrere ut gloriae suae consulat, nam ei non minus quam nobis insultant impii: ipse autem gloriae suae iacturam facere non vult, nec sacrum suum nomen eorum ludibriis prostituere. Postea iterum redit ad querimonias: et quum antehac crudeliter se vexari dixerit, nunc sibi insidias et fraudes intendi deplorat. Incurvatam animam dicit, quemadmodum trepidi homines solent se contrahere: adeoque aves ipsae dum sibi metuunt ab aucupio, non audent pennas movere, sed humi prostratae iacent. Alii vertunt, *incurvavit animam meam*. Sed alter sensus simplicior est, et verbum כָּפַף neutraliter saepe accipitur. Quamquam autem נָפַשׁ Hebraeis est femininum, alibi tamen quoque masculinis verbis iungitur.

8. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam.* 9. *Exsurge lingua mea, exsurge nablum et cithara, excitabor*) diluculo.* 10. *Celebrabo te in populis Domine, psallam tibi in nationibus:* 11. *Quia magna ad coelos bonitas tua, et ad nubes veritas tua.* 12. *Exaltare super coelos Deus, super omnem terram gloria tua.*

8. (*Paratum.*) Quidam istud נָכֵן exponunt Confirmatum est: et verbum hoc Hebraeis tam stabilire quam parare significat. Si placeat illa versio, sensus erit, Davidem probe et diu meditatum esse quas nunc Deo solvit laudes, ac si diceret: Non repente, quorundam more, ebullio in gratiarum actionem, sed firmo et constanti animi proposito canendis Dei laudibus me addixi. Caeterum mihi altera expositio magis arridet, quod se alacriter accedere dicat David ad laudandum Deum, sicuti gallice dicimus, *Je suis dispos, ou délibéré*. Quamquam autem prompta haec voluntas ubi nascitur ex serio affectu, constantiam fere comitem trahit, operae pretium tamen fuit monere lectores quid verbum hebraicum valeat. Cor ergo paratum David tam hypocritarum labris, quam aliorum torpori opponit: ac si diceret, se sincero zelo accensum esse, segnitie discussa, et omnibus impedimentis valere iussis, se attentum esse ad voluntarium hoc sacrificium.

9. (*Excitare lingua mea.*) Poëtice exprimit David vehementiam illam et ardorem cordis sui. Linguam enim suam, citharam et nablum advocat, ut sibi praesto sint ad celebrandum Dei nomen. כָּבֹד non sine causa Linguam reddidi. Etsi enim saepius pro gloria sumitur, ex multis tamen locis

patet ad linguam quoque transferri, ut diximus Psalmo 16. Hanc vero significationem exegit contextus, ubi mox fit mentio nabli et citharae: ac si diceret David, se tam assa voce quam musicis instrumentis nomen Dei celebraturum. Primas quidem partes cordi dedit: sed adiungit oris confessionem: tertio, adminicula adhibet, quae studium magis accendant. Si verbum הָעֵיךְ transitive accipere libeat, perinde erit. Nam qui serio expefactus est ad laudandum Deum, nulla in parte cessat.

10. (*Celebrabo te in populis.*) Quia gentes et populos gratitudinis suae fore testes promittit David, colligimus, in his afflictionibus gestasse Christi personam: idque scire magnopere nostra refert, ut nobis conditio nostra ante oculos quasi in speculo versetur. Quod autem his verbis respexerit in Christi regnum, Pauli auctoritate primum, Rom. 15, 9 deinde etiam clara ratione constat. Etsi enim cani possunt Dei laudes inter rupes et saxa, absurdum tamen esset dicere, narrabo surdis nomen Dei, unde sequitur gentes ad Dei notitiam fuisse vocandas, ut praeconium hoc ad eas perveniret. Summatim deinde attingit quam sibi sumpturus sit canendi materiam, nempe quod bonitas Dei et veritas totum mundum impleant. Diximus autem alibi, non abs re initium fieri a Dei bonitate, et deinde fidem eius coniungi: quia ut propensus sit Deus et liberalis ad promittendum, non aliunde quam gratuita sua bonitate adducitur. Sed ne facilitas haec putetur constantia carere, fidei et veritatis elogio sancuntur omnes promissiones. In fine Psalmi ad preces iterum convertitur, ne Deus sua tolerantia impiis augeat proterviam, hocque modo suam gloriam obscuret. Nisi forte hic, postquam vaticinium edidit de gentium vocatione, votum etiam de ea acceleranda concipiat: ac si diceret: Domine non modo in Iudaea potentiam tuam illustres innoxii iuvandis, sed per totum mundum iudicia exerceas quibus imperium tibi asseras apud omnes populos.

PSALMUS LVIII.

ARG. Duae sunt huius Psalmi partes: primo enim suam probitatem asserit David contra hostium calumnias. Ubi vero conquestus est, indigne se perpeti graves iniurias ab hostibus, nec minus fraudibus et insidiis quam crudelitate eorum se oppugnari: provocat tandem ad Dei iudicium, illisque exitium precatur quale meriti sunt.

1. *Praefecto, Ne perdas, Davidis Michtham.* 2. *An vere congregatio iustitiam loquimini? recta iudicatis filii hominum?* 3. *Quin potius in corde malitias agitatis, in terra violentiam manus vestrae appendunt.* 4. *Alienati sunt impii a vulva, errave-*

*) ie seray réveillé, en marge: ou me réveillerais.

runt ab utero loquentes mendacium. 5. Venenum illis secundum similitudinem veneni serpentis, sicuti aspidis surdae quae obturat aurem suam. 6. Quae non audit ad vocem incantantis magi, magicam exercentis scienter.

2. (*An vere congregatio.*) David hostes suos interrogatione ultro lacesens, ostendit quantum habeat fiducia in bona causa. Nam ubi audemus testimonium petere a parte adversa, ostendimus nihil esse in re ipsa dubitationis: quia si causa obscura esset, stultae confidentiae esset adversarium citare testem. David ergo bona conscientia fretus, libere prodit in medium, et fuitiles calumnias quibus eum gravabant apud simplices, refutat, idque proprio eorum iudicio, ac si diceret: Ego vos testes habeo meae innocentiae, vos tamen fictis criminibus improbe me vexatis: quomodo vos non pudet innoxium ita gratis opprimere? Tenendum vero est quosnam David accuset. Vocat eos congregationem, deinde *filios hominum*. Nam qui אֱלִים putant epitheton esse iustitiae, et vertunt Mutam, aberrant meo iudicio, a mente Davidis. Caeterum, de voce Congregationis non consentiunt interpretes. Quidam odiose perstringi existimant hostes Davidis, quod suos haberent conventus ineundis perversis consiliis: sicut improbi saepe ad noxas excogitandas capita inter se conferunt. Ego tamen aliis potius subscribo, qui honorifice, sed per concessionem, Saulis consiliarios notari putant, qui in eius perniciem coibant quasi acturi de bono publico. Alii qui literam י coniungunt cum voce אֱלִים, ad eundem sensum accedunt. Sed quia commentum illud a verbis remotum est, praestat genuinam illam versionem retinere. Coetum ergo illum compellat David, quem sub specie legitimi consilii vocabat Saul ad insontem opprimendum. Forte vero contemptum vocat filios hominum, detrahens quod titulo tenus concesserat: quia potius latronum turba erant quam iudicum conventus. Nisi magis placeat, quum praevalida manu se oppugnari videret David, et omnes fere vulgi animos in illam scelestam factionem propensos esse, tamen excelso animo despicere illam multitudinem. Docemur autem hoc loco, quamvis a toto mundo impetantur servi Dei, nullum terrorem illis obstare, modo sibi recte conscii sint, quo minus tam regibus ipsis et eorum consiliariis, quam populi quisquiliis insultent. Nos vero discamus, Davidis exemplo, quamvis totus mundus surdus sit, in bonam conscientiam recumbere, atque ita provocare ad Dei tribunal. Augustinus qui graecam tantum versionem tenebat, argute hic disputat, hominibus rectum esse iudicium in generalibus principiis: sed ubi ad hypothesin ventum est, hallucinari: quia vitiosi affectus rectas notitias obscurant vel depravant. Hoc quidem dictu plausi-

bile est atque etiam utile, sed nihil ad Davidis mentem.

3. (*Quin potius.*) Postquam de crassa eorum impudentia conquestus est, iam eos aggreditur, quod corde machinentur iniustitiam, et manibus exsequantur. Itaque particulam הֵן verito Quin potius, quia non dubito, ubi falsas calumnias a se depulit David, ulterius nunc progredi, et eorum crimina proferre in medium. Secundum membrum duobus modis verti potest: *Violentiam appenditis manibus vestris*, vel manus vestrae violentiam appendunt. Quia tamen non mutatur sensus, sequantur lectores utrum volent. Quod autem appendere dicit pro exercere, putant quidam hanc esse metaphoram rationem, quod isti Davidem opprimerent sub aequitatis praetextu, ac si perfidus et contumax fuisset adversus regem, et publicae quietis turbator. Nec dubium est quin suam tyrannidem fucaverint honestis titulis: ut hypocritae, etiamsi nihil habeant coloris, obtendunt tamen semper aliquid. Sed quia verbum hebraicum אֵלֶּם latius patet, sumiturque pro dirigere vel aptare, simplicior forte sensus erit, eos ordinare vel disponere quas corde iniquitates conceperant. Particulam *in terra* tantundem valere puto, ac palam: ut hic de effraeni eorum licentia expostulet: quia non clanculum vel in obscuro angulo violentiam suam exercebant.

4. (*Alienati sunt.*) Eorum malitiam exaggerat, quod non coeperint nuper ad precandum se prolicere, sed nati sint ad pravitatem. Scimus enim plerisque non malo aliquo ingenio praeditos, vel levitate et libidinis impetu abripi, vel corrumpi malis exemplis, vel aliqua occasione se prostituere ad malum: contra autem pronuntiat David, hostes suos malitia imbutos esse ab utero: ac si diceret, perfidiam et crudelitatem cum ipsis natas esse. Etsi enim vitiosi omnes nascimur, et omnibus Adae posteris ingenuitas est pravitas, ut nihil recti tentare possint quantisper suo ingenio feruntur: scimus tamen arcano Dei fraeno retineri maiorem partem, ne se ad quodvis flagitium proiciat. Ergo quamvis corruptio originalis peccati in toto humano genere grassetur, experientia tamen ostendit, quosdam esse verecundos et honestis moribus: alios mediocri tantum corruptela imbutos: alios vero naturae adeo perversae, ut sint prorsus intolerabiles. Hanc igitur effraenem malitiam quae in communi hominum pravitate detestabilis est, David in hostibus suis regnare affirmat: quasi diceret, sibi cum scelerum portentis esse negotium.

5. (*Venenum illis.*) Pergit in sua amplificatione: et quanquam saevitia ardebant eius hostes, virulentiam tamen magis illis exprobrat, sicuti aliis locis vidimus. Nam quod alii Furem vertunt, aspidum similitudini non videtur congruere. Neque repugnat etymologia, quia nomen a calore deductum est. Scimus enim veneni genus esse quod frigore suo

enecat: alterum vero quod uredine et aestu consumit partes vitales. Sensus ergo est, hostes Davidis venenata malitia ad nocendum aequae refertos esse ac serpentes. Veteratoriam deinde astutiam expressius designat, similes esse dicens surdis aspidibus, quae aures suas ad vocem incantantium claudunt: ac si diceret, non esse ex vulgo serpentum, sed vafritie superare callidissimas quasque aspides, quae sibi a magorum insidiis cavent. Si quis quaeratur, an igitur sit ars aliqua incantandi: Respondeo, si nullae essent incantationes, puerile et absurdum fore quod hic dicitur, sumeret enim ex nihilo similitudinem: nisi forte magis placeat ex communi vulgi errore loquutum esse Davidem. Videtur tamen innuere fascinis incantari serpentes: idque sine periculo fateri licet. Atque olim Marsi hac scientia pollere in Italia crediti sunt. Certe si nullae essent incantationes, frustra lege Dei prohibita ac damnatae essent, Deut. 18, 11. Neque tamen rationem vel artem esse concedo in fascinationibus, sed meris diaboli praestigiis hoc fieri, cuius imposturis Deus inter caecos, hoc est incredulos, fraenum laxat, suis autem, quibus per verbum et spiritum suum affluget, non ita illudere permittit. Si tamen ansam curiosis quaestionibus praecidere libeat, sequamur quod nuper attingi, Davidem ex communi errore similitudinem hanc esse mutuatum: ac si dixisset, nullam posse in serpentibus versutiam inveniri quae non in hominibus istis regnet: etiam si quae aspides adversus incantationes astu suo munitae sint, non magis tamen esse callidas.

7. *Deus contunde dentes ipsorum in ore eorum: maxillas leonum contunde Iehova.* 8. *Diffuant sicut aquae, abeant sibi: extendant arcum suum ac si se confringerent.* 9. *Quemadmodum limax liquefactionis evanescat, abortivum mulieris quod non videt solem.* 10. *Antequam sentiant ollae vestrae*) rhamnum, sicut crudum quasi turbo disperdat eum.*

7. (*Deus contunde.*) Iam descendit ad imprecationem, Deumque vindicem appellat, sicut propriae sunt eius partes impiorum violentiae resistere, dum innoxii molestiam facessunt. Sed hic ordo notandus est, quod prius de hostium suorum malitia conquestus est David, et bonam conscientiam in medium produxit, quam Deum advocet causae suae patronum aut iudicem: quia minime sperandum est ut malas causas tuendas suscipiat. Petit autem hoc versu, ut Deus virtute sua frangat improbos, ac compescat nocendi rabiem qua flagrant. Nam per *dentes* significat non secus laniandi ac discerpendi esse cupidos ac feras bestias: quod secunda parte clarius exprimit, eos leonibus comparans. Unde

*) vos pots, en marge: ou vos espines.
Calvini opera. Vol. XXXI.

apparet quam furiose in eius perniciem ruerent. Proximo versu et aliis sequentibus eandem sententiam prosequitur, et aptissimis similitudinibus exornat. Primum rogat ut eos diffuere faciat Deus aquarum instar, hoc est quam citissime. Quo verbo non vulgarem fidem testatus est. Videbat hostes suos magnis copiis et opibus instructos: videbat altis radicibus inniti, et optime fundatum esse eorum robur: denique videbat saxeis montibus esse similes: imo quum totus populus esset infensus, multas rupes sibi videbat oppositas, quarum conspectus ingenti terrore deiicere poterat eius animum. Ergo Deum precari ut tantam duritiem liquefaciat, et diffuere faciat tam arduas moles, rarae spei et constantiae fuit: res enim erat incredibilia, nisi Dei potentiam extulisset supra omnia mundi obstacula. Sequitur altera similitudo, ut irriti eorum conatus abeant. Sensus enim verborum est: Quum arcum suum intenderint, ut sagittae frustra concidant tanquam confractae. Quia ergo implacabilis erat eorum crudelitas, postulat David ut frustretur Deus ipsorum conatus. Porro hoc votum concipere non potuit, nisi invicta fortitudine instructus, ut formidabiles hostium apparatus Dei arbitrio subiiceret: imo ita precando totam eorum potentiam sub Dei pedibus prosternit. Ergo haec circumstantia notanda est, ne languescant preces nostrae, quamvis aptatae iam sagittae mortiferos ictus minentur.

9. (*Quemadmodum limax.*) Duae istae comparationes in eundem tendunt scopum quo prima, nempe ut celeriter tanquam res fluidae aboleantur. Posset hoc videri ridiculum, robustissimos gigantes cochleis vel limacibus conferri, nisi hunc honorem Deo tribueret David, posse momento et absque negotio discutere ac redigere in nihilum quicquid in mundo insuperabile ducitur. Sed fidei oculis Dei iudicia considerans sperat, vires illas, quarum fiducia suas deliberationes in decem saecula extendunt, statim posse dissolvi. Videtur autem alludere ad subitos exortus impiorum, ac si diceret, repentinum interitum similem fore origini: ne facilibus incrementis frustra superbiant. Eadem est abortivi ratio: quia si reputamus quantum temporis inani fiducia devorent, facile statuemus, antequam vivere incipiant, quasi ab ipsis carceribus retrorsum trahi.

10. (*Antequam sentiant.*) In hoc versu partim ob voces ambiguas, partim ob perplexum contextum subest nonnulla obscuritas, quia *כירור* ollam et spinam significat, duplex sensus potest elici: Antequam adolescant spinac vestrae in rhamnum, hoc est, crescant in maiorem altitudinem, et densiores fiant. Vel, antequam ollae vestrae sentiant ignem ex spinis accensum. Si de ollis exponimus, *vivum* sumetur pro carne cruda, sicuti etiam nos vertimus, si autem pro spinis, sumetur pro immaturo vel tenero. Prophetiae tamen consilium minime ambi-

guum est: nam festinationem vindictae Dei his verbis denotat, ideoque precatur quasi turbine eos abripi: vel antequam adolescent in iustum robur, sicut spinae in rhamnum durescunt: vel antequam maturescant, sicuti caro quae in olla vel lebetes coquitur. Hic tamen posterior sensus videtur melius fluere, ut ira Dei turbulento impetu abripiat impios quasi carnem incoctam, et quae primum calorem nondum sensit.

11. *Laetabitur iustus quum viderit*) vindictam: manus suas lavabit in sanguine impii.* 12. *El dicet homo: Atqui fructus est iusto, atqui est Deus iudicans in terra.*

11. (*Laetabitur iustus.*) Quanquam videtur affectum a pia mansuetudine longe remotum iustis tribuere: si tamen memoria tenemus quod alibi saepius dixi, laudari a Davide puros et bene compositos affectus, in eo nihil est absurdi, fideles duce et moderatore spiritu sancto gaudium ex Dei iudiciis percipere. Unde enim fit ut crudeliter vulgo gaudeant homines inimicis suis pereuntibus, nisi quia turbidis passionibus odii, iracundiae et impatientiae feruntur? ut vindictam intemperanter expectant? Ergo ubi dominatur caro, nihil rectum est vel sincerum. Qui vero spiritus zelo iustae Dei vindictae animum suum conformat, non minus recte gaudebit quoties poenas divinitus impiis cernit infligi, quam humaniter eorum conversionem optabit, ut salvi fiant. Sicuti enim Deum sua misericordia non impedit quominus tempestive severus sit iudex ubi nullus est resipiscentiae locus: nec rursus severitas eius clementiae repugnat: sic etiam iusti iniurias placide tolerando, hostes suos libenter in viam salutis revocarent, et resipiscere mallent quam perire, ubi tamen ad maturum vindictae tempus eos adduxit sua obstinatio, iustam habent gaudendi materiam: quia hoc modo vitam suam Deo pretiosam esse agnoscunt. Sicuti ergo gemunt ac torquentur quamdiu ad eorum afflictiones Deus connivet: ita fieri non potest quin illis iucundum sit iustam sceleribus mercedem rependi.

12. (*El dicet homo.*) Ex causa et fine gaudii, qualis hic describitur, clarius apparet affectum hunc in sanctis purum esse omni vitio. Quanquam videtur passim ad quosvis extendere quod prius tantum de iustis dixerat. Sed quia confessio haec non potest nisi fidelibus quadrare, qui vere oculati sunt, eos solos sub nomine hominis notari arbitror: cum hac tamen ratione, ut significet David multos qui perculsi fuerant ac turbati, redituros ad tranquillam mentem. Quamvis ergo nonnisi filios Dei intelligat, merito indefinite loquitur quasi de multitudine:

*) quand il aura vu, *en marge*: ou pource qu'il aura vu.

quia scimus quam multos res in mundo confusae et inordinatae concutiant: qui rursus patefacta Dei iustitia animos colligunt, ut passim mutentur iudicia ubi Deus manum suam e coelo exserit. Longe ergo lateque patebit haec confessio, sicut etiam dicit Iesaias, 26, 9: Ubi apparuerint iudicia tua o Deus, iustitiam discent habitatores terrae. Quamvis autem particula *¶* interdum simpliciter affirmet apud Hebraeos: quia tamen saepius amplificat, non dubito quin hic subaudienda sit antithesis inter tentationem, qua premuntur infirmas mentes quantisper Deus vindictam suam suspendit, et fiduciam quam ex eius iudiciis concipiunt. Adversativa igitur particula dubitationem illam repellunt, quae ex dissimulatione et tolerantia Dei obrepere solet, ac si expergefatti soporem suum corrigerent. Est autem hic non exiguus profectus ad pietatem, bene et penitus nobis esse persuasum iustos sollicite in Dei timore ambulando non ludere operam. Ideoque Ies. 3, 10 ad hanc sapientiam filios Dei eniti iubet: Dicite, Iusto bene erit, laborem manuum suarum comedet: quia nisi mox iustorum probitati respondeat fructus, ad diffidentiam lubrici ac proni sunt omnium animi, ac si Deus abiecta mundi cura otium in coelo coleret. Qua de re fusius tractabimus Psalmo 73. Rationem cur fructu suae pietatis non careant filii Dei, adiungit, quia scilicet *Deus est iudex mundi*. Fieri enim non potest, si Dei providentia regitur mundus, quin tandem discrimen apud se esse ostendat inter bonos et malos. Nomen *terrae* diserte exprimitur: quia profani homines fortunam putantes dominari in mundo, imperium Dei coelo includunt.

PSALMUS LIX.

ARG. Inscriptio quae mox sequetur, declarat qua occasione scriptus fuerit Psalmus, qui fere proximo similis est. Priore enim loco, quo gravius iniustam hostium saevitiam accuset, nullo suo merito sibi tam infestos esse affirmat. Conquestus autem de illorum iniquitate, implorat opem Dei: et postquam sanctis meditationibus ad bonam spem se animavit, de infausto illorum exitu vaticinatur. In fine promittit se liberationis fore memorem, ut Dei gratiam celebret.

1. *Praefecto, Ne perdas, Davidis Michtham, quum misit Saul, et custodierunt domum ad eum interficiendum.* 2. *Libera me ab inimicis meis Deus mi, ab insurgentibus in me attolle me.* 3. *Libera me ab operariis iniquitatis, et a viris sanguinum serva me:* 4. *Quia ecce insidiati sunt animae meae, congregati sunt adversum me robusti: non peccatum meum, et non scelus meum Iehova.* 5. *Sine iniquitate cucurrerunt, et se instruxerunt, excitare in occur-*

sum meum, et vide. 6. Et tu Iehova Deus exercituum, Deus Israel expergiscere ad visitandas omnes gentes: ne miserearis omnium inique transgredientium. Selah.

1. Nota est historia cuius hic fit mentio. Certe quum militum turma obsessus domi sua esset David, (1. Sam. 19, 11) et omnes urbis exitus tenerent missi a Saule custodes, nulla spes effugii aut vitae residua erat. Tametsi autem uxoris astu elapsus est, non tamen alibi quam in Dei misericordia salutem quaesivit. Et certe quamvis fallendis patris militibus figmentum illud excogitaverit Michol, certum tamen est, pium virum nonnisi mirabili Dei praesidio ereptum fuisse. Ergo *custodia domus* hic ponitur ac si dictum esset, conclusum tunc fuisse in mortis angustias. Missi enim fuerant a Saule, non qui vivum caperent, sed qui interficerent.

2. (*Libera me.*) Quo se magis ad Deum invocandum hortetur, violentam hostium potentiam describit. *Surgendi* enim verbo non modo audaciam notat, vel strenuos ac fervidos impetus, sed vires quibus praevalebant: et tamen in altum attolli rogat, ut superior sit ista quasi exundatione. Atque haec loquutio notanda est, ne dubitemus servandi modum in Dei manu esse, quantumvis supra capita nostra hostes emineant. Sequenti versu non modo se obrutum esse dicit, sed etiam expostulat de iniusta et scelesti hostium suorum crudelitate. Postea utrumque complectitur, nempe se viribus destitui ad resistendum, et tamen nulla sua culpa tam graves et duros insultus perpeti. Diximus autem alibi, imo saepius repetivimus, quo sibi melius conscii sunt fideles, eo plus ad quaerendum Deum fiducia illis suppetere: quia liberior patet aditus eo quod communem sustineant cum Deo ipso causam. Nam quia Deus iustitiae assertor est, ac bonarum causarum patronus, bellum cum eo suscipit quisque innoxios aggreditur. Primo ergo queritur valida conspiratione se opprimi, et insidiis esse circumventum, unde sequitur nihil reliquum esse subsidii in mundo. Postea ad innocentiae suae testimonium descendit. Quamvis enim Deus, suos affligendo, eorum peccata castiget, merito tamen David, Saulis respectu, ab omni culpa se eximit, atque hoc modo integritatis suae Deo iudicium defert, quae perversis calumniis apud homines succubuerat. Quidquid iactent, inquit, non reperietur in me scelus nec peccatum. Quamvis tamen bellandi ratione careant, dicit eos *currere* vel satagere, quibus verbis intelligit nihil eos omittere ad extremam diligentiam: adeo scilicet in perniciem miseri hominis cupide intentos esse.

5. (*Excitare in occursum.*) Alludit ad hostium festinationem, de qua loquutus est, ne minus sedulo

Deus auxiliari maturet quam illi ad perniciem incumbunt. Rursus tamen ut sibi favorem conciliet coram Deo, testem ac iudicem causae suae ipsum appellat. Porro quum dicit *vide*, sensum carnis permiscet doctrinae fidei, perinde enim ac si praeteriisset Deus clausis oculis omnes iniurias usque ad illum diem, rogat ut nunc incipiat videre: hoc pro ruditate humanae mentis. Interea tamen videndi partes Deo tribuens, fide agnoscit nihil eius providentiae esse absconditum. Quanquam notandum est, Davidem humanitus ita balbutire, ut iam persuasus sit suas afflictiones simul cum integritate et hostium iniuriis Deo esse cognitae. Sed hac voce, totam rem Dei iudicio examinandam proponit. Proximo versu eandem precationem vehementius prosequitur: ac primo Deum ornat novis epithetis, vocans *Deum exercituum* et *Deum Israel*: quorum priore immensam eius potentiam commendat, altero peculiarem quam de filiis suis, et tota ecclesia gerit curam. Emphaticum etiam est pronomen *אני*, quasi diceret non posse magis fieri ut Deus abiciat iudicandi munus quam ut se ipsum abneget, vel exuat suam essentiam. Hortatur autem ad visitandas omnes gentes, non quod tam late pateret causae quam agit cognitio, sed ratiocinatur a maiori ad minus: quum ne profani quidem et extranei manum et vindictam Dei effugiant, certius et magis horribile iudicium instare hostibus intestinis, qui sub fraterno titulo piis molesti sunt, et ordinem divinitus in ecclesia sancitum conturbant. Quanquam ergo Davidi bellum non erat cum omnibus populis, Deum ad omnes visitandos excitans, absurdum fore ostendit, si domesticos ecclesiae hostes impune grassari sinat. Simul etiam contra tentationem luctatur, qua probabile est duriter fuisse agitatam. Premebatur enim non a quatuor vel quinque improbis, sed ab ingenti turba: contra tamen se attollit, proprium Dei munus esse reputans non modo paucos in ordinem cogere, sed poenas exigere de sceleribus totius mundi. Nam Dei iudicium ad ultimos usque terrae fines extendens, ea multitudine terreri non debuit quae exigua erat generis humani portio. Quanquam ut paulo post iterum videbimus, non incommode potest hoc de Israelitis intelligi, qui in suas tribus quasi in populos, divisi erant. Dei vero misericordiam ab iniquis transgressoribus prohibens, non dubium est quin reprobos tantum notet, quorum deplorata erat iniquitas. Quanquam simul tenendum est quod antea attigimus, tam privato affectu fuisse exutum, quam purgatum omni turbida intemperie. Praeterquam ergo quod exitio iam addictos esse novit, de quibus tam severe loquitur, puro et composito spiritus zelo, communem potius ecclesiae causam, quam suam agit. Ideo non est cur eius exemplum obtendant quos ad crepanda anathemata impellit privatus dolor.

7. *Revertentur*) ad vesperum, strepitum edent ut canis, et circuibunt urbem.* 8. *Ecce garrient**) ore suo, gladii in labiis ipsorum, quia Quis audiet?* 9. *Tu autem Iehova ridebis eos, subsannabis omnes gentes.* 10. *Fortitudinem eius ad te custodiam,***) quia Deus arx mea est.*

7. (*Revertentur ad.*) Comparat hostes suos famelicis et rabiosis canibus, quos fames ad varios circuitus sine fine instigat: atque hoc modo accusat inexplibilem eorum saevitiam, quod nocendi libidine ardentes, nullum satagendi faciant modum. Dicit enim ad vesperum reverti, non quod reliquo tempore quiscerent, sed quia infatigabili studio pergerent in sua malitia: Si nihil toto die profecerint, inquit, vesper tamen adhuc cursitantes deprehendet. Apte autem latratus similitudo convenit ad formidabiles eorum insultus exprimendos. Sequenti versu eorum ferociam describit. *Garrere* enim, vel ebullire ore suo dicens, intelligit palam et absque dissimulatione nefanda sua consilia proferre. Nam etsi verbum נָבַח metaphorice Hebraeis loqui significat, quia tamen proprie tantundem valet ac scaturire, plus videtur notare quam simpliciter loqui. Sensus quidem est, non modo clanculum agitare secreta consilia in perniciem hominis insontis, sed publice et cum iactantia effutire quid animis conceperint. Ideo quod sequitur, *gladios esse in labris eorum*, tantundem valet ac spirare meras caedes, vel totidem ad iugulandum miserum hominem evomere gladios, quot voces proferunt. Tandem subiicit eo licentiae ipsos ruere, quia nullum dedecus inde metuant. Quamvis autem probabile sit, Davidem hic suo more perstringere vesanam impiorum socordiam, qui metus excutiendi causa Deum in coelo dormire fingunt: meo tamen iudicio conqueritur, eo securius agitare prava consilia, et quasi medio foro publicare, quia in possessionem nocendi pridem venerint. Sic enim fascinaverant totum vulgus, et Davidem suis calumniis deformaverant, ut nemo pro excusatione miseri hominis mutire auderet. Imo quo quisque atrocius in regis gratiam persequeretur miserum hominem, eo maiore erat in pretio, quasi boni publici cordatus defensor.

9. (*Tu autem Iehova.*) Contra haec obstacula David se nihilominus erigit ad meliorem fiduciam. Apposite autem *ridendi* similitudine utitur, quo Dei potentiam altius extollat: quasi diceret, Ubi omnia machinati sunt impii, Deum nullo negotio et quasi per iocum dissipare omnes eorum conatus. Quantisper enim connivet Deus, gliscit eorum protervia,

et insolentius erumpit: quia non intelligunt, Deum, ubi otiosi videtur, solo nutu iudicia sua exsequi. Contemptum ergo dicit non opus esse magno apparatu: quia simulac volet Deus poenas sumere, ludendo eos in nihilum rediget. Graviter autem hoc modo invehitur in caecum eorum furorem, quia vires suas intemperanter efferendo Deum sopitum iacere fingant. Quod additur secundo membro de cunctis gentibus, huc spectat, etiamsi numero aequarent totum mundum, ludibrio tamen fore cum suis opibus et copiis. Quamquam potest ita resolvi: Sicuti tu subsannas omnes gentes. Certum quidem est Davidem eludere stultam hostium suorum iactantiam, qui multitudine sua freti nihil non audebant.

10. (*Fortitudinem eius.*) Fecit huius loci obscuritas, ut eum suis commentis varie flexerint interpretes. Nulli tamen magis violenter torquent, quam qui fingunt in relativo *eius* esse personae mutationem, ac si David loquens de se ipso, tertiam personam primae loco poneret. Movit forte tam eos quam graecum interpretem ratio parum firma, quia postremo versu legitur, *Fortitudinem meam tibi canam*, vel *Fortitudo mea tibi*. Atqui ubi ventum illuc fuerit, satis liquebit quam apte ad se transferat David quod prius de Saule dixerat. Dubium igitur non est quin relativum de Saule debeat intelligi. Quidam etiam seorsum particulam hanc exponunt, Saulis esse fortitudinem: quia longe superior sit viribus, ut iam penes eum sit victoria. Alii sic coniungunt, Quamvis hodie sis illius fortitudo, o Deus, quia eum sustines in regno ac tueris: ego tamen non desinam sperare dum me quoque in regium solium extollas, sicuti pollicitus es. Proptius ad prophetam mentem accedunt qui uno contextu legentes Fortitudinem eius ad te custodiam, hunc eliciunt sensum: Quamvis hostis meus roboris sui fiducia intemperanter se iacet, ego tamen quietus manebo: quia scio, quidquid conetur, occulta tua providentia fraenari. Et certe sic cogendi sunt in ordinem cuncti mortales, ut conatus eorum et vires subiiciamus Dei arbitrio. Mihi tamen melius videtur congruere alia versio, Fortitudo mea ad te: custodiam. Sicuti etiam in fine Psalmi, non dubito quin nominandi casu vertendum sit, *Fortitudo mea ad te: canam*. Quod ad summam rei non admodum interest: quia David in speculam fidei conscendit, unde intrepide violentos hostis sui impetus despiciat, statuens nihil posse nisi Dei permissu. Verum si duo haec separatim accipias, Fortitudo eius ad te, custodiam: sententia erit dilucidior. Priore enim loco David, potentiam Deo vendicans qua gubernet totum mundum, hostem suum arcano fraeno constringi, totumque eius robur aliunde pendere colligit, ut ne digitum quidem movere queat nisi annuente Deo. Postea subiicit se peccato et tranquillo animo

*) Ils retourneront, *en marge*: ou ils iront et viendront.

**) Ils gazonneront, *en marge*: ou bouillonneront.

***) Je garderai sa force à toi, *en marge*: ou sa force est à toi, ie me tiendrai coy, ou: ma force est à toi, etc.

fore, ut patienter quemlibet eventum exspectet. Verbum enim *custodiam* hic tantundem valet, ac me continebo: vel, tacitus attendam quidnam Deo placeat. Atque in coniugatione Niphal hoc sensu capitur Iesaiæ 7, 4. Hic quidem ponitur in coniugatione Kal, sed nihil impedit quominus vertamus, Tacite observabo quemcunque Deus eventum dare volet. Interea non displicet quod quidam annotant, Davidem alludere ad custodes obsidendae domus suae causa missos: ac si diceret, ex opposito sibi aliam esse custodiam, dum quieta mente et composita, quid factururus sit Deus speculatur.

11. *Deus clementiae meae praeveniet me: Deus videre me faciet in adversariis meis.* 12. *Ne interimas eos, ne forte obliviscatur populus meus: vagari fac eos in virtute tua, et dissiice eos clypeus noster Domine.* 13. *Peccatum oris eorum, sermo labiorum ipsorum: deprehendantur in superbia sua, et de execratione*) et mendacio verba faciant.*

11. (*Deus clementiae meae.*) Scribitur quidem hic affixum tertiae personae, sed punctus apponitur qui primam personam notat. Graecus quidem interpretes transtulit in tertia persona: et hoc testimonio saepe Augustinus utitur contra Pelagianos, ut probet Dei gratiam antevertere omnia hominum merita: pie quidem, sed nimis argute, sicuti etiam proximum verum saepe adducit, ut retundat quidquid liberi arbitrii viribus arrogant homines. Custodiam, inquit, ad te fortitudinem meam, hoc est, modeste et humiliter subiicere se Deo debent homines, quia nulla fortitudine praediti sunt nisi quam suppeditat. Dictum quidem plausibile est, fortitudinem suam ad Deum custodire, qui sibi extra ipsum nihil virium tribuendo ab una eius virtute pendent. Sancta etiam et utilis est doctrina: sed nobis sedulo cavendum est ne scripturam torqueamus. Certe verbum *קדקד* nihil aliud hic significat quam mature occurrere. Nec aliud intelligit David quam promptum sibi fore auxilium Dei quo opportune servetur. Summa igitur est: Utcumque cesset Deus, vel opem suam differat, in ipso tamen articulo aderit. Et certe nisi immodicus votorum nostrorum fervor praecipites nos ageret, satis perspecta nobis foret Dei sedulitas et festinatio ad nos iuvandos: sed dum nimis properamus, videtur nobis tardare. Iam confirmandae fidei suae causa Deum appellat clementiae suae, quem saepe misericordem expertus erat: superioris enim temporis documenta certam spem dabant similis in posterum gratiae. Nam quod active quidam accipiunt, ac si laudem clementiae sibi tribueret David, frigidum et coactum est, trita est autem passiva loquutio.

*) d'execration, en marge: ou de maudissons.

12. (*Ne interimas eos.*) Prudenter hoc sibi David ad patientiae materiam suggerit. Nisi extemplo Deus ad nihilum redigat hostes nostros, fingimus elapsos esse ex Dei manu: et quamvis eos lenta et diuturna tabe paulatim conficiat, non reputamus poenam de illis sumi. Quia igitur praepostere inhiant fere omnes ad subitam hostium suorum perniciem, David se ipsum cohibens, Dei iudicium in levioribus etiam malis sub quibus languent reprobi, expendit. Certum quidem est, nisi oculos nobis obstrueret socordia, in subita impiorum clade magis conspicuam esse Dei vindictam: sed quia statim memoria nobis effluit, non frustra optat David quotidie renovari idem spectaculum, ut iudicii Dei cognitio penitus cordibus infixamaneat. Quamquam, ut dixi, contra longioris morae taedium hac doctrina se armat et munit, Deum consulto ultimam ultionem differre: ne si impios uno momento delect, statim memoria exstinguatur. Atque ita populi israelitici ingratitude oblique perstringit, quod tam male in illustribus Dei iudiciis proficeret. Hic vero morbus hodie quoque nimis regnat in mundo, ut Dei iudicia quae notiora sunt quam ut clausis oculis praeteriri queant, impia oblivione in tenebras mergantur: ut necesse sit quotidie in theatrum nos deduci, ubi Dei manum adspicere cogamur. Atque hoc nobis in mentem veniat, ubi Deus non statim contra impios fulminat, nec tollit eos de medio, sed sensim atterendo consumit. Rogat autem ut Deus *eos faciat vagari*: nempe ut homines malis et egestate afflicti huc illuc oberrent, dum nusquam inveniunt dolori suo solatium. Quod melius exprimitur altero verbo, *fac descendere*, vel *dissiice*. Cupit enim ex honorifico gradu detractos, quasi ad pedes proici, ut in sua miseria et probris continuum irae Dei spectaculum exhibeant. Quod ergo nonnulli nomen *לח* vertunt Exercitum, et accipiunt pro Dei populo: coactum est. Potius Dei virtutem appellat David ad perdendos impios, quia terrenis opibus freti putabant se esse inexpugnabiles. Porro quo facilius impetret quod postulat, in fine versus ostendit se causam totius ecclesiae agere. Huc enim spectat pluralis numerus, *clypeus noster Domine*. Et certe quia divinitus electus erat in regem, in eius persona continebatur salus ecclesiae. Ideoque non privatim ipse impetebatur, sed totus populus, cuius saluti hoc modo consulere Deus volebat. Eadem etiam fuit ratio cur patienter tulerit Deum moderari sua iudicia, ut in assidua eorum meditatione populum retineret.

13. (*Peccatum oris.*) Subaudiunt quidam interpretes particulam causalem *propter*, ut cohaereat haec sententia cum superiore versu. Et certe non dubium est quin hic sit causae redditio, cur aequum sit eos iactari, ut instabiles et inquieti semper vagentur. Optime tamen conveniet abrupta et de-

fectiva loquutio: ac si diceret David non opus esse longo examine, quia palam se prodat eorum iniquitas in linguae protervia. Peccatum, inquit, eminet in eorum ore: quia plenis buccis superbiam et crudelitatem suam evomunt. Atque hunc sensum confirmat quod continuo post sequitur, *deprehendantur in superbia sua*. Nam fontem insolentiae designat, quod tam petulanter et sine pudore sua magniloquentia opprimerent innoxium. Specialiter deinde explicat quomodo scelera sua ore proferrent, eos dicens *verba facere de execratione et mendacio*. Quo verbo significat, nihil praeter diras maledictiones crepare, totosque esse addictos fraudibus et calumniis. Qui passive accipiunt verbum *לִפְתִּי*, ac interpretantur, In exemplum fore vindictae Dei impios quibus certas et memorabiles eius notas inculpsit: longius videntur recedere a mente Davidis.

14. *Consume, in furore consume, ut non sint: et cognoscant quod Deus dominator sit in Iacob, usque ad fines terrae. Selah.* 15. *Et revertentur ad vesperum: latrabunt ut canis, et circuibunt urbem.* 16. *Ipsi vagabuntur ad comedendum: si non fuerint*) saturati, etiam pernoctabunt.* 17. *Ego vero cantabo fortitudinem tuam, laudabo mane clementiam tuam: quia fuisti arx mihi, et refugium in die tribulationis meae.* 18. *Fortitudo mea ad te, psallam: quia Deus arx mea, Deus clementiae meae.*

14. (*Consume.*) Videtur sibi contrarius esse David, dum nunc ultimum interitum imprecatur hostibus, quos prius nolebat tam cito interfici. Quorsum enim consumptio in furore, nisi ut repente tollat e medio Deus qui perdendi sunt, non autem mediocres vel tardas de illis poenas sumat? Sed non dubium est quin diversum tempus notet, atque ita facile tollitur dissidium, quod in exemplum diu propositos, tandem ultimo exitio devovet, ubi scilicet maturum advenerit tempus. Scimus imperatoribus Romanis solenne fuisse, postquam captivos ad diem triumphi servatos per urbem circumduxerant, ubi in Capitolium ventum erat, illos tradere in manus lictorum, ut statim iugularentur. Sic nunc precatur David, ubi Deus impios ad tempus superstites reliquerit, donec celebrem de ipsis triumphum ageret, tandem in exitium tradi. Iam haec duo inter se optime conveniunt, iudicia Dei nobis statui ante oculos longo temporis successu, ne excidat eorum recordatio: et tamen ubi satis edoctus fuerit mundus, infenso et adverso Deo nihil reprobis superesse praeter lentam tabem, mature tunc ad suum exitium deduci, quo melius expegefaciat tale spectaculum pigras mentes vel levioribus poenis minus attentas. Ideo subiicit, *ut cognoscant*

*) s'ils ne sont, en marge: ou combien qu'ils ne soyent.

usque ad ultimos fines terrae Deum in Iacob dominari. Nam quod alii copula interposita exponunt, Ut cognoscant Deum in Iacob et reliquis mundi plagis dominari: mihi non placet, ac sensum pervertit. Potius enim exquisitum supplicii genus notat David, cuius fama ad remotissimas quoque gentes perveniat, et caecis ipsis ac profanis hominibus incutiat Dei metum. Nominatim vero imperium Dei agnoscere vult in ecclesiae gubernatione: quia valde absurdum videri poterat, res illic tam confusas esse ubi sibi Deus erexerat regium solum, ut sacrarium eius nihil a caverna latronum differret.

15. (*Et revertentur.*) Non ita multum refert sive in futuro tempore legamus haec verba, sive resolvamus in tempus optativum, ut precationem suam continuet David. Quamquam libenter in eam sententiam inclino, postquam David votis suis finem imposuit, nunc spem concipere feliciis successus quem optaverat. Est autem concinna allusio ad id quod prius dixerat de rabiosa eorum fame. Neque enim nunc eodem sensu verba quibus ante usus fuerat repetit, sed ironice dicit alio modo fore famelicos, et aliter quam sperassent ipsis cessurum. Prius conquestus est, instar canum latrare, nempe quia eos agebat inexplibilis nocendi cupiditas et furor: nunc vero improbos eorum conatus subsannans, dicit, ubi satagendo se toto die fatigaverint, frustratum iri suis votis. Itaque superiori querimoniae opponitur haec gratulatio de irrita et inani eorum diligentia. In fine versus 16, quidam particulam *לֹא* hoc est, si non, volunt iurisiurandi esse formulam. Sed quia nimis subtiliter deflectunt prophetae verba, eorum commento non assentior. Alii volunt bis repeti negationem, Si non fuerint saturati, neque pernoctabunt. Sed hoc quoque videtur remotum esse. Simplex vero et genuinus sensus sponte occurrit, Quamvis non fuerint saturati, cogentur tamen ire cubitum, atque hac circumstantia magis augetur inediae et famis incommoditas, quod ubi sine profectu totum diem mendicando consumpserint, fessi tamen ieiunum et vacuum ventrem in lectum afferant.

17. (*Ego vero cantabo.*) Non modo intelligit his verbis sibi fore canendi materiam, sed iam se ad gratiarum actionem accingit. Ac primo liberationem suam fatetur magnificum fore virtutis Dei opus, deinde gratuitum beneficium. Verum quidem est, Davidem sine strepitu furtim uxoris solertia tunc elapsum esse ex hostium manibus: sed quia hoc stratagemate elusit Deus apparatus et copias Saulis, merito dicitur exservasse robur suum. Quamquam David exemplo uno admonitus, videtur longius respexisse, atque ita complexus esse varia auxilia quae subinde expertus est.

18. (*Fortitudo mea ad te.*) Clarius exprimit se acceptum Deo ferre quod salvus est. Nam virtutis

suae laudem Deo resignans, nihil sibi facit reliquum. Prius dixerat fortitudinem hostis sui esse ad Deum: idem nunc de sua praedicat. Sed eleganter ambiguum loquutionem diverso sensu ponit. Nam Deus fortitudinem impiorum continet, ut cohibeat ac fraenet, imo ostendat fallaces et nullas esse quas illi vires sibi arrogant. Interea suos fulciens, robur illis suppeditat, ne unquam deficient. Antehac ergo gloriatum est se fore securum, quod Saul arcana Dei providentia constrictus, ne ad levandum quidem digitum idoneus foret. Nunc quantumvis ipse debilis sit, praedicat satis sibi virtutis esse in Deo: ideoque subiungit sibi iustam esse psallendi causam: sicuti spiritus per os Iacobi 5, 13 laetos et hilares ad psallendum invitat. Quod alii legunt, Fortitudinem meam ad te canam: duriusculum esse lectores vident. Itaque non dubito distincta esse haec duo membra, sicuti ante attigi.

PSALMUS LX.

ARG. David iam locatus in solio, et insignibus aliquot victoriis potitus, quae ad stabiliendum regnum eius valere poterant, Dei gratiam praedicat et extollit: neque id testandae modo gratitudinis causa, sed ut residuum populum, qui iugum subire adhuc recusabat, sibi conciliet, atque ita colligat lacerum populi corpus. Postquam autem dixit fulgere aperta benedictionis Dei signa, quae testentur ipsum divinitus electum esse regem, praecipue ad oraculum revocat fideles, ut intelligant se coalescere Dei auspiciis, si unctionem a Samuele factam consensu suo approbent. Simul etiam preces admiscet, ut perficiat Deus quod coepit.

1. *Praefecto, super Susan eduth, Davidis Michtham ad docendum.* 2. *Quum proeliaretur contra Syrios Mesopotamiae, et contra Syrios Soba, reversusque Ioab cecidisset Idumaeos in valle Salis ad duodecim milia.*

1. (*Praefecto etc.*) De priore inscriptionis parte quia alibi dictum est, minus nunc laboro: nisi quod iterum repeto *Susan eduth*, quod liliū testimonii vel pulcritudinis vertunt, mihi videri initium veteris cantilenae. Quod postea additur, *ad docendum*, vulgo huc referunt, quod datus fuerit Psalmus Levitis quem edicerent. Sed alii hoc commentum merito repudiant: quia peculiaris nota non quadraret in re Psalmis omnibus communi. Magis ergo probabile est notari doctrinae genus, quod huic Psalmo conveniat. Coniicere autem licet, quum David tot praeclaris victoriis ornatus, nondum tamen pacato regno frueretur, hac voce notasse finem sibi propositum, ut factionibus abolitis, qui ante rebelles fuerant, tot documentis victi, tunc saltem agnoscerent regem divinitus creatum: ac si diceret, Saltem

experientia doceat regnum meum Deo placere, quod multis benedictionibus nobilitat in oculis hominum. Venio nunc ad circumstantiam historiae et temporis. Hoc canticum dicitur esse quasi epinicion victoriae quam adeptus est de Syriis, et aliis foederatis gentibus. Hebraei, quia Mesopotamiam aliasque regiones censent in Syria, quam ipsi Aram nominant, postea in species distinguere coguntur: sicuti hoc loco ponitur Syria נַהָרִים pro Mesopotamia, quam ex Latinis quidam Graecos aemulati, Interamnem vocaverunt. Deinde ponitur Syria צוֹרָה, quam non absque ratione quidam Sophenem esse coniciunt, quia ad ripam Euphratis adiacet. Dicitur autem 2. Samuelis capite 8, versu 3. Rohob rex Soba percussus a Davide, quum profectus esset ad occupandum imperium fluminis. Tertia etiam Syria Damasci illic ponitur, quae Iudaeae prior est, adeoque contigua. Aliis etiam scripturae locis Syria latius extenditur, et pro locorum diversitate adduntur alia epiheta. Quum autem tunc Davidi bellum a vicina quoque Syria illatum fuerit, et exercitum qui illinc ad iuvandos Ammonitas venerat, communiter profligaverit, exoritur hic quaestio, cur tantum incolae Mesopotamiae et regionis Soba nominet. Mihi verisimile est, de longinquis gentibus, quia plus formidinis incusserant, habitum fuisse sermonem: quia illustrius hoc fuit specimen gratiae Dei, tam longe propagari Davidis imperium. Ergo vicinis gentibus praeteritis, longinquos et sola fama terribiles populos David commemorat, quorum strages propter novitatem fere incredibilis erat. Quod autem in sacra historia viginti duo millia numerantur, quum inscriptio haec nonnisi duodecim millia continet: solutio facilis est. Illic enim dicitur Abisai profligasse copias, quarum strages hic ad fratrem eius Ioab refertur. Verum simul notandum est, inter se partitos fuisse exercitum. Quum autem Abisai gradu honoris et autoritate inferior esset, mirum non est, quamvis communiter ambo hostes percusserint, laudem totius victoriae summo duci tribui: sicuti etiam primo Samuelis capite decimo octavo, versu septimo, Davidi, cuius auspiciis res gesta est, totum hoc tribuitur. Interea probabile quoque est, in ipso proelii congressu occisum fuisse circiter dimidium numerum: alios autem dispersos, in fuga caesos fuisse a Ioab.

3. *Deus repulisti nos, dissipasti nos: iratus es, revertere ad nos.* 4. *Tremere fecisti terram, fecisti dehiscere: sana contritiones eius, quia concussa est.* 5. *Ostendisti populo tuo durum, potasti nos vino stuporis.*

3. (*Deus repulisti nos.*) Incipit a precatone, quo se et alios melius excitet ad reputandam Dei gratiam. Interponitur enim comparatio, ex qua

melius pateat regnum Saulis a Deo fuisse reprobatum. Ergo de misera tristisque dissipatione conquestus, precatur ut rebus in melius mutatis, propitium se Deus exhibeat populo suo. Nam quod putant quidam Davidem loqui de suis afflictionibus, non adeo quadrat. Fateor quidem, antequam regno sit potitus, duriter fuisse probatum: sed quum se toti populo adiungat, ac deploret communes omnium miseras, mihi non dubium est quin per comparationem illustret gratiam Dei, quae statim ab exordio regni eius novo modo illuxerat. Hac igitur ratione deplorat graves et longas calamitates, quibus prope afflicta fuerat ecclesia sub Saule. Atque hoc notatu dignum est, quum gentiles suos accerrimos et saevissimos sensisset hostes, ubi nunc solio potitus est, oblivisci omnes illorum iniurias, quia suae vocationis memor est: ideoque prodire in conspectum Dei quasi unum ex populo. *Dissipationem* vero ponit quasi praecipuum malum: quia fractis vel attritis Saulis opibus, sic exposita hostibus terra erat in praedam, ut nemo domi suae tutus lateret, sed omnes ad fugam et exilium essent parati. Postea hanc vastitatem iterum metaphorice describit, dicens non minori deformitate affectam esse terram, quam si *hiatu abrupta fuisset*. Neque enim terram chasmate divulsam fuisse intelligit: sed ita collapsum fuisse vel deiectum populi statum, ut calamitas ubique conspiceretur qualis terrae motum et hiatum sequi solet. Ex quo enim a Deo Saul defecit, coeperunt res eius pessum ire, donec in totum ipse periit, et populum reliquit fere perditum ac deploratum. Certe omnes tunc erant in summo metu ac trepidatione: hostibus autem ludibrio erat Abrahae semen: nec iugum refugisset, si modo tolerabilis oblata esset servitutis conditio. His signis ostendit David alienatum fuisse Deum a Saule, ideoque fontem omnium malorum detegit, Deum iratum fuisse dicens. Caeterum eundem qui percussit medicum nunc implorat, rogans ut sanet fracturas.

5. (*Ostendisti.*) Primo dicit populum aspere tractatum fuisse: et statim malorum acerbiterat similitudine exaggerat, quod inebriati fuerint vino soporis aut vertiginis. De nomine *תרעלה* ne Hebraei quidem interpretes inter se conveniunt, quia multi transferunt venenum. Sed facile est colligere prophetam de venefica potione specialiter loqui, quae mentes sensu et intelligentia privat: ac si dixisset Iudaeos malis fuisse obstupefactos. Voluit enim Dei maledictionem, quae sub Saule grassata fuerat, illis ante oculos ponere: ut deposita perviciacia, solum a Deo reprobatum suis auxiliis fulcire desinerent.

6. *Dedisti timentibus te vexillum, ad vexillandum coram veritate. Selah.* 7. *Ut liberentur dilecti tui*

serva dextera tua, et exaudi me. 8. *Deus loquutus est in sanctitate sua, laetabor: dividam Sichem, et vallem Suchoth dimetiar.* 9. *Meus Galaad, et meus Manasse, et Ephraim robur capitis mei: Iehuda legislator*) meus.* 10. *Moab olla lotionis meae: super Edom proviciam calceum meum: Palaestina iubila super me.*

6. (*Dedisti.*) Quidam praeteritum verbi tempus transferunt in optativum modum, ut continua sit precatio. Atqui David potius gratulationem votis permiscens, admonet, in mutatione quae contigerat, apparuisse clarum signum favoris Dei. Agit ergo Deo gratias totius populi nomine, quia vexillum erexit ad recreandos animos, et colligendam dispersionem. Particulam quae sequitur, *coram veritate*, frigide, meo iudicio, et ieiune accipiunt qui putant Deum Iudaeis ideo propitium fuisse, quia veraces et integri deprehensi erant. Scimus enim proceres fuisse bis et ter perfidos, totum etiam vulgus cum suo capite fuisse foedifragum: quia a primo ad ultimum omnes ad extinguendam Dei gratiam conspiraverant. Itaque non dubito quin significet David exortam e tenebris fuisse Dei veritatem, ubi praeter spem restitui subito coepit ecclesia: quis enim non putasset irritas esse promissiones Dei in tanta desperatione? Davide igitur in solium evecto, simul emersit Dei veritas quae suffocata diu fuerat. Quanquam autem toti populo beneficium hoc praestitum fuit, David tamen admonet Deum respexisse suos cultores, quantumvis paucos numero, ut eorum saluti consulere. Postea ad precationem iterum redit. Nisi forte initium versus, *ut evadant dilecti tui*, cum superiore sententia contexere magis placeat: in quam partem ego libenter inolino, nam in ipsa varietate David magnitudinem gratiae commendat, quod Deus suos animaverit ad tollendum vexillum, qui prius sine spe effugii in extremas angustias redacti erant, ut certa instaret perditio, nisi mirabiliter erepti essent. Quos autem prius dixit timentes Dei, eosdem nunc vocat dilectos: qua voce subindicat non ita rependere Deum suis cultoribus mercedem, quin simul gratuita dilectionis respectum habeat. Quod preces adiungit, eo mone-mur, quamvis in sublime Deus nos extulerit suis beneficiis, modeste tamen et humiliter semper rogandum esse ut opus suum prosequatur.

8. (*Deus loquutus est.*) Hactenus experimenta attigit, ex quibus perspicui poterat novus et iam aliquot annis insolitus Dei favor: quia scilicet populum ex afflicto florentem reddiderat, et ita converterat fortunam, ut secunda victoria primam exciperet, secundam tertia. Nunc quod praecipuum erat, populi mentes revocans ad promissionem, dicit Deum

*) Legislateur, en marge: ou gouverneur.

ore suo testatum esse quod effectu postea sancivit. Nam utcumque Deus innumeris gratiae suae exemplis nos obruat, nulla tamen vigeat eorum notitia, nisi praefulgente verbo. Posset autem hoc tam in totius populi quam in Davidis persona legi, et certe David, etiamsi seorsum loquatur, minime tamen se ab universo corpore separat, cui praefectus fuerat in caput. Iubet ergo populum, si non sufficiant documenta gratiae Dei, animos ad hoc oraculum erigere, quo rex esset destinatus cum praeclaris elogiis. Ac Deum quidem loquutum esse dicit *in sanctitate sua*: quod sicuti de spiritu sancto accipi non placet, quia nimis argutum videtur commentum: ita nescio an de sanctuario intelligere conveniat, neque enim legimus responsum illic datum fuisse Samueli. Rectius ergo erit retinere nomen sanctitatis: quia ut rata esset oraculo fides, constantiam suam atque adeo efficaciam promissionis multis signis declaraverat. Quia ergo nullus erat dubitationi locus, epitheto insignit quod per os Samuelis pronuntiatum fuerat. Subiicit continuo post, se in hoc Dei verbo praecipue acquiescere. Tametsi enim multas victorias adeptus erat, quae procul dubio animum addiderant, se tamen plus laetitiae cepisse significat ex vocali testimonio, quam ex aliis omnibus signis. Et certe quamvis ad nos exhilarandos plurimum valere debeant omnia Dei beneficia, merito tamen summum gradum obtinet fides, quae et letales omnes tristitias aboleat, et spirituali gaudio mortuos vivificet. Porro non solum privatim se laetatum esse dicit, sed pios omnes accersit in societatem gaudii. Refert deinde oraculi summam, sed ita ut in ipsa narratione fidei suae certitudinem declaret. Loquitur enim quasi de re sibi probe compta et indubia: seque facturum gloriatur quod Deus promiserat. *Dividam*, inquit, *Sichem et vallem Suchoth dimetiar*. Partes autem nominat quae sero in eius potestatem venerunt: ac eo tempore Psalmus videtur esse compositus quo adhuc manebat eorum possessio penes filium Saulis. Quia ergo magnum de his regionibus certamen fuit Davidi, quamvis sero, iugum tamen subituras esse dicit, quia Deus fidem suam interponere dignatus sit. Eadem etiam ratio est *Galaad et Manasse*. Quantum ad Ephraim spectat, quoniam tribus illa maxime populosa fuit, merito vocat robur capitis sui, hoc est principatus Iam quo plus fidei oraculo conciliet vetustas, tandem addit *Iehudah fore sibi ducem*: ac si diceret, non aliter rite posse coalescere Abrahamae posteros, nisi colligantur sub tribum Iehudah, vel ducem qui inde progenitus fuerit: quia sic olim praedictum fuit a patriarcha Iacob. Nam ad vaticinium illud alludit quod refertur a Mose Gen. 49, 10: Non exibit sceptrum de Iuda, etc. Et illic etiam ponitur nomen מוריק quod Legislatorem vertunt. Hinc ergo constat nullam fore stabilitatem imperii,

Calvini opera. Vol. XXXI.

nisi resideat in tribu Iehuda, quia Deus ab initio non modo sic decrevit, sed pronuntiavit sibi placere. Porro aptius hoc ad totum populum refertur quam ad Davidem, sicuti nuper admonui non tam privato nomine loqui, quam suscipere totius ecclesiae personam.

10. (*Moab olla*.) Transit iam ad alienigenas, quos longe discernit a suis popularibus, dominari enim eum oportuit filiis Abrahamae tanquam fratribus, non autem mancipiis: in profanos vero et incircumcisos permissum erat durius imperium, quo eos violenter subigeret. Neque tamen victoribus licebit tyrannidis praetextum hinc petere, ut gentes bello devictas pro libidine opprimant: quia spectandum est Dei mandatum, in quo longe differunt a Davide: qui non tantum regia potestate ornatus fuit, sed creatus a Deo ultor ecclesiae, praesertim adversus implacabiles illos adversarios, qui humanitatis obliti, cognatis suis molesti esse non destiterant. Contemptim Moabitas sibi pelvim fore dicit ad pedes lavandos: quia scimus pedum lotionem fuisse in usu communi Orientabilis. Eadem est ratio in projectione calcei super Edom. Est enim hoc signum contumeliae: quia sicuti sacro et electo populo superbe insultaverant, ita serviliter erant tractandi. Quod sequitur de Palaestina, ambiguum est. Quibusdam videtur esse ironica loquutio, quasi exprobrat David inanes iactantias Philistinis: quia integris adhuc viribus petulanter eum incessere solebant. Et יין non modo clamare iublando significat, sed etiam tumultuari, ubi se ad proelium concitant milites. Alii simpliciter exponunt de servili applausu: quia utcumque praefractis animis iugum odissent, coacti tamen sunt victori suo adulari, sicuti Psalmo 18, 45 vidimus: Filii alienorum mentientur mihi.

11. *Quis deducet me in urbem munitam? quis deducet me usque ad Edom?* 12. *Annon tu Deus qui repuleras nos, et non egrediebaris Deus inter exercitus nostros?* 13. *Affer nobis auxilium a tribulatione, quia vana salus hominis.*)* 14. *In Deo faciemus virtutem,**) et ipse conculcabit adversarios nostros.*

11. (*Quis deducet me*.) Iam per modum occupationis ultra progrreditur, seque reliqua a Deo sperare dicit, donec captis hostium munitionibus, solidam victoriam adeptus sit. Nam quum adhuc multi acriter resisterent, videri potuit ante tempus gloriari. Sed quia pollicitus est Deus aemulos omnes populos sub eius potestatem venturos et manum, quascunque adhuc difficultates vel discrimina

*) le salut de l'homme est vain, en marge: ou ce que l'homme peut apporter.

**) nous ferons vertu, en marge: ou prouesse.

restare cernat, Deo praeunte secure pergit tanquam ad successus indubios. Urbem munitam quidam interpretantur Raboth, quae metropolis erat Moabitum. Sed rectius alii heterosin numeri esse docent, ac Davidem indefinite loqui de hostium urbibus, quarum receptaculo confisi statuerant minime cedere. Ipse autem Deum sibi ad illas expugnandas ducem fore praedicat, sicuti in acie victoriam contulit. Iterum vero comparatione gratiam amplificat, quae effulserat sub eius regno, ut inde legitimam ac sanctam esse suam vocationem probet. Deus (inquit) qui nos antehac deseruerat, et passus fuerat infeliciter bellare, nunc patefaciet mihi urbium portas, ut per cunctas hostium munitiones perrumpam.

13. (*Affer nobis.*) Iterum ad precationem redit: imo ab illa quam vidimus spei certitudine deducitur ad precandi studium: dicit autem, modo auxilietur Deus, ut non aliunde quidquam subsidii accedat, in sola eius manu plenam esse salutem. Sic enim ad verbum legitur, *et vana salus hominis*, ac si diceret: Domine sicuti nullo adiutore indiges quum virtutem tuam exserere placet, ita simulac testatus fueris te nobis favere, non erit cur humanam opem amplius expetamus: quia potentiae tuae fulgore omnes terrenae opes evanescent. Quia tamen omnium fere consensu copula hic in causalem particulam resolvitur, ego quoque hanc interpretationem libenter admitto. Atque ntinam probe cordibus nostris insideret haec sententia. Unde enim fit ut totus fere mundus semper vacillet, vel spes vanas concipiat ad se inflandum, neglecto Deo, nisi quod nemo gustat salutem Dei, quae una sufficere debebat, quum extra eam quaecunque se ab hominibus offerunt auxilia, fallaces sint praestigiae? Nam quod salutem hominum, quae nulla est, opponit Dei saluti, impropria est loquutio, nempe quia stulte varias salutes nobis in mundo imaginamur, per concessionem figmentis nostris tribuit rei nomen. Neque enim si quando utitur Deus opera hominum in nobis servandis, vel munus illis suum resignat, vel eos ornat suis spoliis. Vere igitur ea quoque salus Dei censetur, quam per homines administrat. Sed nihil aliud voluit David, quam fictitium esse quidquid aliunde quam a solo Deo auxilii speratur. Hanc sententiam ultimo versu confirmat, quia nec quidquam possumus nisi eius virtute, et ipso iuvante invicta fortitudine sumus instructi. Duobus enim membris constat quod dicit, *In Deo faciemus virtutem*, nempe simulac gratiam suam subduxerit Deus, concidere et effluere quidquid in hominibus creditur esse virtutis, rursum qui in solo Deo fortes sunt, perfecta virtute esse praeditos, ut superandis cunctis difficultatibus pares sint ac idonei. Ac ne putetur dimidiam solum fortiter agendi laudem Deo adspargere, totum opus in solidum ei

postea vendicat, quum addit *conculcaturum hostes*. Quod si contra homines pugnando, laudem agendi inter nos et Deum partiri fas non est: quanto minus tolerabile est sacrilegium, in salute promerenda vires liberi arbitrii, spiritus sancti gratiae opponere, ac si aequalis esset concursus? Sua itaque superbia se praecipitant quicumque seorsum a Deo sibi arrogant vel minimam guttam virtutis.

PSALMUS LXI.

ARG. Quanquam Psalmus hic a precatione incipit, vel saltem breviter refert orationem a Davide conceptam quum eum premeret gravis anxietas: maior tamen pars in Dei laudibus et gratiarum actione consumitur: quia praedicat se divinitus ab ingenti periculo, quaecunque illud fuerit, liberatum fuisse, et in solio regio stabilitum.

1. *Praefecto super Neginoth, Davidis.* 2. *Audi Deus clamorem meum, attende precationi meae.* 3. *Ab extremo terrae ad te clamabo dum angitur cor meum, in arcem quae exaltatur supra me deduces me:* 4. *Quia fuisti spes mihi, turris fortitudinis a facie inimici.* 5. *Habitabo in tabernaculo tuo in saecula, tutus ero in abscondito alarum tuarum. Selah.*

1. (*Audi Deus.*) Tametsi non prorsus certum est quo tempore compositus fuerit hic Psalmus, coniectura tamen magis probabilis est, Davidem aliquamdiu potitum fuisse regno, dum in has de quibus loquitur insidias incidit. Et ego libenter eorum subscribo sententiae qui ad tempus conspirationis Absalom referunt: quia non potuit nisi profugus, ab extremis terrae finibus clamare, quod secundo versu dicit se facturum. Iam in ipsa prece vehementem affectum *clamoris* nomine designat: quia sive submisso conquestus sit apud Deum, sive altius vocem extulerit, interior tamen animi impetus et zeli ardor clamori merito confertur. Repetitio quoque ostendit constanter perseverasse in precibus. Atque haec assiduitas exemplo nobis esse debet, ne fatigemur orando, quamvis non statim palam faciat Deus se votis nostris fuisse propitium. Per *extremum terrae* non dubito quin locum exsilii denotet, ut prohiberetur ab accessu sanctuarii et urbis regiae. Nam quod nonnulli allegorice accipiunt, ac si diceret ex profunda abyso se orare: parum solidum mihi videtur. Iam quia postea se regem nominat, quod nusquam dixisse legitur ante Saulis mortem, colligere promptum est notari tempus illud quo trepide fugiens furorem filii Absalom in desertum Mahum et alios recessus se abdidit. Nam quia Deus montem Sion elegerat tam domicilio arcae foederis, quam regis solio, dicit David

se eiectum esse in extremos terrae angulos, quia a praecipua et maxime optabili parte eiectus erat. Iam si David sub umbratili legis cultu, quamvis a sanctuario longe profugus esset, orare tamen non destitit, nulla erit hodie torporis nostri excusatio, nisi fide in coelum conscendimus, quaecunque obstacula nobis obiciat Satan, quando nos ad se tam benigne Deus invitat, et via patefacta est per Christi sanguinem. Ergo quibus ablata est verbi praedicatio, et qui sacramentis privati, ab ecclesia Dei exsulant, Davidis tamen exemplo discant, ab ipso deserto et longa distantia ad Deum clamare. Tristitiae et moeroris postea meminit. Deinde adiungit, se ab omnibus refugiis fuisse exclusum, quo clarius in ipso exitu refulgeat Dei gratia. Quia verbum *אֲנִי* Hebraeis tegere interdum vel involvere significat, vertunt quidam hoc loco, *Dum voluitur cor meum*: ac si diceret iactari sursum et deorsum, vel aestuare. Verum haec expositio durior est. Rectius alii, Dum curis et molestiis involvitur vel obruitur cor meum. Ego quod simplicius erat sequi malui: quanquam metaphoram illam non repudio. Caeterum hac particula testatur sibi tristitiam non obstare quominus ad Deum confugiat. De externa tentatione nuper diximus, quum a sanctuario procul remotus esset, distantiam, quae interposita erat, superasse, ut clamorem suum ad Deum dirigeret: nunc fatetur non fuisse sibi cor ferreum, vel stoica duritie obstupefactum contra dolores et molestias, sed intus quoque difficilem sibi fuisse luctam cum moestitia et anxietate cordis. Ergo quo magis se constringi aegritudine vel cura sentiunt fideles, eo fortius eniti convenit, ut haec impedimenta perrumpant. Haec vero summa est, ut Deus in tutum asylum, a quo videtur excludi, eum recipiat. Rupis enim vel *arcis* nomine securam protectionem intelligit: ab ea se dicit arceri, quia, nisi Dei manu erectus, gradum promovere nequeat. Nam quum undique circumspiceret, tuta omnia et tranquilla loca quodammodo in sublime attolli putabat, et accessum negare. Conqueritur ergo omnia auxilia sibi abripi, et a se procul alienari: sed interim quamvis nulla appareat liberationis ratio, se tamen non dubitat fore salvum, si modo Deus porrigere manum velit. Simplex itaque absque figura sensus est: Quamvis mihi subtrahantur omnia auxilia, et totus mundus effugia omnia praecludat, tu Deus praeter spem me eripies. Quae doctrina apprime notatu digna est, ut discamus salutem, quae a Deo speranda est, proprio carnis sensu non metiri, nec subsistere in mediis quae occurrunt, sed Dei arbitrio permittere arcanos servandi modos. Nam quisquis formam praescribere tentat, videtur data opera immensam Dei potentiam in arctum cogere.

4. (*Quia fuisti spes mihi.*) Vel superiora Dei

beneficia confirmandae fidei suae causa in memoriam revocat: vel sibi iam de praesenti liberatione gratulatur. Utrumque enim probabile est, nam quum nihil nos ad bene sperandum melius animet, quam recordatio cognitae et perspectae Dei gratiae, in hac meditatione David saepe inter precandum se exercet. Quia tamen reliquum Psalmum in gratiarum actione consumit, absurdum non erit hinc exordium facere. Quanquam si placeat hic sensus, particula *יְיָ* affirmativa potius erit quam causalis. Versu quidem proxime sequenti secure gloriatur sibi posthac locum semper fore in sanctuario Dei. Nam quod putant quidam adhuc eum profugum, et a patria extorrem, reditum sibi promittere, nescio an conveniat, magis enim videtur de restitutione laetari, quam longinquam consolationem doloris sedandi causa accersere: quod ex sequenti contextu melius patebit. Quanquam autem postliminio in suum palatium reversus erat, regiae tamen dignitati, opibus, splendori, et deliciis cultum Dei praeferit. Sicuti enim alibi ostendit, inter saevissimas calamitates nullo dolore aequae se cruciari, quam quod pietatis exercitiis carebat: sic nunc ad felicitatem pluris aestimat, suppliciter coram altari iacere, quam sedere in regis solio. Caeterum continuo post declarat se sub externis illis figuris non superstitiose coluisse Deum, ut solebant crassi homines, sibi enim quietem eligit *sub umbra alarum Dei*. Nam quum visibili tabernaculo rude vulgus Deum affigeret, David hoc symbolo admonitus, spiritualem fidei intuitum sursum extulit. Neque tamen infitior quin ubi de umbra alarum loquitur, ad Cherubim alludat. Tantum hoc nobis fixum maneat, Davidem non fuisse retentum in mundi elementis, sed sursum fuisse evectum, ut spiritualiter Deum quaereret ac coleret.

6. *Quia tu Deus audivisti vota mea, dedisti haereditatem timentibus*) nomen tuum.* 7. *Dies super dies regis adiciēs, anni eius sicut generatio et generatio.* 8. *Habitabit in saeculum coram facie Dei: clementiam et veritatem para, custodient eum.* 9. *Sic canam nomini tuo in saeculum, ut reddam vota mea quotidie.*

6. (*Quia tu Deus audivisti.*) Confirmat quod nuper dixit de quiete statione sub alis Dei. Indē enim subita laetitia, quod Deus exauditis eius precibus tenebras in lucem veterat. In nomine *votorum* est synecdoche, nam quia precando vota nuncupaverat, sub una parte totum intelligit. Summa est, quamvis prudenter colligendis viribus tempus sumpsisset, sacerdotum etiam favore, et strenui militum opera esset adiutus, statum tamen suum

*) A ceux qui craignent, *en marge*: ou de ceux.

nonnisi certa et manifesta Dei virtute recuperasse. Si in nomine ירי esset litera י, nulla esset ambiguitas quin generaliter diceret, Deum haereditatem dedisse suis cultoribus. Nunc potest alter sensus non male quadrare, datam fuisse Davidi haereditatem quae manet omnes Dei cultores. Ego tamen generalem sententiam libentius amplector, Deum nunquam frustrari servos suos, quin perfunctos certaminibus et molestiis, quibus exercet ac probat eorum fidem, aeterna tandem felicitate donet. Oblique enim stultam confidentiam ridet David, quae exsultant impii in rebus prosperis, quantisper illis indulget Deus, vel parcat. Illa enim felicitas, in qua sibi placent, nonnisi imaginaria est, statimque evanescit. David autem nomine *haereditatis* servos Dei non evanida prosperitate, sed solido firmoque gaudio frui docet: quia temporales vel momentaneae afflictiones, quibus probantur, adiumenta sunt aeternae salutis. Gratias itaque agit Deo, quia non ad triduum duntaxat exhilaret suos cultores, sed in certa et stabili vita eos confirmanes, quasi haereditarium illis fundum assignet. Et certe quum fide non possideant impii Dei beneficia, quasi ex rapto in diem vivunt. Vera autem et legitima bonorum fruitio penes solos Dei cultores residet.

7. (*Dies super dies.*) Non potest ad Davidis personam restringi haec gratulatio. Etsi enim prorogata fuit eius vita usque ad ultimum senium, et pacato regni statu, tradita etiam filio successione, satur dierum mortuus est: non tamen excessit unius hominis aetatem: et maior etiam vitae pars multis aerumnis, curis et doloribus misere confecta fuit. Quare non dubium est quin istam annorum seriem atque etiam aetatum ad Christum usque continuat. Diximus enim iam saepius qualis fuerit illius regni conditio: nempe ut Deus populum unum sub uno capite collectum tueretur: ac rursus ex dissipatione colligeret. Iam vero ad nos quoque pertinet ista successio, quia Christum non in se modo, sed in suis membris usque ad finem mundi vivere oportet, sicuti dicit Iesaias 53, 8: Generationem eius (vel aetatem) quis enarrabit? Quamvis enim variae tempestates et procellae, varique hostium insultus quotidie multas ruinas ecclesiae minentur, denuntiat tamen propheta saeculis omnibus fore superstitem: David vero usque ad Christi ipsius adventum continuam regni propagationem praedicat.

8. (*Habitabat in saeculum.*) Simplicior loquutio est, quam quum nuper dicebat, Habitabo in tabernaculo. Se enim Dei protectione securum et tranquillum fore dicit, quia eum habebit vitae suae custodem. Neque enim dubium est quin per *Dei faciem* notetur providentia et paterna cura quam de suis suscipit. Et certe inter tot pericula quibus undique obsidemur, ne ad momentum quidem staremus, nisi nos Dei oculus salvos praestaret. Haec

autem vera est beatae vitae stabilitas, ubi persuasum est divinitus eam gubernari. Sequitur altera postulatio, ut Deus *clementiam et fidem decernat*, custodiendo et tuendo regem: cuius potest duplex esse sensus. Quia enim humanitas et fides verae sunt regnorum fulturae, non absurdum esset, Davidem sibi petere mansuetudinis vel clementiae et integritatis spiritum, ut hoc modo in regno stabiliretur. Meo tamen iudicio probe conveniet alter sensus, ut Deus ad custodiendum regem clementia et veritate sua se accingat. Nam מנר non tantum parere sed etiam praeficere vel decernere significat: ac si dixisset regni sui fidelem custodiam in sola Dei misericordia fide includi. Interea verbo *parandi*, vel praecipendi ostendit Deo esse in promptu media quibus suos conservet. Tandem concludit se constanter et assidue operam daturum canendis Dei laudibus ad vota sua solvenda, ubi iterum notanda est harmonia inter duas invocationis Dei partes: quia David non minus in mediis periculis ad Dei opem confugit, quam gratum se ostendit postquam liberatus fuerat.

PSALMUS LXII.

ARG. Psalmus hic magna ex parte meditationes continet, quibus David se et alios ad spem in Deo locandam animat, et contra tentationum certamina armat et instruit. Quia vero nihil proclivius est quam sensus nostros fallacibus mundi illecebris a Deo abstrahi, ut effluant et evanescant, acriter in hanc vanitatem invehitur, ut se et alios in solo Deo contineat.

1. *Praefecto super Ieduthun Psalmus Davidis.*
2. *Verumtamen ad Deum silet anima mea, ab ipso salus mea.* 3. *Verumtamen ipse est rupes mea et salus mea, arx mea: non movebor graviter.*

Quia scitur Ieduthun unum fuisse ex praecipuis cantoribus, putant quidam mandatas ei fuisse partes canendi huius Psalmi. Et certe Psalmo 39 probabile est notari cantorem ex illa familia. Sed hic diversa videtur ratio, quia non dicitur Psalmus ipsi Ieduthun fuisse datus, sed super Ieduthun. Unde nonnulli coniiciunt celebris cantilenae fuisse initium. Caeterum quia particula יי tantundem saepe valet atque latinum ad, vel propter, vel coram, vel apud: non male quadrabit, Psalmum hunc fuisse depositum apud posteros Ieduthun. Hoc de inscriptione breviter dictum sit. Si placeat versio quam posui, Psalmus ex abrupto incipit, sicuti patheticae sententiae ut plurimum defectivae sunt: ac omnino tale initium est Psalmi 73. Nam, ut illic clarius videbitur, propheta ex disceptionibus inter quas aestuaverat, mentem suam colligens,

ac si ansam contrariis rationibus praecideret, adversative pronuntiat, Deus tamen Israeli suo bonus est. Idem et de praesenti loco sentio. Scimus non ita compositas esse piorum mentes, quin saepe alternis fluctuationibus iactari contingat. Dei quidem verbum placido silentio excipere cupiunt, et, si eos castigat, obmutescere: sed interim multi incompositi affectus tumultuando fidei et patientiae silentium perturbant: unde fit ut ebulliant homines: nec minus sua impatientia molestiam et inquietudinem sibi accersant, quam Deo sint obstreperi. Particulam **א** quia saepe exclusiva est apud Hebraeos, quidam vertunt Tantummodo: quia vero aliquando affirmat, alii reddunt per Vtique vel certe. Sed plenior sensus constat repugnantiam illam subaudiendo, a qua se violenter expedit David, ac si captivos tenens suos sensus, in obsequium cogeret. Quia igitur turbulentos in eo affectus excitaverat Satan, eumque impulerat suis machinis ad aliquam interperiem: nunc se ipsum refraenans, statuit sibi *tacendum esse*: quo verbo intelligit patienter et sedato animo ferendam esse crucem: opponitur enim inquietudini, qua contra Deum insurgimus, denique silentium hoc nihil aliud est quam composita subiectio, dum acquiescunt fideles in Dei promissionibus, locum dant eius verbo, imperio obtemperant, omnemque effectuum strepitum in cordibus suis cohibent. **דְּמִיָּה** quidam nomen formale esse putant, sed quia ad summam rei parum refert, non adeo laboro. Tertio versu iterum **א** adversative sumi sentio. Neque enim sufficit uno proelio vel congressu victores esse fideles in tentationibus: quia mox de integro novas illis pugnas movet Satan. Ergo David, quamvis iam emergerit ex ipso gurgite, quia tamen non omnes difficultates evasit, secundo luctatur. Quin etiam haec particula sexies in hoc Psalmo nobis occurret. Atque haec ratio est cur Deum multis epithetis insigniat, ut totidem scilicet clypeis excipiat ac repellat Satanæ insultus. In fine versus, ubi dicit, *non labar*, vel non movebor *graviter*, subindicat fieri quidem posse ut prematur rebus adversis, quia sciebat communibus incommodis se esse obnoxium: sed sibi persuadet casus non fore mortiferos, quia Deus supponet manum suam. Postea simpliciter dicet absque adiectione *Non nutabo*, vel non labar: forte quia orando profecerat, ut confidentius afflictiones despiceret. Quamquam potius videtur idem velle utroque loco. Et certe quamvis ad tempus afflicti iaceant fideles, quia tamen non succumbunt quin saltem Deus eos attollat, hoc non est propriè cadere: imo quum Deus spiritu suo eos sustentet, non est percelli nec labi.

4. *Quosque protrahetis insidias viro?*) occide-mini vos omnes, quasi paries inclinatus, et maceria impulsa.* 5. *Tamen de elevatione eius consultant ad impellendum: diligunt mendacium, ore suo benedicunt, et in cordibus suis maledicunt. Selah.* 6. *Verumtamen ad Deum sile anima mea, quia ab ipso exspectatio mea.* 7. *Verumtamen ipse rupes mea, et salus mea, arx mea, non labar.*

4. (Quosque.) Verbum **תְּרַחֵץ** putant quidam sumi pro cogitare vel machinari insidias. Alii interpretantur linguam protrahere in signum ludibrii. Alii vertunt, Irruere. Mihi videtur optime quadrare: Quousque cogitabitis super virum? vel, perversis cogitationibus non desinetis exitium viro machinari? Hostes enim suos insimulat obstinatae malitiae, quod nullum non moveant lapidem ad nocendum, novaque subinde exitia moliantur. Quo exemplo docemur, patienter ferendum esse quoties hostes nostri infatigabili saevitia pergunt nefaria in perniciem nostram consilia inire: et Satan etiam nova subinde artificia illis suppeditat. Sed videndum quorsum spectet similitudo quae mox additur. Quidam putant impios conferri *parieti inclinato*, qui assidue minatur ruinam, sicuti illi in suis sceleribus ad singula momenta labascunt, donec ruant praecipites. Mihi potius alio spectasse videtur David, nam sicut paries male coagmentatus ventrem proicit, et fere suam latitudinem externa specie duplicat, quum interior vacuitas in ruinam tendat: sic impii fastus sui vento turgentes suarum consultationum terrorem dilatant. Sed quemadmodum paries vitiosus, intusque corruptus, subito impetu cadens, non modo se ipsum frangit propria mole, sed conterit in minutas partes, ita hostibus suis David inexpectatam ruinam denuntiat, et qua prorsus conterantur. Nam quum **גָּדֵר** *gader* proprie quamlibet clausuram significet ex levi infirmaque materia compositam, additur tamen epitheton, impetuosus et violenti casus exprimendi causa. Significat ergo David, quamvis in sublime erecti sint hostes sui, et ex largo fastuosoque pulmone atroces minas crepent, ruituros tamen subito et quidem praecipiti casu, instar parietis impulsu.

5. (Tamen de elevatione eius.) Semper adversative interpreto particulam **א**: quia sicut David ab una parte aedificat fidem suam, ut firma recumbat in gratiam Dei: ita sibi ex adversa parte proponit hostium machinationes, superbiae, crudelitatis, fraudum et audaciae plenas: ac si diceret, Quamvis omnia conando nihil aliud proficiant nisi quod se impellunt praecipites, furore tamen correpti non desinunt semper novi aliquid intendere ad me

*) prolongerez-vous embuches contre l'homme, en marge: ou courrez-vous sus.

deiciendum. Oblique vero subindicat, non tam sibi quam Deo bellum inferri: sicut apud poëtas pingitur impietas sub gigantum*) persona. Neque enim satis animosi Dei hostes sibi videntur, nisi caput efferant supra nubes. Primum David in tertia persona sic de se loquitur, ut tamen divinitus se exaltatum fuisse intelligat. Quanquam potest etiam commode intelligi Dei ipsius elevatio: summa tamen huc redit, impios toto conatu incumbere ad eum opprimendum quem Deus extulit, et in sua altitudine vult tueri. Sequitur autem, bellum eos suscipere cum Deo, qui opus eius evertere conantur. Huc pertinet secundum membrum, *diligere fallacias*: quia scilicet legitimam eius vocationem non ferentes, perversa consilia quotidie excudere non cessabant, quae in ipsorum capita reciderent, sicut etiam Psalmo 4, 3 dixit: Filii viri usquequo gloria mea opprobrio? diligitis vanitatem, quaeritis mendacium? Selah. Quanquam potest etiam mendacii nomen referri ad occultas fraudes, quibus insidiosae adoriebantur sanctum virum: quia mox sequitur, *ore suo benedixisse, quum tamen in corde maledicerent*. Ut-cunque sit, contra omnem perfidiam, omnes fraudes et noxas hoc uno se munit David, quod in Dei futuram recumbens, frustra omnibus adversis machinis impetitur.

6. (*Verumtamen ad Deum.*) Videtur quaedam esse repugnantiae species. Nam quod ante animam suam fecisse iactavit, nunc hortatur ut faciat. Si iam Deo silebat eius anima, quorsum opus fuit novum silentium indici, quasi tumultuaretur? Sed notandum est, nunquam ita bene pacatas esse mentes nostras quin sentiant caecos motus: quemadmodum si mare commoveat levis aura, non ut magno fervore surgant fluctus, sit tamen aliqua fluctuatio. Quum ergo non sine aliqua iactatione se contineant piorum mentes, non abs re David animam suam, quae iam quietata erat, conticescere iubet, ac si diceret, sibi magis ac magis proficiendum esse in hoc silentio, donec carne in totum subacta compositus sit ad Dei obsequium. Deinde videmus ut saepius ad novam inquietudinem titillet Satan qui videntur optime sedati. Ut autem sumus instabiles, et ad varios motus plus satis proni, opus est nova confirmatione. Quare ne miremur si David animam suam, quae iam silentio assueta erat, rursus tacitam esse iubet: quia inter carnis impulsus nunquam perfecte quiescimus ut decebat. Et periculum est ne exorientibus subinde novis ventis turbetur interior nostra tranquillitas: ideoque exemplo Davidis, ad pergendum nos hortemur. Silentii sui causam ponit, quia etsi non statim respondeat Deus, in eo tamen tuto speret. Nam *expectationem suam a Deo*

esse dicit, quia suorum patientiam nunquam frustratur: Reposita (inquit) certa est merces silentio meo, ideoque me cohibebo, ne festinatio mea salutis meae cursum perturbet.

8. *Ad Deum salus mea, et gloria mea, rupes fortitudinis meae, spes mea in Deo.* 9. *Sperate in eo omni tempore popule, effundite coram facie eius corda vestra: Deus spes nobis. Selah.* 10. *Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri, in statera ut adscendant ipsi prae vanitate simul.* 11. *Ne confidatis in oppressione et praeda, ne evanescatis: divitiae si affluent, cor ne apponite.*

8. (*Ad Deum salus mea.*) Accumulat quidquid potest ad se retinendum: quia nihil infirmitati carnis nostrae proclivius est quam dilabi ab vagos errores. Fatebimur uno verbo, non aliunde quam ab ipso petendam salutem esse: sed eius virtute diffusi, hinc inde cupiemus accersere subsidia quae defectum suppleant. Quotquot ergo elogiis celebrat David potentiam Dei ad servandum, totidem fulturis ad constantiam se confirmat: totidem etiam fraenis compescit carnis suae levitatem, ne quam salutis suae partem alibi quam in Deo quaerat. Postquam vero probe se animavit, sermonem convertit ad alios, et ad certaminum societatem invitat, quae victoriae et triumphi pariter sint consortes. *Populum* appellans, mihi dubium non est quin Iudaeos designet: quia antequam gentibus illuxisset religio, et Dei notitia, non alibi quam in Iudaea vigere poterat spes ac Dei invocatio: et clare electum populum a profanis gentibus discernit: ac si diceret, indignum esse nisi se totos Deo addicant Abrahae filii, quibus patefacta est eius gratia, et quos in suum patrocinium recepit. *Tempus* autem omne intelligit sive prosperum, sive adversum: significans perperam eos facere qui ad minimam quamque inclinationem cedunt, ac declinant. Quamvis itaque afflictionibus suos probet Deus, fortiter in spe et tolerantia standum esse admonet David. Nam hypocritae, qui in rebus laetis Deo plaudentes, simulac contigit aliquid adversi, animis deficiunt, non sine gravi eius iniuria ianuam praeccludunt eius potentiae. Dandus itaque honor est Deo, ne in gravissimis quibusque malis solari nos desinat haec cogitatio, penes ipsum esse exitus mortis. Iam quia in angustias contrahuntur corda hominum rebus adversis, et hoc vitio nihil aliud quam se ipsos exasperant contra Deum, moeroremque suum augent, optimum remedium adhibet David, ut fideles curas suas in Deum exonerando, quodammodo *ante eius oculos corda sua effundant*. Quantisper enim observatum est cor dolore, nunquam exeunt liberae preces. Ergo ne obruant nos tentationum onera, hinc nobis levatio petenda est, quod aegritudini nostrae

*) *Le français porte*: Jupiter. *Margo vero gigantes Iovi opponit.*

succurret Deus, modo ne in illius sinum eam reicere negligamus. Porro quum maligna quaedam restrictio omnium fere animos occupans, tandem in desperationem coniciat, eo nobis utilior est Davidis admonitio. Nam quamvis omnes ad quaerendos malis suis exitus non minus solertes sint quam seduli, quia tamen data opera subterfugiunt Dei conspectum, meros sibi labyrinthos fabricant. In summa, David morbum naturae nostrae ingenitum corrigit, quia dolorem nostrum occultando, fraenum intus rodere malumus quam pias querimonias et preces apud Deum fundendo, nos levare. Unde fit ut magis ac magis impliciti doloribus, mergamur in desperationem. Iam quod de se uno praedicaverat, extendit ad totum populum, saluum fore pronuntians sub Dei custodia.

10. (*Verumtamen vanitas.*) Si **אין** affirmative accipere libeat pro Certe, vel utique, erit superioris sententiae confirmatio: et a repugnantibus ostendet David, quum homines ipsa vanitate sint vaniores, nihil aliud restare, quam ut spes omnes suas ad unum Deum referant. Apte tamen contextus fuet si dicamus, quia videbat David sine profectu surdis se canere hanc doctrinam, quod populus pro suo ingenio diffunderet in spes fallaces, nunc prae indignatione exclamare: Atqui mera vanitas regnat in filiis hominum. Hoc modo damnavit caecam hominum incredulitatem, quibus satius est vanis illecebris se decipere, quam inniti Dei promissionibus, quae fallere nequeant. Porro quia tantam vanitatem deprehendebat David in electis Abrahae filiis, pronunciat in genere totum humanum genus mendaciis esse deditum. Nam per adverbium **אין** significat cunctos sine exceptione appetere errandi causam. Iam vero ubi audimus non in paucis hominibus damnari hanc pravitatem, ut vanitate vaniores sint, sed in ipsa natura: quid residuum fieri dicemus rationi, et prudentiae, ac libero arbitrio? Nec obstat quod fideles hoc morbo purgat Deus: quia si regeneratione spiritus in illis corrigitur mendacium et vanitas, sequitur natura fuisse mendaces. Etsi autem primus homo integer a Deo creatus est, suo tamen lapsu in hanc corruptionem nos traxit, ut prorsus obtenebratum sit quidquid lucis divinitus nobis datum erat. Si quis obiciat, residere tamen in hominibus non spernenda Dei dona, quibus inter omnes alias creaturas excellunt: solutio facilis est. Quamvis praeclaris dotibus ornati sint homines, corrumpi tamen peccati labe, et evanescere in nihilum. Sola enim Dei cognitio facit ut suam praestantiam retineat quidquid donorum in nos contulit Deus: alioqui vitiantur peccati contagione, quae nullam integritatis guttam in hominibus reliquit, unde merito exclamat David cunctos mortales vanitatem esse ac nihilum.

11. (*Ne confidatis.*) Hic admonet David, non

ante solide confidere homines Deo, quam exuerint fallaces omnes fiducias, quae totidem sunt avocamenta. Itaque omnia impedimenta tolli iubet, et vitiis, quae Dei locum occupant, animos purgari. Quanquam autem species tantum quasdam attingit, per synechoclen significat nunquam sincere et absque furo cor hominis Deo esse addictum, donec se contrariis omnibus fiduciis explicuerit. Per rapinas et praedam intelligere possumus tam ipsum rapiendi actum, quam res male et iniuste partas. Certum quidem est hac exhortatione reprimi libidinum audaciam, quae mentes excaecat, ut licere putent quidquid impune conceditur. In contextu etiam variant interpretes. Quidam enim singulis nominibus sua verba attribuunt, hoc modo: Ne confidatis in rapinis, ne evanescatis in praeda: et si divitiae affluent, nolite cor adiacere. Alii cum uno verbo contextunt rapinas et praedam. Verbum autem evanescendi seorsum indefinite legunt. Utramvis syntaxin eligas, non multum ad summam rei interest: quia ubi vesanam audaciam, qua inflati sunt praedones, damnavit propheta, proprio eam nomine designat, quod scilicet mera sit illusio, in qua evanescunt homines. Ino propheta uno verbo pronuntiat, spes omnes quae a Deo ad creaturas nos abstrahunt, lusorias esse ac mendaces, praesertim ubi malis et perversis artibus ditescere appetimus. Postquam autem pravos cupiditates damnavit, in quibus palam apparet scelus, subiicit continuo post, cavendum etiam esse ne opes, quamvis iustis modis partas, nos teneant sibi affixos. Porro *Cor adiacere ad divitias*, non tantum significat nimis cupide ad eas inhiare, sed earum fiducia perperam efferri, et altum sapere, ut dicit Paulus Rom. capite 11, versu 20. Iam vero quam non supervacua sit haec admonitio, quotidiano usu docemur. Nihil enim magis commune, quam ferociam gigni ex abundantia: mentes vero fastu excaecatas non minus in Deum protervire, quam insolescere effraeni nocendi licentia, praesertim metuenda est furiosa illa caecitas, ne cum Dei contumelia supercilium nimis alte tollat qui potentiae suae fiducia ebrius, suae fragilitatis obliviscitur.

12. *Semel loquutus est Deus, bis hoc audiui, quod potestas sit Deo.* 13. *Et tibi Domine clementia, certe tu rependes cuique secundum opus suum.*

12. (*Semel loquutus.*) Concludit non aliter posse abstrahi animos a vanitate, quam si penitus et constanter in Dei iudicium intenti sint. Quum igitur huc et illuc ideo raptentur hominum mentes, aut saltem vacillent, quia ad varias mundi inclinationes alternant, tranquilla statio ostenditur a Davide, ubi scilicet patienter acquiescimus in verbo Dei. Caeterum quia ad Deum, qui lucem habitat inaccessam,

1. Tim. 6, 16 nemo perveniet nisi fide directrice, Propheta verbum nobis proponit, quo testatur Deus mundum se regere iusto imperio. Et quia magnopere interest nos in verbi fide stabilire, eius certitudinem commendat. Quamquam autem duobus modis contexi possunt verba, finis tamen est, Deum aibi probe constare, ut minime timenda sit mutatio quum sermonem protulit. Multi ita legunt, Semel ac bis, vel altera vice loquutum esse Deum: ut repetitus sermo ad confirmationem valeat: ac si dixisset, Deum clare suam potentiam et bonitatem semel atque iterum asseruisse, ut iam ambigere fas non sit. Et locus Iob. 33, 14 non multum videtur absimilis, quod Deus semel et altera vice loquatur, eadem enim sunt verba nisi quod copula interponitur. Si cui magis adlubescat altera distinctio, Semel loquutus est Deus, hoc bis audi: fruatur, suo sensu. Nam et circumstantiae loci bene convenit, et inde elicitur utilis doctrina: Quia Deus ubi semel loquutus est sermonem, non retractat: nostrum esse, diu et prolixè meditari quidquid ex sacro eius ore profectum est, quasi dixisset David, Deus verbo suo nos docet: quod instar perpetui et immutabilis decreti habendum est: ego vero in verbo eius me saepius exercui, ne temporis successu obreperet huius doctrinae oblivio. Sed quia simplicior esse videtur altera loquutio, Semel et bis loquutum esse Deum, in illam facile inclino. Interea tamen repudianda est eorum argutia, qui dicunt Semel loquutum esse in lege, iterum deinde in prophetis, quia nihil aliud voluit David quam huius doctrinae auctoritatem probe sancitam esse: sicuti firmiter ac magis ratum nobis esse solet quod saepius promulgatur. Interea meminerimus, simulac verbum protulit Deus, mox absque controversia acquiescendum esse: sicuti impuri quidam canes doctrinam amplecti recusant quae non sit probata tribus vel quatuor scripturae testimoniis. Nam et ita apud nos blaterare ausus est nebulo ille, qui gratuitam Dei electionem et arcanam providentiam evertere tentabat. Neque enim Davidi propositum fuit Deo legem imponere saepius loquendi, sed dubitationem eximere eius doctrinae, quae disertis verbis, non ambiguis testata est. David postea exemplo suo docet, pia attentione reverenter excipiendum esse Dei sermonem, neque respuendum quo maior pars solet fastidio. Quia vero non promiscue quaelibet doctrinae capita hic notat, contexere operae pretium est quod continuo post addit: Si cupimus firmis animis excipere tentationum fluctus, tribuendum esse Dei potentiae et clementiae suum honorem, quia nunquam a recta linea deflectet quisquis serio persuasus erit, nihil contingere nisi Dei arbitrio, eumque non minus clementia quam imperio pollere. Postquam ergo honorifice David de verbi Dei fide praefatus est, nunc dicit se edoctum esse de eius

omnipotentia et bonitate. Quidam interpretantur instructum esse Deum potentia ad iuvandos fideles: simulque sua clementia adduci ut velit. Rectius tamen, meo iudicio, alii distinguunt, robur esse Deo ad coercendos impios, quantumvis superbe exsultent, imo satis robustum esse ad frangendam eorum duritiem: suos autem fovere et tueri, quia nunquam clementiae suae et bonitatis obliviscitur. Quisquis autem ad hanc Dei potentiam et bonitatem, quas a Deo separare fas non est, sensus suos referet, inter saevissimas quasque iactationes rectus et quietus stabit. Ubi autem Deum exuimus sua virtute, ut vulgo fieri solet, aequum est nos vicissim praesidio isto nudari quod ad repellendas omnes tentationes sufficeret. Quia mundus otiosum Deum imaginatur, quomodo non ad minimos quosque motus trepidaret, qui ad caecos fortunae impetus se expositum esse putat? Hinc ergo tranquilla securitas, si mundum subiicientes Dei imperio, nos illi ac vitam nostram permittimus. A potentia autem incipere convenit, ne dubitemus tuto munimento protegi quicumque sub eius manu degunt: sed statim clementiam adiungi convenit, ne qua nos anxietas torqueat. Alioqui in animum subibit haec disceptatio, Quid nobis prodest Dei imperio subesse mundum? an propterea nobis auxiliabitur qui indigni sumus eius cura? Non temere igitur David robur et clementiam simul copulat: quia duabus istis alis ad Deum evehimur, et istis duabus fulturis solide innitimur, ne ulla tentationum naufragia nos demergant. Haec summa est, quoties terror aliquis obiicitur, veniat nobis in mentem Dei potentia, cui facile ac promptum est discutere omnes noxas quantumvis sint formidabiles, ubi ita in animis nostris praevaleret, facile quidquid est saluti nostrae contrarium prosternet. Quid enim timendum, ubi idem Deus, qui nos sub umbra alarum suarum colligit, solo nutu gubernat totum mundum? Satanam et omnes impios devinctos tenet arcanis catenis? omnia denique omnium consilia, studia, et conatus moderatur? modo simul hoc fixum maneat, bonitatem eius piis omnibus, quia ab ipsa pendent, esse expositam. (*Tu rependes.*) Propius ad suum institutum accommodat quod dixit: nam Dei providentiae ita mundum subesse pronuntiat, ut futurus sit iustus iudex. Haec autem expectatio si in animis nostris vigeat, eos a fluctuatione colliget, sedabit omnem impatientiam: fraenabit etiam omnem intemperiem, ne ad retaliandas iniurias prosiliant. Nam hoc fine ad Dei tribunal se et alios omnes citat ac sistit David, ut in spe futurae liberationis se confirmet, fortique animo despiciat temulentam eorum audaciam: quia fieri non potest quin veniant in rationem omnium opera coram Deo, qui non magis cessabit ab officio iudicis, quam abnegabit se ipsum. Unde sequitur, quamlibet multis iniuriis simus ob-

noxii, imo nos profani homines pro reiectamentis habeant, respici tamen nostras aerumnas a Deo, ut tempestive succurrat: quia suorum tolerantiam non frustrabitur. Quod autem his sententiis probare contendunt papistae, nos operum meritis iustitiam et salutem consequi: quam frivolum sit, alibi docuimus. Simulatque facta est operum mentio, hoc arripiunt, ac si Deus tantum cuiusque merita aestimans, debitam mercedem rependeret. Atqui longe alio consilio spiritus mercedem operibus promittit, nempe ut innocentiae studeant, non autem superbiant sacrilega fiducia, quae totam salutem a radice evertit. Sic ergo iudicat Deus de operibus fidelium, ut eorum pretium et aestimatio primum a gratuita peccatorum remissione pendeat, qua sibi reconciliat indignos: deinde a mera indulgentia, quae mutilis ipsis et sordidis favorem conciliat. Scimus enim nullum opus coram Deo prodire vel perfectum vel purum nullaque labe infectum. Unde sequitur merae esse liberalitatis, quod mercedem inveniunt. Quum ergo scriptura mercedem filiis Dei promittens, tantum eos ad studium pietatis et iustitiae incitet, quo alacrius Deo militent, nihil autem Dei ipsius misericordiae deroget: nimis insulae inferunt papistae mereri fideles quod illis rependitur. Quantum ad poenas, nulla est dubitatio quin eas merito legis suae contemptoribus infligat Deus.

PSALMUS LXIII.

ARG. Psalmus hic non tam preces continet, quam pias meditationes, quas sibi inter extremas molestias, anxietates, ac discrimina in solatium proposuit. Vota etiam admiscet, quae obiectis terroribus anxius Deus nuncupaverat.

1. *Canticum Davidis, quum ipse esset in deserto Iehuda.* 2. *Deus tu, Deus meus es, mane quaeram te: sitiit ad te anima mea, concupivit te caro mea in terra squalida et siticulosa sine aquis.* 3. *Sic in sanctuario conspexi te ad videndum robur tuum et gloriam tuam.* 4. *Quia melior clementia*) tua quam vita, labia mea laudabunt te.* 5. *Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo levabo manus meas.*

1. (*In deserto.*) Per desertum Iehuda intelligi desertum Ziph, ubi David diu oberrans latuit, minime dubium est. Porro quia fideliter recitat quomodo inter ipsa pericula fuerit affectus, colligimus nullis unquam miseriis sic fuisse prostratum, quin sua vota in coelum attolleret: imo certa et constanti fide recumberet in Dei promissiones. Quod eo

*) car ta benignté, en marge: ou pour ce que ta benignté.

Calvini opera. Vol. XXXI.

magis notandum est, ut in summis etiam doloribus ad Deum enitatur, quibus minimae quaeque tentationes omnem fere eius notitiam excutunt. Atqui David non modo eum implorat, sed Deum suum esse statuit, ne dubitet suas curas in eius sinum conicere, quum tamen desertus omni auxilio, in vasta et arida solitudine quodammodo tabesceret. Fides haec qua persuasus erat Deum sibi propitium esse, et salutis suae custodem, desiderium in eius corde accendit, ut assiduis votis et ardentibus expeteret quam sperabat gratiam. Quum dicit *animam suam sitiire et carnem concupiscere*, ad egestatem et penuriam alludit qua premebatur in deserto: quasi diceret, quamvis ieiunus et famelicus omnibus vitae subsidiis indigeat, Deum tamen sibi esse inстар cibi et potus, ut illuc feratur sua esuries. Quod animae sitim, carni famem tribuit, non debet scrupulose accipi ista partitio: quia simpliciter intelligit se anima et carne Deum appetere. Quamvis enim nullo appetitu per se movetur corpus, tamen satis constat animae affectus illuc usque penetrare et diffundi.

3. (*Sic in sanctuario.*) Confirmat quod nuper attigi, se, quum in deserto rerum omnium inops ageret, nunquam tamen Dei fuisse oblitum. Nam particulae Sic non leve pondus inest: ac si diceret, Quamvis in hac solitudine nihil nisi triste et horridum appareat, ut ipsa loci asperitas possit obtinere oculos: ego tamen in gloriae et virtutis tuae intuitu me exerceo, perinde ac si in sanctuario essem. Quamdiu liberum fuerat Davidi sanctuarium adire, cultum illum legalem minime neglexerat: quia sciebat talibus adiumentis sibi esse opus. Nunc ubi prohibetur ab accessu, mentem suam ostendit non esse externis symbolis affixam: quia in spiritali Dei adpectu nihilominus se oblectat. Et simul etiam re ipsa demonstrat quam bene profecerit in illis pietatis exercitiis quae Dominus in lege mandaverat. Crassi et superstitiosi homines, quantisper ante oculos versantur caeremoniae, videntur zeli ardore in coelum ferri: sed una cum spectaculi figura statim religio illis evanescit. David autem, quamvis nunc privatus sit caeremoniis, earum tamen memoriam retinet, ut ad Deum adspiret ac nitatur. Quare discamus, eius exemplo, etiamsi nos externis omnibus gratiae Dei symbolis spoliari contingat, inter medias quoque abyssos Deum fidei oculis adspiciendum nobis esse, ne tergum ei obvertamus simulac visibiles figurae nobis ablatae erunt. Sic tota vita spirituale lavacrum quod semel Christus nobis in baptismo repraesentavit Eph. 5, 26. Tit. 3, 5 fixum in sensu nostro manere debet. Sic arcana Christi cum membris suis societas non modo in coenae actione, sed semper occurrere nobis debet. Imo si qua vis tyrannica sacram coenam et alia pietatis subsidia nobis forte

eripiat, cavendum tamen est ne se unquam mentis nostrae oculi a Deo avertant. Quum dicit se *conspicere ipsum ad videndum*, sedulam attentionem notat: ac si diceret, Studia mea ad hanc meditationem diligenter applico, ut mihi occurrat Dei gloria et virtus, quarum imago in sanctuario refulget.

4. (*Quia melior clementia.*) Quamquam eorum sententiam non repudio qui uno contextu legunt hunc versum, prius tamen membrum, meo iudicio, cum superiore versu aptius cohaeret. Mihi enim causam reddere videtur David cur tantopere Deo fuerit addictus, Ac primo quidem notandum est, sub *vitae* nomine comprehendere media omnia quibus statum suum tuentur homines. Quamdiu enim videmur nobis probe muniti, in mentem non venit ad Dei misericordiam confugere. Denique nostrum esse, ut ita loquar, perstringit nobis oculos, ne cernamus sola Dei gratia nos subsistere. Quia ergo terrenis subsidiis suffulti Deum fere obliviscimur, hic asserit David, melius nobis esse in ipsa morte subniti Dei misericordia, quam in vitae apparentia confidere. Frigidius ac dilutius alii exponunt, vitam nostram, quamvis pretiosa sit, postponi Dei misericordiae: ac si diceret, omnibus bonis hoc unum merito praeferrere, quum Deus nobis est propitius. Atqui tenenda est antithesis inter incolumem statum, in quem recumbunt homines: et Dei misericordiam, quae labentibus et mox perituris subvenit, et quae ad supplendos (ut ita loquar) omnes defectus unicum remedium est. Quod Augustinus in numero plurali argute philosophatur, non satis firmum est. חַיִּים Hebraei vitam nominant. Quia vitas legebat Augustinus, putavit, prout quisque vel divitiis inhiat, vel deditus est voluptatibus, vel delicias sectatur, vel honores appetit, vel ad ingluviem suam proiectus est, ita singulis tribui propriam vitam. His autem omnibus vitis vitam aeternam opponit, quae secundum ipsum metonymice vocatur Dei misericordia: quia mera gratia nobis donatur, non acquiritur operum meritis. Atqui simplicior est, ut dixi, prophetae sensus, nihil esse si affluant homines omnibus bonis, si opibus floreat, omnibus denique modis ad vitae securitatem muniti sint: quia praestat a sola Dei misericordia pendere, quam in essentia nostra, omnibusque eius fulturis fundari. Unde sequitur, quamvis laborent inopia fideles, premantur iniuriis, sub morbis langueant, sitiunt ac esuriant, multis curis et doloribus angantur, nihil tamen obstare eorum felicitati, quia Deo propitio in solidum illis bene est. Rursum incredulos, quamvis totus illis mundus arrideat, miseros tamen esse, quia Deo adverso ipsorum conditio maledicta est. Hinc colligit David laudandum sibi esse Deum, sicuti bonitatis eius cognitio os nobis aperit. Atque idem clarius proximo versu declarat, quum dicit *benedicturum in vita*. Quan-

quam aliqua est in verbis ambiguitas. Nam particula sic liberationem notare potest, ac si diceret, iustam sibi Dei benedicendi causam esse, quia re ipsa expertus sit longe melius esse nobis vivificari ab ipso quam apud nos vivere. Potest etiam de calamitoso et afflicto Davidis statu accipi: quia nuper dixit solitudinem deserti sibi non obstare quin ad Deum respiciat. Vita etiam potest accipi tam de ipsa salute divinitus oblata, quam de toto vitae cursu. Ac videtur prior sensus, sicut uberem doctrinam continet, ita melius congruere, hoc modo: Quia tuo beneficio salvus et incolumis supersum, alacrius tibi benedicam. Sic etiam alibi: Non moriar. sed vivam et narrabo opera Domini, Psal. 118, 17. Item: Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in sepulcrum: sed nos qui vivimus, benedicemus Domino etc. Psal. 115, 17. Secunda parte versus per *elevationem manuum* vota et preces intelligit: ac si diceret se non modo gratias acturum, sed sumpturum quoque fiduciam precandi, et ita in Dei invocatione assiduum fore. Et sane Deus ipse liberaliter nobiscum agendo non modo ad gratitudinem nos incitat, sed spem nostram confirmat in futurum tempus, ne de solido complemento gratiae dubitemus, cuius initia sumus experti. Quidam Levare manus in nomine Dei referunt ad plausum. Alii tantundem valere putant ac si diceret David, se fretum Dei auxilio intrepide congressurum cum hostibus. Sed iam exposui quid mihi magis placeat.

6. *Sicut adipe et pinguedine satiabitur anima mea, et labiis iubilationis laudabit os meum.* 7. *Certe*) memor ero tui super lectum meum: in vigiliis meditabor de te:* 8. *Quia fuisti auxilium mihi, et in umbra alarum tuarum iubilabo.* 9. *Adhaesit anima mea post te, me sustinebit dextera tua.*

6. (*Tanquam adipe.*) Est proximae sententiae confirmatio: quia David metaphorice sibi a Deo promittit uberrimam bonorum omnium copiam, quae laetitiae et iubilationis materiam praebet. Etsi autem in otio et abundantia Psalmum hunc composuit, probabile tamen est, quum adhuc inopes et famelicus erraret in deserto, satietatem hanc, a qua procul aberat, sperasse. Atque haec insignis est fidei probatio, quum Dei gratia, licet abscondita, eminens perspicitur. Et hoc exemplum diligenter notandum est, ne animos despondeamus quoties laute saturantur impii, imo se ingurgitant, et sine modo luxuriantur in sua copia: nos vero aridi et inopes esurimus. Nam Davidem quoque potuit sua egestas ad desperationem impellere: sed quia sciebat proprium esse Dei munus, satiare animam fameli-

*) Certes, en marge: ou quand.

cam, speravit, eo propitio nihil sibi defore. Iam quia multis necessitatibus patientiam nostram Deus probare vult in hac vita, discamus, usquedum adveniat tempus plenae satietatis, patienter ferre nostras iniurias. Porro notandum est, sub metaphora *adipis et pinguedinis* non intelligi saginam qualis cernitur in profanis hominibus, qui intemperanter luxuriando ingluviem suam replent: atque ita obruti quasi mente alienantur, modum enim satietatis statuit David, ut tanto alacrius se accingat ad canendas Dei laudes.

7. (*Certe memor ero.*) Posset etiam legi, Quando, vel Quoties memor ero tui, in vigiliis precabor. Sed quia conditionalis particula **כִּי** non solum pro adverbio temporis sumitur, sed quandoque etiam affirmat: nolui sine causa a recepto sensu recedere. Si affirmative legas, idem valebunt Memorem esse, et Meditari: eritque eiusdem sententiae repetitio. Sin magis placeat conditionalis particula, sensus erit, Quoties in mentem venerit Dei nomen, Davidem libenter cogitaturum, et verba etiam facturum de eius beneficiis. Ponit autem noctis vigilias, quia ubi subducti sumus ab hominum conspectu, non modo recurrunt curae, sed animus liberius se applicat ad has vel illas cogitationes. Sequitur causae redditio, quia Dei auxilio servatus fuerat. Talis autem experientia (ut saepius iam dixi) non modo stimulare nos debet ad laudes Dei canendas, sed etiam ad invocandum eius nomen, sicut dicitur Psal. 5, 8: In multitudine bonitatis tuae ingrediar templum tuum. Secunda pars versus ad spem refertur, quod scilicet exsultabit David, vel iubilando, triumphos suos aget sub umbra alarum Dei: quia non minus secure laeto et hilari animo quiescet sub praesidio Dei, quam si esset extra omnem aleam.

9. (*Adhaesit anima.*) Quia verbum **דָּבַק** saepe apprehendere vel persequi significat, praesertim ubi cum praepositione **אֲחֶרֶת** construitur, non minus quadrabit haec versio, Anima mea post te perget, vel contendet. Quod si Adhaerendi verbum magis placeat, utroque tamen modo significat David cor suum firma perseverantia semper affixum fore Deo. Hoc enim valet dictio **אֲחֶרֶת**: Quamvis longum ac difficile iter facere oporteat, multaeque remorae impediunt, imo quamvis Deus ipse procul discedat, Davidem minime defatigatum iri quin constanter pergat. Posterius membrum simpliciter posset accipi de illa, cuius prius meminit, liberatione: ac si diceret optimam sibi fulturam esse, ne deficiat Deum quaerendo et sequendo, quia eius manu hactenus rectus et integer stetit. Ego tamen longius extendo, quod sibi donum constantiae a spiritu Dei promittat David. Nimis enim magnifice iactasset, sibi ad extremum usque in Deo persequendo vel amplexando constantem fore animi affectum, nisi mox

addita fuisset haec correctio, cor eius ita firmum fore quatenus Dei manu sustinebitur.

10. *Et ipsi dum quaerunt ad perdendum animam meam, ibunt in infimas partes terrae.* 11. *Deiciet eum in aciem gladii, pars vulpium erunt.* 12. *Rex autem laetabitur in Deo, et gloriabitur quisquis iurat per eum: quia obstruetur os loquentium mendacium.*

10. (*Et ipsi dum quaerunt.*) Hic iam securius David, quasi potitus victoria, exsultat. Quanquam autem Psalmum composuit rebus suis pacatis, non dubium tamen est, quum adhuc e filo penderet eius vita, haec eadem sperasse quae postea cecinit. Summa est, Hostes, quamvis immineant eius capiti, brevi tamen perituros: quia Deus praecipites deiciet: neque modo tradet in exitium, sed efficiet ut insepulta iaceant eorum cadavera. Nam *partem vulpium esse*, tantundem valet atque a feris vorari et laniari. Saepe autem poenam hanc minatur Deus reprobis, ubi hostili gladio perierint, praedam fore lupis et canibus, quia sepulcri honore ipsos privabit. Contingit quidem interdum idem optimis quibusque, sicuti temporales poenas bonis et malis communes esse scimus: sed hoc est discrimen, quod Deus servorum suorum ossa, etiam dum huc et illuc dissipata sunt, colligit, et reponit sub fideli custodia, ne quod ex illis pereat: in reprobis autem ossium dispersio, aeterni interitus praeludium est.

12. (*Rex autem laetabitur in Deo.*) Quia Deus non modo privatim auxiliatus est Davidi, sed in eius persona, totius ecclesiae saluti consuluit, merito publicam laetitiam cum sua hic coniungit: sicuti etiam a capite pendebat totius corporis incolumitas. Ac pia magnanimitas notanda est, quod multis mortibus obsessus, regem tamen se vocare non dubitat: quia licet regno promisso non fruatur, eius tamen possessionem fide retinet. Laetitiam vero se in Deo capturum dicens, gratum se fore praedicat: sed extollit Dei gratiam, quia ad piorum omnium conservationem pertineat. Diximus enim statum electi populi tunc non aliter potuisse esse salvum quam vigente et florente Davidis regno, quia sub figura illa docere nos voluit Deus, totam nostram felicitatem et gloriam in Christo fundatam esse. Per eos *qui iurant in Dei nomine*, pios omnes eius cultores synecdochice designat. Quia enim species est divini cultus, statuere eum testem ac iudicem, pietatis professio saepe per insiurandum intelligitur, non quod Deus inter servos suos censeat quicumque in ore habent sacrum eius nomen, quando et multi scelerate peierando atroci eum contumelia afficiunt: alii etiam levibus et frivolis iuramentis violant vel imminuunt eius maiestatem: hypocritae vero perperam eius nomine abutuntur: sed David non alios hic designat nisi qui sobrie et reverenter

per Dei nomen iurant, et quorum linguis respondent corda, quod etiam ex antitheto melius liquet. Iurantibus enim per nomen Dei opponit *loquentes mendacia*: qua voce non tantum perfidos et dolosos homines perstringit, sed etiam qui sacrilegis fallaciis Dei nomen profanant.

PSALMUS LXIV.

ARG. Continet hic Psalmus querimoniam precibus mistam. Nam quo magis Deum ad misericordiam inclinet David, tam de iniusta hostium suorum saevitia, quam de insidiis perversisque machinationibus conqueritur. Tandem oculos ad Deum convertens, sibi de meliore exitu gratulatur.

1. *Praefecto Psalmus Davidis.* 2. *Audi Deus vocem meam in precatone mea: a terrore inimici custodi vitam meam.* 3. *Absconde me a consilio malignorum, a coetu operantium iniquitatem.* 4. *Quoniam acuerunt quasi gladium linguam suam, direxerunt sagittam suam sermonem amarum.* 5. *Ad iaculandum in occultis contra integrum: repente iaculabuntur, nec timebunt.* 6. *Obfirmant sibi facinus impium, sermonem conferunt de abscondendis laqueis: dicunt, Quis videbit eos?* 7. *Scrutati sunt iniquitates, impleverunt scrutinium scrutatum, et intimum cuiusque, et cor profundum.*

2. (*Audi Deus vocem meam in precatone mea.*) Praefatur se orare serio et ardenti affectu, et simul necessitatem ostendit. Ardoris et vehementiae signum est vocalis precatio. Mox ad angustias quibus urgetur descendit, commemorans mortis terrores qui ingerebantur ab hostibus: deinde alias circumstantias quibus gratiam sibi conciliet. Deum enim vitae suae custodem implorans, de ea se periclitari significat. Secundo versu dicit sibi esse cum multis certamen, ideoque imparem esse ad sustinendos eorum insultus, nisi Deus succurrat. Quanquam verborum ambiguitas sensum duplicem nobis parit. **סוד** enim quod arcanum significat, quidam hic accipiunt pro occultis machinationibus: alii vero pro coetu consultantium. Ego *consilii* nomen, quod Latinis quoque dubium est, posui. Secundo loco additur nomen **רגש** quod aliquando strepitum vel clamorem, aliquando conventum hominum significat. Deducitur autem a radice **רגש** quod est tumultuari. Si **סוד** pro clandestinis insidiis accipere libeat, **רגש** violentus erit impetus. Hoc modo David protegi cuperet tam a fraudulenta malitia hostium, quam a vi et armis, ubi meditati quomodo noceant, ad consilia sua exsequenda prosiliunt. Simplicior tamen magisque genuina est prior sententia, Davidem quo magis in se provocet Dei misericordiam,

de multitudine hostium suorum conqueri. Interea testatur David, quantumvis magna turba obruatur, sibi sufficere protectionem quam e coelo expetit. Causam quoque suam ab hostium malitia et improbitate commendat, nam quo vel iniquius, vel crudelius nobiscum agunt, eo certius statuere licet propitium nobis Deum fore.

4. (*Quoniam acuerunt quasi gladium linguam suam.*) Quamvis in eum capitaliter saevirent hostes, eorum tamen virulentiam praecipue accusat. Probabile autem est de falsis delationibus et calumniis eum loqui, quibus sciebat se immerito gravari, totique populo reddi invisum. Comparat ergo linguas eorum gladiis: amarum et virulentum sermonem sagittis. Ex opposito suam probitatem asserit, eos iaculari dicens contra hominem rectum et innoxium. Hac igitur impetrandi fiducia se animavit, quod sibi nullius culpae conscius, indigne et perfidiose a pravis et scelestis hominibus impetebatur. Iam eos clam et in occulto iaculari, telaque repente vibrare dicens, significat eos multiplici astutia pollere: nec modo acriter intentos esse ad nocendum, seduloque vigilare, sed etiam ingeniosos esse ac solertes, ut citius transfodiant pectus incauti hominis, quam suspicari queat sibi quidquam mali instare. Porro quum audimus Davidem, qui tam sancte ac pure iustitiam coluerat, fuisse tamen sinistris criminationibus obnoxium: ne miremur si quando Deus nos qui longe a Davidis integritate absumus, simili tentationis genere exerceat. Hoc vero unicum erit solatium, ad Deum confugere, ut bonae causae patrocinium suscipiat. Adiungit aliam circumstantiam, quod sine pudore et metu *sagittas veneno illitas ex ore suo vibrent*. Talis autem securitas perditae audaciae signum est, ubi improbi centies deprehensi obstinate tamen pergunt: quia nec ullus Dei metus, nec hominum verecundia eos retinet quin se gladiatorio et desperato impetu proliciant.

6. (*Obfirmant sibi facinus impium: sermonem, etc.*) Nunc de pertinacia et sceleratis conspirationibus hostium suorum conqueritur. Postremo addit confidentiam, qua se ad quidvis audendum incitant. Porro non dubium est quin plus illis addiderit animi infirmitas Davidis, ut petulantius vexarent miserum et profugum hominem, quem videbant omni auxilio destitui. Postquam dixit esse insana-biles, et quos ad humanitatem flecti posse nulla spes sit: addit ultro citroque inter se colloqui quomodo per insidias illum perdant. Sequitur tandem ferocia, quoniam astus suos invisibiles esse putent. Scimus enim quam secure improbi sua vafritie confisi simplicibus insultent: quia putant centum rationes sibi semper in promptu fore tegendis scelerum suorum flagitiis. Particulam **למה** tam ad ipsos fraudum architectos, quam ad laqueos et insidias commode referre licet. Malo tamen de ipsis intel-

ligere, quia superbia excrucati audacter et licentiose ruunt quocunque irpellit libido: quia nulla eos Dei reverentia, nullus hominum pudor cohibet. Proximo versu gravius exagitat eorum fraudes. Dicit igitur omnes nocendi artes fuisse percontatos, ut nihil ad exactum scrutinium omiserint. *Scrutini* vero nomine intelligit occultas nocendi artes. Et addit altos esse recessus malitiae ipsorum. Nam per *cor profundum et penetralia* vel intimas partes, vel latebras intelligit, quibus improbi se involvunt. Quidam nomen *וַיֵּא* indefinite accipiunt hoc modo: Quidquid consilii et astutiae invenitur in mortalibus, hostes mei ad se colligunt. Sed quoad summam rei parum interest: quia tenere sufficit, non tantum aperto Marte, sed recondita etiam malitia hostes Davidi machinatos fuisse perniciem: atque ad hoc instructos fuisse summa perspicacia, ut inopinatos nocendi modos quasi ex profundis tenebris eruerent.

8. *Et iaculabitur in eos Deus sagittam, repente erunt plagae ipsorum.* 9. *Et impingere facient super se ipsos linguam suam, et fugient*) quicunque viderint eos.* 10. *Et videbunt omnes homines, et narrabunt opus Dei, et rem eius gestam intelligent.**)* 11. *Laetabitur iustus in Iehova, et sperabit in eo, et gloriabuntur omnes recti corde.*

8. (*Et iaculabitur in eos Deus.*) Iam ad gratulationem exsurgit David, persuasus non irrita fore sua vota, imo iam exaudita esse a Deo. Etsi autem nondum oculis conspicua erat Dei vindicta, David tamen repentinam fore pronuntiat: in quo non vulgare profert fidei suae documentum, quod dum impios rebus prospere fluentibus obdurari videt, atque ex conniventia et silentio Dei impunitatem sibi promittere, non succumbit tamen taedio, sed animum suum suspendit, donec post longam tolerantiam subito Deus appareat iudex: sicuti emergere praeter spem solet ac deprehendere impios, dum se elapsos putantes, sine modo proterviunt. Itaque semper in diuturnis malis hoc nobis solatium occurrat, Deum poenas quas de impiis sumpturus est, consulto differre, quo violentius in eos fulminet: quumque dixerint, Pax et securitas, eos obruat repentino interitu, Ierem. 8, 11.

9. (*Et impingere facient super se ipsos linguam suam.*) Prosequitur eandem sententiam: quidquid veneni coquunt in suis consiliis, et lingua sua egerunt, fore tandem illis mortiferum. Idem alibi diversa loquendi figura exprimit: Irrerentur suis laqueis, et cadent in foveam quam fecerunt, Psalmo 57, 7. Haec enim iusta est merces, ut in

*) s'enfuiront, en marge: ou trembleront.

**) entendront, en marge: ou feront entendre.

eorum capita retorqueat Deus quidquid noxarum bonis et simplicibus intentant. Etsi autem huius iudicii permulta quotidie exempla Deus coram oculis nostris profert, nobis tamen res est difficilis creditu. Quo magis ad hanc meditationem incumbere nos decet, Deum excubare pro nobis, ut quidquid fraudum in nos excudunt improbi, convertat in eorum perniciem, ac si data opera praemium tale captasent. In fine versus admonet notabile fore vindictae genus, quia *fugient* vel trepidabunt *quicunque fuerint eius spectatores*. Nam quum caecutientes hominum oculos praeterfluant Dei iudicia, insignes notas exstare necesse est ut ad metum et consternationem cogatur mundus.

10. (*Et videbunt omnes homines.*) Fructum qui ex Dei iudicio proveniet plenius explicat, nempe quod novo et insolito spectaculo expergefacti qui prius Dei providentiam pro nihilo ducebant, melius considerare incipient quod prius illis erat incognitum, ut etiam alii aliis narrent. Neque enim huius tam memorabilis gratiae notitiam ad paucos restringit David, sed dicit passim fore celebrem. Ideo ponit cunctos homines. Porro quum verbum *וַיֵּא* in coniugatione Hiphil tam neutraliter quam active sumatur: qui verbum neutrum esse volunt, hunc eliciunt sensum, Cogentur vulgo agnoscere homines divinum hoc esse opus: atque ubi intellexerint, eius etiam erunt praecones. Sed quia ut plurimum solet David rem unam bis repetere, non male conveniet transitiva significatio. Ultimo versu describitur uberius fructus, nempe liberationem hanc laetitiae, spei et sanctae gloriationis materiam fore piis omnibus: quia scilicet eundem erga se Deum fore colligent qualis apparuit erga servum suum Davidem. Notandum est *vocari rectos corde* quos paulo ante *iustos* dixerat: ut sciamus nullam Deo iustitiam probari, nisi quam ex se profert interior cordis sinceritas. Qua de re alibi fusius disserui.

PSALMUS LXV.

ARG. Psalmus hic mistus est ex precibus et gratiarum actione. Etsi autem inseritur vaticinium de communi gentium fide: specialibus tamen elogiis describitur paternus Dei erga ecclesiam favor, et quae inde fluunt benedictiones. Et specialiter oratur Deus ut eandem, quam experti fuerant Iudaei, liberalitatem continnet. Duplex autem memoratur Dei gratia: quod terram suam potenter defenderit, et bonorum omnium opulentia ditaverit.

1. *Praefecto Davidis Psalmus canticum.* 2. *Te expectat laus, Deus in Sion, et tibi reddetur votum.* 3. *Exaudiens orationem, ad te omnis caro veniet.* 4. *Verba iniquitatum praevaluerunt super me: scelera nostra tu expiabis.*

2. (*Te expectat.*) Ad verbum est: Tibi sileat lans, sed verbum *לַנֶּפֶשׁ* metaphorice pro quiescere accipitur, ac deinde pro exspectare. Sensus autem huc redit, Deum esse ita beneficum erga suos, ut quotidie illis suppetat novam materiam laudis. Etsi enim se in totum mundum diffundit eius liberalitas, peculiari tamen favore ecclesiam suam dignatur. Huc etiam accedit, quod alii, utunque saturantur eius beneficiis, non tamen sentiunt unde proveniant, ita in silentio absorbent ac consumunt quidquid bonorum largitur illis Deus. Nominatim tamen exprimere voluit propheta, Dei bonitatem sic in ecclesia fulgere, ut merito illic praedicetur. Eodem pertinet alterum membrum, ubi de voti redditione agitur. Sic enim gratitudinem promittit in populi nomine, ut tamen a posteriori significet semper novum fore argumentum testandae celebrandaeque Dei bonitatis: quia non desinit suam ecclesiam assiduo favore prosequi. Cohæret etiam proximus versus, ubi Deus audire dicitur suorum preces. Causam ergo reddendi voti assignat, quia nunquam frustretur Deus servos suos, dum ab illis invocatur, sed propitius annuat eorum votis, atque ita quod secundo loco positum est, ordine tamen prius est. Caeterum hoc epitheton quo Deum insignit David, doctrinam continet apprime utilem, nunquam irritas fore nostras preces: quia eas repudiando Deus quodammodo naturam suam exueret. Neque enim recitat David quid semel factum sit, sed perpetuo ornatu Deum vestit: ac si diceret, non magis fieri posse ut Deus surdus sit ad suorum vota, quam ut se ipsum abneget. Hoc si penitus insculptum erit cordibus nostris, proprium esse Deo et inseparabile exaudire preces, nunquam excutietur nobis orandi fiducia. Iam quum nunquam destituatur facultate iuvandi, laetum et prosperum successum indubie sperabimus. Nec minus notatu dignum est quod sequitur, ideo *carnem omnem ad Deum venturam*: quia sicuti nemo coram Deo sistere se auderet, nisi persuasus esset eum sibi fore exorabilem, ita ubi sponte occurrit ac pronuntiat non frustra se invocari, aperta est ianua, ut certatim omnes ad eum confluant. Etsi enim hypocritae et profani homines, dum necessitate urgentur, vota in aërem fundunt: hoc tamen non est ad Deum vere accedere, ubi fidei certitudinem non afferunt ex Dei verbo conceptam, sed pendent ab expectatione fortuiti eventus. Praeluceant ergo Dei promissiones necesse est, ut via rite orandi pateat, quia illis sublati prohibemur a Dei accessu, sicuti hunc ordinem statuit Paulus ad Ephesios capite tertio 12, ut quisquis accedere ad Deum cupit, praeditus sit fide per Christum, quae eum ad fiduciam animet. Hinc colligimus, regulam precandi nullam esse in papatu, ubi suspensis et dubiis animis semper Deum orant. Inaestimabile autem semper est privilegium

hoc quod per evangelium consequimur, ut liber nobis ad Deum ingressus pateat. Omnem vero carnem generaliter nominans propheta, breviter indicat, quod tunc singulare erat Iudaeis, fore aliquando cunctis gentibus commune. Atque ita vaticinium est de futuro Christi regno.

4. (*Verba iniquitatum.*) Non conqueritur populum falsis calumniis gravari, sed simpliciter fatetur iniquitates esse obstaculo quominus Deus pro more facilem se et humanum Iudaeis exhibeat. Convenit autem hic locus cum illo Iesae 59, 1: Non est aggravata auris Domini quominus audiat: sed iniquitates nostrae distantiam ponunt inter nos et ipsum. In summa, quod Deus qui suos liberaliter iuvare solet, imo comiter et blande ad se invitat, manum suam ad tempus retrahit, huius mali culpam suis et populi peccatis imputat David. Nam priore loco reatum suum agnoscit, quemadmodum Daniel capit. 9, vers. 5, sed mox totum populum sibi socium adiungit. Hanc vero sententiam inseruit propheta, non ut se et alios prohiberet ab orandi fiducia, sed potius ut supra obstaculum emergeret, quod arceret cunctos mortales a Dei successu: nisi statuerent indignos quoque exaudiri. Probabile vero est praesenti aliquo irae Dei signo percussos fuisse tunc fideles, quia contra hanc tentationem luctatur David. Porro videmus in promptu ei fuisse remedium, quia ex opposito reputat proprium esse Dei munus dare veniam peccatis, caque expiare. Ita hic quoque versus cum superiori contexti debet, atque adversative resolvi, hoc modo: Quamvis iniquitates nostrae, ut repulsam merentur, procul nos a conspectu tuo eiiciant: quia tamen te ad reconciliationem paratum ostendis, cursum precibus nostris non abrumpent. Docemur autem hoc loco, non aliter exorari Deum a nobis posse, nisi dum suppliciter veniam deprecamur nostris peccatis. Interea dubitandum non est quin gratuita peccatorum remissio Deum nobis conciliet. Quod si paulisper gratiam suam submoveat: adeoque tergum nobis obvertat, Davidis tamen exemplo ad spem expiationis erumpere convenit. Quod singulari numero fatetur se peccatis obrutum, ratio afferri potest, quod rex quum esset, totum populum repraesentabat: vel quod hac docendi forma, sicuti Daniel, singulos hortetur ad se privatim examinandos, ut quisque propriam reatus confessionem afferat. Scimus enim hypocritas defunctorie se involvere in communi catalogo, ut peccata sua occultent. Atqui David non tantum fictae modestiae causa, sed serio affectu a se ipso exorsus, coram Deo reos omnes peragit.

5. *Beatus quem elegeris, et propinquum feceris tibi: habitabit in atriis tuis: satiabimur bono domus tuae sanctuarii palatii tui.* 6. *Terribilia in iustitia*

respondebis nobis Deus salutis nostrae, spes omnium finium terrae, et maris longinquitatum. 7. Stabiliens montes virtute sua, accinctus fortitudine. 8. Compescens sonitum marium, et sonitum fluctuum eorum, et fremitum gentium. 9. Et timebunt habitatores finium a signis tuis: exitus matutinos et vespertinos ovare facies.

5. (*Beatus quem.*) Quia nuper confessus fuerat populum suis peccatis dissidium a Deo fecisse, ideoque esse indignum qui exaudiat: nunc in asylum confugit gratuiti Dei favoris, sub quo inclusa est peccatorum remissio. Atque ita confirmat quod de expiatione dixit, ostendens quae causa Deum miseris peccatoribus propitiet: quia scilicet gratis paterni favore immeritos complexus est. Nam venia qua nos quotidie prosequitur, ex adoptione pendet: sicuti etiam in ea fundatae sunt preces nostrae. Quo enim iure in Dei conspectum prodire auderet peccator ad reconciliationem quaerendam, nisi persuasus esset hunc sibi esse patrem? Caeterum hic non extendit gratiam Dei ad gentes, sicuti paulo ante: sed pro aetatis suae ratione loquitur. Solos enim Iudaeos tunc in grege suo censebat Deus, solosque in sanctuarium admittebat: nunc quia sublato discrimine gentes cum illis promiscue vocavit, omnibus ad eum familiariter accedere licet. Christus enim est pax nostra, qui propinquos et remotos coniunxit, Ephes. 2, 14. Tenemus nunc quorsum tendat consilium Davidis. Nam quia ecclesiae et electo populo promissa est remissio peccatorum, exclamat beatos esse quos Deus in gregem suum recipit, ut hoc incomparabili privilegio fruantur. Porro electionem non omnibus tunc communem fuisse docet: Iudaeos hac praerogativa extollens, quia eos Deus praetulerit reliquis gentibus. Nam si antevertent homines Dei gratiam, non resideret penes ipsum electio, cuius potestas et ius ei tribuitur. Atqui non alio nomine praestabant Iudaei nisi quia eos peculiari gratia Deus fuerat dignatus. Nunc etsi rupta est maceria, ut Deus gentes quoque simul vocet, Eph. 2, 14 constat tamen non omnes peraeque vocari: et experientia eorum incertiam coarguit, qui communem omnibus sine delectu Dei gratiam esse garriunt. Quam enim causam imaginari licet cur Deus non omnes pariter ad se invitet, nisi quia gratuita eius electio alios ab aliis discernit? Fidei quidem et invocatio media sunt, quae nobis concilient Dei gratiam, sed fons extra nos quaerendus est. Beati quidem sumus in Deum sperando, amplexando eius promissiones: beati inquam sumus ubi Christo mediatore freti statuimus illum nobis esse patrem, votaue nostra ad eum dirigimus: sed unde fides et invocatio, nisi quia natura alienos gratia coniunxit? Quod ergo nobis manum ad inferos usque

porrigere dignatus est, hinc propinquitas, non autem quod sponte praevenerimus. Imo, proprie loquendo, postquam nos elegit, suum erga nos amorem vocationis testatur. Etsi autem Deus semen Abrahae sibi in peculium segregaverat, ut circumcisio locum illis in templo daret: dubium tamen non est quin discrimen aliquod inter Iudaeos ipsos statuatur David: quia neque omnes efficaciter ad se vocaverat Deus, neque iure omnes locum in templo occupabant. Alludit quidem propheta ad externum sanctuarium, Iudaeos dicens electos esse, ut appropinquent Deo: sed memoria tenendum est quod Psalmo 15, et 24, 3 vidimus, non omnes legitimos fuisse ecclesiae cives qui templi pavementum terebant: quia praecipue requiritur integritas cordis, et puritas manuum. Quare propinquos Deo fieri intellige, non qui externa tantum specie locum obtinent in templo, sed qui sincera fide se offerunt in conspectum Dei. Iam hic vocatio adiungitur electioni: ne quis somniet oves perpetuo vagari, neque unquam colligi in ovile. Nam hoc effectu se ostendit gratuita Dei adoptio, dum spiritu eius duce, ad eius sanctuarium accedimus. Fructum beatitudinis commendat propheta, satiari dicens templi opulentia fideles. Nam quamvis accedant illuc quoque hypocritae, vacui tamen et ieiuni domum redeunt, quantum attinet ad fruitionem spiritualium bonorum. Ac notanda est personae mutatio, ubi David ad fidelium numerum se aggregat: quia in seipso experimentum proponit satietatis, de qua loquitur. Caeterum intellige satiari fideles non uno momento, sed gradatim: quia etsi instillet Deus spiritus sui dona, suos tamen quatenus utile est locupletat, donec adducat ad solidam perfectionem. Verum certe est illud Psalmi 103, 5: satiari Dei beneficentia os nostrum: sed etiam notandum quod alibi dicitur: Aperi os tuum, et implebo illud, Psalm. 81, 11. Impediunt autem nostrae angustiae, ne tantam nobis copiam bonorum ingerat Deus, sed prout restrictos videt, ita liberalitatem suam ad modulum nostrum attemperat. Bona sanctuarii vocando externa adminicula commendat, quae nos ad bonorum coelestium fruitionem deducunt. Etsi enim poterat olim Deus manum e coelo porrigere servis suis, voluit tamen per legis doctrinam, per sacrificia et alios ritus, externaue pietatis subsidia, satiare fideles animas: sicuti hodie quoque erga nos similibus mediis utitur. Et quanquam in illis subsistere non convenit, negligere tamen fas non est.

6. (*Terribilia in iustitia respondebis.*) Confirmat alio genere dicendi, non frustra se beatos vocasse, quibus Deus templum suum aperuit, ut domi eius pascantur. Dicit autem responsurum populo suo Deum in miraculis, vel signis terrificis: ac si diceret: Domine tu nos semper exaudies, ut mirificis liberationibus perinde virtus tua patefiat, atque

olim dum egressi sunt patres nostri ex Aegypto. Ecclesiam enim semper Deus non vulgari vel ordinario modo, sed terribili potentia servavit. Atque hoc cognitu fuit utile, ut in rebus perditis non tamen bene sperare desinerent filii Dei. Porro ubi Dei salutem Iudaeis destinavit, simul addit esse spem extremitatum terrae usque ad ultimos mundi recessus. Unde sequitur gratiam Dei ad gentes quoque extendi.

7. (*Stabiliens montes.*) Per occasionem attingit virtutem Dei, quae in universa mundi fabrica conspicitur. Nam illa aetate novum erat gentes eiusdem cum Iudaeis spei socias facere. Ideoque ut tollatur absurditas, tempestive admonet David fortitudinem Dei exstare in cunctis mundi partibus. Montes autem potius quam planas regiones nominat, quia in illa immensa terrae congerie altisque rupibus rarior apparet Dei potentia. In proximo versu non consentiunt interpretes, nam in prima voce quidam subaudiunt notam similitudinis, hoc sensu, Deum compescere strepitus hominum audacia excitatos, sicuti compescit omnes maris strepitus. Alii metaphoricam loquutionem esse volunt, quam deinde sine figura exprimat David. Ego autem simplicius Davidem loquutum esse iudico: ac priore quidem membro documentum potentiae Dei in mari proferre, altero autem in hominibus: ac si diceret, Deus sedando fluctus ac tempestates maris, quanta sit praeditus fortitudine demonstrat. Idem in hominibus specimen exhibet, tumultus compescens ab illis excitatos.

9. (*Et timebunt habitatores.*) Non dubito quin signa Dei appellet opera eius insignia et memoratu digna, quibus notas gloriae suae insculpsit. Nihil est quidem tam minutum vel contemptibile in coelo vel terra, quod non repraesentet nobis Dei gloriam: sed miraculis *αα'* *ἐξοχῶν* tribuitur hoc nomen, quia illic clarius refulget Dei maiestas. Summa est, tam illustres fore Dei gratias ergo ecclesiam, ut ad reverentiam et admirationem barbaras etiam gentes et longissime remotas cogant. Posterius membrum ita a quibusdam accipitur: quum sol mane exoritur, recreari eius luce homines: quum etiam vicissim nocte fulgent luna et stellae, levare quam aliqui tristitiam ex tenebris conciperent. Hoc modo subaudienda esset dictio propter: ac si dixisset propheta: Domine tam mane quam vesperi exortu solis, lunae et stellarum homines exhilaras. Sed quia verba, ut sonant, continent aptum et utilem sensum, mihi non placet aliunde accersere quod sententiam impleat. Dixerat David ad extremos usque terrae angulos venturum timorem esse ex Dei miraculis, nunc idem de laetitia praedicat: ac si diceret, ab ortu usque ad occasum solis non formidabilem modo fore Deum, sed gaudii quoque auctorem.

10. *Visitasti terram, et irrigasti eam, copiose ditasti eam: rivus Dei plenus aquis: parabis frumentum eorum, quia sic illam praeparas.* 11. *Sulcos eius inebrias, descendere facis pluviam in sulcos eius, imbribus madefacis eam, germini eius benedixis.* 12. *Coronas annum beneficentia tua, et semitae tuae stillabunt pinguedinem.* 13. *Stillant super habitacula*) deserti, et exsultatione colles accingentur.* 14. *Operiuntur pascua pecudibus, et valles operiuntur frumento, clamant, etiam canunt.*

10. (*Visitasti terram, et irrigasti eam.*) Verbum hoc, et quae sequuntur alia, designant continuum actum: ideoque commode in praesenti tempore vertentur. In secundo verbo interpretes variant: quia nonnulli a *שָׁקַד* deducunt, quod desiderare significat: alii a *שָׁקַדָּה* quod est potum dare. Priora ita resolvunt: Domine postquam longo aestu et siccitate fecisti sitire terram, demum eam visitas. Melius tamen fuit altera interpretatio, Deus tu irrigatione terram visitas. Et contextus hoc modo melius cohaeret, quia proxime sequitur: *tu ditas eam copiose*: quod amplificandi causa additum esse patet. Dubitari tamen potest solamne Iudaeam intelligat, an totum orbem. Ego quamvis fatear hac omnia vere de toto orbe praedicari, existimo tamen Davidem proprie loqui de Iudaea, sicuti hactenus celebravit peculiare Dei gratias erga ecclesiam. Atque huic sententiae adstipulatur quod statim adiungit, *fluvium Dei*, vel *rivum plenum esse aquis*. Nam quod fluvium Dei pro magno vel amplo quidam accipiunt, durum est ac coactum: et potius dixisset fluvios plurali numero. Opponit autem, meo iudicio, fluvii naturalibus qui regiones suas foecundant, tenuem et exiguum rivum Siloah: alludens ad locum illum Mosis, Deut. 11, 10: Terra quam Deus tuus dabit tibi, non erit similis Aegypto, quam foecundat Nili exundatio: sed terra haec expectat pluviam e coelo. Vel forte metaphorice appellat pluviam ipsam Dei fluvium. Certe hoc ad Iudaeam restringi debet, sicuti etiam per pascua vel habitacula deserti intelligitur sicca et asperior regio, quam scriptura vocat montanam. Caeterum quamvis hic celebretur Dei liberalitas familiaris nota electo populo: nostrum tamen est, ubicunque habitemus, divitias bonitatis Dei in terrae proventus et fertilitate agnoscere. Neque enim sua virtute multiplicem bonorum affluentiam generat, nisi quatenus eam Deus pascendis hominibus aptavit. Ideo scite et concinne David parari dicit hominibus frumentum, quia sic parata est terra a Domino. Sensus autem est, opulentiam hanc provenire ex terra, quia Deus instar optimi patrisfamilias hominibus

*) Les loges, en marge: ou pasturages.

prospicere volens, eam formavit ut alimenta sup-
peditet.

11. (*Sulcos eius.*) Quidam verba haec resolvunt in modum optativum, ut sit precatio. Atqui non dubito quin gratiarum actionem continuet David, eo quod terram pluviis madefaciens ac saturans, fructificandi vim suggerat. Quibus verbis significat totum naturae ordinem testimonium esse paterni ergo nos Dei amoris, quod quotidiani victus nostri curam suscipere dignetur. Pluribus autem verbis inculcat hanc Dei gratiam, quam maior pars mundi impie scelerateque obscurat. Nam ut quisque perspicacior est in observandis naturalibus mediis, ita illis affixus manet, ut ad Deum minime conscendat. Debebat quidem philosophia, quo penitus excutit arcana Dei, propius nos ad ipsum adducere, nisi obstarent pravitas nostra et ingratitude. Sed quia acutissimi quique pluviae originem in aëre et elementis quaerentes, oculos et sensus a Deo avertunt, magis nos expergefieri necesse fuit.

12. (*Coronas annum beneficentiae.*) Vertunt alii, Coronas annum beneficentiae tuae: quasi diceret David, annos fertiles excellere singulari decore, ac si eos corona ornaret Deus: quemadmodum si abundantior solito sit messis, et copiosae vindemiae, haec erit anni corona. Et certe fateor non aequalem Dei benedictionem in singulis annis fulgere: sed ut alii alios praecellant, nullus tamen ornatu suo prorsus caret. Ita simplex mihi videtur sensus, Dei beneficentiam per singulos annorum circuitus conspicuam esse. Postea sensum suum explicat, ubi dicit *semitas Dei stillare pinguedinem*, nubes ita metaphorice appellans, in quibus inequitat Deus, quemadmodum dicitur Psal. 104, 3. Quoniam igitur ubertas terrae ex succo et humore, humor ex pluvia, pluvia ex nubibus provenit, eleganter nubes dicit pinguedinem stillare, et quod sint Dei semitae, aut vehicula: ac si diceret, quocunque iter facit Deus, fluere ad eius pedes frugum copiam et ubertatem. Proximo versu hanc gratiam amplificat, quod pinguedo illa se ad incultas usque regiones diffundat. *Deserta* quidem vocat non aridas solitudines, in quibus nihil nascatur, sed loca minus culta, et in quibus non tanta hominum frequentia habitat: sed tamen hinc melius refulget Dei benedictio, dum super montium cacumina pinguedinem stillat. Postea ad valles et planas regiones descendit, ut ostendat nullam esse terrae partem Dei opibus vacuam, quia eius liberalitas ad locupletandum totum orbem sufficit. Additur etiam commendatio ab ipsa varietate, quod *valles* et loca demissa *tam ovibus, quam frumento vestiantur*. Gaudium rebus inanimatis improprie tribuit: sicuti etiam ridere dicuntur agri, quum sua pulcritudine exhilarant hominum oculos. Mirum tamen est quod iubilatiōi cantum adiungat, interposita etiam parti-

Calvini opera. Vol. XXXI.

cula *an* quam scimus esse emphaticam: quum tamen minus sit canere, quam iubilare. Sed ego ad continuationem gaudii refero quod dicit, *etiam canent*, ut sciamus non unius tantum anni fore gaudium, sed assiduos recursus. Deinde scimus quam trita sit Hebraeis ordinis inversio.

PSALMUS LXVI.

ARG. Quanquam fieri potest ut Propheta unam praecipue liberationem sub persona ecclesiae celebret, multiplices tamen gratias complectitur, quibus Deus electum populum persequi non destitit. Sicuti autem miseris et afflictis praedicat divinitus allatam fuisse salutem: ita consolationis et patientiae materiam suggerit, examinatos fuisse dicens instar argenti, quum tyrannidi hostium subiecti fuerunt. In fine videtur privatim de se loqui, integritatis suae documentum proferens, quod fuerit a Deo exauditus, qui impios et sceleratos repudiat.

Praefecto Canticum Psalmi. 1. *Iubilate Deo omnis terra.* 2. *Canite gloriam nominis eius, ponite gloriam laudem eius.** 3. *Dicite Deo, Quam terribilis es in operibus tuis, in multitudine roboris tui mentientur tibi inimici tui.* 4. *Omnis terra adorabit te, et canent tibi, canent nomen tuum. Selah.*

1. (*Iubilate.*) Generalis est praefatio, quam mox sequuntur hypotheses. Quia vero sermonem ad totum orbem dirigit, non dubito quin vaticinium sit de futura regni Dei amplitudine, quae Christi demum adventu spectata fuit. Secundo versu idem cum maiore vehementia confirmat, quo melius pigros alioqui et tardos exstimulet ad Deum laudandum. Quid sit *Canere gloriam nominis Dei*, obscurum non est, nempe pro merito ac dignitate extollere sacrum eius nomen, ut iustam et solidam gloriam obtineat. In secundo membro subest aliqua ambiguitas. Quidam enim sub aliis verbis idem repeti putantes, vertunt, *Ponite gloriam laudis eius*. Ego autem aliis potius subscribo, qui laudem vertunt in accusativo casu. Interea non placet quod exponunt, non alibi esse gloriandum, quam in Dei laudibus. Rectius et simplicius est, magnifice extollere Dei laudem, ut gloriosa sit. Neque enim mediocri praeconio contentus est propheta, sed vult Dei beneficia pro sua amplitudine splendide praedicari.

3. (*Dicite Deo.*) Iam materiam suggerit cur velit Deum laudari. Quia autem solent plurimi frigide apud alios de laudibus Dei disserere, ut efficacius sensus fidelium tangat propheta, et expergefaiat, sermonem ad Deum iubet dirigi: quia ubi quis eum sine testibus et arbitris compellat,

*) mettez gloire sa louange, en marge: ou à sa louange.

fictioni non esse locum videns, serio quod in corde habet probe meditatam, in medium profert. Nihil enim melius ad Dei reverentiam nos cogit, quam ubi nos sistimus coram eius facie. Atque ut hunc affectum magis accendat, hostes dicit *mentiri Deo ob multitudinem virtutis eius*. Nam si duri et praefracti, qui se libenter eius imperio subducerent, velint nolint coguntur se coram eo humiliare: quid fidelibus agendum est, quos non terroribus sibi subiicit, sed blande ad se invitat? Subest enim haec tacita comparatio inter voluntarium cultum, quem praestant fideles, dulcedine gratiae illecti: et servilem coactamque subiectionem, ad quam increduli vi trahuntur. Hoc enim significat *mentiri*, fieri supplicem non alaori obsequio, neque libere, sed quia necessitas extorquet: sicuti Psalmo 18, 45 diximus. Nam quod alii exponunt, Agnoscent tandem hostes spe fallaci deceptos se fuisse: alii vero, Negabunt se quidquam hostile fuisse in te molitos: nimis remotum est a verbis ac mente prophetae. Quanquam autem multis modis Deo mentiuntur hypocritae, nihil tamen hoc loco aliud voluit propheta, quam Dei robur hostibus quoque esse formidabile, ut invitos subigat.

4. (*Omnis terra adorabit te.*) Quod tam multus est propheta in hoc capite tractando, non est praeter rationem. Nam quum huic argumento impares sint omnes linguae, videmus quam parci et maligni sint homines, ut vix tenui et ieiuna laude adaspergant Deum, ad quem celebrandum debuerant nervos omnes ac conatus intendere. Rursus autem vaticinatur propheta, quamvis tunc soli Iudaei in suo angulo Deum colerent, omnes tamen gentes sub eius imperium venturas. Neque vero nunc, sicuti nuper ingum subituros dicit, qui cuperent, si liberum esset, resistere: sed verum ac sincerum cultum exprimit: Psallent tibi, psallent nomini tuo. Est enim hoc praecipuum laudis sacrificium, ut habetur Psalmo 50, 14. 23 ac verum etiam testimonium pietatis.

5. *Venite et videte opera Dei: terribilis opere super filios hominum.* 6. *Convertit mare in aridam: per fluvium transierunt pede: ibi laetati sumus in eo.* 7. *Dominatur in fortitudine sua saeculo, oculi eius super gentes speculantur: defectores non exsurgent sibi.* Selah. 8. *Benedicite populi Deum nostrum, et resonate vocem laudis eius:* 9. *Qui posuit animas nostras in vitam, et non dedit ad lapsum pedes nostros.*

5. (*Venite.*) Hic oblique perstringit omnium fere ignaviam, cuius culpa fraudatur Deus meritis laudibus. Unde enim fit ut clausis oculis praetereat maior mundi pars Dei opera, nisi quia vix centesimus quisque ad eorum considerationem studium suum applicat? Stimulis ergo opus est, qui tor-

pentes instigent. Similem fere locum habuimus Psalmo 46, 9 unde huius loci explicationem petere licebit. Summa huc redit, quia homines videt propheta vel occupari vanis negotiis, vel in perversis et erraticis studiis vagari, hortatur ut se accingant ad videnda Dei opera: et hortando simul obiurgat tardos ac residues. Dicendo etiam, *videte*, perperam caecutire admonet in re manifesta: quia nisi in propatulo essent opera Dei, frustra conspici iuberet. Speciem quoque operum Dei ponit, ad quorum intuitum vult omnes esse attentos, nempe rationem quam tenet in gubernando humano genere. Haec enim experimentalis (ut ita loquar) notitia magis afficit. Ideo Paulus Actorum capite 17, vers. 27 postquam disseruit in genere de potentia Dei, sermonem huc restringit, iubetque unumquemque in se descendere, quia illic Deum praesentem sentiet. Sic interpretor particulam istam *Deum esse admirabilem opere super filios hominum*: non quod emineat eius maiestas supra homines, sed quod in tuendo ac conservando eorum statu maxime admirabilis sit eius providentia, sicuti etiam Psalmo 40, 6 diximus. Ergo quamvis non longius circumspeciant homines, in se ipsis satis reperient causae cur Deum revereantur ac timeant. Tandem a conservatione generis humani ad specialem ecclesiae curam transitum facit propheta, commemorans electi populi redemptionem. In quo membro est synecdoche: quia minime dubium est quin breviter commonefaciat fideles de innumeris Dei beneficiis, quibus postea sancivit hanc liberationis gratiam. Quod etiam breviter significat, mox adiungens, *ibi laetati sumus in eo*. Neque enim ad eum et alios posteros spectaret redemptionis laetitia, nisi quatenus continui amoris pignus ac documentum a Deo editum foret erga totum ecclesiae corpus. Sed quia tunc suorum aeternus apparuit servator, ex hoc etiam fonte commune ad omnes pios gaudium profluxit.

7. (*Dominatur.*) עוֹלָם Hebraeis nunc saeculum est vel temporis perpetuitas, nunc ipsa mundi fabrica, atque hic posterior sensus contextui videtur melius quadrare, et receptior est, Deum fortitudine praeditum esse qua sub imperio suo contineat totum orbem. Quo etiam refertur proximum membrum, *oculos eius speculari super gentes*. Quamvis enim sub lege propriam imperii sedem erexerat in Iudaea, semper tamen providentia sua totum orbem complexus est: nec obstitit sigulare illud privilegium quo dignatus est filios Abrahae foederis respectu, quin ad reliquas etiam gentes fovendas et alendas adspectum suum extenderit. Confirmat Deo curae esse gentes, quia illic etiam poenas exigit de sceleratis ac reprobis. Ita nullam generis humani partem a Deo negligi probat ab effectu propheta, quod impios praecipites deiiciat. Etsi enim multa confuse in mundo miscentur, nunquam tamen sic in

abditio latere patitur sua iudicia, quin signa quaedam eorum, et quidem satis illustria, oculatis et attentis spectatoribus proponat.

8. (*Benedicite populi.*) Quamquam populos omnes communiter hortatur ad laudandum Deum: speciale tamen aliquod Dei auxilium commemorat quo restituta fuit salus ecclesiae. Ita innuere videtur, gentes aliquando eius gratiae fore participes, cuius tunc gustum electo populo Deus praebebat. Interea admonet insignem et memoratu dignam esse liberationem, cuius famam ubique vult resonare. Quamquam autem redditam Iudaeis fuisse vitam praedicat (quo genere loquendi, non vulgariter adiutos fuisse docet) mox tamen ostendit, potius servatos fuisse a periculo, quam postliminio restitutos ab aliqua clade. Nam quum *a lapsu* dicat *servatos fuisse pedes*, sequitur non cecidisse, sed mature fuisse occursum ut firmi starent. Neque tamen ideo gratiam Dei extenuat Propheta quod malum antevertit: sed fatetur fuisse vivificatos qui Dei beneficio servati erant incolumes.

10. *Quia probasti nos Deus, examinasti nos sicut examinatur argentum.* 11. *Deduxisti nos in laqueum, posuisti coarctationem in lumbis nostris.* 12. *Equitare fecisti hominem super capita nostra: venimus in ignem et aquam, et eduxisti nos in planitiem.*

10. (*Quia probasti nos.*) Posset hoc per concessionem legi, interposita particula Quamvis: ita amplificaret propheta Dei gratiam, quia populum liberaverit ex gravissimis malis. Quod tametsi libenter recipio, propheta tamen simul alterum quoque finem spectasse arbitror, nempe ut optimo solatio, quod ex eius verbis colligitur, piorum tristitiam levaret. Nihil enim utilius est quam reputare nos affligi Dei manu quoties nos res adversae premunt: et quidem non alio consilio, nisi ut saluti nostrae consulat. Huc spectat probatio et examen de quibus loquitur propheta. Etsi autem suos instar argenti examinet Deus, ut purget eorum vitia, ac si igne excoqueret scorias: simul tamen intelligit documentum fuisse captum eorum patientiae. *Et argenti* similitudine, exprimere videtur fuisse ad vivum probatos, sicuti argentum non semel in ignem conicitur. Etsi enim gratias Deo agunt fideles, quod tantum probati fuerint afflictionibus, non prorsus consumpti: malorum tamen varietas et gravitas clare exprimitur non tantum hoc verbo, sed toto contextu, ubi dicunt se in laqueum fuisse coniectos, redactos in ultimas angustias, hominem fuisse impositum capitibus suis, denique per naufragium et incendiū transiisse. Et quum *lumbis suis coarctationem* vel catenam positam fuisse dicunt, aggravant quod prius dixerant de laqueo. Sensus enim est non modo

filis se fuisse irretitos, sed coarctatos duro et insolubili vinculo. *Equitandi* etiam verbo intelligunt tyrannos contumeliose et petulanter fuisse dominatos, et quasi iumentis fuisse abusos. Per *ignem* et *aquam* minime dubium est intelligi multiplices aerumnas: ac sensus est, nullum fuisse afflictionis genus quo non exercuerit Deus suam ecclesiam. Sicut autem duo haec elementa ad fovendam hominis vitam plurimum valent, ita rursus ad extinguendam. Notandum autem primo est, quod propheta, quascunque iniurias perpessus erat populus hostium saevitia, pro poenis divinitus inflictis recenset: ne existiment fideles eo sopito, vel aliud agente, tam duriter se fuisse vexatos. Ecclesiae autem conditio veluti in speculo statuitur hic nobis ante oculos: ne ubi contigerit ab igne in aquam nos raptari, et iactari huc et illuc, ipsa novitas nos exanimet vel terreat. *וַיֵּךְ* proprie terram irriguam significat. Sed metaphorice hic pro laeto et iucundo statu capitur, ac si in campis amoenis et fertilibus suaviter et liberaliter pascerentur fideles. Summa est, quamvis temporalibus poenis duriter castiget suos Deus, semper tamen dare prosperum et laetabilem exitum. Falluntur enim meo iudicio qui ad possessionem terrae Canaan restringunt: quia hic non fit tantum mentio deserti, sed omnium temporum aerumnas quibus humiliatus fuerat populus, comprehendit propheta.

13. *Veniam in domum tuam cum holocaustis, solvam tibi vota mea.* 14. *Quae protulerunt labia mea, et os meum loquutum est in afflictione mea.* 15. *Holocausta pinguum offeram tibi cum suffitu arietum, faciam boves cum hircis.* Selah. 16. *Venite, audite, et narrabo omnibus timentibus Deum quae fecerit animae meae.*

13. (*Veniam in domum.*) Quamquam hactenus totius ecclesiae personam sustinuit propheta, magis tamen emphatice nunc ex privato animi sui sensu loquitur: et vehementius singulos ad pietatis officium incitat: quia ubi quisque seorsum ad gratias agendas probe animatus erit, symphoniam laudum in commune alacrius conferent. Summa est, indigne suppressi Dei gloriam quoties in rebus adversis nobis succurrit, nisi liberationem sequatur solennis gratiarum actio. Nec simpliciter gratitudinem promittit. Vota se in media afflictione nuncupasse dicens, fidei suae constantiam ostendit. Nota est Iacobi exhortatio, 5, 13: Oret qui angitur ac tristis est: qui laetus est, canat. Plerosque enim videmus, licet in prospera fortuna blande fictis laudibus Deum mulceant, simulac paulo durius urgentur, vel tumultuose contra eum fremere, vel fractos torpere. Atqui haec vera est pietatis probatio, si quis inter summos dolores ad Deum suspiret, fideique et

tolerantiae suae perseverantiam orando probet: deinde gratitudinem testetur. Nec abs re dicit se *labiis protulisse vota*, significans nunquam se ita incoerere fuisse constrictum, quin discrete preces concipiens, profiteretur se in manu Dei salutem suam deponere. De votis quod alibi fusius tractatum fuit, breviter repetendum est. Primo nihil unquam sanctos patres vovisse Deo, nisi quod ei probari scirent. Deinde non vovisse in alium finem, nisi ut gratitudinis suae testimonium redderent. Quare nimis insulse illorum exemplum obtendunt papistae non modo temerariis, sed etiam sacrilegis votis, dum primo futiliter obtrudunt Deo quidquid in buccam venit: deinde nihil sibi minus proponunt quam rectum finem, et diabolica superbia de rebus sibi non concessis pasciscuntur.

15. (*Holocausta pinguium.*) Vel Davidem, vel aliquem ex summis proceribus hic loqui oportet: quia ut tenuis fortunae homines tam opima et splendida sacrificia offerrent facultas non sinebat. Probabile igitur est Davidem Psalmi esse autorem, qui sumptum regalem facturum se denuntiat in sacrificiis. Scimus autem cur sibi tunc Deus victimas offerri iusserit pro gratiarum actione, nempe ut sciret populus sua immunditie pollui et vitiari Dei laudes, nisi aliunde sanctificentur. Nam utunque nobis sit propositum laudare Dei nomen, impuris tamen labiis ipsum profanamus, nisi quatenus se Christus semel hostiam obtulit ut nos et nostra omnia sanctificet. Ideoque docet apostolus Heb. 10, 7 per ipsum placere laudes quas Deo referimus. Suf-
fitum sui holocausti hic commendat propheta, quum inde nonnisi gravis ac putidus odor in coelum adscenderit: sed quatenus figurae erant Christi, arietes aliaeque victimae, suaviter coram Deo redolebant. Nunc abolitis legalibus figuris, manet nobis spiritualis veritas, quae proximo versu melius exprimitur, ubi propheta beneficiorum Dei praeconem se fore denuntiat. Nam et sub lege huc referri oportuit externas caeremonias: quia alioqui inutilis fuisset earum pompa. Praeconium ergo gratiae Dei verum condimentum fuit ne insipida essent sacrificia. Quod autem advocat pios omnes, suo exemplo docet non satis gratos esse Deo nisi qui desiderio flagrant publicandae quam experti sunt gratiae, non modo ut incitentur omnes ad eum uno consensu laudandum, sed ut documentis gratiae eius animentur ad fidem et spem. Quod autem narrationem suam destinat solis Dei cultoribus, ratio est, quia soli idonei sunt auditores: profanis autem et hypocritis tanquam surdis canitur.

17. *Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi eum sub lingua mea.* 18. *Iniquitatem si respexi in corde meo, non audiet Dominus.* 19. *Utique audivit Deus, attendit ad vocem precessionis meae.* 20. *Benedictus*

Deus qui non amovit precessionem meam, et misericordiam suam a me.

17. (*Ad ipsum.*) Confirmat se Dei auxilio salvum esse, quia eum precatus, ipso effectu senserit fuisse sibi propitium. Votorum enim fructus gratiam Dei non parum illustrat, ut nobis sit certior. Iterum per *os et linguam*, sicuti paulo ante, precandi vehementiam et ardorem exprimit. Nisi orasset ex intimo cordis affectu, repudiatus quidem esset: sed linguam facit cordis comitem, ut sciamus non frigide eum orasse. Quod nonnulli *sub lingua*, tantundem valere putant atque *in corde*, absurdum est. Sermo enim qui ex linguae reflexu procedit, sub lingua nasci dicitur: sicut alibi, Venenum aspidum sub labiis eorum, Psalmo 140, versu 4. *Exaltandi* verbo significat non alia honoris specie melius coli Deum, quam ubi ab ipso expetitur salus. Unde apparet in papatu spoliari ipsum praecipua gloriae suae parte, ubi vel ad mortuos vel ad statuas distrahuntur hominum vota: et invocatio Dei fere pro nihilo ducitur. Sed interim legem pure et recte orandi subiicit propheta, ne praeterita fide et poenitentia, temere se quisque ad Deum invocandum ingerat. Scimus, quoties in genere pronuntiat scriptura invocandum esse Deum, quam audacter irrumpant hypocritae et profani homines, seque permisceant fidelibus. Ergo propheta ut talibus ludibriis ianuam praecludat, cordis integritatem requirit. Fateor quidem prophetam his verbis suam innocentiam asserere, quemadmodum saepe David probitatem suam reali, ut ita dicam, gratiae Dei testimonio a calumniis asserit: sed consilium maxime fuit tradere suo exemplo communem regulam, ut discamus ad Deum puro corde accedere. Similis est locus ille Ioannis 9, 31: Deus impios non exaudit. Verum quidem est non alios quam peccatores audiri, quia omnibus ad unum praescripta est forma ut peccata sibi remitti petant. Sed quamvis ingenuam reatus sui confessionem coram Deo afferant fideles, hoc tamen ipso iam peccatores esse desinunt, quia Deus supplices absolvit. Tenenda enim est Pauli admonitio, 2. Tim. 2, 19: Ut ab iniquitate discedat quisquis invocatur nomen Domini. Porro *iniquitatem adspicere in corde*, non est esse sibi male conscius (quia videre sua vitia coguntur filii Dei, ut sibi in illis displiceant: atque haec cognitio pro summa virtute censeri meretur) sed intentum esse et addictum iniquitati. Quanquam ideo discrete cordis meminit Propheta, ut ostenderet non modo puras sibi esse manus, vel se eorum hominibus esse innoxium, sed ut coram Deo sibi assereret verae integritatis laudem. Nisi enim externae vitae respondeat interior cordis veritas, sed recondita malitia lateat: quod splendet coram hominibus, abominatio erit coram Deo. Subiicit

autem cum affirmatione, exauditas fuisse preces: unde colligitur, nunquam fore spem nostram irritam, modo ex animo Deum quaeramus.

20. (*Benedictus.*) Psalmum gratiarum actione claudit, unde exorsus fuerat: et causam addit quod repulsam non fuerit passus: figurate enim dicitur Deus *orationem a se depellere*, si quem auxilio non dignetur, ac si tergum obverteret. Fontem vero designat, quia non subduxerit Deus suam misericordiam. Neque enim aliud quam gratuitus eius favor vel nobis eum reddit placabilem, vel pretium ac impetrandi gratiam conciliat precibus nostris, ne sint infructuosae.

PSALMUS LXVII.

ARG. Precatio est pro felici ecclesiae statu, non solum ut Deus in Iudaea eum tueatur incolumem, sed etiam ut nova et insolita propagatione augeat, ubi etiam breviter disserit de regno Dei, quod Christi adventu in toto arbe erigendum erat.

1. *Praefecto in Neginoth, Psalmus canticum.*
2. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: lucere faciat vultum suum in nobis. Selah.* 3. *Ut cognoscant in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam.* 4. *Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.* 5. *Laetentur et exsultent populi, quoniam iudicabis populos in aequitate, et populos in terra diriges. Selah.* 6. *Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.* 7. *Terra dedit proventum: benedicet nos Deus, Deus noster.* 8. *Benedicet nos Deus, et timebunt eum omnes fines terrae.*

2. (*Deus misereatur.*) Quanquam vaticinatur in hoc Psalmo Propheta de regno Christi, sub quo Dei adoptio communis toti mundo futura erat: Iudaeis tamen peculiariter gratiam Dei precatur: sicuti primogenitos fuisse scimus, Exod. 4, 22 ut merito ab ipsis incipere debuerit quae per cunctas gentes spargenda erat Dei benedictio. Quanquam autem in optativo modò reddidi totum hunc Psalmum, quia in hunc fere sensum conveniunt omnes interpretes: non minus tamen commode in tempore futuro verba omnia vertere liceret, sicuti hebraice leguntur: ita esset sancta gratulatio ad fulciendas pias mentes, ne ambigerent de continuo favoris Dei successu, quin potius incrementa eius sperarent. Quia tamen communi fere consensu receptum est, prophetam hic precari, mihi satis est lectores monuisse. Porro quum sermonem habeat non de extraneis, sed de ecclesia ipsa, et tamen quidquid bonorum in eam conferri optat, derivet ex fonte gratiae Dei: sequitur, quamdiu vivimus, non aliunde nos esse felices, affluere bonorum copia, denique

prosperare agere, nisi quia gratuito nos amore prosequitur. Quod si verum est, quis eum praeveniet suis meritis? Sub *vultus illuminatione* utrumque videtur complecti: quia ubi et amoris sui sensum cordibus nostris inspirat Deus, et re ipsa declarat se propitium esse, dicitur super nos lucere serena eius facies: sicuti obnubilari dicitur, dum peccatis nostris offensus, conscientias nostras terret, signaque aufert sui favoris.

3. (*Ut cognoscant.*) Hic clarum est vaticinium de propagatione gratiae Dei, qua factum est ut gentes in unum corpus cum semine Abrahae coalescerent. Optat igitur propheta conspicuum esse Dei favorem in electo populo, ut gentes suo fulgore in eiusdem spei societatem adducat. Per *viam Dei* intelligitur foedus quo se patefecit veteri populo in patrem, clarius deinde per evangelium, quo datus est uberius adoptionis spiritus, unde manat salus: sicut etiam Christus docet hanc esse vitam aeternam, cognoscere verum Deum etc. Ioan. 17, 3.

4. (*Celebrent te.*) Quia salvificae Dei notitiae cunctos populos dixit fore participes, nunc tantae gratiae praecones fore dicit, simulque ad gratitudinem hortatur. Et repetitio clarius exprimit sermonem fieri de re nova et insolita. Neque enim si consueto more et ordine usitato suam erga filios Abrahae gratiam prosequutus esset Deus, tanta vehementia opus erat. Nam primo dicit, *Celebrent te populi, celebrent te populi omnes.* Deinde hanc exclamationem paulo post iterat. Sed opportune gaudium cum sua causa medium inseritur: quia vere et serio laudari non potest Deus, nisi tranquillis et hilaribus animis, ubi Deo reconciliati gloriamur in certa spe salutis, et pax Dei exsuperans omnem sensum, palmam obtinet in cordibus nostris, Philip. 4, 7. Ipsa vero causae redditio plane demonstrat gentium vocationem: quia Dei gubernatio, cuius hic mentio fit, non de generali imperio accipitur, sed de spiritali iurisdictione quam in ecclesia sua exercet. Neque enim, proprie loquendo, alios Deus regendos suscipit, nisi quos legis suae doctrina colligit in suum obsequium. Et nomen *aequitatis* diserte exprimitur ad commendationem huius regiminis. Deinde eadem fere verba leguntur apud Iesaiam 11, 4 et Michaeam 4, 3 ubi de spargenda per totum orbem salutis doctrina concionantur.

7. (*Terra dedit fructum.*) Postquam de praecipua Dei gratia loquutus est, addit Deum terrenis quoque benedictionibus prosequi quos amore suo dignatur, ut nihil prorsus, eo propitio, ad beatam et felicem vitam desit. Tenendum vero memoria est quod ante diximus, quoties illum veterem populum suis beneficiis Deus ornavit, quasi accensa lampade praeluxisse toti mundo, ut ad se quaerendum gentes alliceret. Ideo si liberaliter suppediet

Deus populo suo quidquid opus est, ex hac beneficentia, quasi ex fonte, oriturum praedicat timorem Dei: quia scilicet omnes mundi fines eo libentius se eius imperio addicent, ubi experientia edocti fuerint tam benignum esse erga suos patrem.

PSALMUS LXVIII.

ARG. Quamvis Davidi propositum sit in hoc Psalmo, quas Dei gratia adeptus erat de hostibus victorias celebrare, initio tamen potentiam et bonitatem Dei in genere commendans, materiam eius laudandi proponit in totius mundi gubernatione. Postea ad redemptionem electi populi descendit: cui etiam adiungit cursum paternae Dei beneficentiae, quam semper erga genus Abrahae exserere dignatus est. Tandem argumentum quod ex professio suscepit, copiose prosequitur, et splendidis elogiis memorabilem illam Dei virtutem praedicat, quam ipse privatim fuerat expertus, et quae simul toti populo fuerat conspicua. Unde colligit, se rege creato statum ecclesiae fuisse rite compositum: ut Deus quasi erecto solio, tunc denuo regnare inciperet, qui ante visus fuerat procul recessisse. Nec vero dubium est quin magnificam Dei gloriam quae in Christo demum apparuit, sub hoc typo delineet.

1. *Praefecto, Davidis Psalmus canticum.* 2. *Exsurgat Deus, dispergentur inimici eius, et fugient qui oderunt eum a facie eius.* 3. *Sicut propellitur fumus, propelles: sicut liquescit cera a facie ignis, peribunt impii a facie Dei.* 4. *Iusti autem laetabuntur, exsultabunt a facie Dei, et gestient prae laetitia.* 5. *Canite Deo, psallite nomini eius, exaltate equitantem in nubibus in Iah*) nomine eius, et exsultate coram facie eius.* 6. *Pater pupillorum, et cognitor viduarum, Deus in habitaculo sanctitatis suae.* 7. *Deus habitare faciens solitarios in familia, educens victos compedibus: at rebelles habitabunt in terra arida.*

2. (*Exsurgat Deus.*) Hoc primo versu quasi praefatur David de quibus rebus disserere velit in hoc Psalmo. Haec summa est: Quamvis Deus ad tempus quiescat, impiis proterve et crudeliter ecclesiam affligentibus, tandem surgere vindicem: et satis esse praesidii fidelibus in eius auxilio simulac manum suam contra impios exserit. Quod sententiam hanc ex Mose Num. 10, 35 sumptam fuisse putant interpretes, libenter subscribo. Nec enim mihi dubium est quin Moses saeculis omnibus dictaverit precandi formam: ut freti arca foederis fideles, tanquam visibili praesentiae Dei symbolo, se fore salvos confiderent. Hoc tantum discrimen notandum est, quod Moses Deum ipsum compellens precatur: David autem re ipsa hoc quotidie impleri gloriatur et canit. Nam qui vertunt in modo hor-

tandi, Exsurgat Deus: non satis mihi videntur ad eius consilium attendere. Haec enim summa est, Experientia verum cognosci quod semel docuit Moses: nempe Deum, simulac surrexerit, praeditum esse satis valida potentia ad sternendos omnes hostes, ac profligandos. Quanquam hortandi modus mihi non adeo displicet, modo resolves ut dixi, ac si dixisset, Non opus esse magno apparatu ut Deus hostes suos perdat: quia in eius arbitrio est, simulac digitum sustulerit, omnes dissipare. Interea tacite subindicat, fieri Dei tolerantia, ut interdum praevaleant hostes: et quantumvis insolescant, nihil posse nisi eius permissu: quia nondum est tempus surgendi. Hoc quoque suavissimae consolationis plenum est, vocari *Dei hostes* quicumque eius Ecclesiam infestant: quia quum nos susceperit tuendos, non secus afficitur nostris iniuriis ac si violaretur sua ipsius maiestas. Pulchra etiam similitudine melius exprimit quam facile Deo ac promptum sit omnes hostium nostrorum conatus discutere: nempe *sicut fumus veno discussus evanescit, vel cera liquescit coram igne.* Est autem hoc fere incredibile, tam firmi roboris dissipationem fore momentaneam: sed spiritus hoc modo nimiam carnis nostrae timiditatem corrigere voluit: ac si diceret, non subesse hostibus nostris quam putamus firmitudinem, sed quasi fumo hebetari nostros oculos: falli etiam nos in ipsa duritie, quia non reputamus solo Dei conspectu liquefieri montes ipsos.

4. (*Iusti autem laetabuntur.*) Hic explicat David, praecipue in salutem ecclesiae suae, Deum formidabilem esse impiis. Et videtur laetitiam hanc oblique opponere moerori, quo diu sub Saule occupati fuerant animi piorum: ac si dixisset, Postquam humiliavit suos ad tempus Deus, afferre novam gaudii lucem, ne semper sub tristitia demersi iaceant. Interea docet, tunc vere demum exhilarari pios, dum sibi propitium esse Deum cernunt, suamque ei salutem caram esse. Quanquam autem מִפְּנֵי et לִפְנֵי Hebraeis idem saepe valent: hic tamen consulto distingui a propheta existimo: quia fugiunt impii a facie Dei, quam exhorrent: iusti vero ad eandem faciem exsultant, quia nihil illis optabilius quam sentiro propinquum sibi esse Deum. Vidimus autem Psalmo 18, 26 ut Dei conspectus alios expavefaciat, alios vero suaviter exhilaret: quia sicuti mansuetus est erga mansuetos, ita cum prae fractis prae fracte agit. Plurium verborum congerie exprimit propheta non mediocre fore piorum laetitiam, sed quae omnes eorum affectus in se rapiat et occupet.

5. (*Canite Deo.*) Iam hortari incipit fideles ad laudandum Deum: materiam tamen initio in genere proponit, sicuti nuper attigi, quod suo imperio et virtute contineat totum orbem: deinde quod miseros quosque et contemptibiles fovere sua cura et patro-

*) en Jah, en marge: ou qui est, ou l'Eternel.

cinio tueri dignetur. Hoc ergo elogium est immensae Dei potentiae, quod equitet super nubes, vel coelos, quia sequitur toto mundo superiorem esse. Nam etsi hac loquendi forma admonet spiritus sanctus nihil crassum vel terrestre concipiendum esse de ipso, praecipue tamen commendat summum imperium, ut nos ad reverentiam adducat: ac si diceret, ita supereminere, ut laudes omnes infra ipsum subsistant. Nam ubi nervos omnes intenderimus, non comprehendemus certe coelum et terram, quae tamen amplitudinem gloriae Dei aequare nequeunt. Quod additur continuo post de *Ia* nomine eius, varie potest accipi Scimus literam *י* beth saepe apud Hebraeos supervacuam esse, ideo posset transferri, *Ia* est nomen eius. Vertunt alii, In *Ia* est nomen eius: ad verbum, quod mihi non displicet, tametsi *nomen* quoque in ablativo casu ponere malui. Sed de verbis minus laborandum est, quia non est obscurum Davidis consilium. Nam quia tunc vanis deorum figmentis superstitione ropleverat totum orbem, voluit uni Deo suum gradum asserere, ac si omnia idola facessere iuberet ubi in medium prodit Deus Israel. Sed quia non satis esset, suppliciter coli Deum a fidelibus, quem impii quoque, dum expavescunt et tremunt, revereri coguntur, *laetos et alacres* accedere ad ipsum iubet: ideoque de mira eius bonitate paulo post concionatur, quod ad *pupillos* usque et *viduas* se demittere non gravetur: ac si diceret, Incomprehensibilem Dei gloriam non esse causam distantiae, ut nos, quamlibet miseri simus, ac in sordibus demersi, despiciat. Nam viduas et pupillos nominans, haud dubie per *synecdochen* complectitur quos mundus, quasi auxilio indignos, praeterire solet. Nam ut plurimum nostra officia ibi locamus unde spes aliqua compensationis apparet. Deinde primum fere locum occupat dignitas et splendor: unde fit ut contempti iaceant pauperes. Quod sequitur, *Deum esse in habitaculo sanctitatis suae*, sive ad coelum referas, sive ad templum, optime praesenti argumento conveniet. Neque enim coelo inclusus est Deus ut otium colat, sed potius solii instar est ei coelum unde orbem iudicet. Iam quia domicilium sibi delegit inter homines, unde familiariter eos ad se invitat: nihil aptius erigere pauperum fiduciam potest, quam ubi audiunt non procul quaerendum esse. Proximo versu alias quoque species adiungit, quod orbis et *solitariis* det copiosam sobolem, et *vinctos* solvat e compedibus. Postremo autem membro Dei iudicium impiis et profanis eius contemptoribus denuntiat, non modo ad incutiendum illis metum, sed ne eorum sorti invident fideles. Summa est, quocunque afflictionis genere premamur, in Dei manu esse solatium, quo dolores nostros leniat, et curas exoneret. Quamvis autem impii ad tempus sibi placeant, quidquid tamen nunc videtur illis maxime prosperum,

tandem infeliciter illis cessurum esse. Nam *habitare in arido* significat quasi in desertum relegari, ne amplius paterna Dei benevolentia, qua improbe abusi sunt, fruantur.

8. *Deus quum egrediebaris coram populo tuo, quum iter faciebas in deserto, Selah.* 9. *Terra mota est, etiam coeli stillarunt coram facie Dei huius, Sinai a facie Dei Dei Israël.* 10. *Pluviam liberalem fluere facies*) Deus super haereditatem tuam, et lassam tu instauras.* 11. *Congregatio tua habitabit in ea: parabis in bonitate tua pauperi Deus.*

8. (*Deus quum egrediebaris.*) Nunc Dei bonitatem proprie in ecclesia residere praedicat, quam peculiariter in eum finem delegit ut theatrum esset paternae suae sollicitudinis. Hoc autem diserte additur a propheta, ut quod antea dictum est, filii Abrahae propius ad se accommodent: quia sunt ex electo populo. Porro quia redemptio ex Aegypto praecipuum et aeternum erat amoris pignus, quo etiam sancita fuerat adoptio pridem in manu Abrahae facta, eius historiam breviter attingit. Summa huc tendit, Deum in illo memorabili exitu testatum esse omnibus saeculis quantopere ecclesiam suam diligeret. Quorsum enim tot miracula, terrae coelique concussio, et montium tremor, nisi ut palam fieret Dei virtutem cum salute populi coniunctam esse? Ideo partes ducis tribuit Deo, qui suis auspiciis populum deduxerit. Neque id solum in traiectu maris rubri, sed etiam quamdiu in deserto vagati sunt Israelitae. Porro *terrae motum* intelligo non solum in legis promulgatione: sed quia in continuo itineris progressu saepius mutatus est ordo naturae, ac si elementa omnia trepidarent ad Dei conspectum. Quia tamen praecipue in monte Sinai terribilem suam potentiam ostendit Deus, quia et tonitrua audiebantur in coelo, et totus aer fulgetris plenus erat: diserte montem illum nominat propheta, in quo spectabilis fuit splendidius quam alibi usquam Dei maiestas. Pronomen demonstrativum *ההוא* frigide ad Sinai quidam referunt: quum potius David gloriam Dei Israelis illustret. Nam simili figura prophetae non semel declarant, Deum qui colitur inter Abrahae filios, non esse imaginarium: nec religionem quae eius lege tradita fuit, ambiguam esse. Sic Iesaias cap. 25, vers. 9: Hic hic Deus noster, servabit nos. Ergo David, quasi in praesentem Dei conspectum suos adduceret, fidei certitudinem confirmat, distinguitque a dubiis gentium erroribus: et simul oblique perstringit mundi amentiam, qui Deum sibi in lignis et lapidibus,

*) Tu feras decouler la playe volontaire, en marge: ou par ta volonté et libéralité.

auro et argento figurans, adeo non proficit in Dei notitia, ut in suis fallaciis longius evanescat.

10. (*Pluviam voluntatum.*) Hic David perpetuum gratiae Dei cursum praedicat, ex quo terram sibi promissam ingressus est populus. Ipsa enim vocatur Dei haereditas, quam assignaverat filiis suis. Alii ecclesiam intelligunt, sed improprie: quia paulo post subiiciet in ea habitare coetum Dei. Merito autem terra Canaan nomen hoc obtinet, quae haereditario iure a patre coelesti tradita fuerat. Porro ex quo in ea locati sunt filii Abrahae, David commemorat nunquam Deum cessasse ab optimi et indulgentissimi patrisfamilias officio: quia victus parandi causa, pluviam semper excitaverit. Porro quum נָרְבָּה (quod nomen hic in genitivo plurali vice epitheti ponitur) Hebraeis spontanea sit voluntas, vel mera liberalitas, libenter interpretibus assentior qui ad gratuitum Dei beneplacitum referunt: ac si dixisset David, Deum semper alendi populi sui sponte curam habuisse. Nam quod alii pluviam voluntatum, optabilem vertunt, quam gallice dicimus *A plaisir*: alii mitem: ultroque fluentem sine impetu, quam gallice vocamus *pluye mouillante*: nescio an conveniat. Sunt etiam qui largam et uberem pluviam interpretantur. Sed iam quid mihi magis placeret, ostendi. Liberalitatis ergo suae signum exhibuit Deus, terram opportuna pluvia irrigans. Nec dubito quin ad Iudaeae situm respexerit, cuius foecunditas erat a rore vel pluvia coelesti. Eadem ratione dicit *lassitudine effectam refici*. Additur ratio, quia illam Deus electo populo habitandam dederit: ac si diceret, Non alio respectu sic benedici, nisi quia sacrum est ecclesiae domicilium. Ac quo melius hanc beneficentiam agnoscant Iudaei, comparat eos *famelicis* qui in diem aluntur. Etsi enim laute ad satietatem usque adipe frumenti, vini copia, melle et oleo pascebat eos Deus, sic tamen gratiam suam temperavit, ut a se uno penderet eorum expectatio. Quod alii טוֹבָה pro copioso victu accipiunt, etsi non refello, potius tamen inclino in diversum sensum, Deum non alio quam beneficentiae suae respectu induci, ut suis tam provide consulat.

12. *Dominus dabit sermonem annuntiatricibus exercitus magni.* 13. *Reges exercituum fugient, fugient: et habitatrix domus dividet spolia.* 14. *Si iaceatis inter ollas, pennae columbae operatae argento, et posteriora eius in pallore auri.* 15. *Quum dissiparet Omnipotens reges in ea, dealbabis*) in Salmon.*

12. (*Dominus dabit.*) Hic iam victorias commendat David, quibus Deus virtutem suam in tuenda populi salute praeclare extulerat. Quum vero

*) tu la blanchiras, en marge: ou elle fut blanche.

ipse profligatis hostibus terram pacasset, ac ampliasset regni terminos, omnium stratagematum laudem in Deum transscribit. Nam partes Dei esse asserens, carmen vel praeconium triumphale dare, prosperos belli eventus in eius manu esse hac figura docet. Porro *annuntiatrices exercitus* dicit, quia receptum erat vetusto more, epinicia cani a mulieribus: sicuti Miriam soror Moysi cum mulierum choro Dei laudes ad tympanum celebravit, Exod. 15, 20 et mulieres etiam citharistriae Davidis triumphum cecinerunt occiso Goliath, stratisque Philistinis, 1. Sam. 18, 6. Cantici tamen nomine, ut nuper dixi, significat David nonnisi ab uno Deo proficisci victorias. Quanquam simul officii admonet fideles ut Dei beneficia qua decet gratitudine praedicent. Proximo versu docet, quamlibet magnis et validis copiis instructi prosiliant hostes ad perendam ecclesiam, dissipatum tamen iri. Ac videtur muliebri canticum referre: quamvis in eius persona non minus recte accipere liceat. Haec vero circumstantia non parum illustrat Dei gratiam, quod fugati sint potentissimi reges, quorum viribus longe impares fuissent Iudaei. Unde enim factum est ut non modo irriti discesserint, sed etiam in longinquam fugam dispulsi, quibus facile erat terram obruere suis viribus, nisi quia defensorem se populi sui Deus mirabiliter opposuit? Et *fugendi* verbum bis repetere videtur, quia saepius hostium impetus coelesti auxilio fuerant repulsi. *Praedae* vero magnitudinem hac circumstantia notat, quod pars ad mulieres domi quietas perveniat: ac si diceret, Non solum milites spoliis bene ornatos e proelio reversos esse, sed prae igenti opulentia imbelles quoque mulieres fuisse praedae socias.

14. (*Si iaceatis.*) Quia Deum pro suo populo proeliari solitum esse dixerat, nunc per modum correctionis addit, etiamsi fideles interdum contingat iacere in tenebris, Deum nihilominus in tempore prodire liberatorem. Nec dubium est quin oblique miserum illud et calamitosum tempus perstringat quo populus Dei sub Saule duriter fuerat afflictus: quia illustrior et magis notabilis fuit restitutio, quum repente populus e tenebris in lucem emersit. Quanquam longius patet doctrina: quia generaliter admonet, inter medias afflictiones arcana et mirifica Dei virtute fideles quasi integros servari, vel subito restitui, ut nulla malorum signa appareant. Utrumque enim sensum verba admittunt, quod *iacentes in fuligine* et tenebris, nitere tamen non desinant: vel quod liberatio contractam ex malis nigredinem discutiat. Utrumvis eligas, summa huc redit, nunquam afflictionibus vel consumi vel obrui fideles quin sua illis maneat incolumitas. Id autem concinna figura docet perinde esse ac si *columbae* inter ollas vel lebetes nullam in alis nigredinem contraherent, sed retinerent nativam pulcritudinem coloris.

Unde sequitur non semper iucunda serenitate frui ecclesiam, sed ex tenebris erutam splendorem recuperare, ac si ab omni malo intacta foret.

15. (*Quum dissiparet.*) Quia verbum פָּרַשׁ extendere vel dividere significat, posset etiam verti hic locus, Quum in triumpho traduceret. Melius tamen convenit Dispersio: et fugae cuius paulo ante meminit, respondet. Plus est obscuritatis in secundo membro, quia verbum יָשַׁל, quidam ad Dei congregationem referunt: quasi diceret David, albedine fuisse speciosam. Secundae tamen personae etiam esse potest, hoc sensu: Deus tu eam dealbas non secus ac montem Salmon nivibus. Quia tamen ad rei summam nihil fere interest, sequantur lectores utrum malint. Hoc quidem mihi dubium non est, Davidem prosequi quod nuper dixerat de candore argenti. Quamvis ergo in turbulento hostium insultu caligine oblecta esset terra, dicit David recuperasse suam albedinem, ut esset quasi nivei coloris sicut mons Salmon, quem fuisse nivolum satis constat. Alii putant esse nomen appellativum, et exponunt, Umbra obscura. Sed praestat a recepta lectione non discedere. Interea mihi probabilis est allusio ad etymologiam nominis, nam quia צֶלֶל umbram significat, mons Salmon dictus fuit quasi obscurus. Et aptissima erit similitudo, sicuti montem obscurum dealbant nives, ita obscuritate abtersa resplenduisse candidam faciem terrae.

16. *Mons Dei, mons Basan, mons celsitatum,**) *mons Basan.* 17. *Utquid exsilitis montes celsitatum? mons in quo placuit Deo habitare: utique habitabit Iehovah in perpetuum.* 18. *Currus Dei viginti millia millium angelorum: Dominus in illis, Sinai in sanctuario.*

16. (*Mons Dei.*) Hic causam et principium tantae Dei beneficentiae notat, quod montem Sion sibi in regiam et templum elegerit, unde eius gratia in totum populum fluere. Quia vero Davidi haec promissio data fuerat, merito inde se probat regem legitimum et divinitus ordinatum: quia hac dignitate et praestantia mons Sion erat ornatus. Fuerunt enim res coniunctae, Davidem in regio solio ad gubernandum populum sedere, et Deo sacrum esse domicilium in monte illo. Duplex tamen potest esse verborum sensus: vel quod montem Dei, monti Basan compareret tanquam similem: vel quod opponat. Prior receptus et omnium fere interpretum consensu, quamlibet pinguis sit fertilitas montis Basan, Sionem tamen praecellere. Etsi autem ad summam rei parum refert, non minus tamen apta erit distinctio, si seorsum legamus, *Mons Dei*: deinde

ex opposito, *mons Basan* cum sua celsitate iubeatur cedere sacro monti: ac si dicesset David: Unus est mons Dei, nempe quem sibi oraculo consecravit. Quamvis autem mons Basan excelsus sit et nobilis sua pinguedine, veniat tamen cum reliquis montibus, non erit cur superbiant vel insultent: quia aequare non poterunt Sionem, quem Dominus suo beneplacito aliis omnibus praetulit. Si tamen uno contextu totum versum referas ad montem Sion, vocabitur mons excelsus et opimus: quia Dei benedictio, qua Iudaei excelebant prae cunctis mortalibus, illinc manabat.

17. (*Quare saltatis.*) In hoc versu nihil est obscurum vel ambiguum. Postquam enim retulit David montem unicum Deo placuisse in toto orbe, cogit in ordinem altissimos quosque montes. Caeterum quia in plurali numero nunc repetit quod nuper dixerat de monte Basan: hac ratione adducor ut primo montem Basan, deinde quidquid est altitudinis in mundo, Sioni existimem opponi. Porro quum metaphorice de montibus loquatur David, simplex sensus ex hac figura debet elici, regnum Christi, quod Deus in persona ipsius Davidis auspiciatus erat, longe excellere supra omnes mundi glorias. Interea non abs re ad retundendam mundi confidentiam insurgit David: quia scimus ut contemptibile sit Christi regnum terrenis et profanis hominibus, qui deliciis suis vel opibus addicti, ad spirituales Dei gratias caecutiunt. Atque eo latius patet eius doctrinae utilitas, quo magis exsultat caro inani superbia, simulac tenuis occasio data est. Nam si a superbia temperare sibi nequeunt quibus nulla est ratio, quomodo potentes et opulenti non sibi arrogabunt aliquid eminentiae? Caeterum quantumvis sibi applaudant, fideles tamen hac una praerogativa contentos esse decet, quod Deo placuit habitare in medio ipsorum. Quamdiu enim coniuncti sunt Deo, in quo solo residet plena eorum felicitas, non est cur eos suae conditionis poeniteat.

18. (*Currus Dei.*) Quia maligne ut plurimum, nec iusto pretio aestimatur Dei praesentia, eam magnifico elogio commendat hic David. Nam, ut proclive nobis ad dubitationem ingenium est, quidquid occurrit discriminum in mundo, in trutina sensus nostri virtutem Dei praeponderat. Hinc trepidatio in minimis quibusque tentationibus: quia Deum exuimus immensa sua potentia, vel saltem eam nimis extenuamus. Ergo hunc morbum sanare volens David, proponit in medium innumeras angelorum copias quae facile discutiant omnia mundi impedimenta. Quanquam autem duas tantum myriades nominat, tantundem valet loquutio ac si diceret, praesto esse in obsequium Dei ingentes exercitus ad salutem nostram tuendam, quod abunde ad erigendos animos sufficere debet, quamvis centum mortes nobis minentur. Quod adiungit *Deum*.

*) la montagne des hauteurs, en marge: ou treshaute.
Calvini opera. Vol. XXXI.

esse in illis, etiam ad commendationem praesentiae Dei pertinet, ac si dixisset, non magis exui posse Deum sua virtute quin sub se quasi inclusos teneat omnes angelos, quam separari a sua essentia. Quanquam interim simul admonet pluris esse unum Deum quam decem angelorum mundos, ut ita loquar. Iam ne longa distantia, quam imaginari solemus inter nos et Deum, cursum fidei nostrae abruptat, proponit nobis Sinai ubi palam apparuit eius maiestas, unde sequitur quiescere adhuc in suo sanctuario. Quorsum enim se illic Deus mirabiliter patefecit, nisi ut ostenderet foedus suum vinculum esse sacrae unionis inter se et filios Abrahae? sicuti etiam dicebat Moses, Deut. 30, 12: Ne dixeris in corde tuo: Quis adscendet in coelum? quis descendet in abyssos? quis traiciet mare? Prope est enim verbum in ore tuo, etc. Ergo sub nomine Sinai, significat David, ut invicto praesidio tuti simus, non aliunde quaerendam esse certitudinem praesentiae Dei, quam ex lege et prophetis.

19. *Adscendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus: atque etiam rebelles, ut inhabitet Jah*) Deus.* 20. *Benedictus Deus per singulos dies, onerabit**) nos Deus salute nostra. Selah.* 21. *Deus nobis, Deus in salutem, et Iehovae Domino exitus mortis.* 22. *Certe Deus vulnerabit caput inimicorum suorum, verticem capilli eius qui ambulat in sceleribus suis.* 23. *Dixit Dominus, Ex Basan convertam, convertam e profundis maris.* 24. *Intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.***)* 25. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei in sanctuario.*

19. (*Adscendisti in altum.*) Minime dubium est, comparatione diversi temporis illustrari novam gratiam, quae sub Saule sepulta, Davide regnum adepti, iterum illuxerat. Subest enim tacita antithesis inter iacere, et in sublime attolli: ac si dixisset, in tristi populi dissipatione non apparuisse Dei gloriam, qualis olim conspicua fuerat. Regnum enim Saulis, sicuti a pravis et illicitis exordiis coeperat, maledicti oportuit, donec sub Davide gratiae suae lucem Deus restitueret: quo felici successu palam factum est, Davidem legitimis auspiciis regnare, quia divinitus electus erat. Etsi autem fortiter proelatus erat David, victoriae tamen laudem a se removens, uni Deo vendicat. Nam hostes dicit ab eo fuisse captos, et tributum pendere coactos: rebelles etiam fracta ferocia tractos in subiectionem.

*) le Dieu Jah, *en marge*: ou qui est, ou l'Eternel.

**) nous chargera, *en marge*: ou remplira abondamment.

***) sera teinte des ennemis et d'icelui, *en marge*: ou de leur sang.

Porro quos hic קוררים vocat, hoc est rebelles, vel prae fractos, vel defectores, certum est ab aliis hostibus distingui, quos paulo ante dixerat captos fuisse. Quasi diceret non modo sub iugum fuisse compulsos, qui viribus suis diffisi cesserunt, seque dedere maluerunt quam pertinaciter resistere, sed etiam superbissimos quosque fuisse domitos. Finem deinde notat, *ut Deus inhabitet* in medio populi sui, suaeque protectione beatos esse demonstret quicumque sub eius protectione delitescunt. Caeterum, quia locum hunc Paulus subtilius ad Christum deflectit ad Ephesios capite 4, 8 videndum est quam bene hoc cum mente Davidis conveniat. Certe principium illud everti nullo modo potest, Davidem ea lege praefuisse veteri populo, ut sub figura illa Christus rex aeternus suum imperium inchoaret. Semper enim tenenda est promissio aeternae successionis, quae in Christi demum persona sancita fuit. Sicuti ergo per manum Davidis virtutem suam asseruit Deus, ut in altum evectus populum suum erigeret: ita in filio suo unigenito summam suam altitudinem monstravit. Iam, ut inter se convenient singula membra, Christus, antequam extolleretur, se ipsum exinanivit, non modo accepta servi forma, sed etiam humiliatus usque ad mortem crucis. Ergo ut umbra veritati respondeat, vero in Christi persona impletum esse dicit Paulus quod David Psal. 22, 7 praedixerat, quia, antequam adscenderet, deiectus fuerat usque ad infimas partes terrae, dum factus est opprobrium hominum, et contemptus plebis. Porro ne adscensio ita restringatur ad corpus Christi, vis eius et fructus describitur, nempe quod imperio suo coelum et terram subiecit. Nam qui prius indomiti erant hostes, eos coegit ad obsequium, sibi que fecit tributarios: sicuti huc tendit evangelii doctrina, ut increduli, deposito carnis fastu et contumacia, se suaeque omnia Christo dedant, et omnis altitudo in ordinem cogatur, captivi fiant sensus hominum et affectus. Quantum vero ad diabolos et omnes reprobos spectat, quos obstinata malitia semper ad defectionem instigat, eos arcana sua potentia constrictos tenet, ne pro sua rabie misceant et perdant omnia. Hucusque optime cohaeret similitudo. Quod autem Paulus dicit Christum dona dedisse hominibus, discedit quidem a verbis Davidis, quia (ut se rudibus accommodet) graecam versionem sequitur, sed in re ipsa nihil est repugnantiae. Nam ut Deus hostium spoliis non se, sed populum suum ditavit: sic Christus locupletari non quaesivit, quum nulla re indigeat, sed ornandae ecclesiae suae causa hostes sibi reddidit tributarios. Ergo respectu arcanae inter caput et corpus societatis, utrumque vere et proprie dicitur, Deum in carne manifestatum distribuere suis quae a captivis accepit dona. Nec minus in Christum competit quod dicitur in fine versus, victorem

fuisse Deum, ut inter nos habitet: quia non migravit a nobis Christus ut procul quaerendus sit, sed ut omnia impleat, quemadmodum etiam Paulus dicit, Ephes. 4, 10. Nam et deitatis suae virtutem multo plenius in coelum adscendens exseruit: et quamvis secundum carnem in terra non versetur, carne tamen sua et sanguine animas nostras spiritualiter pascit: quia non obstat locorum distantia quominus caro eius vere sit nobis cibus, et sanguis eius vere sit potus.

20. (*Benedictus Deus.*) Sic temperat David quae de singularibus Dei auxiliis recenset elogia, ut nunquam tamen ab hoc scopo deflectat, ecclesiam perpetua Dei custodia et defensione stare incolumem. Ideo nunc dicit, Benedictus sit Dominus quotidie. Ed addit salutem ab eo sperandam cum omni bonorum copia. Verbum *בְּרַכָּה* alii vertunt onerabit, alii portabit, sed in re nihil est discriminis. Itaque tenere sufficiat, continuum liberalitatis tenorem fidelibus promitti: ac si diceret David nunquam in cursu beneficentiae suae fatigari quin novis subinde bonis populum suum cumulet. Forte etiam emphatice posita est litera *ב*, quae saepe demonstrativum pronomen valet apud Hebraeos: ac si digito ostenderet Deum, cui pios omnes inniti decet: sicuti etiam proximo versu, quum dicit, *אֵלֵינוּ אֱלֹהֵינוּ* nobis est *אֱלֹהֵינוּ*, non videtur supervacua esse demonstratio. Cohae-rent autem istae sententiae: quia summa huc tendit, Deum ecclesiae suae perpetuum esse liberatorem. Et quia nimium erratae sunt hominum mentes, fraenum iniicitur quod sub unico et certo Deo illas contineat. Quanquam autem omnibus exposita est salus Dei, merito tamen ad electos restringitur privilegium hoc, ut sentiant modis omnibus se a Deo servari: quia reprobi sua ingratitude vitam in mortem convertunt. Nec abs re *salutes* posuit numero plurali, ut sciamus, quamvis nos obsideant innumerae mortes, innumeros quoque servandi modos Deo esse in promptu, ut hodie erepti in crastinum bene speremus. Eodem refero posterius membrum, ubi in arbitrio eius esse docet *exitus mortis*. Nam quod alii vertunt Exitus ad mortem, quasi intelligat David promptum et facile esse Deo ulcisci et perdere suos hostes, mihi coactum videtur. Alter vero sensus optime fluit, miras esse et varias et absconditas rationes Deo, quibus suos a morte in vitam excitet. Definit enim quomodo suorum sit Deus servator: non quod praeveniat semper mortem ipsam, sed quia ubi passus est quodammodo absorberi, repente dat mirabiles exitus. Idque eo magis notandum est, ut discamus eius auxilium non metiri sensu proprio, sed in abyssos demersi, ad Dei manum spes nostras referamus, cuius proprium est viam per invia patefacere.

22. (*Certe Deus.*) Quia ut ecclesia hinc inde a validis et saevis hostibus impetitur, assiduosque

insultus sustinet, non aliter servari potest quam forti et violenta defensione, Deum ad sternendos omnes impios terribili potentia armatum inducit David. Quia vero eandem continuat doctrinam, potest particula *וְ* illative accipi: simplex tamen affirmatio sufficere visa est. Primo autem notandum est, vocari Dei hostes quicumque piis iniuste molesti sunt: ne dubitemus ipsum semper fore intermedium ad nos tuendos. Quam vero sollicitus sit de salute nostra, his loquendi formis optime exprimitur, *Transfiget Deus caput inimicorum et verticem capilli*, ac si diceret letaliter vulnerandos esse, vel plaga insanabili, quicumque ecclesiam Dei infestant: praesertim vero ubi paulo post Deum per multas strages ruentem describit.

23. (*Dixit Dominus.*) Ne victoriis suis profanum in morem laetentur Israelitae, sed Deum agnoscant earum autorem, eos ad principia revocat David, atque etiam ut confidant se eius gratia perpetuo fore salvos, revocat in memoriam quomodo statim iam a prima origine quasi ex inferis emer-serint eorum patres Dei manu victrice. Tantundem enim valet haec sententia ac si dixisset: Non ideo eripuit semel Deus populum suum e gigantum manibus, et gurgitibus maris rubri, ut eum nunc in similibus periculis deserat: sed quoties ita tulerit necessitas, praesto aderit liberator. Scimus enim tritum hunc prophetis esse morem, quoties magnifice extollere volunt Dei gratiam, redemptionis historiam in medium proferre: ut ex ipsa salutis origine colligant fideles, eosdem fore in posterum progressus. Ac quo plus energiae habeat oratio, Deum inducit loquentem. Asserit autem his verbis virtutem et munus excitandi a morte in vitam: quia populi egressus ex mari rubro, et victoria contra bellicosos gigantes, quaedam resurrectio fuit. Quod alii exponunt, Fugabo ex Basan hostes, stare non potest, et contextui repugnat: quia sequitur continuo post, Reducam ex profundis maris. Quod vero Deum *sanguine madidum* vel rubicundum inducit David, accipi non debet quasi signum saevitiae, sed quo melius sentiant fideles quam sint ei cari et pretiosi, dum tantopere pro eorum salute excandescit. Nam et Davidem ipsum scimus minime truculento ingenio fuisse: sed quum puro et integro animo expenderet Dei iudicia, potuit sancto zelo in pernicie reproborum laetari. Atque etiam notandum est, adscribi Deo quod est totius ecclesiae commune: sicuti per manus suorum exequitur iustas contra reprobos vindictas. Quod in fine versus particulam *ab ipso*, quidam trahunt ad regem hostium, alienum est a sensu Davidis. Sensus ergo est, linguas canum sanguinem lambendo rubicundas fore: tantus erit passim cadaverum numerus.

25. (*Viderunt.*) Potest hic versus tam de proeliis vel ductu bellorum, quam de gratiarum

actione intelligi. Scimus enim, quum aliqua nobilis victoria contigerat, fideles ordine solitos fuisse progredi, ut in templo pacificas victimas offerrent. Sunt igitur qui *Dei ingressus* ad catervas populi referant in sanctuarium confluentes. Mihi tamen non displicet Deo tribui summi ducis partes ad ordinandos et regendos exercitus. Nam quod paulo post sequitur *in sanctuario*, concinna allusio est ad visibile praesentiae Dei symbolum. Unde enim factum est ut regendi populi curam susciperet Deus, et ad repellendos hostium impetus praeiret, nisi quia pollicitus fuerat se ex sanctuario auditurum suorum preces? Ergo perinde ac si ex illa sacra sede prodiret, dicitur fuisse conspectus, ad populum felicibus auspiciis ducendum. Ideoque David, appellans eum *regem suum*, populi oculos a se avertit, ne regium nomen precario apud hominem mortalem depositum, coelestem eminentiam summi capitis obscuraret. Quanquam enim loquitur in persona totius populi, se tamen e numero minime eximit.

26. *Praecesserunt cantores, sequuti sunt psallentes, in medio puellae tympanistriae.* 27. *In congregationibus benedicite Deum, Dominum e fonte Israel.* 28. *Illic Benjamin parvulus dominator eorum, principes Iehuda in congregatione ipsorum, principes Zabulon, principes Nephthali.*

26. (*Praecesserunt cantores.*) Iam haud dubie non de exercitu ad bellum instructo, sed de solenni populi conventu loquitur, ubi in victoriae gratulatione canendae sunt Dei laudes. Quia autem palam ostenderat Deus se fuisse bellorum ducem, merito triumphus ei defertur. Distinctos igitur choros canendis Dei laudibus hic inducit, et nominatim ponit tympanistrias: quia tympana pulsare tunc moris fuit mulieribus, quod hodie absurdum apud nos foret. Quod postea sequitur, *ex fonte benedicite Deo*, quidam de corde accipiunt: quia scimus fictas laudes, quae tantum in labiis personant, coram Deo maledictas esse. Genuinus tamen hoc loco sensus vocis est, ut ad Deum laudandum conveniant quicumque originem ducunt a sancto Patriarcha Iacob. Etsi enim non omnes vocationi suae respondebant, merito tamen totum genus, quod erat divinitus electum, ad hoc pietatis officium invitatur. Si quis tamen malit Fontis vel Originis nomine hypocritas, qui se falso gloriabantur esse Abrahamae filios, quum essent degeneres, a probis et sanctis discerni, non repugno. Soli enim fidei imitatores inter legitimos filios censentur. Sed quum generaliter de sanctis populi conventibus loquatur, mirum est primo loco statui tribum Benjamin. Divinant quidam interpretes, quia propter viciniam Davidi praesto erant Beniamitae: duae etiam tribus, Zebulon et Nephthali, quamvis locorum situ longe

distarent, magis coniunctae et amicae erant, habitum illis fuisse hunc honorem. Alii per synecdochen per remotos et propinquos totum populum notari volunt. Sed quia potuit alia esse ratio quae nobis est incognita, satius est in medio relinquere: etsi probabiles coniecturas non repudio. Quod Benjamin multi *parvulum* vocari putant propter hominum paucitatem, quia tribus illa propter scelus Gibeonitarum fere exstincta fuerat, non videtur quadrare: quia David praecipuos laudum Dei praecones accersens, probum illud non memorasset. Caeterum quum prophetae de familiis loquentes saepe ad patriarchas alludant, non mirum est, posteros Beniamin, patris sui respectu, qui minimus erat inter filios Iacob, vocari gentem parvulam: quamvis ante acceptam cladem non adeo populosa fuerit. Vix etiam recipio quod magno consensu tradunt interpretes, *dominatorem* vocari Benjamin, quia primus rex Saul ex tribu illa oriundus erat, cuius memoriam importune renovasset David: quum *אַרְאֵל* illius temporis ubique in scriptura damnari sciamus: et dominatio Saulis Davidis electione (quae hic maxime celebratur) sepulta fuerit. Sed potius mihi verisimile est, respectu paucitatis ornari tribum illam dominationis elogio: ac si diceret, Beniamitas, quamvis neque magno numero, neque potentia excellerent, caput tamen unum efficere, et hoc videtur apte quadrare: nisi cui forte magis placeat primum aliquem ducem ex tribu illa fuisse, ut in duabus reliquis quas memorat: vel forte totum populum, insignem in aliquo proelio navasse operam. Quamvis autem honorifico elogio istas tribus ornet, revocat tamen paulo post ad summum caput, proceres Iehudah colligendis omnibus copiis praeficiens. Subaudiunt aliqui copulam, principes Iehudah, et congregatio ipsorum. Alii vertunt, Lapidationem. Sed illud primum, iudicio meo, rectius est, congregationem referri ad eam tribum sub cuius auspiciis militabat. Itaque primatus et imperii dignitas asseritur tribui Iehudah, penes quam ius cogendi populi fuit.

29. *Mandavit Deus tuus robur tuum: robora Deus quod operatus es in nobis.* 30. *E templo tuo super Ierusalem tibi offerent reges munus.* 31. *Perde coetum arundinis, congregationem taurorum cum vitulis populorum, calcantem in frustis argenti: dissipa populos qui bella volunt.*

29. (*Mandavit Deus tuus.*) Quia nihil proclivius est, quam ut sibi arrogant homines quod Deo acceptum ferre decebat: iterum inculcat David, populum suum non fuisse proprio Marte superiorem hostibus, sed virtutem e coelo fuisse subministratam. Deum enim autorem virtutis fuisse praedicat,

quum strenue proeliati sunt Israelitae: et hoc modo ad gratitudinem eos hortatur: et arrogantiam corrigit, qua mundus ut plurimum Dei gratiam obscurat ac suffocat. Iam vero ut melius ad modestiam eos flectat, simul admonet eiusdem gratiae continuatione in posterum quoque opus esse. Unde enim carnis superbia, nisi quod inopiae nostrae obliti, non confugimus supplices ad Deum, ut defectus nostros ipse suppleat? Interim docemur hoc loco, non satis esse si nos gratia sua praeveniat Deus, nisi suo quoque auxilio in totam vitam nos sustineat. Nam si hoc vere de externa bellandi virtute dictum est, ubi cum carne et sanguine est negotium, longe verius in animas nostras competit. Ergo ubi cum Satana, peccato et mundo pugnandum est, singulis momentis concidere et deficere necesse erit, nisi nos Deus ad perseverantiam confirmet. Tenendum igitur est, quidquid habemus virtutis, a solo Deo fluere, eiusque mandato instillari: nec modo initium ab ipso esse, sed ipsam quoque perseverantiam. Quod proximo versu sequitur, *E templo tuo*, cum eadem sententia cohaeret. Ratio enim redditur cur sua virtute populum illum magis quam alios instruere dignatus sit: quia scilicet virtutem suam volebat exserere e sanctuario et arca foederis. Qua ratione etiam nuper expressit David Deum esse populi Israelitici. Quia ergo non frustra iusserat Deus se in sanctuario coli, unde etiam pollicitus fuerat se propinquum fore populo: ideo nunc dicitur e templo mandasse suam virtutem, quia ex foedere et promissionibus petenda erat gratiae certitudo. Quod alii vertunt, In Ierusalem: frigidum est, ac prophetae sensum pervertit. Precatur enim virtutem e sanctuario effundi super electum populum, qui sub nomine regiae urbis per synecdochen comprehenditur. Quaeritur tamen cur templi meminerit quod nondum exstructum erat. Magis probabile est, templum vel palatium sumi pro tabernaculo, quam fingere prolepsin, sicuti multis placet. Arcam vero foederis iam tunc in Sione fuisse locatam certum est. Sicuti autem prius, quas adeptus erat victorias Deo adscipsit, ita tunc earum fructum vendicat. Dicit enim, reges qui in ordinem coacti fuerint, non sibi modo et successoribus fore tributarios, sed agnituros Deum victorem, quo magis decuit fideles ipsos laudis sacrificia sponte offerre Deo.

31. (*Perde coetum*.) Vertunt quidam, Increpa. Mihi tamen placet distinctio quam linguae hebraicae peritissimi observant. Verbum hoc גָּעַר, ubi interponitur בֵּת *beth*, sumi pro increpare: sed dum simpliciter construitur, pro perdere accipi. Nomen vero חַיִּית pro bestia hic accipi nullo modo convenit. Certa quidem est Davidis precatio, ut Deus populum suum peculiarem, perditis sanguinariis hostibus tueatur. Quod vocat coetum cannae vel arundinis,

non notatur hoc epitheto debilitas, sed genus armaturae, ac si diceret lancearios. Nam quum in regionibus quibusdam arborescant calami, vel saltem ligneam firmitudinem contrahant, solebant inde confici iacula. Scimus autem orientales populos fuisse ut plurimum iaculatores in proeliis. Vocat deinde *turbam* vel multitudinem *taurorum*, truculentiae causa. Quanquam enim אֲבִירִים dicuntur Hebraeis robusti: quia tamen ad tauros transfertur hoc nomen, ut alibi vidimus, et continuo post subiicit David *vitulos populorum*, non dubito quin metaphorice perstringat hostium feritatem ac saevitiam: vel saltem eorum vires extollens, fateatur Israelitas impares ad resistendum fore, nisi divinitus adiutos. Proximum membrum ambiguitate non caret, *calcantem in frustis argenti*. רָפָם Hebraeis calcare significat: sed quia in coniugatione Hithpaël hic positum est, resolvi debet ad verbum, Qui se calcare facit: quod de gloriatione vel iactantia quidam accipiunt. Alii eliciunt sensum prorsus contrarium, nempe quod se humiliant hostes, atque in signum subiectionis afferant frusta argenti. Sed quorsum peteret David perdi et excidi hostes devictos, qui fractis animis supplices tributum iam pendebant? Respondent illi, Quamvis non palam ferociant qui armis exuti sunt, non tamen ferociam deponere quin semper ad rebellandum parati sint, praesertim vero ecclesiae hostes: quia semper virulenta odia foveant: quamvis ad tempus se contineant, simulac data est occasio, ebulliunt in novum furorem. Sed quia nihil opus est sic torquere verba Davidis, malui simpliciter accipere, quod exsultent calcando frusta argenti. Et fieri potest ut fibulas argenti in calceis gestaverint, ut scimus in populis orientalibus semper viguisse immodicum luxum. Certe quod proxime sequitur, illam de abiectioe interpretationem non admittit, *dissipa populos qui delectantur proeliis*: ubi ostendit sine causa expetere bella et tumultus: et quamvis nemo eos lacessat, ultro tamen et cupide quietos impetere. Caeterum quum David toties victor, Deo salutis suae et totius populi defensionem commendet: hinc discamus minime sperandum esse in hoc mundo tranquillum ecclesiae statum: quia subinde alios atque alios hostes suscitatur Satan: et Deus etiam hoc modo patientiam nostram exercet ac probat. Quod autem comparat tauris et vitulis, dicitque *bellis oblectari*, his verbis ad mansuetudinem hortatur fideles, ut paratum inveniant auxilium in Deo. Nam quo petulantius ruunt hostes nostri, suaeque libidini furiosius indulgent, eo propensior erit Deus ad opem ferendam: quando proprium munus eius est, tauros et bellicosos gigantes compescere. Quum igitur precatio haec simul doceat Deum omnibus violentis, qui improba cupiditate ad nocendum feruntur, fore adversum: quoties iniuste impetitur, si quietis ani-

mis confugimus ad opem Dei, speranda haud dubie nobis est hostium nostrorum dissipatio.

32. *Venient primates ex Aegypto, Aethiopia celeriter protendet manus suas ad Deum.* 33. *Regna terrae cantate Deo, psallite Domino. Selah.* 34. *Equitanti in coelis coelorum antiquitatis: ecce emittet in voce sua vocem virtutis.* 35. *Date robur Deo super Israel: magnificentia eius et robur in nubibus.* 36. *Terribilis es Deus a sanctuariis tuis: Deus Israel ipse dabit robur et fortitudines populo: benedictus Deus.*

32. (*Venient primates.*) Iterum ad gratulationem revertitur, et confirmat quod paulo ante dixit, reges ad solvendum Deo tributum venturos. Quod nominatim de Aegyptiis et Aethiopibus testatur. Unde colligimus vaticinium hoc ad Christi personam extendi, cuius tandem ductu iugum Dei subierunt Aegyptii et Aethiopes. Verbum עָרִיץ quod nos vertimus Celeriter protendet, tantundem valet ac currere faciet. Sed metaphoræ asperitas mitiganda fuit. Caeterum dubium est an promptitudinem obsequii notet, an vero intelligat suppliciter protensis ad Deum manibus veniam petituros: quia hic est precantium gestus. Sed quia utroque modo exprimitur subiectio, satis est tenere consilium Davidis, Aethiopiam et Aegyptum sub Dei potestatem venturas: neque eas modo, sed longe dissitas mundi plagas. Ac iam longius progreditur quam antea, dum *regna mundi cantare Deo* iubet, qua loquendi forma voluntarios Dei cultores fore pronuntiat qui prius eum contempserant. Sola enim Dei cognitio, ut alibi dictum est, linguas reserat ac solvit ad praedicandum Dei nomen. Ideoque hinc probatur gentium vocatio, quod Moses, et prophetae eas ad offerendum laudis sacrificium accersant. Porro ne quis absurdum ducat, totum orbem colligi in cultum Dei, qui hactenus contentus fuerat populo uno, subiicit David legitimum tamen ei esse imperium in omnes terrae partes, quia *equitat super omnes coelos*: qua voce intelligit, quemadmodum initio huius Psalmi diximus, praeesse cum summo imperio omnibus creaturis, totumque orbem suo arbitrio moderari. Etsi autem hoc generaliter dictum, reverentiam Dei maiestati conciliat, circumstantia tamen loci negligi non debet: quia gentium mentionem faciens, quae tunc extraneae erant ab ecclesia, Dei potentiam creationis iure ad eas extendit: ac si diceret, nihil esse mirum si Deus coelis insidens, cunctos terrae incolas complectitur. Ideo *coelos antiquitatis* vocat, ut sciamus statim a principio sub eius manu fuisse totum humanum genus. Hic vero clarius refulget Dei gloria, quod quum immensa sit coelorum machina, tam rapidus motus, ac tam diversae revolu-

tiones inter se configant, constet tamen optima symmetria et temperamentum, et hic tam concinnus et pulcer ordo tot saeculis aequabili tenore continuatus fuerit. Videmus ergo ut coelorum antiquitas melius commendet mirabile Dei opificium. Postquam vero creationis meminit, statim descendit ad tonitrua, quae per *robustam vocem* designat, sicut Psal. 29, 4 vidimus. Quanquam loquutio bifariam resolvi potest: vel quod mandato suo tonitrua excitet, quae violento sonitu coelum et terram concutiant: vel quod vocem suam in tonitru robustam edat. Fusius autem in eo, quem nuper citavi, loco, disserui, non abs re proponi nobis tonantem Deum, quia nihil ad incutiendum terrorem efficacius penetrat hominum mentes. Atque ut nostram incogitantiam expergeficiat, vel potius socordiam corrigat, quasi in re praesenti nos sistens, utitur demonstrativa particula *Ecce*.

35. (*Date robur.*) Alludit ad proximam sententiam, ubi dixerat Deum robustam vocem edere, neque enim, proprie loquendo, quiddam ei dare nostrum est. Sed quia iusto eum honore fraudamus, postquam eum horribili fragore tonantem induxit David, iubet nos vicissim resonare eius laudes. Caeterum ne evanescant gentes solito more in suis commentis, revocat eas ad legis doctrinam qua se Deus patefecit: quasi diceret, a creatione mundi et gubernatione necessarios esse progressus ad eam doctrinam qua Deus familiariter ad homines accessit, ne perperam vagentur. Huc pertinet epitheton *Dei Israel*. Caeterum non tantum linguis vult praedicari Dei virtutem, sed ad fidem simul hortatur: quia tunc proprie tribuimus Deo robur suum, dum acquiescimus in solo eius praesidio. Ideo, postquam dixi, *virtutem eius esse in nubibus*, statim addit, *tremendum esse a suis sanctuariis*, hoc est virtutem e templo suo exserere, quae satis ad consternandos hostes valeat. Nam quod quidam de coelo et terra exponunt, non respondet contextui: quia mox sequitur, *Deum Israel daturum fortitudines populo*. Unde colligimus, de protectione ecclesiae Dei haberi sermonem. Sanctuaria autem dicit plurali numero, ut alibi vidimus: quia tabernaculum in tres partes distinctum erat. In summa, arcam foederis quasi fiducia signum proponit fidelibus, ut promissione illa freti, Ego in medio vestri habito, Exod. 25, 8 et 29, 45, tranquilli sub Dei alia quiescant, et intrepide eum invocent. Neque enim alio iure excelluit populus Israel, ut sub Dei custodia tuto delitesceret, nisi quia gratuito Dei foedere electus erat in Dei peculium. Notandum vero quod tremendas illas fortitudines quarum paulo ante meminit, applicat nunc in ecclesiae salutem.

PSALMUS LXIX.

ARG. Psalmus hic vicesimo secundo affinis est. Nam initio conqueritur David de atrocibus hostium suorum iniuriis et immani violentia: tamen se non ita turbari affirmat quin se patienter sub Dei praesidio continens, integritatem colere pergat. Imo pietatis causa, et quod in asserenda Dei gloria strenuus fuerit, omnes sibi infensos esse testatur. Postquam vero iterum conquestus est, se non minus contumeliose quam crudeliter ab hostibus opprimi, quam meriti sunt poenam illis imprecatur. In fine, quasi victor, exsultans, solenne laudis sacrificium Deo promittit.

1. *Praefecto super Sosanim Davidis.* 2. *Serva me Deus, quia intrarunt aquae usque ad animam.* 3. *Demersus sum in lutum profunditatis, ubi non statio: veni in profunditates aquarum, et fluctus*) aquae inundavit me.* 4. *Defessus sum clamando, raucum factum est guttur meum, defecerunt oculi mei exspectando ad Deum meum.* 5. *Multiplicati sunt supra pilos capitis mei qui oderunt me gratis: aucti sunt**) qui me perdere cupiunt, adversarii mendaces: quae non rapui, tunc exsolvi.* 6. *Deus tu nosti insipientiam meam, et delicta mea non sunt a te abscondita.*

1. (*Super Sosanim.*) De voce Sosanim alibi dictum est. Ut in re incerta et obscura libenter subscribo eorum coniecturae qui initium cantilenae fuisse existimant. Quanquam si quis malit pro instrumento musico accipere, non contendo. Frivola autem eorum divinatio est qui Psalmum putant compositum fuisse verno tempore, dum florere incipiunt lilia. Porro antequam ultra progredimur, notandum est, Davidem non tam privato nomine scripsisse hunc Psalmum, quam in totius ecclesiae persona, quum gestaret capitis imaginem, sicuti ex contextu melius patebit. Et hoc notatu apprime dignum est, quo magis attentis simus ad hoc speculum, in quo nobis proponitur communis piorum omnium conditio. Caeterum mihi probabile est, Davidem non unum modo persecutionis genus fuisse complexum, sed quidquid malorum multis annis perpassus fuerat.

2. (*Serva me Deus, quia intraverunt aquae.*) Sub aquarum figura describit extremis se malis ad desperationem usque fuisse obrutum: et tamen scimus non mollem, nec foemineo animo fuisse, quum incredibili virtute superaverit horrendas tentationes, unde colligimus quibus tunc angustiis oppressus fuerit. *Animam* frigido meo iudicio pro vita accipiunt quidam: cor potius notari existimo. Quamvis enim quis in altum gurgitem deciderit, poterit tamen aliquantisper ore et naribus oclusis, aquas

prohibere: sed tandem, quia sine spiratione non vivimus, coget suffocatio dare aquis ingressum ut ad cor usque penetrent. Hoc sibi vult ista metaphora David, non modo se aquis fuisse obrutum, sed eas quoque ingurgitasse. Deinde suas afflictiones comparat profundo luto: ubi plus est periculi: quia si quis in fundo solido pedem figat, poterit se attollere: ut videmus multos ex aquis emergere cum impetu: qui autem luto adhaeret, periit. Iam alias quoque addit circumstantias, *fluxu aquarum se fuisse inundatum*, quibus verbis tumultuosas fuisse suas iactationes significat.

4. (*Defessus sum clamando.*) Rarae et mirabilis patientiae exemplum fuit, in tam deplorato statu Deum quaerere. Conqueritur autem David, usque ad raucedinem clamando absque profectu se fuisse defessum. Quo verbo non cessationem intelligit, quasi abiecerit studium precandi, postquam se nihil proficere videbat: sed potius infatigabilem perseverantiam describit, sicuti per *exasperatum guttur et deficientes oculos*. Certe neque ambitiose clamorem suum extulit coram hominibus, neque raucedo haec uno die contracta fuit. Videmus ergo, utcumque deficerent corporales sensus, vigorem tamen fidei minime fuisse extinctum. Iam quum loquutus fuerit David quasi ex ore Christi et ex ore piorum omnium, quatenus sunt Christi membra, videri nobis absurdum non debet si quando morte obrutis nulla apparet vitae scintilla: imo dum nobis parcit Deus, mature ad hanc meditationem accingere nos discamus, ut in profundissimis quibusque malorum gurgitibus fides nos sustentet, imo ad Deum erigat: sicuti, teste Paulo, Rom. 8, 39 nulla est vel altitudo, vel profunditas, quae nos separare debeat ab immenso eius amore, qui abyssos omnes et inferos quoque absorbet.

5. (*Multiplicati sunt supra pilos capitis mei.*) Iam sine figura exprimit quod metaphorice dixerat tam de luto quam de violento aquarum fluxu. Nam quum instaret tanta hostium multitudo, iure sibi metuebat ab innumeris mortibus. Nec vero hyperbolice dicit *plures fuisse pilos capitis sui*, quum toti populo exosus ac detestabilis foret: quia omnibus persuasum erat, impium esse ac sceleratum patriae proditorem. Deinde scimus ex sacra historia, quam multis et validis copiis eum persecutus fuerit Saul. Capitale odium exprimit, dicens incumbere in suam perniciem, quia succisum cupiunt: et tamen asserit praeter meritum se tam duriter affigi, quia חַסֵּם, quod vertunt gratis, tantundem valet ac nulla iniuria laesos, vel maleficio provocatos cupide ferri ad nocendum. Ideoque vocat hostes שָׂקֵר, hoc est mendaces: quibus scilicet nulla est bellandi ratio. Ergo eius exemplo danda nobis opera est, si quando affligimur, ut nos sustineat testimonium bonae conscientiae, ac libere coram Deo profiteri liceat hostes

*) le flot, en marge: ou la force et le fil.

**) sont augmentez, en marge: ou fortifiez.

nostros esse gratuitos, et quo magis difficile est ad hanc moderationem assuescere, eo magis eniti convenit. Inepta autem eorum mollities, quibus intolerabile videtur, inique affligi, scite refellitur nobili illo Socratis responso. Nam quum uxor in carcere lamentaretur, eum inique damnatum esse, Quid ergo, inquit, an nocentem perire malles? Subiicit etiam David, se non modo iniuriis fuisse afflictum, sed probra etiam et contumelias pertulisse, ac si multorum scelerum convictus foret, quod homini ingenuo acerbius est, quam centum subire mortes. Multi enim ad mortem parati reperientur, qui ad ferendam infamiam pares non erunt. Dicit autem David non modo suas fortunas fuisse a praedonibus raptas, sed se instar furis et raptoris mutilatum esse. Et certe quum ipsum spoliarent hostes, iudices se hominis scelerati esse iactabant: et scimus honorifice pro iudiciis fuisse habitos. Quare dicamus hoc exemplo, non modo ad incommoda, molestias, mortem denique placide ferendam nos parare, sed etiam ad ignominias et probra, si quando falsis calumniis gravari nos contingat. Imo quum ne Christus ipse quidem, fons omnis iustitiae et sanctitatis, a falsis calumniis immunis fuerit, cur nos exanimaret similis conditio, quando hoc verum probitatis est examen, constanter manere in iustitiae colendae studio? quamvis tam iniquum praemium a mundo reprobemus.

6. (*Deus tu nosti insipientiam meam.*) Frustra laborat Augustinus quomodo in Christum hoc competere potuerit: et tandem in membra transfert quod de capite non fuisset proprie dictum. Ironica enim loquutio est, qua David, iniquis hominum iudiciis oppressus, se ad Deum confert, eumque implorat vindicem. Hoc vero magis emphaticum est, quam si palam et sine figura dixisset, notam esse suam integritatem Deo: quia hoc modo hostes suos mordaciter perstringit, et quasi ex alto despiciit eorum maledicta: quemadmodum et Ieremias loquitur, cap. 20, 7: Decepisti me Domine, et deceptus sum. Qui etiam locus violenter a quibusdam indoctis exponitur, quasi se deceptum fuisse assereret: quum potius odiose suos calumniatores exagitet: quia dum ipsum improbant, contumeliosi sint ac blasphemi in Deum ipsum. Sic etiam hoc loco David, ne perversis hominum iudiciis succumbat, Deum statuit causae suae iudicem: et quia sibi bene conscius est, pro nihilo ducit iniquas hominum sententias. Esset quidem optandum, ut hominibus quoque probata esset nostra integritas: neque id tam nostra causa, quam in fratrum aedificationem: sed ubi nos studuimus hominibus probare, si trahant in sinistram partem ac depravent quidquid a nobis recte fit ac dicitur, tenenda nobis est haec magnanimitas, ut Dei unius iudicio contenti, mundum et diabolos omnes spernamus. Neque enim

fieri poterit quin subinde deficiant qui nimis bonae famae addicti erunt. Parati quidem semper simus ad satisfactionem: sed si negetur audientia, per infamiam non secus ac per bonam famam pergamus, sicuti Paulus 1. Corinthior. capite 4, versu 5 ad Dei iudicium intrepide provocat, qui revelabit abscondita tenebrarum.

7. *Ne erubescant in me qui te expectant Domine, Iehova exercituum: ne pudeant in me qui quaerunt te, Deus Israel:* 8. *Quia propter te sustinui opprobrium, operuit ignominia faciem meam.* 9. *Extraneus fui fratribus meis, et alienus factus sum filiis matris meae.* 10. *Quia zelus domus tuae comedit me: et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

7. (*Ne erubescant in me qui te expectant Domine.*) Commemorat David se propositum esse in exemplar, unde spei vel desperationis materiam pii omnes concipiant. Quamvis enim detestabilis esset toti populo, pauculi tamen restabant aequi et candidi testes innocentiae eius: quum scirent illi iniuste eum gravari, et semper inniti Dei gratiae, nec ullis frangi tentationibus quin firmus in pietatis cultu staret, ex tristi et infausto eventu nihil aliud colligere poterant, quam operam lusisse, pie Deum colendo. Sicuti enim, quoties auxiliatur servis suis Deus, totidem sigillis suam erga nos gratiam confirmat: ita fieri aliter non potuit quin conciderent animis fideles, si David fuisset in extrema necessitate desertus. Hoc periculum nunc Deo obiicit, non quod ulla admonitione indigeat, sed quia familiariter secum agere nobis permittit. *Expectandi* verbum proprie ad spem refertur, sicuti *Deum quaerere* ad preces. Atque haec copula utiliter docet fidem non esse ignavam, quia nos ad quaerendum Deum sollicitat.

8. (*Quia propter te sustinui opprobrium.*) Iam clarius exprimit quod ironice dixerat, delicta sua non esse Deo abscondita. Imo longius progreditur, non modo praeter ius et fas se affligari, sed communem sibi esse cum Deo ipso causam, quia nihil nisi ex eius mandato aggressus sit. Etsi enim alias causas habebat Saul, vel saltem alios praetextus: quia tamen hoc verissimum erat, creatam fuisse Davidi invidiam ex Dei vocatione, quia eum in regem unxerat: merito testatur non proprio ullo scelere, sed quia Deo obsequutus sit, se omnium sententiis perperam damnari. Hinc vero non parum solatii capiunt fideles, ubi testari licet, nihil se praeter legitimam Dei vocationem tentasse. Quod si ob fidei confessionem nobis infestus sit mundus (sicuti videmus nunquam acrius furere impios, quam ubi Dei verbum et pietatem oppugnant) duplicatur nobis fiducia. Interea etiam admonet hic locus

quam prodigiosa sit hominum malitia, qui studium gloriae eius in dedecus convertunt. Bene autem nobiscum agitur, quod probra quibus nos onerant impii, non modo abstergit, sed etiam illustrat, ut superent omnes mundi triumphos. Hac etiam circumstantia amplificat suam querimoniam, quod a suis consanguineis et propinquis fuerit inhumaniter reiectus. Unde etiam docemur, posthabito carnis et sanguinis respectu, sequendum esse Deum, si pietatis causa, fratrum nostrorum offensas effugere non liceat.

10. (*Quia zelus.*) Quamvis profiterentur Davidis hostes sibi nihil minus esse in animo, quam attingere sacrum Dei nomen, falsos tamen eorum praetextus refutans, confirmat se pro Deo certare: modumque ostendit, quia zelo ecclesiae Dei ardeat. Quanquam non tantum tractat de causa, sed dicit, quantumvis indigne tractetur, se tamen quasi oblitum sui induere sanctum affectum tuendae ecclesiae, et simul gloriae Dei. Hoc ut inclinis liqueat, notandum est, quamvis ore iactent omnes se Deo relinquere suam gloriam, ubi tamen ad legem, ad regulam pie vivendi ventum est, Deo illudere: neque id modo, sed furiose quoque impetere ipsum in suo verbo. Quasi vero in aëre tantum coli velit, ac non potius erexerit sibi solium inter homines, ex quo eos gubernet. Ideo David ecclesiam hic substituit in Dei locum, non ut ad eam transferat quod illius proprium est, sed ut ostendat fabricari inane Dei nomen, ubi repudiatur vera pietatis regula, cuius ecclesia fidelis est custos. Adde quod Davidi certamen erat cum larvato et adulterino Dei populo. Tota enim secta Saulis venditabat se titulo ecclesiae: Davidem vero apostatam, vel putridum membrum esse iactabat. Hac indignitate David adeo non frangitur, ut libenter sustineat insultus omnes pro verae ecclesiae defensione. Interim negat se privatis convitiis moveri: quia deposita sui cura tantum ob ecclesiae oppressionem anxius ac moestus sit, imo dolore ardeat, et doloris ardore consumatur. Eodem pertinet secundum membrum: quia se nihil a Deo separatum habere significat. Aliter quidem accipiunt nonnulli, Impios, quum irruere vellent in Davidem, suos impetus vertisse in Deum, et ita suis blasphemiis sanctum virum oblique pupugisse: quia sciebant nihil ei fore molestius ad ferendum. Sed haec interpretatio nimis coacta est, sicut et altera, Davidem non secus fuisse supplicem quoties videbat Dei nomen probrose lacerari, quam si reus fuisset laesae maiestatis. Retineo igitur quod iam dixi, Davidem, sui oblitum, quidquid sensit doloris, hausisse ex sancto zelo, quo flagrabat quum videret sacrum Dei nomen indignis contumeliis affici. Quo exemplo docemur, quum natura nimis teneri simus et delicati ad ferendam ignominiam, mutandum esse praeposterum hunc

Calvini opera. Vol. XXXI.

affectum, ut magis nos excrucient probra quae in Deum redundant. Hic enim et excandescere et fulminare oportet: privata autem maledicta placide vorare. Quoad enim didicerimus negligere propriam famam, nunquam in nobis accendetur verus zeli fervor, ut pro asserenda Dei gloria certemus. Porro quum David totius ecclesiae personam sustinuerit, quidquid de se praedicat, impleri necesse fuit in summo capite. Ideoque non mirum est, locum hunc ab evangelistis Christo aptari, Ioann. 2. 17. Eadem quoque ratione Paulus Rom. 15, 3. 5. 6 ubi ad Christi imitationem hortatur fideles, secundum membrum ad eos omnes extendit: ubi etiam admonet quam late pateat haec doctrina, nempe ut Dei gloriae prorsus addicti, in omnibus suis dictis et factis eam studeant servare incolumem, et attente caveant ne sua culpa obscuretur. Iam vero quum Christus, in quo refulget solida Dei maiestas, non gravatus sit se probis omnibus obicere ad tuendum Patris nomen, quam turpe nobis ac pudendum erit, eandem sortem recusare?

11. *Et flevi, in ieiunio anima mea, idque fuit in opprobrium mihi.* 12. *Et posui vestimentum meum saccum, et fui illis in dicerium.* 13. *Fabulantur in me sedentes in porta, et sum cantilenae bibentibus siceram.* 14. *Ego autem precatio mea ad te Iehova, tempus beneplaciti Deus: in multitudine clementiae tuae responde mihi in veritate salutis tuae.*

11. (*Et flevi.*) Hic a signis vel effectis probat se puro et rite composito zelo studuisse gloriae Dei, quod scilicet non offerbuerit carnis intemperie: sed potius suppliciter se demittendo, Deum elegerit moeroris sui testem, quo magis convincitur inflexibilis hostium eius contumacia. Saepe contingit, ut qui se animose opponunt pro gloria Dei, impios magis provocent et exasperent, quia contentiose et sine modestia dimicant: David autem hic testatur sic temperatum fuisse suum zelum, ut mollire debuerit vel ferream duritiem. Quanquam hac circumstantia ostendit quantopere fuerit oppressus hostium suorum petulantia, ut ne mutire quidem liberum esset, nec aliud restaret, quam lacrymis et moerore Dei causam defendere. Sublata enim, ut scimus, loquendi erat libertas: imo atrocibus convitiis repulsus fuisset damnati hominis sermo, quo maioris constantiae fuit, non desistere a suo zelo, nec abiicere voluntarium illum luctum, quem pietatis causa susceperat. Dicit ergo *se flevisse, animam suam fuisse in ieiunio, seque sacco vestitum*, quae luctus erant insignia Iudaeis. Quum hoc totum in ludibria et dieteria ab illis conversum fuerit, sequitur diabolico furore fuisse correptos. Et hoc exemplo muniri nos convenit, ne similis hodie contumacia, qua hostes evangelii diabolos se

magis quam homines produnt, nos exanimet. Danda interim opera est ne oleum addamus camino, sed imitemur Davidem et Lot, quibus etsi impios reprehendere non licebat, animos tamen suos excruciarunt. Imo etiam ubi nos audire cogentur impii, optimum tamen sancti zeli condimentum erit modestia et humilitas. Qui Davidem volunt reatum subiisse pro suis hostibus, hoc confirmant, quia saccum induerit. Sed simplicius accipio, quum videret res adeo confusas, subiisse voluntarium moerorem, quo testatum faceret nihil sibi esse acerbius, quam videre sacrum Dei nomen contumeliis expositum.

13. (*Fabulantur in me sedentes in porta.*) Si a vulgaribus tantum scurris et quisquiliis hominum vexatus fuisset, hoc magis erat tolerabile (neque enim mirum est, sordidos homines, quibus nulla est honesti cura, se absque verecundia prostituere) sed quum iudices ipsi in eandem se petulantiam, gravitatis obliiti, proiciunt, multum crescit indignitas. Ideo diserte conqueritur David, se ipsis proceribus fuisse in proverbium. Nam quod *sedentes in porta* quidam de toto populo exponunt, primo frigidum est, deinde remotum a verbis Davidis, etsi enim omnium ordinum erat conventus in porta, soli tamen iudices sedebant. Atque id confirmat secunda parte versus: quia per *bibentes siceram*, haud dubio primores, qui opibus et dignitate pollebant, designat. Haec vero summa fuit atrocitas, non modo gregarios homines exagitasse sanctum virum, sed ipsos iustitiae praesides et ecclesiae antistites aliis fuisse antesignanos. Et quum idem hodie usu veniat, non abs re hoc exemplar nobis ante oculos statuit spiritus. In papatu ut quisque honore excellit, quo stronium se probet fidei catholicae patronum, eo petulantiùs bacchatur contra evangelium, eiusque ministros. Imo hic morbus in cunctis fere principibus grassatur: quia suam praestantiam non in virtute, sed effraeni licentia constituunt. Probi autem Christi servi quo sunt apud eos loco? Certe haec una est neque postrema ex eorum curis, iocose non modo in mensa, sed in suis soliis eos suis dictariis proscindere, ut fidem abrogent. Generaliter etiam piis omnibus illudunt, et suaviter cantillant de eorum simplicitate, quasi pietatis causa temere se fatigent ac macerent.

14. (*Ego autem.*) Rarae fuit virtutis, ne illa quidem duritie percelli, ut desponderet animum David. Docet autem simul quo remedio se munierit contra grave scandalum. Nam quum suas facetias impii quasi machinas ingererent ad labefactandam eius fidem, dicit se precationem fudisse, qua insultus omnes repelleret: non dubium est quin apud homines obmutescere coactus fuerit. Exclusus igitur a mundo, ad Deum se convertit. Nunc quoque eodem modo, quamvis apud impios nihil proficiant

fideles, victores tamen stabunt, si se ipsos contrahant ac colligant ad Deum orandum. Summa est, quum omnia expertus David laborem suum irritum videret, relictis hominibus, egisse cum solo Deo. Quod sequitur, *tempus beneplaciti Deus*, secus exponunt multi interpretes, uno scilicet contextu legentes, *Ego Deum precatus sum tempore beneplaciti*, iuxta illud Iesaias 55, 6: *Invocate ipsum dum prope est*. Alii sic resolvunt: *Precatus sum ut veniret tempus beneplaciti*, atque ut Deus mihi propitius esse inciperet. Ego autem potius existimo Davidem referre quid tunc solatii conceperit, quia hoc seculum meditatus est, Quamvis nunc tempus sit turbulentum, ubi nihil videor orando proficere, erunt tamen Dei beneplacito suae vices. Sic et Habacuc 2, 1 statutum se dicit super speculam. Eodem modo Iesaias 8, 17 et Ieremias 14, 22: *Expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a Iacob*. Haec enim est unica nobis vincendi ratio, dum spes nobis in tenebris illucet, ac beneplaciti expectatio nos sustinet. Postquam ita suam perseverantiam David fulcivit, statim adiungit, *Responde mihi in multitudine bonitatis tuae*, fiduciam iterum colligens ex Dei natura. Et bonitati adiungit *salutis veritatem*: ac si diceret, certo effectui probari semper Dei clementiam, dum suis in desperatione succurrit. Hinc autem fluxit precatio, quod sensus suos ad Deum retrahens, ne ab impiis iactatus evanesceret, persuasus fuerit, discussis tenebris, fore aliquando serenum tempus beneplaciti.

15. *Erue me de luto ut non immergar, liberer ab adversariis meis, et a profundis aquarum.* 16. *Ne inundet me fluctus aquarum, et ne deglutiat me profundum, et ne claudat super me puteus os suum.* 17. *Responde mihi Iehova, quia bona clementia tua: in multitudine miserationum tuarum respice ad me.* 18. *Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo, quia afflictio mihi, festina, responde mihi.* 19. *Accede ad animam meam, redime eam, propter adversarios meos libera me.*

15. (*Erue me ex luto.*) Eandem qua ante usus est, similitudinem repetit, diverso tamen modo. Prius dixerat se demersum, nunc rogat ne mergatur. Denique quae sibi accidisse conquestus est, nunc deprecatur ne accidant. Sed haec varietas facile diluitur, quia initio ex suo sensu et experientia loquutus est: nunc autem ad exitum respiciens, spe liberationis in media morte vivit. Atque id clarius exprimit ultima particula, *ne claudat puteus os suum*: quod tantundem valet ac si dixisset, *Ne me obruat afflictionum moles, atque absorbear a dolore*. Obtestatio vero per Dei clementiam et miserationes demonstrat quibus angustiis constrictus fuerit sanctus Propheta. Neque enim dubium est

quin difficilem luctam sustinuerit dum arripit haec arma. Et certe ardui negotii res est, statuere Deum nobis propitium dum irascitur, et propinquum esse dum remotus est. Ideo colligit David quod huic diffidentiae opponat: et Dei clementiam, ac magnas miserationes implorans, se ideo tantum bene sperare ostendit, quia Deus sit misericors. Quod dicit, *Respice ad me*, tantundem valet ac si dixisset, *Fac ut re ipsa appareat me fuisse exanditum*, dum scilicet mihi succurras. Proximo etiam versu idem agit. Subinde autem eadem iterando, tam acerbiter doloris, quam studii ardorem declarat. Petit ne faciem suam abscondat Deus, non quia sibi timeat a repulsa, sed quia fieri non potest quin anxietas huc et illuc miseros homines agitet. Quia autem peculiariter servos suos ad se invitat Deus, unum se esse praedicat ex illorum numero. Neque enim (ut alibi admonui, et fusius postea dicendum erit) obsequia iactat quibus quidquam promeritus fuerit, sed potius gratuita Dei electioni innititur: nisi quod simul pietatis suae testimonium reddit, quia fideliter Deum coluerit a quo fuerat vocatus. De festinatione etiam alibi satis disserui.

19. (*Accede ad animam meam.*) Quamvis fide persuasus esset, Deum sibi esse propinquum, ut tamen ab effectis metiri solemus Dei praesentiam vel absentiam, David hic ex carnis sensu tacite conqueritur procul a se abesse. Nam *appropinquandi* verbo intelligit nullam salutis suae curam fuisse Deo: nempe quantum ex re ipsa colligi poterat. Porro Deum implorans ut appropinquet ad vitam suam, quam visus fuerat desorere, praeclarum exhibet fidei suae documentum: imo quo crudelius urgetur, eo magis confidit Deum sibi fore redemptorem: sicuti alibi dictum fuit, principium hoc semper tenendum esse, Quia Deus superbis resistit, Iac. 4, 6 quamvis ad tempus dissimulet: fieri tamen non posse quin tandem compescat eorum insolentiam qui sine modo resistunt.

20. *Tu nosti opprobrium meum et confusionem meam, et ignominiam meam: coram te omnes adversarii mei.* 21. *Opprobrium fregit cor meum, et afflicti sum: et expectavi qui commiseraretur, et non erat: consolatores, et non inveni.* 22. *Et posuerunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

20. (*Tu nosti opprobrium meum.*) Confirmatio proximae sententiae. Unde enim fit ut maior pars, ubi impotenter ruere videt impios, ac instar diluvii grassari, animos despondeat, nisi quia putant obnubilatum esse coelum, ut Deus nihil in terris videat? Ergo Dei providentiam hic nobis succurrere oportet, ne dubitemus auxilio nobis mature venturum: quia neque oculos claudere potest ad nostras miseras, nec pati impunitam malorum li-

centiam, nisi se ipsum abneget. In hoc ergo solatium recumbit David, quod Deum habeat doloris sui, metus, aegritudinum et curarum testem: quia scilicet mundi iudicem et gubernatorem nihil latet. Nec vero in repetitione ignominiae nimis verbosus est: quia tam gravibus tentationum machinis, quae fortissimum animum labefactare poterant, firmam munitionem opponere necesse fuit. Nihil ingenuis et cordatis hominibus acerbius est ignominia, dum vero ea duplicatur, imo plures simul aggestae cumulum efficiunt: quam singulari robore opus est ne obruamur? Nam morae taedio facile desperatio obrepit. Ergo ne oneri succumbat David, colligit, tam multas afflictiones quibus gravatur, non esse Deo incognitas. Ignominiae vero et probra tam ad externam speciem, quam ad eius affectum apte referuntur: quia et passim fuisse derisum satis liquet, et fieri non potuit quin verecundiam una cum dolore tales sannaë incuterent. Eadem ratione subiicit, *notos esse hostes suos Deo*: ac si diceret, Domine, tu scis me instar ovis unius circumdari a millibus luporum.

21. (*Opprobrium fregit cor meum.*) Clarius exprimit se non modo tristi desertionis specie fuisse pudefactum, sed moerori propemodum cecidisse, quum diu pudefactus iaceret. Unde colligimus non sine lucta eum vicisse: nec ideo tam constanter sustinuisse tentationum fluctus, quod eius animum non attingerent: sed quia duriter percussus non minori fortitudine restiterit. Addit aliam circumstantiam, destitui se omnibus humanitatis officiis: non esse qui condoleat, vel in quem exoneret suos dolores, nam verbum *וְיָ* quidam accipiunt pro narrare: quia dum querimonias nostras effundimus apud amicos, inde aliquid levationis capimus. Hoc modo sibi conciliat Dei misericordiam, quia omnibus mundi auxiliis et solatiis privatus est. Deinde rursum inculcat, nihil hostes suos ad extremam saevitiam omittere. Quanquam autem metaphoricae sunt loquutiones, *miscere fel*, aut venenum cibo, et *potui acetum*, sicuti apud Ieremiam 11, 19 mittere lignum in panem: Ioannes tamen cap. 19, vers. 29 non frustra impletam fuisse scripturam memorat, ubi milites acetum Christo propinarunt in cruce: quia visibili signo repraesentari in Christo oportuit quam reprobis crudelitatem exercent in eius membra, sicuti Psalmo 22, 19 diximus, quum partitio vestium Christi facta fuit inter milites, non intempestive citari versum illum, Partiti sunt inter se vestes meas, et super vestitum meum iecerunt sortem: licet David figurate intelligat se fuisse spoliatum, suasque fortunas instar praedae fuisse direptas. Tenendus tamen genuinus est sensus, sancto prophetae nihil relaxationis fuisse datum: quemadmodum si homo misere aliqui afflicti, cibum quoque et potum amarulentia corruptum reperiat.

23. *Sit mensa eorum coram ipsis in laqueum, et pacifica eorum in rete.* 24. *Obtenebrentur oculi eorum ne videant, et lumbos eorum semper fac tremiscere.* 25. *Effunde super eos iram tuam, et furor indignationis tuae comprehendat eos.* 26. *Sit palatium eorum desertum, in tabernaculis eorum non sit habitans.* 27. *Quia quem tu percussisti persequuti sunt, et super dolorem vulneratorum tuorum numerarunt.* 28. *Adde iniquitatem super iniquitatem eorum, et ne ingrediantur in iustitiam tuam.* 29. *Deleantur de libro viventium, et cum iustis ne scribantur.* 30. *Ego autem pauper et dolens: salus tua exaltabit me.*

23. (*Sit mensa eorum coram ipsis in laqueum.*) Sequuntur dirae imprecationes, in quibus tenendum est quod alibi docuimus, Davidem non sibi laxasse habenas, ut bilem suam profunderet (sicuti maior pars hominum iniuriis affecta dolori suo intemperanter indulget) sed duce spiritu sancto iustum Dei iudicium implorasse contra reprobos: deinde non egisse privatam causam, sed sancto gloriae Dei zelo fuisse impulsus ut ad eius tribunal citaret impios. Unde etiam factum est ut turbulenta passione minime abreptus fuerit, sicuti qui se ipsos ulcisci cupiunt. Quum ergo spiritus prudentiae, rectitudinis et moderationis has imprecationes dictaverit Davidi, non est cur eius exemplum obtendant qui vel suam iracundiam evomunt in quoslibet, vel impatientia perperam feruntur ad vindictam, ut neque intenti sint in rectum finem, neque modum servant. Prudentia enim opus est, quae discernat inter reprobos, et qui adhuc sunt sanabiles: rectitudine, ut nemo privatim sibi sit addictus: moderatione, quae animos ad placidam tolerantiam componat. Haec tria quum in Davide fuisse minime dubium sit, quisquis eum probe imitari cupiet, non temere caeco impetu prosiliat ad diras: deinde compescat turbidas animi sui passiones: neque sibi privatim sit addictus, sed studia sua affectusque ad quaerendam Dei gloriam adiciat. Denique, ut veri simus imitatores Davidis, primum induere Christi personam necesse est: ne idem quod olim discipulis obiecit, in nos hodie quoque torqueat, Nescitis cuius spiritus sitis, Luc. 9, 55. Iam quia conquestus fuerat David, hostes posuisse fel in cibum suum, nunc precatur ut mensa illis cedat in laqueum, et quae ad pacem sunt, vertantur in rete: his verbis metaphorice optans, ut quaecunque illis in vitam et prosperam commoditatem destinata erant, Deus convertat in exitum. Unde colligimus, sicuti Deo propitio, quae naturaliter et per se noxia essent, adiumento sunt in bonum: ita eo infesto, maledici quaecunque utilia erant, ut totidem sint nobis exitii causae. Atque haec Dei ultio non levem metum incutere nobis debet, dum spiritus sanctus pronuntiat, reprobis mortifera esse omnia vitae adminicula, Tit. 1, 15

ut sol ipse sanitatem in alis suis portans, Malach. 4, 2 nonnisi pestiferum odorem illis spiret.

24. (*Obtenebrentur oculi eorum ne videant.*) Quia duas hic praecipue facultates notat, libenter eorum sententiam amplector qui hanc volunt summam esse, Domine priva eos ratione et intelligentia: deinde enerva eorum vires, ut prorsus inutiles sint ad omnem actionem. Scimus enim nihil recte posse agi, nisi praeluceat consilium, simulque ad exsequendum accedat facultas. Iam quum ecclesiae hostibus immineat haec maledictio, non est quod nos terreat impiorum vel malitia, vel rabies: quia in manu Dei est subito eos percutere caecitate, ut nihil videant, et lumbos confringere, ut iaceant confusi.

25. (*Effunde super eos iram tuam.*) Non mirum est, Davidem longius insistere in istas imprecationes: quia furiosos ecclesiae hostes, quibus metum iniicere voluit, scimus non facile moveri. Ergo ut desistant a sua petulantia, vehementius contra eos insurgit. Caeterum, fideles praecipue respexit David, qui malis oppressi non alia futura nituntur, nisi dum audiunt ex ore Dei, quam horribilis maneat ultio ipsorum hostes, si quidem reprobi sunt. Nam sanabiles optasset David poenis corrigi, sed desperatos exitio suo devovet: ne poenam quae illis decreta est, et quam merentur, effugiant. Proximo versu ultra progreditur, nempe ut Deus ad posteros usque iram suam effundat: sicuti non novum est patrum scelera reici in sinum filiorum. Nam sicuti spiritus instinctu diras istas concepit David, ita etiam sumpsit ex ipsa lege, Exod. cap. 20, vers. 5 ubi pronuntiat Deus se poenas de impiis contemptoribus sumpturum usque ad tertiam et quartam generationem. Hoc modo maledici cupit eorum memoriam, ut ne mortuis quidem parcat Deus.

27. (*Quia quem tu percussisti.*) Crimen eorum profert, ut appareat dignissimos esse tam atrocibus poenis. Quidam autem hunc versum ita exponunt: Domine, plagis tuis non contenti, saevierunt in hominem miserum, qui iam manu tua vulneratus erat. Et certe quum humanitas opem afflictis afferre praecipiat, belluinam saevitiam prodit quisquis insultat oppressis. Hanc sententiam alii refellunt, nescio an satis firmo argumento, quod non proprie percussus fuerit David manu Dei, quia toto Psalmo de violenta hostium libidine conquestus est. Argutum igitur sensum excogitant: ac si diceret, Hostes suos improbe finxisse sibi esse iustam causam, quia gloriabantur se Dei ministros ad poenam de scelero homine sumendam: sicuti ut plurimum impii, huius coloris obtentu, sibi quidvis impune contra miseros licere putant: sicut etiam alibi dicitur, Venite affligamus eum: Deus enim deseruit ipsum, etc. Psalm. 71, 11. Ego autem potius vocari per-

cussum existimo, quem Deus humiliare voluerit tanquam unum ex filiis suis, ut in ipsa castigatione nota aliqua paterni amoris insculpta esset. *Vulneratos* autem *Dei* nominat eodem fere sensu quo *Iesaias* capit. 26, vers. 19 mortuos *Dei*, nempe qui in ipsa morte sub *Dei* custodia manebant. Neque enim promiscue ad omnes hoc extendi potest, sed ad fideles solos pertinet, quorum obedientiam Deus cruce examinat. Inde si arripiant impii occasionem maioris licentiae, non mirum est ipsos gravius damnari. Propositis enim talibus exemplis, eos ita secum ratiocinari decebat, Si in viridi hoc fit, quid igitur in arido? Luc. cap. 23, vers. 31. Nunc quum magis obdurescant, apparet contemptu et odio pietatis contra filios *Dei* sic insolescere. Verbum נָפְּטִים, quod verti solet Narrabunt, secus interpretor, significat enim proprie numerare: ideoque apposite transfertur ad augmentum, quod scilicet mala malis addendo, ad summum usque cumulum dolorem perduxerint.

28. (*Adde iniquitatem.*) Quia נָפְּטִים Hebraeis tam culpa interdum est, quam iniquitas, sic a quibusdam vertitur hoc loco, ut Deus poenas poenis accumulet. Alii etiam longius trahunt, ut scelerati homines de horum sceleribus poenis exigant. Atqui ex secundo membro satis liquet, id potius Davidem precari, quod etiam communi fere consensu receptum est, ut Deus impios spiritu suo destituens, coniciat in sensum reprobum, ne unquam ad resipiscendum adspirent. Nam quod interpretantur quidam *venire in iustitiam*, pro absolvi, videtur paulo dilutius quam exprimat loquutio. Ideo sic resolvi debent verba: Crescat magis ac magis eorum iniquitas, et a correctione abhorreant, ut constet prorsus alienatos esse a Deo. Haec autem loquendi forma, quum scripturae sit familiaris, et subinde occurrat, non debet videri nobis aspera: et eam vitandae absurditatis causa inflectere, ut quidam faciunt, frivolum est. Exponunt Deum addere peccata peccatis, permittendo: et obtundunt hanc esse phrasin linguae hebraicae: quod nemo Hebraeus fatebitur. Nec vero cavillis istis opus est ad Deum excusandum: quia sufficit, dum reprobos excaecat, iustas ei causas esse: ut frustra obmurmurent homines vel litigent, quasi non peccarent nisi illius impulsu. Etsi enim excaecationis causae interdum latent in arcano *Dei* consilio, sua tamen quemque conscientia redarguit: et nostrum est reverenter adorare et mirari quae sensum nostrum superant *Dei* mysteria. Neque enim abs re dictum est, iudicia eius profundam esse abyssum, Psalm. 36, 7. Certe quod ad praesentem locum spectat, ubi iudicia sua exsequitur Deus, nimis praeposterum esset eum involvere in partem culpae. Summa est, iusta *Dei* vindicta impios demergi in profundum iniquitatis gurgitem, ut nunquam ad sanam mentem redeant: ut

qui sordet, sordescat adhuc, Apoc. 22, 11. Caeterum *iustitiam Dei* non interpretor active, qua donat suos electos, spiritu suo eos regenerans: sed vitae sanctitatem quae ei probatur.

29. (*Deleantur de libro viventium.*) Haec ultima est imprecatio, et omnium maxime formidabilis, quae tamen semper impenitentiam et obstinatum duritiam de qua nuper loquutus est, sequitur. Postquam ergo spem resipiscentiae illis abstulit, aeternum quoque interitum denuntiat: quia perire necesse est quicumque in libro vitae scripti non reperientur. Est quidem impropria loquutio, sed quae ad nostrum modulum non male accommodatur: quum liber vitae nihil aliud sit, quam aeternum *Dei* consilium quo suos praedestinavit in salutem. Certum est nihil posse in eo mutari. Deinde sciimus, qui adoptati sunt in spem salutis, eos ante conditum mundum fuisse scriptos, Ephes. 1, 4. Sed quia incomprehensibilis est aeterna *Dei* electio, respectu humani sensus scribi dicuntur quos Deus palam et apertis signis populo suo accenset. Sic rursus eadem ratione delentur quos Deus palam abdicat et exterminat e sua ecclesia. Quia ergo David manifestari cupit *Dei* vindictam, merito hostium suorum reprobationem ad sensum nostrum accommodat: ac si diceret, Ne recenseas eos Deus in tuorum numero, vel ordine, nec colligantur cum tua ecclesia, sed potius eos perdendo, declares abs te reiectos: et quamvis locum ad tempus occupent inter fideles, tandem eos reseca, ut appareat extraneos fuisse, quum domesticis permisti forent. Sicuti etiam dicit Ezech. 13, 9: Non inveniantur in arcano catalogo populi mei. Interea verum manet illud Ioannis I. 2, 19 neminem qui vere fuit ex filiis *Dei*, unquam deficere. Sed quia fastuose iactant hypocritae se in ecclesia esse primos, eorum abdicatio hac similitudine apte exprimitur, quum spiritus pronuntiat eos deleri e libro vitae. Porro notandum est, *iustos* vocari secundo membro, omnes *Dei* electos: quia non ad immunditiam, ut Paulus dicit, 1. Thess. 4, 7. sed ad sanctimoniam vocati sumus, ut possideat quisque vas suum in honore, 1. Thessal. 4, 4. Et nota est illa Pauli gradatio, ad Romanos capite 8, 30: Quos elegit, eos vocat: quos vocavit, iustificat, etc.

30. (*Ego autem pauper.*) Ex hoc versu melius liquet quam procul abfuerit a turgido et feroci affectu, sicuti qui suas vindictas impotenter despuant. Neque enim dubium est quin se cum sacrificio contriti et humiliati spiritus Deo hic offerat, ut hac mansuetudine gratiam sibi conciliet. Ideo addit continuo post, *Salus tua exaltabit me*. Certe qui sua intemperie feruntur ad vindictam, adeo non sunt deiecti, ut se nimium extollant. Hic autem mutua ponitur relatio inter dolorem quo iacebat oppressus, et *Dei* auxilium quo se erectum iri spe-

rat. Interea quod alii ad desperationem trahebant, causam salutis sibi fore promittit. Posset etiam adversative resolvi sententia: Quamvis nunc afflictus moeream, salus tamen tua me exaltabit. Mihi tamen certum est, Davidem impetrandae misericordiae causa suam afflictionem in medium proferre. Nec tantum se erectum iri dicit, sed diserte ponit exaltationem, alludens ad arces in locis excelsis positas. Hoc enim proprie significat verbum שׁוֹב.

31. *Laudabo nomen Dei in cantico, et magnificabo eum in laude.* 32. *Et placebit hoc Iehovae prae bove iuvenco, qui profert cornua et ungulas.* 33. *Viderunt afflicti, et laetabuntur quaerentes Deum: et vivet cor vestrum.* 34. *Quia audivit ad afflictos Iehova, et vinctos suos non desepxit.*

31. (*Laudabo nomen Dei.*) Hic iam alacriter exurgit, et certa spe liberationis fretus triumphum canit victoriae. Quamquam enim Psalmum hunc discriminum metu perfunctus composuit, certum tamen est, quum anxie trepidaret, haec eadem fuisse meditatam: quia gratiam, licet adhuc spe absconditam, certa fide apprehendebat. *Magnificari* autem dicitur Deus *laudibus nostris*, non quod immensae eius gloriae quidquam accedat, sed quia inter homines extollitur eius nomen. Iam quo se melius confirmet David, gratiarum actionem quam reddere Deo parat, boni suavisque odoris sacrificium fore docet. Nullus enim ad gratitudinem acrior adhiberi potest stimulus, quam ubi constat tantopere Deo placere hoc pietatis officium: sicuti non aliam bonorum omnium quae nobis largitur, compensationem exigit, quam ut celebretur per nos nomen suum. Quo minus excusabilis est eorum ignavia qui laudes eius silentio vel oblivione supprimunt. Quamvis autem non omiserit David, neque neglexerit externa sacrificia quae lex mandabat, merito tamen spirituales cultum praetulit, qui omnium caeremoniarum finis erat. Qua de re plenius disseruimus Psalmo 50, 8 et 14. Interim notanda est Davidis modestia, quod licet ad coeleste exemplar conscenderet, non tamen gravatus est se demittere ad communem usum ecclesiae, quasi unus esset ex vulgo: ut ex figuris legalibus disceret quod postea evangelio clarius patefactum est, laudes Dei, quatenus ex ore nostro manant, impuras esse donec per Christum sanctificentur. Nunc vero plus quam stupida est eorum superstitio, qui externas rituum pompas, quae sacrificio mortis Christi sunt abolitae, in usum adhuc revocant, et ubi se fatigarunt nihil agendo, Deum putant rite placatum esse: quod nihil aliud est quam crassis velis obtegere legitimum hunc cultum, quem caeremoniis divinitus mandatis David longe praeferre non dubitat. Per

bovem iuvencum intelligitur selectissimus: ac si diceret, nullum esse tam opimum vel pretiosum sacrificium quod aeque placeat Deo atque gratiarum actio.

33. (*Viderunt afflicti.*) Fructum suae liberationis aliis etiam communem fore docet, sicuti Psalmo 22, 23 et 26 et pluribus aliis locis iam vidimus: idque facit partim ut gratiam Dei apud fideles commendet, partim ut Deus ipse ad eum iuvandum sit propensior. Porro non intelligit fideles tantum amicitiae fraternae causa hoc spectaculo laetos fore, sed quia in unius hominis persona commune dabitur salutis pignus, qua etiam ratione afflictos vocat. Quicunque, inquit, Deum quaerunt, quamvis malis sint afflicti, animos recipient meo exemplo. Haec enim duo coniunctim sunt legenda: quoniam non cohaereret sensus nisi hoc modo, exemplum Davidis causam fore laetitiae piis Dei cultoribus, dum suis afflictionibus remedium quaerent. Et merito studium quaerendi Dei coniungit cum afflictione: quia sub Dei ferulis non omnes ita proficiunt ut sincero fidei affectu ab eo salutem petant. In ultima parte versus mutatio est personae, quae tamen sensum minime obscurat: imo haec apostrophe quasi in re praesenti efficacius exprimit quod volebat David. Nam eos compellans qui malis oppressi iacebant quasi exanimis, quandam offigiem resurrectionis ante oculos statuit: ac si diceret, Vobis o mortui, restituetur novus vigor, non quod intereat fides in Dei filiis donec extinctam alienae liberationis exemplum vivificet, sed quia suffocatum lumen denuo accenditur, ut quodammodo reviviscat. Modum continuo post definit, quod scilicet commune sibi documentum gratiae Dei in Davide exhibitum persuasi, secure colligent respici inopes, et vinctos non descipi. Videmus enim perinde accipere quod uni praestitum fuit ac si Deus re ipsa monstrasset se miseris omnibus ad opitulandum praesto fore.

35. *Laudent eum coeli et terra, maria, et quidquid reptat in eis.* 36. *Quia Deus servabit Sion, et aedificabit urbes Iehuda, et habitabunt illic, et haereditate obtinebunt eam:* 37. *Et semen servorum eius haereditario possidebunt eam: et qui diligunt nomen eius, manebunt in ea.*

35. (*Laudent eum coeli.*) Hinc certius colligere promptum est quod ante attigi, Davidem in hoc Psalmo totius ecclesiae fuisse interpretem, quia nunc in eam transfert quod de se peculiariter dixerat. Quod autem elementa sensu carentia hortatur ad laudandum Deum, hac hyperbolica loquendi forma ostendit non satis serio nos esse animatos ad canendas Dei laudes, quarum immensitas totum mundum superat, nisi adscendimus supra sensus

nostros: praesertim vero hunc ardorem accendit in corde Davidis coelesiae conservatio. Nec vero dubium est quin spiritu prophetico complexus sit totum illud tempus quo Deus regnum et sacerdotium in veteri populo stare voluit. Orditur tamen ab ea instauratione quae eius opera et manu repente post mortem Saulis illuxit, quum tristis dissipatio tam divini cultus interitum, quam terrae vastitatem minaretur. Primo autem Sionem dicit salvam fore, quia Deus locum in quo volebat invocari, tuebitur, nec cultum a se praescriptum aboleri sinet. Postea ab arca foederis et sanctuario benedictionem Dei ad totam terram extendit: quia in religione fundata erat populi felicitas. Caeterum intelligit mutationem in melius non fore momentaneam, sed fixo et stabili Dei praesidio semper incolumem fore populum. Ideo regni sui auspiciis vere sancitum esse docet quod toties Deus in lege promiserat, perpetuo scilicet fore terrae illius haeredes. Quies enim statio temporali hospitio opponitur: ac si diceret, iam erecto sacro solio venisse tempus quo filii Abrahæ absque migrationis timore fruantur quiete sibi promissa. Ultimo versu ad continuam aetatum seriem id extendit ut patres filiis, filii nepotibus acceptam possessionem de manu in manum tradant. Nam solida bonorum omnium perpetuitas Christo innitur, cuius figura erat David. Interea tamen breviter admonet, terrae demum haeredes fore qui legitimi erunt Abrahæ filii. Blanditias enim excuti oportuit hypocritas, qui freti sola generis origine, quum a fide patrum descivissent, terram haereditario iure suam esse perperam iactabant. Quamvis autem terra illa usque ad Christi adventum electo populo data fuerit, meminerimus coelestis patriae fuisse symbolum, ideoque verius hodie ac solidius impleri quod hic scribitur de ecclesiae protectione: quia timendum non est ne excidat spiritualis templi aedificatio, in qua coelestis Dei virtus apparuit.

PSALMUS LXX.

ARG. Quia Psalmus hic pars est duntaxat quadragesimi, hoc forte sibi vult inscriptio Ad reminiscendum, quia David quinque istos versus aliunde sumptos in specialem aliquem usum accommodaverit. Verba tantum hic referam: interpretatio ex suo loco petatur.

1. *Praefecto Davidis, ad reminiscendum.* 2. *Deus ad liberandum me, Iehova ad auxilium meum festina.* 3. *Erubescant et pudefiant qui quaerunt animam meam: convertantur retrorsum et pudefiant qui optant malum meum.* 4. *Perdantur super mercede pudoris sui qui dicunt mihi, Euge, euge.* 5. *Exsultent et laetentur in te omnes qui te quaerunt: et dicant,*

Semper magnificetur Deus, qui diligunt salutem tuam. 6. *Ego autem pauper et inops, Deus festina ad me: auxilium meum et liberator meus es tu: Iehova ne moreris.*

PSALMUS LXXI.

ARG. David de sua in Deum fiducia praefatus, partim eum liberatorem implorat: partim conqueritur de superbia hostium suorum: partim fidei suae confirmandae causa, se ad testandam gratitudinem comparat et accingit.

1. *In te Iehova confido, ne pudefiam in aeternum.* 2. *In iustitia tua eripe me, et libera me, inclina ad me aurem tuam, et serva me.* 3. *Sis mihi in rupem fortitudinis, in quam ingrediar semper: mandasti ad servandum me, quia arx mea et propugnaculum meum tu es.* 4. *Deus mi libera me a manu impii, a manu improbi et violenti.*

1. (*In te Iehova.*) Psalmum hunc scriptum fuisse putant de conspiratione Absalom: et quia senectutis suae meminit David, probabilis est coniectura. Iam quia nobis ad Deum accedentibus sola fides ianuam aperit, ut impetret David quod postulat, testatur suo more se non concipere fictas preces, sed serio ad Deum confugere: quia certo persuasus sit in eius manu repositam esse suam salutem. Nam qui circumagitur huc et illuc, et spes suas vario partitur, vel trepide secum disputat, vel contumaciter respuit Dei auxilium, vel impatienter fremit ac tumultuatur: indignus est cui opituletur Deus. Particula autem לעולם in fine primi versus, duplicem sensum recipit, sicuti docui Psalmo 31, 2. Nam vel tacita est antithesis inter praesentes aerumnas, et laetorem exitum quem sperabat David: ac si dixisset, Domine nunc quidem iaceo velut confusus, sed efficies ut aliquando liberer. Vel *non pudeferi in saeculum*, tantundem valet ac nunquam pudeferi. Quia vero reliqua fere conveniunt cum principio Psalmi 31 quidquid hic sciens praetereo, inde petant lectores, quos cupio taedio sublevare. In hac particula, *ad quem veniam semper*, quae illic non ponitur, breviter petit David, ita expositam sibi esse opem Dei, ut tutum receptum inveniat quoties periculi aliquid instabit. Hoc est, Domine semper mihi apud te parata sit defensio: et quoties ad te confugiam, propitius occurras. Quod sequitur, *mandasti ad servandum me*, quidam interpretes resolvunt in tempus optativum: ac si David peteret se committi angelorum custodiae. Sed melius est retinere praeteritum verbi tempus, ut se prioribus experimentis ad bene sperandum animet. Ad angelos etiam restringere necesse non est verbum Mandandi: quia etsi illorum

opera utitur Deus ad suos tuendos, quia tamen innumera media servandi penes eum sunt, indefinite accipio, Deum mandare de suorum salute quod decrevit, quoties favorem suum palam exserit aliquo signo, et nunc solo nutu, nunc per homines vel alias creaturas exsequitur quod apud se statuit. Interea non dubito quin significet David Deo sufficere suum imperium, quamvis aliunde subsidia non accersat: ac si diceret, satis ad nos servandos auctoritatis esse in solo Dei praecepto.

4. (*Deus mi.*) Quanquam singularis numerus ponitur, non tamen unum modo hominem designat: quia credibile est totas hostium copias, a quibus oppugnabatur complecti. Diximus autem alibi quantum hoc ad impetrandi fiduciam valeat, ubi nobis conscii sumus propriae integritatis, ut libere coram Deo conqueri liceat, iniuste nos et scelerate ab hostibus oppugnari, quia minime dubitandum est quin causam nostram Deus suscipiat, qui patronum se fore promisit iniuste oppressis.

5. *Quia tu exspectatio mea, Domine Iehova, fiducia mea a pueritia mea.* 6. *Super te sustentatus sum ab utero, a visceribus matris meae tu extractor meus, in te laus mea semper.* 7. *Quasi prodigium fui magnis,*) et tu fiducia mea robusta.* 8. *Replebitur os meum laude tua, quotidie gloria tua.*

5. (*Quia tu.*) Repetit quod paulo ante dixerat de fiducia: nisi forte hanc sententiam ad rem magis quam ad cordis affectum referre placeat, quasi diceret, ex beneficiis Dei sibi materiam bene sperandi datam esse. Et certe non simpliciter hic refert, se in Deum sperasse, sed experientiam quoque simul coniungit: fateturque sibi iam puero exhibita fuisse gratiae documenta, ex quibus discere potuerit, nonnisi in solo Deo recumbendum esse. Etsi autem ab affectu ipso realem, ut ita loquar, fidei causam designat, colligere tamen inde licet quam efficax ad fovendam spem eius fuerit beneficiorum Dei recordatio. Cum hoc versu proximus etiam cohaeret: nisi quod longius progreditur David. Celebrat enim non modo quae a puero expertus fuerat beneficia, sed quibus, antequam in lucem ederetur, iam affectus fuerat. Ac similis fere confessio habetur Psal. 22, 10, qua merito praedicatur admirabilis Dei virtus, et inaeestimabilis bonitas in hominum generatione: cuius ratio, nisi ad eam essemus assueti, prorsus incredibilis foret. Nam si ad historiam diluvii obstupescimus, dum refert Moses Gen. 8, 13 in foetida stercorum congerie Noë vixisse cum familia decem menses, quum vitalem spiritum trahere non liceret: cur non aequè mirabimur foetum matris utero inclusum vitam in

*) aux grands, en marge: ou à plusieurs.

sordibus degero, quae semihorae spatio robustiesimos quosque suffocarent? Sed ita scilicet nobis usu vilescent Dei miracula. Spiritus autem non abs re ingratitude hanc castigat, tam memorabilem Dei gratiam in ortu nostro commendans. Iam quum edimur in lucem, quamvis mater officium suum praestet, adsit obstetrix, multique alii opitulentur, nisi tamen Deus manum suam quodammodo supponens, susciperet nos in suum gremium, quid nobis fieret, et quae spes esset prorogandae vitae? Imo exitus ab utero, ingressus esset in mille mortes. Quare non abs re vocatur Deus *extractor ab utero*. Cui etiam respondet clausula versus, *in te laus mea semper*. Significat enim materiam laudandi Dei sibi continua serie fuisse suggestam.

7. (*Quasi prodigium.*) Transit nunc ad quæmoniam, quod propter ingentes miseras quibus opprimebatur passim fuerit detestabilis. Etsi autem aliqua in speciem repugnantia est in his verbis, Dei beneficiis semper fuisse ornatum et prodigii loco habitum, quia misere afflictus esset, utilissimam tamen doctrinam elicimus, nulla calamitatum mole obrutum fuisse quem de bonitate Dei gustum conceperat. Quamvis ergo se abominationi esse videret, non potuit tamen ullis tenebris exstingui memoria bonorum, quae ad fidem dirigendam, instar lampadis, erat in eius corde. *Portenti* vero nomine non vulgaris calamitas exprimitur: quia nisi insolito modo oppressus fuisset, non exhorruissent ad tantam deformitatem quibus non ignota erat misera hominum conditio. Quo magis laudabile specimen constantiae fuit non frangi nec debilitari pudore: sed, quo magis reiiciebatur a mundo, magis in Deum recumbere. Adversative enim resolvi debet sententia, Quamvis instar prodigii exsecrati sint eum homines, Deo tamen subnixum fortiter stetit. Si רבים vertere libeat Multos, sensus erit, vulgo notas et celebres fuisse miseras Davidis: ac si in theatrum productus, populi oculos in se converteret. Melius tamen conveniet, meo iudicio, de Magnis vel proceribus intelligere. Haec vero indignitas quamlibet fortes animos non leviter percellit, si miserum hominem horrore habent qui videntur prudentia et iudicio excellere, et qui auctoritate praediti sunt. Mox quasi potitus voto suo, futurae gratitudinis testimonium addit. Et quo alacrius in bonam spem assurgat, plenis buccis se Dei laudes cantaturum promittit: neque id semel, sed infatigabili perseverantia.

9. *Ne proicias me tempore senectutis, secundum defectionem virtutis meae ne deseras me.* 10. *Quia dixerunt inimici mei de me: et qui observant animam meam, consultaverunt simul,* 11. *Dicendo, Deus dereliquit eum: persequimini, et comprehendetis eum: quia non eripiens.* 12. *Deus ne procul absis a me,*

Deus mi ad auxilium meum festina. 13. Pudeant, deficient adversarii animae meae, operiantur probro et pudore quaerentes malum meum.

9. (*Ne proicias.*) Quia nuper retulit, Deum susceptorem fuisse animae suae ab infantia, deinde etiam in pueritia nutritum, totoque vitae curriculo fuisse salutis custodem: nunc senio confectus, in paternum eius gremium se reiicit. Nam quo nos magis deficient vires, sicut ipsa necessitas ad Deum quaerendum nos sollicitat, sic etiam speranda est eius ad nos iuvandos propensio. Summa est, Domine, qui me vegetum in flore aetatis sustinuisti, ne iam caducum et fere emarcidum destituas: sed quo magis tua ope indigeo, te ad misericordiam flectat meus defectus. Ex hoc versu non temere coniiciunt interpretes sermonem haberi in hoc Psalmo de coniuratione Absalom. Et certe horribile illud et tragicum spectaculum facere potuit ut non modo promiscuum vulgus, sed qui pollebant gravitate, quasi a monstro detestabili averterent oculos, quum filius patrem regno expulsum per ipsa quoque deserta ad necem quaereret.

10. (*Quia dixerunt inimici.*) Alia etiam circumstantia Dei misericordiam sibi conciliat, quod maiore licentia in ipsum saeviant improbi, dum existimant a Deo ipso reiectum ac proditum. Scimus enim pessimis etiam quibusque crescere animos et audaciam, ubi innoxios vexando fingunt sibi nihil cum Deo esse negotii: quia non modo spes impunitatis eos confirmat, sed etiam de successu gloriantur, ubi nihil ad cohibendam eorum libidinem obstaculi apparet. Porro quod tunc Davidi accidit, filiis Dei prope ordinarium est, ut nihil non audeant contra ipsos improbi, dum sibi divinitus in praedam expositos esse fingunt. Quia enim Dei gratiam praesenti tantum fortuna metiuntur, quoscunque affligi patitur, contemni, relinqui, et proici ab eo putant. Hinc se ad quidvis tentandum mutuo hortantur et acuunt, quia miseris nullus sit futurus vindex. Atqui proterva haec eorum insultatio viciissim animos nostros debet erigere: quia Dei gloriae interest re ipsa comprobari quod toties promittit, pauperibus et afflictis se opem laturum. Nec vero quod sibi veniam a Deo promittunt impii, haec stulta eorum imaginatio culpam extenuat: quin potius bis in Deum sunt contumeliosi, eripiendo quod ei maxime proprium est.

12. (*Deus ne procul.*) Quam difficilis et aspera fuerit illa tentatio, quum Davidem statuerent impii a Deo reiectum esse, vix satis potest exprimi. Neque enim vocem hanc inconsiderate spargebant: sed quum visi essent omnia prudenter expendere, quasi de re comperta ferebant sententiam. Ideoque heroicæ fortitudinis fuit superare perversa eorum iudicia, ut Deum nihilominus sibi propitium esse

confideret David, et familiariter ad eum confugeret. Nec dubium est quin *Deum suum* appellans, gravem illum durumque insultum hoc clypeo repellat. Auxilium vero Dei implorans, simul precatur ut pudeant adversarii, donec consumpti fuerint. Quamquam haec verba in futuro tempore legere non erit absurdum, quia David precatione sua defunctus, saepe insurgere solet contra hostes, et quasi triumphum de ipsis agere. Sequutus tamen sum quod contextui melius quadrabat. Quia autem iam alibi exposui quomodo intelligi debeat haec imprecatio, nunc repetere nihil opus est.

14. *Et ego semper sperabo, et adiciam super omnem laudem tuam.* 15. *Os meum narrabit iustitiam tuam, quotidie salutem tuam, quia non cognovi numeros.* 16. *Incedam in fortitudinibus Domini Iehovae: memorabor iustitiae tuae solius.*

14. (*Et ego semper.*) Iterum quasi victor emergens, gratiarum actionem meditatur. Quamquam non dubium est, quo tempore eius simplicitatem ludibrio habebant impii, inter illas angustias sic fuisse luctatum: quod colligimus ex verbo *sperandi*. Quamvis ergo neque malorum ullus se ostenderet exitus, et impii non desinerent superbe ridere eius fiduciam: sibi tamen in spe esse perseverandum statuit: sicuti haec vera est fidei probatio, attendere ad solam Dei promissionem, ut sola eius luce per densissimas afflictionum tenebras regatur. Hoc igitur sperare, cuius meminit David, ex certaminibus quae tunc sustinuit aestimandum est. Et se *additurum* pronuntians *super reliquas Dei laudes*, quam securus sit de optabili exitu demonstrat, perinde enim est ac si diceret, Domino quia pridem ad tua beneficia assuefactus sum, non dubito quin nova accessio novam quoque materiam mihi datura sit celebrandae tuae gratiae. Clarius deinde exprimit quale laudis sacrificium Deo offerre instituat, assiduum iustitiae et salutis eius praeconem se fore affirmans. Saepius vero antehac docui, non vocari Dei iustitiam qua cuique rependit quod suum est, sed fidem quam suis praestat in ipsis fovendis, tuendis, ac liberandis. Atque hinc nascitur inaeestimabilis consolatio, dum salutem nostram audimus ita inniti Dei iustitiae, ut eandem cum hac firmitudinem habeat. *Salutem Dei* active sumi hoc loco satis notum est, eam iustitiae adiungit tanquam causae effectum: quia non aliunde persuasus erat se fore salvum, nisi quia iustus erat Deus, nec se ipsum abnegare poterat. Iam quia toties, ac tam variis modis, tamque mirabiliter servatus fuerat, ideo continuum sibi studium fore dicit celebrandae gratiae Dei. Particulam *י* adversative quidam resolvunt, Quamvis incomprehensibilis mihi sit Dei salus, vel captum meum excedat, ego tamen eam

narrabo. Sed propria significatio aptius convenit: quia nihil est quod magis accendere animos nostros debeat ad canendas Dei laudes, quam ubi nos innumeris beneficiis prosequutus est. Nam ut ad specimen unum vel alterum torpeant, ut frigeant in exiguo numero: ipsa tamen immensa multitudo torporem et frigus nisi corrigit, minime excusabilis est nostra ingratitude. Discamus ergo, non leviter et quasi cum fastidio gustare Dei bonitatem, sed sensus omnes nostros extendere ad eius amplitudinem, ut nos in admirationem rapiat. Porro mirum est quomodo in mentem venerit graeco interpreti vertere, Non novi literaturam. Indignus error est notatu, nisi quod olim fanatici homines, ut sibi applauderent in sua inscitia, iactabant Davidis exemplo spernendas esse omnes literas, et scientias liberales: sicut hodie Anabaptistae non alio praetextu se pro spiritualibus venditant, nisi quod omnis scientiae sunt expertes.

16. (*Incedam in fortitudinibus.*) Commode etiam vertere licet, Ingrediar in fortitudines, atque haec interpretatio non minus est probabilis. Sicuti enim in periculis animos nostros occupat trepidatio et anxietas, quia ad reputandam Dei virtutem non satis sumus attentis: ita unicum levandae in malis anxietati remedium est, penetrare in Dei fortitudines, ut nos undique muniant. Sed quia optime convenit altera lectio quae magis recepta est, discedere ab ea nolui, quanquam in sensu variant interpretes. Quidam exponunt, Prodiho ad bellum fretus Dei virtute: quod meo iudicio nimis restrictum est. Incedere enim tantundem valet ac manere in firmo ac perpetuo statu. Etsi enim non sine molestia nituntur fideles, neque alacriter volunt, quin potius prae lassitudine gemunt: quia tamen obstacula et difficultates invicta animi magnitudine euperant, neque retrocedunt, neque declinant a recta via, saltem desperatione non condecidunt, ideo dicuntur pergere, donec cursum absolverint. In summa, gloriatur David se nunquam frustratum iri Dei auxilio, donec ad metam pertigerit. Quia autem nihil in hac tanta infirmitate difficilius vel rarius est, quam perseverare, sensus omnes suos colligit ad unam Dei iustitiam. Quod enim se tantum illius memorem fore dicit, huc spectat, se relictis omnibus pravis fiduciis, quibus totus fere mundus circumagitur, in Dei protectione fore prorsus defixum, ne vagetur post suas imaginationes, vel huc et illuc abstrahatur. Augustinus plus centies ad evertenda operum merita hoc testimonio utitur, et plausibiliter iustitiam quae gratis a Deo donatur, meritoriae hominum iustitiae opponit, fatendum tamen est, in alienum sensum torqueri verba Davidis, qui simpliciter intelligit neque consilio proprio, neque industriae, neque virtuti inniti, neque ullis opibus, ut secure sibi salutem pro-

mittat: sed hoc unum sibi esse propositum, quia iustus est Deus, fieri non posse ut ab eo deseratur. Iustitia enim Dei, ut nuper attigimus, non gratuitum illud donum quo sibi reconciliat homines, vel regenerat in vitae novitatem, sed fidem in servandis promissis significat, qua se aequum, et rectum, et veracem probare vult erga suos cultores. Solam vero Dei iustitiam sibi in oculis et memoria fore dicit: quia nisi attente ad eam restringimus sensus omnes nostros, miras habet illecebras Satan quibus nos in vanitatem abducat. Simul enim ac variae spes obrepserint, nihil proclivius est quam diffluere: et quisquis Dei gratia non contentus, vel tantillum subsidii aliunde accerset, documentum suo lapsu aliis praebebit quam evanidae sint omnes mundi futurae quae Dei auxilio miscentur. Quod si in externo vitae statu gradum aliter tenere non potuit David, quam se, abdicatis omnibus aliis fiduciis, reiiciendo in Dei iustitiam: ubi de spirituali aeternaeque vita agitur, si vel minimum delapsi fuerimus a gratia Dei, qualis futura est nostra firmitas? Negari igitur non potest, quin partitio quam inter liberum arbitrium et Dei gratiam comminiscuntur papistae, miseras animas in ruinam praecipites agat.

17. *Deus docuisti me a pueritia mea, et hucusque annuntiabo mirabilia tua.* 18. *Et etiam usque ad senectulem et canitiem, Deus, ne deseras me, donec annuntiem robur tuum generationi, cunctis venientibus fortitudinem tuam.* 19. *Et iustitia tua, Deus, usque in excelsum: quia fecisti magnifica: Deus quis similis tibi?*

17. (*Deus docuisti me.*) Iterum recitat quantopere obstrictus sit Dei beneficiis, non modo ut, se ad gratitudinem hortetur, sed ut spem suam continuet in futurum tempus, sicuti patebit ex proximo versu. Iam quum Deus tam verbo quam factis nos doceat, secundam speciem hic notari certum est, quod scilicet a pueritia usque continuis experimentis didicerit David, nihil melius esse quam recumbere in unum Deum. Porro ne unquam privetur hac reali doctrina, testatur se in ea rite profecisse. Nam in hunc finem mirabilium Dei se praeconem fore dicit, ne sua ingratitude, beneficentiae Dei cursum abrumpat. Hinc vero dependet ista precatio, ne in sua senectute excidat. Sic enim ratiocinatur: Quum te ab initio semper tam liberalem ostenderis, o Deus, nunc quum me deficere vides, num manum porriges ad opitulandum? Atque omnino sic statuendum est, postquam nos adhuc infantes dignatus est amore suo Deus, pueros complexus est eodem favore, totoque vitae curriculo benefacere non desiit, fieri non posse quin sibi ad extremum constet. Ideo particula *¶* illative accipitur: ac si colligeret, Deum, cuius nunquam ex-

hauritur bonitas, et qui mutabilis non est instar hominum, eundem orga senes foro qui fuit erga pueros. Alio deinde argumento precationem suam confirmat, quia si fatiscat in senio, simul etiam evanescet gratia Dei, qua hactenus fuit sustentatus. Nam si gratiam suam Deus tenui gustu libatam mox subducat, nonnisi ad momentum vigeat eius memoria. Si vero pluribus suis beneficiis ornatos in extremo vitae actu deserat, hoc etiam modo gratiam perdet eius liberalitas. Se ergo ad finem usque iuvare David postulat, ut posteris commendat aequabilem gratiae Dei cursum, ac in morte ipsa testetur, Deum fideles qui ad eum confugiunt, nunquam frustrari. Nam per *generationem et eos qui venturi sunt*, filios et nepotes intelligit, ad quos non aliter potest gratiae Dei memoria propagari, donec numeris omnibus absoluta cursum suum compleverit. *Robur et fortitudinem* tanquam effectus iustitiae Dei recenset. Interim tamen his elogiis ornata liberationis modum, de qua sibi gratulatur, ac si diceret, exhibitum in eo fuisse rarae virtutis et potentiae documentum.

19. (*Et iustitia tua.*) Alii hunc versum contextunt cum proximo, et verbum narrabo ἀπὸ τοῦ νοσίου repetentes, iustitiae nomen vertunt in accusativo casu. Sed quia in eo parum est momenti, non insisto. Pluribus quidem verbis idem quod prius dixerat prosequitur David, ac primo, iustitiam Dei in sublime dicit esse evectam: deinde magnifice operatum esse: tandemque prae admiratione exclamat, Quis similis tibi? Est autem hoc notatu dignum, iustitiam Dei, cuius propinqui nobis et conspicui sunt effectus, locari tamen in excelso, quia sensu nostro non comprehenditur. Nam dum eam nostro modulo metimur, minima quaeque tentatio nos absorbet. Ergo, ut ei aditus ad nos servandos pateat, ad concipiendam eius amplitudinem, sursum ac deorsum, longe et late mentes nostras diffundi oportet. Eodem refertur secundum membrum de magnificis Dei operibus: quia si cognitae eius virtuti tribuimus iustam ac debitam laudem, nunquam nos deficiet bone sperandi argumentum. Tandem eo usque progredi oportet bonitatis Dei sensum, ut nos in admirationem rapiat. Sic enim fiet ut in Deo solo acquiescant mentes nostrae, quae huc et illuc subinde prava inquietudine feruntur. Nam si qua nobis ingeritur tentatio, protinus ex musca facimus elephantem: imo fabricamus altissimos montes, qui Dei manum a nobis arceant. Interim Dei potentiam maligne restringimus. Huc ergo tendit exclamatio Davidis, ut discamus fide perrumpere, et omnibus impedimentis praeferre Dei potentiam, sicuti meretur. Nam etsi fatentur omnes verbo, nullum esse Deo similem, vix tamen centesimus quisque penitus ac serio persuasus est, eum unum ad servandum sufficere.

20. *Quia videre me fecisti tribulationes magnas et malas, conversus vivificabis me, et ex abyssis terrae conversus extolles me.* 21. *Multiplicabis magnitudinem meam, et conversus consolaberis me.* 22. *Etiā ego canam tibi in organo musico veritatem tuam Deus meus, psallam tibi in cithara Sancte Israël.* 23. *Exsultabunt labia mea dum psallam tibi, et anima mea quam redemisti.* 24. *Etiā lingua mea quotidie annuntiabit iustitiam tuam: quia pudefacti sunt, quia ignominia affecti sunt quaerentes malum meum.*

20. (*Quia videre me.*) Scitur verbum Videndi apud Hebraeos transferri ad alios sensus: itaque mala sibi ostensa fuisse queritur David, quae perpeusus fuerat. Sicuti autem Deo fert acceptas suas liberationes: ita rursum nonnisi eius consilio et voluntate sibi quidquid pertulerat malorum fuisse infictum agnoscit. Sed primo tenendum est eius consilium: nam ut comparatione illustret Dei gratiam, recenset quam duriter afflictus fuerit. Si prospera fortuna semper aequabiliter usus esset, erat cur sibi gratularetur: sed non sensisset quid sit incredibili Dei virtute eripi ab interitu. Nam ad mortem usque descendere necesse est ut Deus appareat redemptor. Quia enim nascimur sine sensu et intelligentia, prima vitae nostrae origo non satis clare autorem ipsum nobis demonstrat: sed ubi in desperatione succurrit Deus, resurrectio ipsa nobis illustre est gratiae eius speculum. Hoc modo Dei beneficium amplificat David, quod demersus in profundam abyssum, eius tamen manu eductus in lucem emergerit. Neque solum Dei beneficio se incolumem esse praedicat, sed dignitate fuisse auctum: quae mutatio velut restitutionis cumulus fuit, perinde ac si ex inferis in coelum usque evectus foret. Quod tertio repetit, Deum fuisse conversum, ad providentiae eius commendationem spectat: ac si diceret, nihil sibi fortuito accidisse adversi: quia simulac illuxit Dei favor, mutatae fuerint vices.

22. (*Etiā ego.*) Prorumpit adhuc in gratiarum actionem: quia intelligit in hunc finem tam liberaliter Deum suis opem ferre, ut celebretur eius bonitas. In nominibus *Nebel et Citharae* alludit ad morem tunc receptum, nec enim dubium est quin pars illa fuerit legalis paedagogiae, et umbratilis cultus, ad citharam et nablum canere Dei laudes. De publicis gratiarum actionibus loquor: quia etsi privatim non vetamur interponere musica instrumenta, a templis tamen manifesto spiritus sancti edicto arcentur, dum Paulus 1. Cor. 14, 13 nonnisi cognita lingua benedicere vel orare permittit. *Veritatis* nomine intelligit, quum divinitus servatus est, mercedem spei suae fuisse redditam. Sunt enim res coniunctae in separabili nexu, promissiones Dei, et veritas in ipsis praestandis. Nisi autem pendea-

mus ex Dei verbo, insipida nobis erunt quaecunque beneficia conferet. Nunquam etiam vel ad preces, vel ad gratiarum actiones incitabimur, nisi eodem verbo praelucente. Quo magis detestabilis est diabolici hominis Serveti furor, qui precandi regulam perverti docet si fides promissionibus alligatur: quasi vero nobis ad Deum accessus pateat, donec sua voce nos invitet. Proximo versu melius exprimit se non simulate, nec defunctorie gratias acturum Deo: quia serio fervore ad hoc pietatis officium prosiliet. Figuris enim quibus utitur, breviter intelligit nullum sibi maius oblectamentum fore, quam in Deo laudando: atque ita oblique profanam eorum laetitiam perstringit, qui posthabito Deo sibi in rebus prosperis gratulantur. Eodem ultimo quoque versus tendit, nullum scilicet suave et optabile sibi fore gaudium, nisi coniunctum cum Dei laudibus, et hunc sibi iucundissimum fore fructum, celebrare laudibus suum redemptorem.

PSALMUS LXXII.

ARG. David totius ecclesiae nomine, vota pro continuo regni sibi promissi successu concipiens, simul docet veram piorum felicitatem in eo esse positam, dum sub manu regis divinitus electi reguntur.

1. *Solomonis.*)* Deus iudicia tua regi da, et iustitiam tuam filio regis. 2. Iudicabit populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio. 3. Proferent montes pacem populo, et colles in iustitia. 4. Iudicabit pauperes populi, servabit filios afflicti, et confringet calumninatorem. 5. Timebunt te cum sole, et coram luna generatio generationum. 6. Descendet sicut pluvia in herbam sectam, sicut imbres irrigantes terram.

1. (*Solomonis.*) Inscriptio Psalmi autorem non designat, nam quum discrete in fine dicatur hanc fuisse ultimam orationem Davidis, magis probabile est Psalmum ab eo fuisse scriptum. Nisi forte votum patris sui Solomo successor, quo notius esset ac magis in populo celebre, in numeros digessit, quod a verisimilitudine non abhorret. Sed quia ὁ Hebraeis plura significat, resolvere licebit, carmen hoc fuisse in gratiam Solomonis compositum. Quod si recipimus, notandum tamen erit, sub unius hominis persona comprehendere perpetuum regni statum. Caeterum, omnibus probe expensis, in hanc coniecturam libenter inclino, quod David inter ultimos spiritus precatus fuerat, redactum fuisse in formam Psalmi a filio, ut aeternae memoriae con-

*) De Solomon, en marge: ou pour Solomon.

secraretur. Nam hoc videtur, ut de re maxime seria, consulto fuisse additum, ultimam esse Davidis precationem: quo attentius fideles et maiori ardore cum memorabili sancti regis voto sua ipsi quoque coniungerent. Caeterum, quia Solomo argumentum a patre sumptum poetico tantum nitore ornavit, sit nobis David praecipuus autor. Qui simpliciter vaticinium esse volunt de regno Christi, videntur nimis violenter torquere verba. Deinde semper cavendum est ne Iudaeis obstrependi detur occasio, ac si nobis propositum esset sophisticæ ad Christum trahere quæ directe in eum non competunt. Sed quum David Dei mandato unctus in regem, sciret hac lege se et posteros suos solium tenere, ut tandem potestas et imperium ad Christum perveniret: deinde in hoc regno ita contineri ad tempus terrenam populi salutem, ut ex umbra illa praestantius tandem aliquid emergeret, nempe spiritualis et aeterna felicitas: merito de huius regni perpetuitate ita fuit sollicitus, tamque ardentem pro ea precatus est, ut inter extremos spiritus votum suum repetens, testatum esse voluerit, hanc ex omnibus suis curis summam esse. Nam quod de aeterna dominatione hic habetur, non ad unum hominem, vel paucos, imo ne ad viginti quidem secula restringi potest: sed notatur successio, quæ in Christo finem et solidum complementum habuit.

1. (*Deus iudicia.*) Quanquam David apud quem deposita fuerat promissio, anxie sub mortem filium, qui regni successor futurus erat, Deo commendavit: non dubium tamen est quin dictaverit toti ecclesiae communem orandi formam, tum ut singuli fideles non aliter sibi bene et feliciter fore persuasi, quam sub uno capite, legitimum hunc ordinem colerent: tum ut ab illo umbratili regno ad Christum usque deducerentur. Summa autem est, ut Deus regem a se electum spiritu rectitudinis et prudentiae instruat. Nam *iustitiae et iudicii* nominibus formam gubernandi rite compositam intelligit: eam tyrannicae et effraeni profanorum regum licentiae opponens, qui posthabito Deo pro arbitrio suo dominantur, atque ita terrenis aliis regibus sacrum Israël regem coelesti unctione praeditum distinguit. Quanquam interea colligimus ex eius verbis, nullum regimen posse in mundo rite constitui, nisi Dei auspiciis, et praeunte eius spiritu. Nam si propria virtute satis instructi essent reges, frustra aliunde precario rogaret David quod ipsis domi suppeteret. Nunc vero Dei iustitiam et eiusdem iudicium regibus dari postulans, nullos ad obeundum munus idoneos esse admonet, nisi quatenus Dei manu formantur. Ideo apud Solomonem Prov. 8, 15 clamat eius sapientia reges per se regnare. Nec vero mirum est, quum res sit praestantissima ordo politicus, Deum velle agnoscere eius autorem, sibi quoque omnem eius laudem vindicare. A genere tamen ad speciem

descendere convenit: quia quum singulare Dei opus sit rectum in mundo principatum erigere ac tueri: multo magis necesse fuit, in sacro illo regno, quod prae aliis elegerat, fovendo et conservando peculiarem spiritus sui gratiam proferre. Per *filium regis* non dubium quin successores intelligat. Quamquam simul ad oraculum respicit: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, Psal. 132, 11. Atqui nulla in posteris Davidis reperietur talis soliditas, donec ad Christum ventum fuerit. Nam scimus, mortuo Solomone collapsam fuisse regni dignitatem, ab eo tempore imminutas et accisas fuisse opes: donec populo in exsilium traducto, et rege probrose occiso, funesta regni clades accidit. Nec vero post reditum talis fuit restitutio, quae magnam spem faceret, donec tandem ex arido trunco Isai prodiit Christus. Ideoque inter Davidis filios primum gradum tenet.

2. (*Iudicabit populum tuum.*) Quidam optative legunt. Alii retinent futurum tempus, ut sit prophetia, sed rectius est aliquid medium subaudire. Quaecunque enim postea dicentur, manant ex illa Dei benedictione, si rex ornatus fuerit iustitia et iudicio. Ita igitur resolvi oratio debet: Guberna Deus regem nostrum ut iudicet, vel hoc modo: Ubi donatus fuerit tua iustitia, tunc vere iudicabit. Est enim donum longe praestantius, bene regere populum, quam ut e terra proveniat. Spirituale vero Christi regimen, quo omnia instaurantur in perfectum ordinem, multo magis coeleste est donum. Quamquam autem in genere de toto populo priore membro loquitur, nominatim adiungit *pauperes*, qui propter inopiam suam et infirmitatem alieno subsidio indigent, et quorum gratia reges armati sunt gladio, ut iniustis eorum oppressionibus succurrant. Hinc etiam nascitur pax, cuius fit mentio versu 3. Nam quum hoc nomen Hebraeis non quietem modo, sed prosperos omnes successus denotet, David populum tunc feliciter habiturum docet, si formatus fuerit publicus status ad iustitiae normam. In *proventu* vero *pacis* metaphora est a terrae foecunditate sumpta, ac si dixisset nullum fore angulum felicitate vacuum. Nam *montes* ut plurimum laborant sterilitate, vel saltem non abundant tanta frugum copia ut valles. Caeterum, tam *pacis* quam *iustitiae* nomen cohaeret utrique membro, et his repeti debet, ac si dixisset, In iustitia pacem diffusum iri per omnes terrae partes. Alii simpliciter legunt Iustitiam, sed Δ non videtur esse supervacuum.

4. (*Iudicabit pauperes.*) Finem et fructum iustae gubernationis prosequitur, et quod breviter attigerat de afflictis populi, fusius explicat. Tenendum est vero illud principium, non aliter fieri ut se contineant reges in iustitia et aequitate, nisi per Dei gratiam: quia ubi non praeest e coelo spiritus rectitudinis, omne imperium in tyrannidem et la-

trocinium vertitur. Quia autem pollicitus fuerat Deus sibi curae fore pauperes et afflictos populi sui, ut obtineat David quod pro rege concipit votum, id in pauperum solatium tendere ostendit. Nulla quidem est apud Deum personarum acceptio: sed non abs re Deus tenues, qui iniuriis et violentiae magis sunt obnoxii, prae aliis commendat. Tollantur enim leges et iudicia, quo quisque erit potentior, ad fratres suos quoque opprimendos praevaleret. Qui ergo nonnisi publica defensione tuti sunt, his regem fore praesidio David specialiter commemorat, vindicemque fore testatur ubi indigne violati fuerint. Porro trita est loquendi forma Hebraeis, filios afflicti pro afflictis dicere: sicuti Graeci interdum loquuntur, ut quum *νιὸς ταραῶν* dicunt pro medicis. Quia vero in sublevandis et tuendis pauperibus partes obire rex non potest quas ei assignat David, quin autoritate et manu cempescat improbos, non temere additur in fine versus, *violentos vel praedones*, ubi vigeat iustitia, *confractum iri*. Neque enim expectandum est dum ultro cedant, sed gladio reprimendi sunt, ne lasciviat eorum improbitas et audacia. Cordatum igitur principem esse oportet, atque animose paratum ad cohibendos improbos, ut mansueti et modesti ius suum obtineant. Atque ita nemo ad regendum populum erit idoneus nisi qui didicerit severus esse ubi res ita postulat: quia fieri non potest quin sub molli et ignavo principe, vel etiam nimis facili et remisso grassetur licentia. Ac vere olim dictum fuit, deterius esse sub principe vivere cuius indulgentia omnia licent, quam sub tyranno ubi nulla est libertas.

5. (*Timebunt te.*) Si per apostrophen legas, poterit hoc ad regem non incommode referri, haec scilicet praecipua fore dignitatis insignia quae reverentiam ei apud subditos concilient, si ius cuique suum aequabiliter reddat: humanus sit ad iuvandos miseros, et ad domandam malorum audaciam severus. Sed melius conveniet sine mutatione personae interpretari de ipso Deo. Quamquam enim inestimabile bonum est, aequitatem mutuo coli inter homines, maiori tamen in pretio meretur esse Dei cultus. Ideoque pia sanctaeque gubernationis fructum non abs re David commendat, quod pietatem et timorem Dei secum afferet. Ideoque Paulus 1. Tim 2, 2. iubens orare pro regibus, finem hunc diserte exprimit, ut tranquillam sub ipsis vitam degamus cum omni honestate et pietate. Quia ergo periculum est ne collapsa ordine politico, dissipetur religio ac pessum eat Dei cultus, postulat David ut Deus nominis sui ac gloriae respectum habeat in rege conservando. Hoc eodem argumento et reges admonet sui officii, et populum ad precandum stimulat: quia nihil praestantius est quam ad procurandum Dei cultum votis omnibus eniti. Iam

ubi ad Christum venit, hoc longe verius in eum competit: quia non alibi quam in eius regno fundata est vera pietas. Et certe Dei cultum usque ad finem mundi potendens David, obiter significat, se animo conscendere ad aeternum illud regnum quod pollicitus fuerat Deus.

6. (*Descendet.*) Quanquam videtur asperior esse similitudo, concinne tamen et scite exprimit quantum utilitatis in commune proveniat ex probo et legitimo regni statu. Scimus enim tonderi prata initio aestatis, ubi iam dominatur calor: ita nisi humorem novum sugeret terra, ipsae quoque radices propter terrae nuditatem arescerent. Docet ergo David, non aliter Deum consulere ecclesiae suae saluti, sub regis manu eam protegendo, quam irrigatione terram ab aestu defendit. Hoc vero praecipue in Christo videmus impleri, qui arcanam gratiam stillando facit ecclesiam suam pullulare.

7. *Florebit in diebus eius iustus: et multitudo pacis, donec non sit luna.* 8. *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terrae.* 9. *Coram ipso procident incolae deserti, et inimici eius pulverem lingent.* 10. *Reges Tharsis et insularum munus afferent: reges Scheba et Seba domum adducent.* 11. *Et prosternent se coram eo omnes reges, omnes gentes servient ei.*

7. (*Florebit.*) Necesse non est saepius repetere quod semel dixi, pendere has omnes sententias ex primo versu. Ergo ut floreat iustus, et prospere habeat populus, precatus est David, regem ornari iustitia et iudicio. Solomonis quidem officium fuit iustos tueri: sed proprium Christi est iustos facere: quia non tantum ius suum cuique reddit, sed spiritu suo animos reformat. Et hoc modo iustitiam postliminio reducit, quae alioqui exsularet a mundo. Hanc sequitur Dei benedictio, qua suos omnes exhilarat, dum sub rege Christo nihil sibi ad solidam felicitatem deesse vident. Si nomen *pacis* in proprio sensu et magis restricto accipere libeat, non repugno. Et certe ad summam beatæ vitæ nihil pace optabilius: quando inter bellicos tumultus nihil fere iuvat rerum omnium abundantia, sed corrumpitur et perit. Quod autem dies regis prorogat usque ad finem mundi, hinc melius liquet, Davidem non modo comprehendere posteros suos qui terrenum solum occuparunt, sed conscendere ad Christum, qui a morte resurgens coelestem sibi vitam ac gloriam acquisivit, ut ecclesiam suam sine fine moderetur.

8. (*Et dominabitur.*) Quia Dominus terram populo suo in haereditatem promittens, hos quatuor limites assignaverat, Genes. 15, 18 significat David, salvo et incolumi regno integram fore promissæ terræ possessionem: ut intelligant fideles nonnisi

florente regno Dei benedictionem constare suis omnibus numeris. Dominaturum ergo pronuntiat a mari rubro, vel sinu illo maris aegyptiaci usque ad mare syriacum quod Palaestinae vocant: deinde ab Euphrate usque ad desertum magnum. Iam si quis excipiat, non congruere tam angustos fines Christi imperio, quod propagari debuit ab ortu solis usque ad occasum: solutio facilis est, Davidem accommodare suo tempori: quia nondum amplitudo illa clare patefacta erat. Exorsus est igitur ab ea descriptione quae sub lege et prophetis nota et celebris erat: imo et Christus ipse regnum suum inde auspicatus est antequam penetraret in ultimas terræ plagas: sicuti Psalmo 110, 2 dicitur, Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus e Sion. Sed paulo post ampliare fines incipit, transmarinos reges fore etiam tributarios docens, sicuti incolae deserti iugum subituros. Quantum ad צִיִּים non dubito quin hoc nomine designet qui versus meridiem longius aberant a terra Chanaan. Et in genere statim addit propheta, *hostes regis terram osculatu* in signum reverentiae. Scimus enim orientales hac caeremonia fuisse usos, ad quam Alexander quoque Macedo post domitum orientem suos cogere voluit, unde ortae sunt magnae lites, quod Macedones contumaciter respuerent tam servile et sordidum obsequium. Sensus ergo est, regem divinitus electum in Iehudah longe lateque hostium fore victorem, ut suppliciter eum venerentur.

10. (*Reges Tharsis.*) Prosequitur quod coepit dicere de propagatione regni. Tharsis vocant Hebraei totam plagam quae ad Ciliciam vergit. Ergo per *insulas* totum maris mediterranei tractum significat a Cilicia in Graeciam usque. Quia enim Iudaei contenti patriae suae commodis, non procul navigabant ut aliae gentes: imo Deus eos data opera incluserat, ne se corrumpere externis moribus: hinc factum est ut regiones, quibus oppositum erat mare, vocarent insulas. Fateor quidem Cyprum et Oretam, aliasque insulas comprehendi: sed hoc nomen patere dico ad omnes terras quae ultra mare mediterraneum sitae erant. Per מִנְחָה et אֶשְׁכֶּר quodvis tributum aut vectigal intellige, non autem voluntarias oblationes: quia loquitur de hostibus devictis, et de subiectionis testimonio. Quanquam videtur scriptura, ut rem odiosam mitiget, consulto uti illis vocibus, ac si oblique subditos argueret, si vectigalibus fraudarent suos reges. Per שָׁכָן quidam volunt notari Arabiam, per סֶכֶן vero Aethiopiam. Quanquam probabilis est eorum conjectura qui priore voce intelligunt totam partem sinus Arabici quae ad Africam inclinat: secunda vero quae per סֶכֶן scribitur, Sabaeam, quae fertilior erat magisque amoena regio. Quam insulse detortus fuerit hic locus sub papatu, dicere nihil attinet. Cantillant enim versum hunc de philosophis vel

magis qui ad Christum adorandum venerunt. Quasi vero ex philosophis reges subito creare in eorum arbitrio fuerit. Deinde etiam mutare plagas mundi, ut ex oriente meridiem vel occasum facerent. Proximo versu clarius exprimit totum orbem Christi imperio subiectum fore. Nam certe regnum Iehudah nunquam magis quam sub Solomone floruit, atqui tunc nonnisi pauci reges tributum pendebant, et quidem moderatum: deinde hac lege, ut liberis suis legibus viverent. David ergo a filio suo et nepotibus exorsus, prophetico spiritu ad spirituale Christi regnum conscendit, quod apprime notatu dignum est, ut sciamus non temere nos in spem aeternae salutis fuisse adscitos: sed quia iam coelestis pater nos filio suo destinaverat, hinc etiam colligimus, in ecclesia et grege Christi esse regibus locum: quos hic David non exarmat gladio, nec diademate spoliatur, ut admittat in ecclesiam, sed cum sua dignitate venturos esse dicit ut se coram Christo prosternant.

12. *Quia eripiet pauperem clamantem, et inopem cui non est adiutor.* 13. *Miserebitur super egenum et pauperem, et animas pauperum servabit.* 14. *A fraude et violentia redimet animas eorum, et pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius.* 15. *Et vivet, et dabit*) ei de auro Seba: et orabit pro eo semper, quotidie benedicet eum.*

12. (*Quia eripiet.*) Rursus testatur, regnum quod celebrat, minime tyrannicum vel crudele fore: sicuti maior pars regum, neglecta communi salute, propriis commodis addicta est: unde fit ut miseros populos inhumaniter premant, imo quo quisque magis est formidabilis, omniaque ingurgitat, eo praestantior habetur. Atque si de toto genere humano proverbii vice celebrata fuit sententia, nulla re magis ad Deum accedere mortales, quam beneficentia: virtutem hanc in regibus non fulgere, nimis absurdum est, quos sibi Deus propius coniunxit. Quare non abs re David, ut regem divinitus electum amabilem reddat, non modo iustitiae et aequitatis custodem fore dicit, sed adeo humanum et misericordem, ut contemptissimis quibusque paratum sit in eo praesidium, quod in regibus nimis rarum est, qui splendore suo excaecati longe se a miseris subducunt: ac si cura haec sua dignitate esset inferior et indigna. Atqui sanguinem plebeium, qui vilis esse solet, ac pro nihilo fere duoi, apud hunc divinum regem summo in pretio fore David praedicat. Constantia etiam et magnanimitas notatur in verbo *redimendi*: quia non satis esset, regi non placere fraudes et rapinas, nisi se vindicem fortiter

*) Il lui donnera, en marge: ou on lui donnera, etc., on priera, etc., on benira.

opponeret. Sub *fraude* vero et *violentia* omne maleficii genus complectitur: quia homo nocendo aut leo est, aut vulpes. Alii enim aperta vi grassantur: alii autem insidiosae et occultis artibus ad iniquitatem obrepunt. Porro scimus datum esse Christo summum imperium in coelo et in terra, Matth. 28, 18 ut suos non modo protegat a temporalibus noxiis, sed praecipue ab omni Satanae iniuria, donec omni molestia exemptos in aeternam quietem colligat.

15. (*Et vivet.*) Quod nonnulli verbum hoc ad pauperes referunt, videtur coactum. Longa igitur vita, quae non ultima est inter terrenas Dei benedictiones, regem hunc donandum esse affirmat David. Quae postea sequuntur, indefinite legenda sunt: ac si dixisset, Dabitur ei aurum arabicum, passimque concipientur vota pro salute eius. Iterum repetit quod de potentia dixerat: quia si Arabia pendat tributum, quanta opum congeries ex tot regionibus magis vicinis contrahetur? Etsi autem non regnat Christus ad aurum coacervandum, figurate tamen docere voluit David, remotissimos quoque populos fore in officio, ut se ei totos suaque omnia addicant. Neque enim novum est, spiritualis regni gloriam sub externo splendore delineari. Opulentissimum ergo fore Christi regnum praedixit David, sed pro spirituali eius natura. Unde apparet quam scelerate et nequiter hoc loco abusi sint papistae, ut ad se coraderent caducas mundi opes. Iam sub communibus populi votis quibus commendabitur salus regis Deo, significat subditos fore voluntarios, ut nihil sibi optabilius esse ducant, quam eius imperio parere. Etsi autem iugum detrectant multi, hypocritae etiam tacite apud se fremunt, et, si daretur optio, libenter abolerent Christi memoriam: vere tamen in omnes pios competit hic affectus, non modo quia terrenis quibusque regibus officium hoc praestari iubet scriptura, sed quia peculiari studio et cura tangi debent propagandi huius regni, in quo et relucet Dei maiestas, et eorum salus ac felicitas inclusa est: ideoque videbimus Psal. 118 precandi formam toti ecclesiae dictari, ut Deus regem hunc benedicat: non quod indigeat suffragiis nostris Christus: sed hoc pietatis testimonium merito exigit a suis cultoribus, quo etiam se exerceant ad postulandum regni Dei adventum.

16. *Erit palma tritici in terra in capite montium, concutietur sicut Libani fructus eius, et egredientur ex urbe quasi planta terrae.* 17. *Erit nomen eius in saeculum, coram sole propagabitur nomen eius, et benedicent se in eo omnes gentes, et beatum praedicabunt illum.* 18. *Benedictus Iehova Deus, Deus Israel, faciens mirabilia solus.* 19. *Et benedictum nomen gloriae eius in saeculum, et repleatur gloria eius omnis terra: Amen et amen.* 20. *Finiunt orationes Davidis filii Isai.*

16. (*Erit palma.*) Probabilis est eorum opinio quibus palma tantundem valet ac exigua portio. His autem duabus circumstantiis raram et insolitam foecunditatem notari putant, quod ubi pauxillum tritici, quantum scilicet palma capere potest, seminatū fuerit, et quidem in montium verticibus, qui ut plurimum non adeo sunt feraces: uberrimum tamen proventum fore, ut aristae non aliter resonent quam arbores in Libano. Nescio tamen an adeo subtilis comparatio inter sationem et messem Davidis verbis respondeat. Simplicius ergo accipere licebit, tantam fore copiam tritici in verticibus montium, ut metatur plena manu. Sub hac autem specie depingitur Dei benedictio: ac si dixisset David, plenam fore bonorum abundantiam sub rege Christo. Additur et propagatio sobolis: ac si diceret, non modo omni genere fructuum fertilem terram fore, sed urbes quoque fore generandis hominibus foecundas. Nomen *Libani* malui reddere in casu genitivo, quia durior est metonymia, quam alii relinquunt, nomen *montis* pro arboribus ponentes.

17. (*Erit nomen eius.*) Rursus iterat quod de huius regni perpetuitate prius asseruit. Nec dubium est quin sedulo illud discernere voluerit a terrenis monarchiis, quae vel statim evanescent, vel ruunt tandem sua mole: certe suo interitu ostendunt, nihil esse in mundo diuturnum et stabile. Quod *nomen eius perpetuum* fore dicit, non ita debet accipi, quasi superstes futura sit mortui fama: ut profanos quoque homines sollicitat haec ambitio, ne suum nomen una sepeliatur cum corpore: sed de regno loquens propheta, nomen eius semper gloriosum et celebre fore dicit. Quod quidam exponunt *לפני שמש* ac si decus quod daturus erat Deus regibus Ichuda, praeferret solis splendori, contextui repugnat. Eodem enim sensu prius dixit, Cum sole, et coram luna. Nunc ergo postquam meminit saeculi, exegetico addit, *propagatum iri nomen coram sole*. Ad verbum est, filiabitur: quia sicuti sol quotidie oritur mundo, renovabitur huius regis vigor, ut perpetua sit successio. Sic alibi videbimus solem et lunam eiusdem aeternitatis vocari testes, Psal. 89, 38. Unde sequitur, non posse hoc intelligi de terreno imperio, quod in familia Davidis non nisi ad breve tempus floruit: nec modo in tertio successore fuit emarcidum, sed tandem ignominiose etiam exstinctum. Christi vero regnum etsi in terra saepe labascit, ut totius mundi furiosis odiis impetitur, et concutitur gravissimis Satanae machinis, mirabiliter tamen a Deo fulcitur, ne concidat. Quod sequitur, *In eo se benedicent gentes*, duplicem sensum admittit. Saepe enim ita loquuntur Hebraei, dum quispiam in exemplar benedictionis sumitur, sicuti in Davide sibi benedicit, qui Deum sibi precatur non minus esse beneficium et liberalem, quam Davidi fuit: sicuti etiam rursus

dicitur in Sodoma et Gomorrha maledicere, qui urbium illarum nomina ad execrationem arripit. Si ergo in eundem sensum haec duo verba posita sunt, benedicent se in illo, et, beatum dicent: benedicere sibi in rege, tantundem valebit ac sibi eandem precari fortunam: quia omnibus admirationi erit eius felicitas. Si vero distinguere inter haec duo verba placeat (quod non minus probabile est) benedicere in rege, idem erit ac petere ab eo felicitatis suae causam: quia nihil optabilius sibi esse videbunt gentes, quam leges ab eo suscipere.

18. (*Benedictus.*) Postquam suis successoribus bene precatus est David, quia oraculo certior factus erat vota sua non fore irrita, effertur in Dei laudes. Nisi enim fidei oculis speculatus esset quae hactenus vidimus, non tam libera et alacris fuisset eius exultatio. Quod dicit, *mirabilia facere Deum solum*, ad praesentem causam referri minime dubium est: non modo ut regni excellentiam commendat, sed etiam se ipsum et alios admoneat, opus fore ad eius conservationem mirifica et incredibili Dei virtute. Et certe per omnes fere eius posteros non stetit quominus solium illud centies caderet, atque etiam absorberetur. Ne longius progrediar, nonne turpissima Solomonis defectio digna fuit exitiali ruina? Reliqui vero successores, exceptis Iosia, Ezechia, et Iosaphat, paucisque aliis, nonne certatim prolapsi sunt in deterius, et Dei maledictionem sic provocarunt quasi data opera, ut mirum sit non statim fulminasse ad perdendam totam sobolem? Iam, ut spiritu prophetico donatus erat David, quia eum non latebat, Satanam ecclesiae saluti semper fore infestum, colligere potuit non sine magnis et arduis difficultatibus Dei gratiam, de qua nunc disse- rit, in sua gente fore aeternam. Et certe eventus postea docuit quot miraculis sua promissa Deus impleverit, sive reditum a babylonico exilio spectemus, sive incredibiles quae sequutae sunt liberationes, donec Christus quasi surculus ab emortua stirpe prodiit. Hinc merito precatur ut gloria nominis eius repleat totam terram, quando ad ultimos usque mundi fines ampliandum erat regnum illud. Atque ut serio affectu, imo ardore, his votis se pii omnes socios adiungant, additur confirmatio *Amen et amen*.

20. (*Finiunt orationes.*) Diximus hoc non frustra expressum fuisse a Solomone, siquidem ipse poeticeis numeris argumentum hoc ornavit, non modo ne patrem suum fraudaret debita laude, sed ut acrius stimularet ecclesiam ad easdem fundendas preces, quas David usque ad ultimum spiritum continuaverat. Meminerimus ergo, tam serio affectu, quam indefessa assiduitate orandum esse Deum, ut sub manu filii sui ecclesiam tueatur. Et videtur nomen patris Isai revocare memoriam originis, ut inde magis illustretur Dei gratia, quod hominem

ignobilem ex pecudum stabulo, qui etiam minimus et contemptissimus erat inter fratres, in tam excelsum honoris gradum extulerit ut regem praeficeret electo populo.

PSALMUS LXXIII.

ARG. Initio David, vel quisquis sit autor, quasi repugnante carnis suae sensu, Dei iustitiam et bonitatem praedicat. Deinde fatetur, quum impios videret opibus florere, et suaviter deliciar, contumeliose etiam Deo illudere, et inhumaniter vexare bonos et simplices: quo autem quisque integritatem maiore studio coleret, eo pluribus incommodis gravari: imo omnes Dei filios sub curis et doloribus quasi macie tabescere: Deum vero, quasi in coelis otiosus desideat, rebus tam confusis non mederi: se graviter fuisse perculsum, ut prope curam religionis et Dei timorem abiiceret. Tertio stultitiam suam coarguit, quod ex praesenti rerum statu perperam festinauerit iudicium ferre: et tolerantia opus esse docet, ne fides in perturbationibus labascatur: Tandem concludit, si quis arcanae Dei providentiae suos progressus concedat, in ipso fine clarum fore discrimen unde appareat neque iustos suo praemio fraudari, neque impios effugere iudicis manum.

Psalmus Asaph. 1. Atqui bonus Israël Deus rectis corde. 2. Quantum ad me, propemodum fluxerunt pedes mei, quasi effusi sunt gressus mei: 3. Quia aemulatus sum in stultis, pacem impiorum videns.

De Psalmi autore non anxie disputo, quam mihi verisimile est, quia eius canendi provincia mandata fuerit ipsi Asaph, nomen eius poni, praeterito Davidis nomine, sicuti res per se notae saepe taceri solent. Porro quam utilis sit nobis huius doctrinae meditatio, ex prophetae exemplo colligere promptum est, qui tametsi non vulgari modo exercitatus erat in vera pietate, vix tamen se retinuit in hac tam lubrica vacillatione: imo antequam ad sanam mentem rediret, ad brutum fere stuporem, collapsum se fuisse fatetur. Nos vero quam tenuiter gustaverimus Dei providentiam, experientia demonstrat. Fatemur omnes mundum divinitus regi: sed si cordibus nostris id vere esset infixum, longe alia esset fidei nostrae constantia ad superandas res adversas. Nunc quum minima quaeque occasio excutiat nobis hanc notitiam, apparet nondum serio et vere nos fuisse persuasos. Adhaec innumeris artificiis tenebras nobis obducit Satan: et in confusis mundi rebus tantum est caliginis, ut difficile sit statuere, Deo curae esse terram. Triumphos suos ut plurimum agunt impii: et quum data opera Dei ultionem provocent, impune videntur illudere dum illis parcat. Boni et simplices inopia confecti, multis incommodis oppressi, vexati multis iniuriis, operti ignominia et probro,

Calvini opera. Vol. XXXI.

gemunt et suspirant: quo magis student prodesse omnibus, eo maiore licentia eorum tolerantia abuti improbi audent. Quem non sollicitet impia cogitatio, mundum fortuito volvi? Certe mentes infidelium penitus occupat, quas Deus non illustrat suo spiritu, ut ad aeternam vitam se attollant: ideo dicit Solomo repleti corda hominum impietate, et Dei contemptu, quia promiscue omnia eveniunt bonis et malis: quia scilicet res inordinatas non esse sub Dei manu existimant. Scimus quosdam fuisse ex philosophis qui Dei providentiam assererent, sed usus docuit adhuc non fuisse serio persuasos, ut rebus praeter animi sententiam cadentibus, quod professi erant, aperte sint detestati. Cuius rei memorabile habemus in Bruto exemplum: nihil potest fingi animosius illo homine, et omnes eius aequales confessi sunt cordatissimum esse hominem: atque, ut homo stoicus, virtutem et providentiam Dei magnifice praedicabat: victus tamen ab Antonio, exclamat, quidquid de virtute credidit, esse meras nugas: et studium recte vivendi lusorium esse, quia fortuna dominetur in rebus humanis. Ita vir ille heroici pectoris, et qui speculum erat mirae constantiae, virtuti renuntians, et sub eius nomine Deo maledicens, turpiter evanuit. Ita omnium impiorum iudicia huc et illuc convertunt varii eventus. Et quomodo tam validis et violentis machinis resisterent profani homines, qui Dei spiritu non sunt regeniti, quum singulari coelestis gratiae subsidio opus sit, ne praevaleat eadem tentatio in cordibus piorum, et contingat etiam ipsos interdum concussos labascere: sicuti David nunc fatetur se parum abfuisse a lapsu? Sed nunc ad verba descendo.

1. (*Atqui bonus.*) Adverbium $\gamma\alpha$ quo utitur, non affirmat simpliciter hoc loco, sed adversative capitur pro verumtamen. Quod autem abruptum facit exordium, notare operae pretium est: antequam in hanc vocem erumperet David, inter dubias et pugnantis sententias aestuasse. Nam ut strenuus athleta se ipsum exercuerat in pugnis difficillimis: postquam vero diu multumque sudavit, discussis impiis imaginationibus, constituit Deum tamen servus suis esse propitium, et salutis eorum fidum esse custodem. Ita subest antithesis inter pravas imaginationes quas suggesserat Satan, et hoc verae pietatis testimonium quo nunc se confirmat: ac si malediceret carnis suae sensui qui dubitationem admiserat de providentia Dei. Nunc tenemus quam emphatica sit exclamatio: quia non adscendit David suggestum, ut disputet philosophico more, et concinno artificio sermonem contexat: sed quasi ex inferis emergeret, pleno spiritu iactare quam adeptus erat victoriam. Nam ut suo exemplo doceat quam arduum sit certamen, viscera sua quodammodo profert in medium, et plus aliquid vult intelligi quam verbis exprimat. Summa est, quamvis

in speciem negligat Deus suos cultores, favore tamen suo eos semper complecti. Nam specialiter Dei providentiam celebrat in regendis fidelibus: ut sciant non modo cum aliis creaturis divinitus se gubernari, sed Deum in eorum salutem peculiari cura attendere, non secus ac paterfamilias sollicite curat suos domesticos. Tametsi ergo totum orbem moderetur, ecclesiam tamen suam, quam tuendam suscepit, propiore intuitu dignatur. Haec ratio est cur propheta *Israëlem* nominet: atque etiam protinus hoc nomen restringat ad *rectos corde*: in quo est correctionis species. Multi enim qui superbe obtendunt *Israëlis* nomen, ac si praecipua essent ecclesiae membra, *Ismaelitae* sunt ac *Edomitae*. David ergo expungere volens e catalogo piorum degeneres Abrahæ filios, neminem agnoscit in *Israële* nisi purum et integrum Dei cultorem: ac si diceret: Quum Deum praedico *Israëli* suo bonum esse, non de omnibus intelligo, qui externa tantum professione contenti fallacem titulum prae se ferunt: sed de spiritualibus Abrahæ filiis, qui se puro cordis affectu Deo consecrant. Quod exponunt quidam, *Deum Israëli*, hoc est electo populo, *bonum esse*: deinde etiam alienigenis, qui modo veram rectitudinem colunt: frigidum est ac coactum. Teneamus ergo quod dixi, nam David bonitatem Dei erga electum populum et ecclesiam commendans, rescindere multos hypocritas coactus fuit qui desciverant a Dei cultu: ideoque paterno Dei favore erant indigni. Caeterum his prophetae verbis respondet Christi dictum Ioan. 1, 47: Hic est verus *Israëlit*a in quo dolus non est. Nam quia apud Iudaeos, extincto Dei timore, sola fere manualis restabat circumcisio, Christus legitimos Abrahæ filios a fucatis hac nota discernit, quod dolo puri sint ac vacui. Et certe in Dei cultu primas partes obtinet interior cordis sinceritas.

2. (*Quantum ad me.*) Ad verbum est, Et ego: quod emphatice legi debet: quia intelligit David, tentationes istas quae in Deum sunt contumeliosae, fidemque obruunt, non accidere tantum plebeiis hominibus, vel qui leviter tantum aliquo pietatis gustu praediti sunt: sed sibi quoque fuisse communes, qui prae aliis in Dei schola proficere debuerat. Se igitur in exemplum proponens, eo magis excitare nos voluit et stimulare ad sollicitum cavendi studium. Etsi autem non succubuit, se tamen parum a lapsu abfuisse dicens, admonet, omnibus instare cadendi periculum, nisi eos forti manu Deus retineat. Postea explicat ipsam tentationis speciem, quod scilicet impios ex praesenti fortuna felices aestimans, invidia tactus fuerit. Gravis et noxia tentatio, ubi non modo tacite cum Deo litigamus, quod res in ordinem non componat, sed etiam habenas nobis laxamus ad peccandi audaciam, dum nobis videmur id impune facturi. Celebre est

illud Dionysii minoris dictorium, quum spoliato templo prosperam navigationem haberet: Videtisne deos, inquit, favere sacrilegis? Ita eorum prosperitas peccandi est illecebra: quia fingimus Deo placere quibus tam suaviter indulget. Sic Davidem pupugit prospera illorum conditio, ac si nihil melius foret quam se adiungere socium. Impios vero *stultos* vocans, vel insanos, non intelligit inscitia vel errore peccare, sed eorum vesaniam timori Dei opponit, qui est caput sapientiae. Quamlibet enim astuti sint impii, quia tamen principium recti iudicii non tenent, ad Dei arbitrium formandam esse vitam nostram, in sua caecitate insanunt.

4. *Quia non sunt ligamina ad mortem ipsorum, et pingue robur eorum.* 5. *In labore hominis non sunt, et cum homine non flagellantur.* 6. *Propterea circumdat instar torquis eos superbia, operuit eos amictus violentiae.* 7. *Egressus est prae pinguedine oculus eorum, transierunt cogitationes cordis.* 8. *Diffluent, et loquantur in malitia rapinam, e sublimi loquuntur.* 9. *Posuerunt in coelum os suum, et lingua eorum perambulat in terra.*

4. (*Quia non sunt ligamina.*) Describit impiorum commoditates, quae totidem sunt ad labefactandam piorum fidem machinae. Et a prospera quidem valetudine incipit, quod vegeti sint ac robusti, nec aegre per continuos languores spiritum trahant. Quidam *ligamina ad mortem* accipiunt pro remoris, ac si dixisset eos repente mori in temporis articulo: neque luctari cum doloribus, sicut etiam in libro Iob 21, 13 terrena censetur felicitas, ubi se oblectaverunt profani in suis lautitiis, in puncto ad sepulcrum descendere. Et Iulius Caesar, pridie quam occideretur, sibi *εὐχάριστα* videri dixit, subito et ex inopinato mori. Ergo secundum illos interpretes conqueritur David sine molestiis et aegritudine impios facili et aequabili cursu transire ad mortem. Sed eorum sententiae potius subscribo, qui coniunctim legunt haec duo membra, pingue esse robur eorum, et non esse ligamina ad mortem, eo quod non trahantur ad mortem quasi captivi. Nam quia morbi vires nostras prosternunt, totidem sunt mortis nuntii, qui nos fragilitatis nostrae admonent. Ideo non frustra comparantur vinculis, quibus nos Deus ad iugum suum adstringit, ne vigor et robur ad petulantiam nos incitent. Secundo loco dicit impios laeta quiete frui, et quasi privilegio quodam immunes esse a miseriis, quibus obnoxium est totum genus humanum. Quanquam enim ipsos quoque involvunt communiter cum nobis afflictiones, et sua in eos iudicia saepe Deus exercet: Deus tamen consulto nonnullos semper in theatro locat, examinandae fidei nostrae causa, in quibus apparet exemptio a miseriis qualis hic describitur. Haec

autem gravis tentatio est, quum laboriosa sit et miseriis referta hominum vita, atque omnibus praescripta sit haec lex ac ratio vivendi, (Gen. 3, 19) cernere Dei contemptores in suis deliciis quiescere, ac si e mundo in coelestem aliquem nidum sublatis forent.

6. (*Propterea circumdat.*) Longius progreditur haec querimonia, quod Deus, quum ipsos videat sua humanitate indigne et scelerate abuti, eorum tamen ingratitudinem et contumaciam tolleret. Utitur autem similitudine vestitus, ut eos ostendat in maleficiis gloriari. Verbum עֵנָךְ a torque deducitur. Itaque impios dicit sua audacia et furore non secus gloriari ac si splendide aureo torque ornati forent: violentiam illis esse pro amictu, quoniam in ea pulcherrimum decus esse existimant. Nam quod שִׁית nonnulli vertunt Nates, a contextu nimis est remotum. Ego itaque non dubito quin David, postquam a capite vel collo incepit (nam verbum עֵנָךְ etiam coronare significat) nunc uno verbo complecti voluerit totum vestitum. Summa autem est, excaecari impios sua felicitate, ut magis ac magis insolescant. Et apte superbiam priore loco statuit, deinde violentiam addit comitem. Unde enim fit ut rapiant ac praedentur undecunque impii, tantumque saevitiae exerceant, nisi quia pro nihilo ducunt omnes alios? quin potius sibi natum esse fingunt humanum genus. Ergo superbia omnis violentiae mater.

7. (*Egressus est prae pinguedine.*) Subiicit non esse mirum si ita petulanter ferociunt impii, quum ipsa pinguedo et sagina fere eiiciat eorum oculos. Verbum Egredi quidam ita accipiunt, ac si oculi suffocati evanescerent e suo loco. Sed quia pinguedo facit ut promineant oculi, proprium sensum retinere malo. Quanquam sciendum est non de forma corporis loqui Davidem, sed metaphoricè exprimere fastum quo inflantur impii ob nimiam saturitatem. Nam ita se ingurgitant in suam abundantiam, ut arrogantia deinde crepent. Bifariam etiam exponitur posterius membrum. Quidam per verbum עָבַר effraenem audaciam notari putant, quia se non contineant impii intra communem modum, sed erraticis suis consultationibus nubes transcendunt: sicuti saepe agitant quomodo occupare possint totum mundum: imo vellent sibi creari alios mundos: denique, ut sunt insatiabiles, vaga et effraeni cupiditate transvolant coelum et terram. Atque hic sensus non male quadraret, stultas eorum cogitationes nullo modo temperari, nullisque finibus cohiberi. Sed altera quoque interpretatio optime quadrat, prosperos eorum successus superare quidquid animo concipiunt. Et certe videmus quosdam plus adipisci quam optarint, ac si ipsis dormientibus fortuna in eorum gratiam retia tenderet: sicuti lepide hac forma pinxerunt Demetrium regem, qui

tot urbibus potitus erat, homo alioqui neque industrius, neque vigilans, neque magni consilii. Si ita accipere libeat, exegetice additum erit hoc membrum ad pinguedinem (cuius ante meminit) definiendam, quod scilicet Deus supra vota et cogitationes honorum omnium copiam illis ingerat.

8. (*Diffluunt.*) Quidam verbum מִיָּדָי transitive accipiunt: sed quia grammatica ratio neutralem quoque sensum admittit, elegi quod contextui erat aptius: quod scilicet homines se esse obliti, et dissoluta audacia pudorem omnem calcantes, suam improbitatem non dissimulent: imo palam gloriantur de suis rapinis. Et certe videmus, impios, ubi aliquamdiu votorum suorum fuerunt compotes, exuere omnem verecundiam, nec captare latebras ad peccandum, sed pleno ore suam turpitudinem efflare: Quid? an non possum te spoliare omnibus fortunis, atque etiam iugulare? Possunt quidem hoc latrones: sed metu se occultant. Gigantes autem isti, vel Cyclopes, de quibus loquitur David, non modo se exleges esse fingunt, sed immemores suae infirmitatis intemperanter despumant ac si nullum esset recti et iniqui discrimen. Quod si tamen magis arrideat diversa interpretatio, mihi etiam non displicet, impios scilicet oppressiones suas iactando, formidinem incutere simplicibus et quietis. Nam quum se videant expositos eorum libidini, fieri non potest quin tremant, et quasi liquefiant, ubi vident tantum ipsis licere. Quod dicit *loqui e sublimi*, tantundem valet ac suas contumelias evomere in omnium capita. Sicut enim despicere apud Latinos et καταβλέπειν apud Graecos dicuntur superbi homines, qui neminem recto adspectu dignantur: sic David ipsos e sublimi loquentes inducit: quia nullam sibi cum hominibus societatem esse putant. Proximo versu dicit tam in Deum quam in homines esse contumeliosos: quia nihil illis est arduum, sed suo arbitrio subiiciunt coelum et terram. Si quis ergo illis Dei potentiam obiiciat, audacter perrumpunt: ab hominibus nihil sibi difficultatis fore putant: ita nullis obstaculis cedit magniloqua eorum lingua, quin totam terram perambulet. Quanquam autem videtur hyperbolica loquutio, si tamen expendimus quam effraenis sit eorum protervia, fatebimur prophetam non aliud docere quam experientia demonstrat.

10. *Propterea revertetur populus eius huc, et aquae pleni calicis exprimentur illis.* 11. *Et dicunt, Quomodo intelligit Deus? et an est scientia in Excelsis?* 12. *Ecce isti impii, et tranquilli in saeculo, coacervant divitias.* 13. *Certe frustra mundavi cor meum, et lavi quotidie manus meas:* 14. *Et fui flagellatus quotidie, et increpatio mea singulis matutinis.*

10. (*Propterea revertetur.*) Varie hanc sententiam torquent interpretes: primo quia relativum sine antecedente ponitur, quidam indefinite accipiunt de impiis, ac si dictum esset, Impios semper revolvit ad istam cogitationem: et *populum* accipiunt de magna caterva, quia nemo impius signum tollit quin secum trahat multos comites. Putant ergo illi prophetam dicere, turmatim multos confluere ad unumquemque impium. Deinde in ipsorum aulis contentos esse aquae potu: adeo illos fascinat perversa imaginatio. Atqui multo rectior est sensus, qui etiam maiori consensu receptus est, *populum Dei* reverti illuc. Nam quod *לֵךְ* quidam accipiunt pro afflicto, coactum est. Nondum tamen satis constat quid propheta velit. Quidam coniunctim legunt, *Populum Dei* huc reverti, ut plenos calices hauriat aquae moeroris. Ego vero versum hunc pendere arbitror ex superiori sermone, ut sensus sit, multos qui habiti fuerant in Dei populo, abripi hac tentatione, ac naufragio etiam absorberi. Neque enim videtur de electis loqui, sed tantum notare larvatos Israëlitas, qui locum in ecclesia occupant. Hos ergo dicit in exitium demergi, quia stulta aemulatione decepti Deo et pietati valedicunt. Quanquam poterit etiam commode hoc referri ad electos, quorum permultos adeo impetuose exagitat ista tentatio ut se convertant ad obliquos errores: non quod sceleribus se addicant, sed quia non persistunt in firmo gradu. Sensus ergo erit, non modo profanum vulgus, sed fideles ipsos, quibus propositum est Deum colere, impelli ad illicitam aemulationem. Quod postea sequitur, *aquas pleno calice illis exprimi*, videtur esse causae redditio, quia eos torquet moestitia dum nullus apparet pietatis fructus. Nam aquis saturari, translatitio positum est pro haurire immodicos dolores.

11. (*Et dicunt.*) Quod tradunt quidam interpretes prophetam redire ad impios, et referre eorum ludibria et blasphemias, quibus se ad peccandum instigant, mihi non probatur. Potius enim explicat David quod proximo versu dixerat, fideles ad impia commenta delabi, ubi caduca impiorum felicitas oculos ipsis perstringit: nempe quia disputant sitne in Deo scientia. Quantum ad profanos homines spectat, nimis inter eos vulgaris est haec insania. Est quidem hoc carmen Ovidii, Sollicitor nullos esse putare deos: sed quia scimus a poetis exprimi communes hominum sensus, professus est quasi in populi persona, simulatque aliquid adversi contigit, effluere omnem Dei notitiam. Neque tantum ambigunt sitne Deus, sed cum eo disceptant ac iurgantur. Quid enim sibi vult illa vox: Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis, nisi quod Iovi suo iniustitiam exprobrat mulier quae ex animi sententia non tractatur? Ergo hoc inter incredulos nimis vulgare ac tritum, negare mundum

curae esse Deo. Sed hic refert David, ipsos quoque fideles vacillare, non quod prorumpant in istam blasphemiam, sed quia non possunt statim se cohibere ubi cessare videtur Deus in suo officio. Nota est illa expositulatio Ieremiae 12, 1: Iustus es Domine, et recta iudicia tua: interim venit in mentem litigare tecum, quod via impiorum prosperetur. Hinc apparet quomodo pias quoque mentes pungat dubitatio de providentia Dei: sed tamen non penitus vulneret: quia praefatur Ieremias, fraenum hoc modo sibi iniiciens. Neque tamen semper ita mature praeoccupant Satanae insidias, quin dubitando inquirant quomodo fieri possit ut Deus, si mundum respicit, rebus tam inordinatis non succurrat. Eorum qui impie contra Deum blaterant, eius providentiam negando, sunt duo genera. Quidam enim palam evomunt suas blasphemias, quod Deus otio suo et deliciis contentus, fortunae omne imperium permittat. Alii, quamvis taciti intus sorbeant suas cogitationes, fremunt tamen nihilo minus, et Deum iniustitiae vel torporis accusant, quod conniveat ad scelera, pios negligat, sinatque omnia dissipari ac possum ire: pii autem, antequam pravae istae et nefandae cogitationes penetrent in eorum animos, sese exonerant in Dei sinum: neque aliud petunt quam acquiescere in arcanis eius iudiciis, quorum ratio ipsos fugit. Sensus ergo huius loci est, non modo impios, quum vident res in mundo turbulentas, fortunae dare caecum imperium: sed ipsos quoque fideles concuti, ut ambigant de providentia Dei: et mirabiliter retineri Dei manu, ne in hac abyso prorsus mergantur.

12. (*Ecce isti.*) Quasi per hypotyposin demonstrat qualis fuerit ista aemulatio quae eius animum prope labefactavit: Ecce quum isti scelerati sint homines, quiescunt tamen beati in suis deliciis, et potentia eminent, neque id ad paucos dies, sed diuturno et quasi perpetuo cursu. Quid autem minus consentaneum, quam liberaliter a Deo tractari quorum apud homines infamis est ac detestabilis improbitas? *לֵךְ* perperam hic pro mundo multi accipiunt: quia potius conqueritur David de stabili et diuturna felicitate impiorum, quae taedio morae bonos conficit. Quum ergo sceleratos videat David tam suaviter a Deo foveri, ad se ipsum descendit: et quia sibi verae probitatis conscius est, secum disceptat quid profuerit iustitiam colere, eo quod misere afflicteretur. Dicit enim se *quotidie flagellari*, et quoties sol exoritur, aliquid incommodi sibi paratum esse, ut nullus sit miseriarum finis. Summa est, Certe frustra studui mundum habere cor et puras manus, quum me assiduae afflictiones manerant, et quasi excubias agant ad me excipiendum prima aurora. Haec enim conditio ostendit nullam esse coram Deo innocentiae mercedem: quia suos

cultores paulo humanius tractaret. Porro quia dubius partibus constat vera integritas piorum, nempe puritate cordis, et externa operum iustitia, utramque partem David sibi vendicat. Nos quoque, eius exemplo, discamus eas coniungere, ac incipere quidem a munditie cordis, deinde vero eam testari rectitudine et iustitia apud homines.

15. *Si dixerō, Narrabo sic, Ecce generatio filiorum tuorum: transgressus sum.* 16. *Et si applicui animum ad hoc sciendum, molestia id fuit in oculis meis.* 17. *Donec ingrediar in sanctuaria Dei, intelligam novissimum eorum.*

15. (*Si dixerō.*) Quia David cogitationes, quibus tentatus fuerat, perversas esse videt, fraenum sibi iniicit, suamque levitatem coarguit quod sibi ambigere permiserit. Etsi autem consilium Davidis minime obscurum est, in verbis subest aliquid perplexum. כָּנַח significat transgredi, atque etiam fallere. Ideo vertunt quidam, Fefelli generationem: ac si dixisset, Fraudarem hoc modo spe sua filios tuos. Vertunt alii, Transgressus sum in generationem, hoc est, facerem iniuriam fidelibus. Sed quoniam verba prophetae sic habent, *ecce generatio filiorum tuorum, transgressus sum*: ex quibus optimus sensus elicitur, simpliciter ita interpretor: Si impiae dubitationi assentiar, transgredior, quia ecce perdurant fideles in mundo, et semper populum aliquem tibi conservas. Ita nihil subaudiendum erit, et verbum כָּנַח seorsum absque constructione legetur. Diximus autem alibi nomen יָדָה proprie ad tempus referri. Nunc clare tenemus quid velit David, quum sibi indulgeant profani homines in suis speculationibus, donec se ipsos tandem obdurent, et excusso Dei metu, simul abiiciant spem salutis: sanctus vir, ne in tale praecipitium ruat, se ipsum compescit. *Narrare* hic tantundem valet ac pronuntiare quod meditatus sis, itaque sensus est, Si iudicium quasi de re certa proferam, scelerata erit transgressio. Quum ergo ante suspensus haereret, nunc se graviter peccasse agnoscit. Ratio interponitur, quia Deus populum aliquem in mundo superstitem tueatur. Et videtur demonstrativam particulam *ecce*, repetere ex opposito: quia paulo ante dixerat, *Ecce isti scelerati*. Ecclesiam vero, quae tam furiose a Satana et innumeris hostium copiis impetitur, salvam manere, vere divinum miraculum est.

16. (*Et applicui animum.*) Verbum אָשַׁב quo utitur, proprie supputare significat, interdum vero considerare vel expendere: sed adiectio sensum quem posui flagitat, quod animum suum ad hoc sciendum applicuerit. Caeterum quamvis transgressionis se damnaverit, nunc tamen fatetur se non fuisse explicitum ab ambagibus quae eius ani-

mum distrahebant, donec ingressus est sanctuaria Dei. Summa enim verborum huc tendit, quamvis huc et illuc mentem suam verteret, ratiocinando tamen non potuisse assequi quomodo inter tantas perturbationes Deus mundum gubernet. Porro de se ipso loquens, admonet quousque perveniant homines ubi proprio sensu duce aguntur: nempe deficere sub molestia, quia nihil certum vel stabile reperiant. Nec enim dubium quin sanctuaria opponat carnis rationi. Unde sequitur, quidquid ex se homines sapiunt, frivolum esse et evanidum: quia sola docilitas illis prudentiae loco est, dum a verbo Dei pendent. Neque vero de incredulis loquitur, qui sponte caecutiunt, se ipsos involvunt erroribus, scandala etiam cupide arripiunt, quae procul a Deo ipsos alienent. Sed quum modeste non minus quam sedulo incumberet ad piam inquisitionem, reverenter etiam non minus quam attente suspiceret Dei iudicia, fatetur tamen se evanuisse, *molestia* enim tantundem valet ac inutilis labor vel irritus. Quisquis ergo naturaliter ratiocinando, de iudiciis Dei certior fieri volet, absque profectu se fatigabit: ideoque in superiorem gradum transire necesse est. Per *Dei sanctuaria* quidam etiam ex Hebraeis coeleste domicilium intelligunt, in quo habitant piae animae et angeli: ac si dixisset, donec agnoscam non esse creatos homines hac lege, ut paulisper floreat ac deliciantur in mundo, sed ut peregrinando adspirent in coelum. Et sane de providentia Dei neminem fateor recte iudicare, nisi qui supra terram conscendit: simplicius tamen ac magis genuinum erit sanctuarii nomine intelligere coelestem doctrinam. Quia enim lex reposita erat in sanctuario, inde petenda erant oracula, et haec vera erat discendi ratio, scite David *Ingredi sanctuaria* posuit pro accedere ad Dei scholam, acsi diceret, Donec sit Deus mihi magister, et ex eius verbo discam quod alioqui mens mea non capit, in reputanda mundi gubernatione deficio. Quum ergo audimus, homines, nisi aliunde sapiant quam ex se ipsis non esse idoneos ad considerandum providentiae Dei ordinem, quod iam erit nostrum sapere, nisi obedienter amplecti quod Deus tam verbo suo quam spiritu docet? Etsi enim David Sanctuarii voce ad externam illam docendi rationem alludit quam instituerat Deus in populo suo, arcanam tamen spiritus illuminationem simul cum verbo complectitur. Per *finem illorum* vel novissima, non intelligit vitae exitum qui perspicitur ab omnibus: (quid enim opus fuisset in sanctuaria Dei ingredi?) sed extenditur hic finis ad Dei iudicia, quibus palam facit, quum dormire vulgo creditur, se in opportunum tempus poenas differre quas promeriti sunt improbi. Hoc paulo fusius explicandum est. Si ex Deo qualis sit impiorum conditio discere cupimus: respondet, ubi paulisper floruerint subito

marcescere. Quod si continuo cursu fluat illis felicitas usque ad mortem, hoc tamen nihil est, quum eorum vita nihil sit. Quum ergo Deus impios omnes male perituros pronuntiet, si apertam in hac vita vindictam de illis sumit, occurrat nobis Dei iudicium. Si autem nulla ultio in terra appareat, mentes nostras suspendere convenit: quia nondum advenit finis vel novissimus dies. Denique si in considerandis Dei operibus rite proficere cupimus, primum rogandus est ut nobis aperiat oculos: (quia nihil aliud quam desipiunt qui a se ipsis volunt esse oculati et perspicaces:) deinde auctoritas verbo eius danda est.

18. *Certe in lubricis posuisti eos, deicies eos in desolationes.* 19. *Quomodo fuerunt in vastitatem quasi momento? perierunt, consumpti sunt ab horribus.* 20. *Quasi somnium post expergefatum hominem: Domine in suscitando imaginem eorum contemptibilem reddes.*

18. (*Certe in lubricis.*) Iam David luctis perfunctus, quasi novus homo esse incipit: et composite loquitur quasi ex alta specula, sicuti hoc remedium in rebus turbatis propheta Habacuc 2, 1 suo exemplo nobis praescribit, Adscendam, inquit, super speculam meam. Ostendit ergo David quantum prosit Deo appropinquare. Video, inquit, Domine, quid agas, quamvis enim paulisper subsistant impii, in lubrico tamen agitantur, ut brevi concidant. Utrumque verbum praeteriti temporis est: sed ponere in lubrico, de praesenti tempore capitur: ac si diceret ideo raptari in sublime ut casu graviore ruant. Hoc quidem videtur etiam bonis commune esse, quia totus mundus lubricus est: sed quia e coelo pendent fideles, imo fundati sunt in Dei virtute, quamlibet sint fragiles, et incerta eorum conditio, non dicuntur in lubrico stare. Quod si nutent, vel etiam labantur, Dominus supposita manu nutantes confirmat, et lapsos erigit. Inde autem lubricitas impiorum, quod in sua potentia quasi in glacie pedem figunt, seque vesana elatione ad praecipitium comparant. Neque enim imaginanda est nobis fortunae rota, quae temere omnia volvendo misceat: sed tenendum Dei consilium quod attingit propheta, et quod piis omnibus dicit in sanctuario patefieri, nempe occulta Dei providentia impelli. Qua de re lectores, si volent, videant pulcrum Claudiani carmen libro primo contra Rufinum.

19. (*Quomodo fuerunt.*) Haec admiratio non parum ad confirmationem proximae sententiae valet. Nam sicuti torporem nobis adeoque stuporem inducit prosperitas impiorum, ita inopinata perniciēs melius nos expergefacerit, ut inquirere quisque cogatur quomodo factum sit quod omnes putabant fieri non posse. Ergo quasi de re incredibili interrogat

propheta. Simul tamen admonet Deum sic quotidie operari, ut nobis iusta sit mirandi occasio, nisi oculi deessent. Imo si fide eminus prospiceremus iudicia Dei, nihil novum vel difficile creditu contingeret: quia admiratio ex socordia nascitur. Quod dicit impios *consumi a terroribus*, duplicem sensum admittit: vel quod fulminet Deus contra eos insolitis modis, qui propter novitatem formidinem incutiunt: vel quod Deus, licet manum non admoveat, solo flatus sui horrore exanimet hostes suos, et in nihilum redigat: quum tamen secure despiciant omnia pericula, ac si essent extra telorum iactum, et foedus haberent cum morte, sicuti prius vidimus cum hac iactantia protervientes induci, Quis noster Dominus est? Psalm. 12, 5. Ego ut priorem sensum magis amplectar, hac ratione inducor, quod Deus, ubi nos adeo tardos ad consideranda iudicia sua videt, ut torporem nostrum corrigat, violenta iudicia exercet, ac inusitatis modis persequitur impios, ac si terram concuteret.

20. (*Quasi somnium.*) Haec similitudo frequenter in scriptura occurrit, sicuti Iesaias 29, 7 hostes ecclesiae similes fore dicit nocturnae visioni. Sed alios locos adducere longum esset, atque supervacuum. Aptissime autem convenit ad locum praesentem. Unde enim tanta fortunae impiorum admiratio, nisi quia sopor mentes nostras occupat? denique non secus fingimus beatos esse ac felices, quam somniando fabricamus regna quae nunquam fuerunt. Nam qui verbo Dei illuminati vigilant, quamvis ante eorum oculos splendeant impii: contrario splendore, qui longe superat, retinentur. Nos ergo expergefieri propheta iubet, ut appareat meram vanitatem esse quidquid suspicimus in mundo: sicuti ipse nunc rediens ad sanam mentem, se prius somniasse ac delirasse agnoscit. Causa additur, quia Deus *imaginem eorum contemptibilem* et probrosam *reddet*. Hac autem voce perperam, meo iudicio, quidam intelligunt animam hominis, quia formata sit ad Dei imaginem: quum simpliciter externam pompam derideat propheta, quae oculos perstringens simu effugit: quemadmodum et Psalm. 39, 7 habuimus: Certe in imagine transit homo, quod tantundem valet ac fluere instar aquae, cui nulla inest soliditas: vel potius instar figurae, quae in speculo refulgens substantia tamen caret. Imago igitur hic significat quod vulgo dicimus apparentiam. Atque ita oblique errorem nostrum coarguit propheta, quia de nihilo nobis phantasmata concipimus. Particula בעיר proprie significat In urbe: sed quia frigide hoc dictum esset, multi prudenter tantundem valere iudicant atque בהעיר, quod etiam ex puncto comes colligitur. Ita vertendum est in *suscitando*, hoc est, ubi transierint somnia ista quae nos deludunt. Id autem fit non modo quum Deus res turbatas in tolerabilem ordinem restituit, sed quum

tenebris discussis, mentes quoque nostras serenat. Etsi autem nunquam res in mundo compositae cernuntur ut optandum foret, quia Deus spei nostrae fovendae causa perfectum statum differt usque ad diem ultimum iudicii: quoties tamen manum suam exserit contra impios, illucet quaedam aurora, ne densior caligo nos sopore occupet. Trahunt hoc quidam ad ultimum iudicium: ac si dixisset David pollere opibus et potentia impios in mundo, et confusam hanc noctem durare usquedum suscitabit Deus mortuos. Etsi autem utilis est doctrina, hic locum non habet: quia a contextu prorsus aliena est. Si cui magis placeat legere In urbe, sensus erit, non obscuram fore Dei vindictam, quum fluxum impiorum decus subiiciet opprobrio: sed hoc palam fore et conspicuum, quasi in frequenti urbis foro. Sed melius cohaeret Suscitandi verbum, quod somniis opponitur.

21. *Quia excanduit cor meum, et renibus meis compunctus sum.* 22. *Et ego stultus, nec cognovi: quasi iumenta fui apud te.* 23. *Ego vero semper tecum, tenuisti manum dexteram meam.* 24. *Consilio tuo diriges me: et tandem in gloriam suscipies me.*

21. (*Quia excanduit.*) Iterum confessionem repetit quam prius ediderat, quod scilicet pravae aemulationis punctiones in animo sentiens, stomachose litigaverit cum Deo. Bilem fermento comparat. Alii vertunt, aceto cor fuisse perfusum. Sed melius convenit cor fuisse acidum, vel turgidum instar fermenti: sicut etiam apud Plautum mulier iracundia fervens, dicitur tota esse in fermento. Alii legunt, Compuncti sunt renes mei: et כִּלְיוֹת in principio dictionis positum esse volunt loco כִּלְיוֹת, quod ad sensum parum interest. Scimus autem כִּלְיוֹת (quo nomine Hebraei renes intelligunt) deduci a כָּלָה quod est appetere, quia sedem cupiditatum ponunt in renibus. Perplexis itaque cogitationibus quasi spinis se fuisse confixum dicit. Unde autem haec tam acris indignatio Davidi, ante diximus. Multi enim profani homines, quamvis coelesti providentia mundum regi negent, non tamen se magnopere discruciant, sed rident fortunae lusus. Quo autem magis persuasum est fidelibus, Deum esse mundi iudicem, eo magis excandescunt ubi non respondet eorum votis. Mox vero severe se, ut par erat, castigans, stultum primo vocat: deinde accusat suam ignorantiam: tertio dicit se bestiis fuisse similem. Si tantum de sua inscitia confessus esset, quaeri poterat unde vitium vel defectus. Hoc igitur stultitiae suae adscribit, quam magis amplificat, comparans se brutis animalibus. Summa est, pravam illam aemulationem, cuius meminit, ex inscitia et errore natam esse: erroris vero culpam in ipso re-

sidere, quia mente alienatus desipuerit: neque id vulgari modo, sed ad brutum stuporem usque. Etsi enim verum est quod ante diximus, homines de operibus Dei nunquam rectum iudicium facere, quia in illis considerandis deficiunt omnes eorum sensus: merito tamen David culpam sibi imputat, quod ab humano iudicio ad brutas pecudes desciverit. Caeterum, quoties non placebit nobis consilii Dei ratio in mundi gubernatione, meminerimus id sensus nostri pravitate fieri. Particula כִּי comparative hic accipitur pro coram te, ac si dixisset: Domine, quamvis aliqua ratione excellere visus sim in mundo, coelestis tamen sapientiae tuae respectu fui quasi iumentum. Nec abs re hanc particulam interposuit. Unde enim fit ut homines sua vanitas sic demulceat, nisi quia dum alius alium respicit, omnes sibi blandiuntur? Luscus enim sibi videtur quisque inter caecos: saltem hoc uno contentus est, quod alii nihilo magis sapiunt. Ubi autem ad Deum venit, iacet ille, cui indormiebant, communis error.

23. (*Ego vero semper tecum.*) Hic alio sensu dicit se fuisse cum Deo. Gratias enim agit, quod in illa ruinae proclivitate retentus ab eo fuerit ne prorsus excideret. Huius vero gratiae magnitudinem illustrat confessio illa, quod vesanus fuerit, et brutum animal. Bis enim ac ter dignus erat qui abiiceretur ubi fremere audebat contra Deum. Caeterum duobus modis apud Deum esse homines dicuntur, nempe vel sensu et cogitatione, dum persuasi sunt se agere sub illius oculis, eiusque manu regi et virtute sustineri: vel dum illos palantes ac vagos Deus arcano fraeno continet, nec in totum alienari patitur. Qui ergo se a Deo negligi fingit, non est apud Deum, proprio sensu: sed occulta eius gratia apud eum manet, quia non deseritur. Denique propinquus est semper Deus electis suis: quia licet tergum obvertant, eos tamen paterno semper intuitu prosequitur. Per apprehensionem dexteræ significat mirabili Dei virtute se fuisse retractum a profunda illa abyesso in quam se proiciunt reprobi. Quod ergo se cohibuit David ne prorumperet ad manifestas usque blasphemias, ne obduresceret in errore, quod etiam se ipsum stultitiae damnavit, hoc Dei gratiae fert acceptum, quod porrecta dextra ipsum a praecipitio erexerit. Hinc vero perspicimus quam pretiosa Deo sit salus nostra, quod, dum procul ab ipso vagamur, sollicite tamen nos respicit, manumque extendit ad nos colligendos. Non debet quidem hoc obtendi in praetextum ignaviae, sed tamen experientia docet, quum stupidi torpemus, nos Deo curae esse, adeoque fugitivis et erroneis propinquum esse. Et notanda est vis metaphorae, quum *dextram apprehendere* dicitur, nulla enim tam levis est tentatio quae non facile nos deiciat, nisi divinitus fulciamur. Quod ergo non succumbimus

etiam in gravissimis pugnis, non aliunde est quam ex spiritus sancti auxilio: non quod splendide semper in nobis exserat suam virtutem, quia saepe eam perficit in nostra infirmitate: sed satis est quod caecis et nescientibus succurrit, labantes sustentat, imo etiam lapsos erigit.

24. (*Consilio tuo.*) Quoniam verba sunt futuri temporis, hunc genuinum esse sensum existimo: Domine postquam nunc tuo ductu in viam semel reductus sum, posthac etiam regere me perges, donec tandem in gloriam tuam suscipiar. Scimus enim, Davidi solenne esse, ubi gratias agit, concipere fiduciam in futurum tempus. Postquam ergo confessus est infirmitates suas, celebravit quam expertus erat adiutricem Dei gratiam: nunc de eiusdem perseverantia spem sibi facit. Directio consilii priore loco ponitur: quia etsi stultis et inconsideratis res interdum bene succedunt (quia nostris erroribus medetur Deus, et quae male tentata fuerant, in laetiores exitum vertit) ordinaria tamen et plenior eius benedictio est dare suis prudentiam: et hoc imprimis petendum, ut spiritu cosilii et iudicii nos gubernet. Quisquis enim sua prudentia fretus quidquam aggredi audebit, quia sibi arrogat quod Dei proprium est, cum hac sua temeritate pudebit. Si enim Davidi necesse fuit praeaeuntem habere Deum, quanto magis eodem duce nobis opus est? Consilio deinde adiungitur *gloria*, quae, meo iudicio, ad aeternam vitam restringi non debet, sicuti faciunt quidam: sed totum felicitatis nostrae cursum complectitur, a principio quod nunc cernitur in terra: usque ad finem, quem speramus in coelo. Sibi ergo aeternam gloriam a gratuito Dei favore promittit David, non tamen excludit benedictiones quibus in terra suos prosequitur, ut aliquam felicitatis partem iam delibent.

25. *Quis mihi in coelo? et tecum*) non optavi in terra.* 26. *Defecit caro mea et cor meum: robur cordis mei, et portio mea Deus in saeculum.* 27. *Quia ecce, qui discedunt abs te, peribunt: perdidisti omnem fornicantem abs te.**)* 28. *Quantum ad me, appropinquare Deo, mihi bonum est: posui in Domino Iehova spem meam, ut enarrem omnia opera tua.*

25. (*Quis mihi in coelo?*) Clarius demonstrat quantum profecerit in sanctuario Dei: quia ipso uno contentus, quaecunque se praeter ipsum offerunt, reiiciat. Est quidem aliis linguis aspera loquendi forma qua utitur, sed Hebraeis trita, dum interrogatio et affirmatio simul iunguntur. In sensu quidem nulla est ambiguitas, Davidem praeter Deum nihil in coelo vel in terra appetere, et illo excepto

*) avec toy, *en marge*: ou outre toy.

**) arriere de toy, *en marge*: asçavoir en te delaisnant.

foetere quaecunque homines ad se alliciunt. Et certe tunc demum suam apud nos gloriam obtinet Deus, si huc et illuc non circumferimur, sed unus ipse nobis sufficit. Quod si vel minimam partem affectus nostri addicimus creaturis, eatenus Deum fraudamus debito honore. Et tamen hoc sacrilegio nihil magis vulgare fuit omnibus saeculis, nec hodie est. Quotus enim quisque sensus suos in solo Deo inclusos tenet? Videmus quam multos ei comites adiungat superstitio, quamvis enim fateantur papistae a Deo pendere omnia, innumera tamen sibi hinc inde subsidia accersunt. Alii superbia inflati, vel se vel alios homines socios Deo obtrudunt, quo diligentius notanda est haec doctrina, nobis fas non esse quemquam appetere praeter Deum. Quanquam autem *coeli et terrae* nominibus designat quidquid imaginari possunt homines, videtur tamen duas species distincte notare, neminem ergo se praeter Deum in coelo quaerere dicens, repudiat omnes fictitios deos quibus coelum replet communis mundi error ac stultitia. Quod negat se quemquam optare in terra: refero ad fallacias, quibus totus fere mundus se inebriat. Nam qui priore illo Satanae artificio nou falluntur, ut sibi falsos deos fabricent: vel arrogantia se decipiunt, dum sua industria, aut virtute, aut prudentia confisi, usurpant quod Dei proprium est: vel se inescant fallacibus illecebris, dum recumbunt in hominum favorem, vel suis opibus aliisque subsidiis nituntur. Haec igitur una est quaerendi Dei ratio, ubi non abstrahimur per varios circuitus, et exuti omni superstitione et superbia, ad Deum unum nos recta conferimus. Nam particula haec, *tecum neminem volui*, tantundem valet ac si dixisset: Quia te cognovi unum mihi satis superque esse, non rapior post varios appetitus, sed in te acquiesco. Porro ut Deo uno satiemur, operae pretium est cognoscere quam bonorum plenitudinem nobis offerat.

26. (*Defecit caro mea.*) Priorem partem versus ita quidam accipiunt, quod prae desiderii ardore defecerit cor et caro Davidis: atque ita testari putant quam serio ad Deum sensus suos applicuerit. Quanquam autem similis alibi loquutio occurrat, videtur tamen alium sensum exigere quod continuo post additur, *Fortitudo cordis mei Dominus*. Potius antithesin esse arbitror inter defectum quem in se David sentiebat, et robur divinitus ei suggestum: ac si diceret: Quamvis a Deo separatus nihil sim, omniaque mea in nihilum recidant, veniens tamen ad eum, reperio illic plenam fortitudinem. Atque hoc apprime necessarium est, reputare quid simus sine Deo: quia nemo se prorsus in Deum coniiciet, nisi qui se deficere sentiens, de suis facultatibus desperat. Neque enim a Deo petimus nisi quod nobis intus deest. Atque hoc quidem fatentur omnes, et maior pars sufficere putat, si infirmitatem sub-

leuet Deus, vel inopiae suppetias ferat. Longe plenior est Davidis confessio, dum suam (ut ita loquar) nullitatem coram Deo proponit, itaque merito addit, *Deum esse portionem suam*: qua similitudine significat scriptura sortem qua quisque contentus est. Quum ergo transfertur hoc ad Deum, sciamus hanc esse rationem, quia unus ipse nobis abunde sufficiat, et in eo constet perfecta felicitas. Unde sequitur, nos ingratos esse si alio reflectimus animum, sicuti dictum est Psalm. 16, 5 ubi rationem metaphora clarius David explicat. Quod nugantur quidam vocari Deum portionem nostram quia anima ex eo sumpta sit: nescio unde tam futilis argutia illis venerit in mentem, quae non minus remota est a sententia Davidis, quam coelum a terra: et secum trahit Manichaeorum delirium, quo fasciatus fuit Servetus. Sed hoc ut plurimum contingit, homines in scripturis non exercitados, et non imbutos vera theologia, licet periti sint linguae hebraicae, hallucinari tamen in primis rudimentis. Porro licet cordis nomine totam animam comprehendat, non tamen essentiam deficere intelligit, sed vires omnes concidere, quas nonnisi ex Dei liberalitate precario obtinet.

27. (*Quia ecce, qui.*) A repugnantibus probat nihil esse melius, quam simpliciter acquiescere in uno Deo: quia simulac ab eo quispiam discesserit, horribilis ipsum interitus manet. Discedere autem sciamus omnes qui spes suas varie partiuntur ac dissipant. Eodem pertinet *fornicandi* verbum: quia pessimum adulterii genus est, cor nostrum dividere, ne in solo Deo fixum maneat: quod facilius erit cognitu si definiatur spiritualis mentis nostrae castitas, quae in fide, invocatione Dei, cordis integritate, et verbi obedientia sita est. Quisquis ergo se verbo Dei non subiicit, ut bonorum omnium autorem unicum sentiens ab eo pendeat, se tradat ei regendum, ad eum semper confugiat, omnesque affectus ei addicat, similis est mulieri adulterae, quae relicto marito, alienis se prostituit. Perinde igitur est ac si David omnes apostatas pronunciet esse adulteros.

28. (*Quantum ad me.*) Ad verbum, *Et ego*. Sed David seorsum de se loquens, affirmat, quamvis totum mundum videat vagis erroribus a Deo alienari, se tamen sub Dei manu semper fore: *Pe-reant*, inquit, alii, si restringi non potest eorum libido quin ferantur post mundi fallacias: in hoc tamen proposito firmus manebo, ut sacram cum Deo coniunctionem colam. Appropinquandi modum continuo post subiicit, dum in eo fiducia nostra residet. Neque enim aliter nos Deus retinebit, nisi persuasi simus non aliter quam eius gratia nos salvos stare. Notandus est autem hic locus, ne toto mundo ad incredulitatem labente, mala exempla nos abripiant ad communem licentiam: sed nos ad

unum Deum restringere discamus. In fine significat, postquam uni Deo se consecraverit, nunquam sibi defore eius laudandi materiam, quia scilicet spem suorum nunquam frustratur. Unde sequitur, non alios Deo maledicere, vel obstrepere, nisi qui sponte nebulas sibi obducunt, ne perspecta eius providentia eius fidei tutelaeque se permittant.

PSALMUS LXXIV.

ARG. Queruntur sancti de ecclesiae vastatione, quae nomen Israël prope ad interitum adduxerat. Etsi autem ex supplicibus votis apparet eos adscribere peccatis suis quidquid sustinent malorum: Deo tamen obiciunt foedus suum, quo genus Abrahae sibi adoptavit. Deinde in memoriam revocant quam potenter et magnifice virtutem suam exseruerit in liberanda ecclesia: et spe inde concepta, precantur ut Deus opem et remedium tandem afferat rebus perditis et deploratis.

Erudiens Asaph. 1. *Utquid Deus repulisti in perpetuum, fumabit ira tua in gregem pascuorum tuorum?* 2. *Recordare congregationis tuae, quam pridem possedisti, quam redemisti, virgae haereditatis tuae, montis Sion huius in quo habitasti.* 3. *Eleva percussiones tuas ad desolationes perpetuas contra omnem maleficum hostem sanctuario.* 4. *Rugierunt adversarii tui in medio sanctuariorum tuorum, posuerunt signa sua signa.* 5. *Cognitus est quasi elatus in sublime, in perplexitate ligni secures.* 6. *Et nunc sculpturas eius simul in bipenni et malleis confringunt.* 7. *Miserunt in igne sanctuaria tua ad terram, polluerunt domicilium nominis tui.* 8. *Dixerunt in corde suo, Populemur eos pariter, incenderunt omnia tabernacula Dei in terra.*

(*Erudiens Asaph.*) Inscriptio משיכיל optime argumento convenit, nam etsi rebus laetis interdum aptatur, sicuti visum est Psalmo 45: ut plurimum tamen admonet sermonem haberi de iudiciis Dei quibus coguntur in se ipsos descendere homines, suaque peccata examinare ut se coram Deo humilient. Psalmum vero a Davide non fuisse compositum, ex argumento colligere promptum est, quia non potuit sua aetate talem ecclesiae dissipationem et cladem deflere. Qui aliter sentiunt, spiritu prophetico a Davide fuisse praedictum excusant quod nondum evenerat. Sed quum Psalmos complures probabile sit post mortem Davidis fuisse compositos a diversis autoribus: hunc unum esse ex numero non dubito. De qua tamen calamitate hic tractetur, non adeo certum est. Duae sunt sententiae: quidam enim ad urbis et templi excidium referunt, quum populus traductus fuit Babylonem sub Nabuchadneser. Alii ad templi profanationem quae

sub Antiocho contigit. Utraque aliquid coloris habet: prior scilicet, quod hic deplorant fideles se iam destitui signis ac prophetis: quum satis constet floruisse multos prophetas quum abductus in exsilium fuit populus. Rursum quia paulo ante dicitur, exusta fuisse sanctuaria, deletas sculpturas, et nihil integri reliquum fuisse: non competit in Antiochi saevitiam ac tyrannidem. Tametsi enim templum foede polluit gentium superstitionibus, mansit tamen salvum aedificium, nec igni tunc flagrarunt ligna et lapides. Obtundunt quidam per sanctuaria intelligi synagogas, ubi non Hierosolymae modo, sed in reliquis Iudaeae urbibus solebant haberi sacri conventus. Fieri etiam potest ut fideles, templi horrendam vastationem cernentes, tam lugubri spectaculo admoniti, mentes etiam retulerint ad incendium illud quo absumptum fuerat a Chaldaeis, atque duas clades simul complexi sint. Ita coniectura erit magis probabilis, ad tempus Antiochi spectare has querimonias, quia tunc prophetis caruit Dei ecclesia. Quanquam si magis ad exsilium babilonicum referre placeat, huius nodi facilis erit solutio: quia licet tunc viverent Ieremias, Ezechiel et Daniel, scimus tamen quasi vocationis suae cursu perfunctos tacuisse ad tempus: donec sub diem liberationis rursus in lucem prodiit Daniel, qui exsules ad reditum animaret. Quo respicere videtur Iesaias capite 40, 1 in his verbis: Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus vester. Verbum enim futuri temporis indictum fuisse prophetis temporale silentium denotat.

1. (*Ut quid Deus.*) Si haec querimonia scripta fuit in exsilio babilonico, quamvis annus septuagesimus redemptionis praescriptus fuisset a Ieremia, mirum tamen non est tam longae morae taedium plusquam acerbum fuisse, ut quotidie ingemiscerent, ac tam longum spatium instar perpetui saeculi fuisse. Qui vero Antiochi crudelitatem perpassi sunt, quia nullum illis erat definitum tempus, merito de perpetua Dei iracundia conqueri poterant: praesertim quum viderent sine spe solatii in dies augeri hostium truculentiam, et res suas in deterius collabi. Multis enim adversis bellis prius attriti, quae subinde a vicinis oriebantur, ad ultimam fere consumptionem tunc venerunt. Notandum autem est, quod fideles a profanis gentibus vexati, oculos tamen ad Deum attollunt, ac si plagas omnes sola eius manus infligeret. Sciebant enim nonnisi infenso Deo tantum licentiae contra se permitti profanis gentibus. Ergo persuasi non esse sibi bellum cum carne et sanguine, sed iusto Dei iudicio se affligi, causam ipsam et fontem omnium malorum considerant, quod Deus, quo propitio ante feliciter vixerant, nunc eos abiecerit, neque censero amplius in grege suo dignetur. Nam verbum נָזַח reicere ac detestari, interdum etiam se procul subducere

significat: nec multum interest quocunque modo hic accipias. Summam hanc tenere sufficiat, quoties premimur rebus adversis, non temere in nos iactari fortunae tela, sed arcano Dei impulsu flagella haec aut ferulas excitari, quibus peccata nostra castiget. Caeterum *reiectio et ira* referri debent ad sensum carnis. Etsi enim, proprie loquendo, non irascitur Deus electis suis, quorum morbos afflictionibus quasi medicinis sanat: quia tamen sensus ipso poenarum iram eius nos apprehendere cogit, per nomen Irae spiritus de suo reatu admonet fideles. Ubi ergo Deus vindictam in nos suam exsequitur, nostrum est reputare quid scimus meriti. Et quanquam nullum iracundiae motum patitur Deus, per nos tamen non stetisse quominus peccatis nostris graviter offensus in nos excandesceret. Iam vero ut sibi misericordiam concilient, confugiunt ad foederis memoriam, quo fuerant in filios adoptati. *Gregem enim pascuorum Dei* se vocando gratuitam electionem commendant, qua segregati fuerant a gentibus. Quod etiam clarius exprimunt proximo versu.

2. (*Recordare congregationis.*) Peculium Dei se fuisse iactant, non suo merito, sed adoptionis gratia. Eodem pertinet antiquitas, quod non venerint a paucis mensibus sub Dei imperium, sed haereditaria fuerit successio. Nam quo pluribus saeculis amorem suum prosequutus fuerat erga semen Abrahae, eo melius stabilita fuit eorum fides. Recitant ergo, se ab initio fuisse Dei populum, nempe ex quo Deus inviolabile foedus cum Abraham pepigerat. Additur etiam redemptio qua sancita adoptio fuerat, neque enim verbo solum, sed re ipsa tunc imperium asseruit Deus. Haec Dei beneficia ad fiduciae materiam sibi proponunt, et ipsi Deo auctori commemorant, ne opus suum deserat. His etiam freti continuo se vocant *virgam haereditatis*, hoc est, haereditatem quam sibi ipse dimensus est. Nam quia perticis sicut funiculis solebant agros terminare, alludit ad morem illum. Quanquam alii שֵׁבַח Tribum malunt vertere, magis tamen placet illa metaphora: quod Deus arcana designatione sui beneplaciti, quasi decempeda, Israel sibi in proprium fundum distinxit a reliquis gentibus. Postremo loco ponitur templum, in quo Deus se habitaturum promiserat: non quod inclusa illic esset eius essentia, ut iam saepius dictum est: sed quia fideles virtute et gratia illic propinquum et praesentem sibi esse sentiebant. Nunc tonemus unde precandi fiduciam populus sumpserit, nempe ex gratuita Dei electione, promissionibus, et cultu sibi tradito.

3. (*Eleva percussiones.*) Viciissim hostibus imprecantur letalem plagam, prout crudeliter saevierunt in sanctuarium Dei: ac si dicerent non sufficere mediocre poenam tam impio et sacrilego furori: perdendos ergo esse absque ulla spe sana-

tionis, qui tam hostiliter contra Dei templum et populum egerunt: quia desperata sit eorum impietas. Porro, quum hanc orandi formam dictaverit spiritus, immensum erga nos Dei amorem inde colligimus, quod iniurias nobis illatas tam severe velit ulcisci. Deinde quo in pretio habeat numinis sui cultum, cuius violationem ita persequitur. Quantum ad verba spectat, quidam פְּעָמִים transferunt pedes, aut gressus, atque hunc eliciunt sensum, Domine levato gradu celeriter advola ad percutiendos hostes. Alii vertunt Malleos, quod apte convenit. Mihi tamen religio non fuit sequi eorum sententiam qui ad percutiendi actum et ictus ipsos referunt. Posterius membrum a quibusdam aliter exponitur, quod inimicus omnia corruperit in sanctuario. Sed quia nusquam alibi occurrit haec syntaxis, nolui a lectione probata et recepta discedere.

4. (*Rugierunt.*) Leonibus comparant hostes, truculentiae notandae causa quam in ipsis Dei sanctuariis exercuisse conqueruntur. Templum autem hoc loco malo intelligere, quam synagogas, nec enim absurdum est plurali numero vocari *sanctuarium*, ut alibi saepe, quia in tres partes divisum erat. Quanquam si quis de synagogis intelligere malit, non contendo. Imo nulla ratio prohibet ad totam terram extendere quam sibi Deus consecraverat. Sed illud magis emphaticum, hostium rabiem ita passim grassatam esse, ut ne templo quidem Dei pepercerint. Quod dicit *posuisse signa sua*, ad notandam contumeliam pertinet, quod scilicet erectis trophaeis superbe triumphaverint de ipso Deo. Nam quod ad magicas divinationes quidam trahunt (sicuti Nabuchadneser, Ezechiele teste, 21, 21 auguria sua captavit) nimis est restrictum. Prior autem ille sensus optime quadrat. Nam quisque terram sanctam ingrediebatur, illic aciebat vigere peculiarem Dei cultum: et templum erat quasi insigne praesentiae Dei, ac si extentis vexillis populum illum sub imperio suo teneret. His symbolis, quae populum Dei separabant a profanis gentibus, sacrilega signa ab hostibus in templum illata nunc propheta opponit: ideoque nomen duplicans, auget indignitatem, quod overis pietatis insignibus, hostes alienas notas substituerint.

5. (*Cognitus est.*) Hac circumstantia iterum magis aggravat propheta barbaram et feram hostium crudelitatem, quod aedificium tanto sumptu exstructum, tanta elegantia splendoreque ornatum, tanta industria et arte expositum immaniter dissipaverint. In verbis subest aliqua obscuritas: sensus tamen hic fere obtinuit, Quum exstruendum esset templum, caesores arborum fuisse celebres ac famosos. מְבִיא quidam active accipiunt, et exponunt, quasi offerrent Deo sacrificia, fuisse illustres et cognitos. Et *perplexitas arborum* politis trabibus opponitur, ut me-

lius pateat quam exquisito artificio rudes arbores et asperas in tantam elegantiam formaverint. Vel, quod magis placet, significat propheta in silvis densis ac perplexis delectum sedulo habitum fuisse, ne qua arbor nisi eximia caederetur. Quid si ita accipias? in illa densitate cognitas et probe notatas fuisse arbores quibus admovenda erat securis, quasi iam in sublimi locatae essent, et expositae spectantium oculis. Certe dubium non est quin hoc versu commendet materiae praestantiam, quia sic delecta erat ut posset omnium oculos in se convertere, sicut initio proximi versus formam ipsam, quae singulari artificio expolita erat, per sculpturas vel caelaturas intelligit. Nunc vero dicit Chaldaeos nullo respectu in tam praeclarum aedificium secures et malleos immittere, ac si in delenda tam magnifica structura, Dei gloriam pedibus calcare propositum fuisset. Postea de incendio templi conqueritur, quo prorsus delotum fuit, quum machinis nonnisi semirutum esset. Multi, quia videbant commodum sensum ex verbis non posse elici, putarunt inversum esse ordinem, ideo sic resolvunt: Miserunt ignem in sanctuarium tua. Ego vero, quamvis repugnet accentus, non dubito genuinum esse sensum quem posui, quod incendio ignis templum in terram proiectum fuerit. Atque hic versus melius confirmat, templum ob tres partes, adytum scilicet interius, sanctuarium quod medium erat, et atrium, plurali numero vocari: quia mox sequitur, *domicilium nominis tui*. Ponitur autem *Dei* nomen, ut sciamus non fuisse illic comprehensam eius essentiam, sed virtute sua in templo habitasse, quo maiore fiducia illic a populo invocaretur. Atque ut melius saevitiae atrocitatem exprimat propheta, inducit eos ultro citroque se exhortantes, ne quis fieret vastationi modus. Quasi parum animati, inquit, essent ad nocendum, unusquisque socio suo stimulos addit, ut sine exceptione vastent ac perdant totum Dei populum. Tandem dicit incensas fuisse omnes synagogas. Sic enim nomen מוֹעֲדִים libenter interpretor, quia generalis nota additur: et diserte exprimit propheta sanctuarium totius terrae. Frigide enim exponunt quidam, quia coelesti Dei sacrario nocere non poterant, aut vim afferre, in templum terrenum vel synagogas vertisse suam rabiem. Simpliciter enim conqueritur propheta, hostes ita fuisse intentos ad nomen Dei abolendum ut nullus angulus ab illis relictus fuerit integer. Nomen vero מוֹעֲדִים, quod de sanctuario ut plurimum accipitur, non male secundum etymologiam transfert ad ea loca ubi solebant agi sacri conventus, non modo ad legendos et enarrandos prophetas, sed etiam ad invocandum Dei nomen: quasi diceret, nihil omissum fuisse ab impiis quo exstingerent Dei cultum in Iudaea.

9. *Signa nostra non videmus, non est amplius propheta, et non est nobiscum qui cognoscat usquequo.*

10. *Usquequo Deus exprobrabit adversarius? contumelia afficiet hostis nomen tuum perpetuo?* 11. *Quousque convertes manum tuam, et dexteram tuam? in medio sinus tui consume.* 12. *Deus autem rex meus ab initio operans salutes in medio terrae.*

9. (*Signa nostra.*) Gravitationem malorum exaggerant fideles, quia nihil ad eam levandam suppetat solatii. Nam hoc unum praecipue ad erigendos piorum animos valet, ubi Deus spem reconciliationis affert, se in media ira misericordiae memorem fore promittens. Signa quidam ad miracula restringunt, quibus olim testatus fuerat Deus populo quem affligebat, se adhuc fore propitium. Atqui potius queruntur fideles ablata sibi esse signa gratiae, quod Deus faciem suam quodammodo absconderit: ac si dicerent se tenebris esse obrutos, quia Deus pro more non affulgeat, quemadmodum vulgo dicimus signa dari vel amoris vel odii. In summa queruntur non modo nubilosum esse tempus et obscurum, sed se iacere in densis tenebris, ut ne scintilla quidem lucis appareat. Quia autem praecipuum ex signis erat, a prophetis futuram liberationem promitti, ideo deplorant non esse amplius prophetam qui finem aliquem malis praevideat. Unde colligimus iniunctum fuisse consolationis munus prophetis, ut spe misericordiae animos moerore collapsos erigerent. Scimus quidem praecones fuisse ac testes irae Dei, ut prae fractos ac rebelles minis et terroribus ad poenitentiam cogerent: verum si praecise denuntiassent vindictam Dei, nonnisi in exitium cessisset eorum doctrina, quae tamen in populi salutem destinata erat. Ideo illis tribuitur praedictio exitus futuri: quia sub poenis temporalibus proponitur paterna Dei castigatio, quae tristitiam mitigat, quum perpetua ira miseros peccatores prorsus exanimet. Proinde nos quoque si materiam patientiae et consolationis quaerimus, ubi nos Deus castigat, discamus ad istam moderationem, qua nos Deus ad spem invitat, oculos intendere: atque inde statuamus, Deum ita irasci ut non desinat tamen esse pater. Correctio vero quae salutem affert, laetitiam continet dolori admistam. Ad hunc scopum doctrinam suam dirigere prophetis omnibus curae fuit. Etsi enim severe ac duriter saepe agunt, ut populi contumaciam metu subigant: ubi tamen prostratos homines vident, mox subiiciunt consolationem, quae nulla esset sine spe futurae liberationis. Obiicitur tamen quaestio, an Deus mitigare tristitiam volens in suis flagellis, annos et dies semper numeraverit. Respondeo, quanquam non semper tempora certo definierint prophetae, saepius tamen propinquam salutem fuisse pollicitos: omnes vero loquutos fuisse de futura ecclesiae re-

stitutione. Si quis rursum excipiat, perperam fecisse populum afflictum, quod generales promissiones ad se non traheret, quas certum est communes fuisse omnibus saeculis: respondeo, Quum Deus ad singulas afflictiones adiungere soleret redemptionis nuntium, ubi nunc nullus propheta data opera missus apparet, non abs re populum conqueri, signa gratiae, quibus assuetus erat, deficere. Fuit enim usque ad Christi adventum apprime necessarium, singulis aetatibus renovari promissae liberationis memoriam, ut in unaquaque afflictione scirent fideles adhuc se a Deo respici.

10. (*Quousque Deus.*) Significant nullo se dolore magis cruciari, quam dum vident nomen Dei expositum esse impiorum probris. Atque hac precandi forma zelum asserendae Dei gloriae in cordibus nostris accendere voluit. Et certe quum naturaliter ad mala ferenda nimis delicati simus ac molles, hoc verum est pietatis experimentum, si nos magis urit ac torquet Dei contumelia, quam quidquid nos patimur. Non dubium est, sub saevissimo tyranno et barbara gente multis modis derisos fuisse miseros Iudaeos, nec uno ludibrii genere traductos. Atqui propheta in persona totius ecclesiae loquens, probra illa, quae in capita populi ingerebantur, nihili fere ducit prae sacrilegis in Deum blasphemis, iuxta illud, Psal. 69, 10: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Dictio *perpetuo* iterum additur, quia diuturna impunitas ad audaciam obdurat impios, praesertim ubi Deo maledicunt, ipse autem dissimulat. Ideo continuo post subiicit, *Quousque Deus manum tuam convertes?* Quanquam autem obscurum non est quo tendat propheta, in verbis tamen variant interpretes. Quod quidam sub manus nomine in priore membro, sinistram intelligunt, frivolum est: quia potius per nomen Dextrae idem duplicat suo more. Quidam in fine versus verbum *ללך* vertunt prohibe, ac si diceret propheta: *Exsere tandem manum tuam, quae se nimis diu in sinu continuit.* Sed illi sine colore ad coactum sensum confugiunt. Qui vertunt, *consume, medium sinus Dei* allegorice accipiunt pro templo ipso: quod mihi non probatur. Multo rectius continuabitur interrogatio usque ad ultimum verbum hoc modo, *Quousque convertes manum tuam? nempe e medio sinus tui convertes?* Consume igitur impios istos, qui tam superbe te contemnunt. Licebit etiam hoc modo non incommode accipere: Tametsi hostes, quia non tumultuarias, neque palam attollis manum tuam, te residem et otiosum esse fingunt: fac ut re ipsa sentiant tibi in solo nutu satis esse potentiae ad eos perdendos, utcunque digitum non moveas.

12. (*Deus autem.*) Miscet (ut alibi saepe fieri videmus) precibus suis meditationem: qua novum fidei vigorem colligant, seque excitent ad precandi

studium. Scimus enim quam difficile sit supra omnes dubitationes assurgere, ut soluto et libero cursu intrepide orando pergamus. Hic ergo sibi in memoriam revocant fideles documenta misericordiae et virtutis Dei, quibus per continuas aetatum series testatus est se regem esse electi populi. Docemur autem hoc exemplo, quia non sufficit vota labiis concipere, nisi ex fide oremus: animos semper revocandos esse ad beneficia, quibus paternum suum amorem Deus erga nos sancivit, et quae electionis eius testimonia esse debent. Nam *regis* nomen quod Deo tribuit propheta, non ad solum imperium restringi patet: sed quia populum illum regendum suscepit ut salvum et incolumem praestaret. Quid valeat particula *ab initio*, iam diximus. Per *medium terrae* quidam Iudaeam ideo notari putant, quod sita esset in umbilico mundi habitabilis. Atqui satis constat pro loco conspicuo sumi: sicuti quum Pharaoni dictum est: Cognoscar Deus in medio terrae, Exod. 8, 22. Simplex itaque sensus est, multas salutes manifestas, fuisse exhibitas electo populo quasi in illustri theatro.

13. *Tu fregisti in virtute tua mare: contrivisti capita draconum super aquas.* 14. *Tu confregisti caput Leviathan,*) posuisti eum escam populo tuo in deserto.* 15. *Tu scidisti fontem et torrentem: tu siccasti fluvios validos.* 16. *Tuus est dies, etiam tua est nox: tu ordinasti**) lucem et solem.* 17. *Tu fixisti omnes terminos terrae, aetatem et hyemem tu formasti.*

13. (*Tu fregisti.*) Species quasdam salutem maxime memorabiles colligit propheta. Quanquam omnes ad primam redemptionem pertinent, qua Deus populum suum ab aegyptiaca tyrannide asseruit. Postea descendet ad generale elogium gratiae Dei, quae in totum orbem diffunditur. Ita a speciali gratia, qua Deus ecclesiam suam dignatus est, transitum sibi facit ad benevolentiam qua prosequitur totum humanum genus. Dicit primo mare fregisse vel secuisse. Proximum membrum quidam annexum esse putant, quod cetos et alios maximos pisces siccat mari Deus interfecerit. Ego tamen Pharaonem et eius exercitum metaphorice notari arbitror: quia haec ratio loquendi prophetis valde trita est, praesertim ubi fit sermo de Aegyptiis, quorum terram alluit piscosum maro, Nilus vero praeterfluit. *Leviathan* ergo non abs re Pharaeo vocatur propter commoditates maris, quia illic regnum suum quasi balaena exerceat. Porro quia hoc fine Deus potentiam suam in liberando populo

tunc exseruit, ut speraret ecclesia perpetuum salutis suae fore custodem, non debuit hoc documentum ad aetatem unam restringi. Ideoque merito ad posteros aptatur, ut inde fidem suam confirmet. Caeterum quamvis non omnia miracula recenseat quae Deus in exitu populi edidit, per synecdochen tamen complectitur quidquid fusiùs narratur apud Moysen. Quod dicit *Leviathan* cessisse in cibum Israelitis, et quidem in deserto, concinna allusio est ad Pharaonis interitum: ac si diceret, annonam fuisse tunc repositam, qua vesceretur populus: quia extinctis hostibus securitas non aliter ac cibus vitam protulit, ac per desertum intelligit non regiones maritimas, quamvis steriles sint et aridae, sed solitudines procul a mari remotas. Sequenti versu prosequitur idem argumentum, ubi dicit *fontem scissum fuisse*, quum scilicet aqua e rupe elicit fuit. Tandem addit, *siccatos fuisse fluvios validos*, quum scilicet reflexo cursu Iordanis Deus transitum populo suo praebuit. Nam ratione caret quod nonnulli *אֵינָם* proprium nomen esse volunt.

16. (*Tuus est dies.*) Descendit ad Dei beneficia, quae communiter ad humanum genus patent. Postquam enim exordium fecit a specialibus gratiis, quibus se Deus patrem electo populo ostendit, nunc opportune commemorat cunctis mortalibus ipsum esse beneficium. His autem verbis significat non fortuito inter se succedere noctes et dies certis vicibus, sed Dei arbitrio praefixum fuisse hunc ordinem, et ratio additur, quia Deus soli indiderit vim et munus illuminandae terrae. Ubi enim lumen posuit, solem adiungit quasi praecipuum eius vehiculum. In hoc ordine quum aperte refulgeat incomparabilis Dei bonitas erga mortales, non abs re propheta fiduciae materiam inde petit. Eodem spectat quod proximo sequitur de finibus terrae distinctis, de mutuo hyemis et aestatis recursu. Dubium tamen est extremasne orbis plagas intelligat, an vero speciales terminos, quibus singulae regiones divisae sunt. Etsi enim turbantur violentia hominum, dum insatiabilis cupiditas et ambitio quidquid distinctionis in mundo est perrumpit, renitet tamen Dei singulare beneficium, quod singulis gentibus suam habitationem attribuit. Ego tamen fines potius intelligo, qui hominum libidine misceri nequeunt, quod scilicet Deus terrae spatium hominibus destinaverit quantum ad hospitium sufficeret. Iam hyemis et aestatis vices clare testantur quam benigne Deus hominum necessitatibus prospexerit. Unde prudenter colligit propheta, nihil minus esse consentaneum, quam ut erga gregem suum, et domesticos, patris officium facere negligat.

18. *Recordare huius, adversarius exprobravit Iehovae: et populus nihili contumelia affecit nomen*

*) *Le français ajoute en note: C'est le plus grand monstre marin qui soit.*

**) *Tu as ordonné, en marge: ou establi.*

tuum. 19. *Ne des bestiae animam turturis tuae, congregationis pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* 20. *Respice ad foedus: quia impletae sunt obscuritates terrae habitaculis violentiae.* 21. *Ne revertatur miser pudefactus: pauper et inops laudent nomen tuum.* 22. *Surge Deus, discepta disceptationem tuam: recordare opprobrii tui quod a stulto infertur quotidie.* 23. *Ne obliviscaris vocis adversariorum tuorum: tumultus insurgentium contra te adscendit semper.*

18. (*Recordare eius.*) Postquam una cum Dei potentia et virtute animos piorum extulit propheta, nunc ad precatationis suae contextum revertitur, ac primum expostulat quod hostes impune Deo maledicant. Loquutio autem emphatica est, quum dicit, Recordare huius: sicuti etiam non leve crimen est, sacrum Dei nomen ludibrio habere. Ex opposito dicit homines nihili aut vesanos ita petulanter probra sua contra Deum iactare. נבל enim non modo stultum significat, sed etiam flagitiosum ac turpem. Quare merito propheta Dei contemptores populum nequam vel nihili appellat.

19. (*Ne des bestiae.*) חיה interdum animam Hebraeis significat, et quidam ita interpretantur paulo post hoc eodem versu. Hic certum est pro fera bestia, vel pro multitudine accipi. Utrovis modo sumere placeat, aptissima erit comparatio inter animam imbellis timidaeque aviculae, et robustum exercitum, vel crudelem feram. Comparat enim ecclesiam turturi: quia etsi in aliquo numero erant fideles, longe tamen impares erant suis hostibus: imo in praedam erant expositi. Postea addit, *ne obliviscaris animae*, vel congregationis pauperum tuorum. Repetitur enim nomen חיה, ac gratia non caret quod propter ambiguitatem diverso sensu positum est. Congregationem tamen vertere malui quam animam: quia videtur orare propheta ut contra ingentes hostium copias Deus pusillum suum gregem custodiat et tueatur. Quo autem magis ad misericordiam flectatur, ad foederis memoriam eum revocat propheta: sicuti hoc perpetuum sanctis asylum fuit in summis periculis, salutem sperare, quia pepigerat Deus se fore illis in patrem, unde etiam colligimus non alia fultura solide niti preces nostras, nisi quia Deus gratuita electione nos sibi in populum adoptavit. Unde etiam apparet quam diabolicus fuerit furor impuri canis Serveti, qui non dubitat ineptum et stultum lusum vocare, quod suas Deo promissiones inter precandum obicimus. Ac iterum admonent fideles quam dura ipsos necessitas urgeat, quia scilicet ubique grassetur violentia et oppressio, ac si loca omnia essent spoliaria, et cavernae latronum. *Obscuritates autem terrae* intelligit, quia ubi Deus faciem suam abscondere videtur, improbi sibi latebras ad quodvis scelus ubique esse putant.

21. (*Ne revertatur.*) Istud reverti, quia relationem habet ad Deum, tantundem valet ac vacuum discedere. Petunt igitur fideles ne repulsam passi pudefiant. Vocant autem se afflictos, pauperes, et inopes, quo sibi misericordiam concilient. Notandum tamen est, neque fecte ipsos loqui, neque hyperbolice aggravare suas miseras: sed tot cladibus fuisse deiectos, ut nihil opis in mundo residuum esset. Quo exemplo monemur, ubi maxime deiecti sumus, egestati nostrae paratum esse remedium in Dei invocatione.

22. (*Surge Deus.*) Iterum rogant fideles ut tribunal conscendat Deus. Surgere enim dicitur ubi post longam tolerantiam re ipsa ostendit se officii sui minime oblitum. Porro ut animosius causam hanc suscipiat, eum implorant iuris sui vindicem: ac ei dicerent: Domine quia hic res tua et negotium agitur, non est cessandi locus. Quomodo autem causa haec sit Dei propria, simul declarant, quia stultorum opprobriis quotidie subiaceat. Quamquam נבל hic iterum *homines nihili* vertere licebit. Mali atrocitatem amplificat circumstantia, quod ludibrio uno non contenti, suas subsannationes assidue continuant. Ideo concludunt, ne huius proterviae obliviscatur Deus: quia non modo obloqui audent eius maiestati, sed ferociter et tumultuose blasphemias suas evomunt. Etsi autem oblique id facere videntur, quia tamen Deum vilipendunt, ideo instar gigantum caeco fastu contra Deum insurgere, et eorum altitudinem sine modo efferri dicit.

PSALMUS LXXV.

ARG. Communis est ecclesiae gratulatio, dum reputat solo Dei arbitrio gubernari mundum: eo vero eius gratia et virtute sustineri. Qua fiducia superbis Dei contemptoribus insultat, quos vesana sua temeritas ad effracnem licentiam praecipites agit.

1. *Praefecto, Ne perdas, Psalmus Asaph, Canticum.* 2. *Celebrabimus te Deus, celebrabimus, et*) propinquum nomen tuum: narrabunt mirabilia tua.* 3. *Quum assumpsero coetum,**) ego recta iudicabo.***)* 4. *Dissoluta est terra et omnes incolae eius, ego stabiliam columnas eius. Selah.* 5. *Dixi insanis, Ne insanietis: et impiis, Ne attollatis cornu.* 6. *Ne attollatis in altum cornu vestrum, ne loquamini collo duro.* 7. *Quia neque ab Oriente, neque ab Oc-*

*) et, en marge: ou car.

**) j'auray prins assignation, en marge: ou assemblée la congregation.

***) ie iugeray droietures, en marge: ou ie remettray les choses en leur estat.

casu, neque a Deserto*) sunt exaltationes. 8. Quia Deus iudex est:**) hic humiliat, et hic elevat.

1. (*Ne perdas.*) De hac inscriptione dixi quantum satis erat Psalmo 57, 1. De auctore non admodum laboro. Sive fuerit David, sive alius quispiam, statim ab initio propheta se in gaudium et gratulationem effundit. Et repetitio emphatica est ad exprimendum studii ardorem in canendis Dei laudibus. Etsi autem verba sunt praeteriti temporis, ratio tamen postulat in futurum tempus resolvi: quod apud Hebraeos satis tritum est. Nisi forte commemoret propheta, Deum olim ob beneficia quae praestitit, laudatum fuisse in populo suo: ut hoc modo eum ad perseverantiam inducat, ut sui similis esse pergens, subinde nova laudum argumenta suppeditet. Mutatio personae in secundo membro quosdam interpretes impulit ad subaudiendum pronomen relativum *אשר*, ac si dictum esset, Domine celebrabimus te, et nomen tuum prope est iis qui narrat mirabilia tua. Ego autem non dubito quin propheta indefinite posuerit verbum *narrabunt*, et copulam usurpaverit vice causalis copulae, ut saepe fieri solet. Sensus igitur hoc modo optime fluet: Confitebimur tibi Deus, quia propinquum est nomen tuum: ideoque referentur mirabilia tua. Eodem enim haud dubie praecones fore dicit mirabilia Dei, quos dixerat celebraturos eius laudem. Et certe Deus, virtutem suam exserendo, servis suis os aperit ad enarranda sua opera. In summa, intelligit iustam laudandi Dei materiam suppetere: quia se ostendit praesto fore ad opem suis ferendam. Nomen Dei pro potentia sumi satis notum est: praesentia vero eius vel propinquitas censetur ab auxilio quod in necessitate offert servis suis.

3. (*Quum assumpsero.*) *יָעַר* Hebraeis locum vel diem condicere significat: nomen vero *מוֹעֵד* ex eo deductum, quo hic utitur propheta, tam sacros conventus quam dies festos, coetum etiam in Dei nomine collectum significat. Porro quum certum sit, Deum hic loquentem induci, uterque sensus non male quadrat, quod Deus assumpto populo suo res dissipatas revocaturus sit in legitimum ordinem: vel quod opportunum iudicandi tempus sibi sumpturus sit. Nam populum suum ad tempus exponens hostium libidini, videtur eum negligere: quemadmodum si grex absque pastore dispersus vagetur. Remedium ergo promittere volens rebus confusis, merito ab ecclesiae collectione incipit. Si tamen magis placeat de tempore intelligere, hac voce admonet Deus patienter ferendum esse, dum re ipsa declaret venisse maturum tempus corrigendis vitiis: quia solus ipse annos et dies in potestate habeat,

et optime teneat articulos et momenta. Et certe huc magis inclino, Deum arbitrio suo subiicere quod libenter ad se homines raperent, nempe finem et modum malis praeficere, et tempestive, quum visum fuerit, surgere ad suos liberandos. Quamquam prior etiam interpretatio de colligenda ecclesia mihi satis arridet. Absurdum vero videri non debet neque asperum, hic induci Dei personam, ut vicissim fidelium votis respondeat. Haec enim hypotyposis multo efficacior est quam si simpliciter dixisset propheta Deum tandem fore tempore suo ecclesiae vindicem, ut dispersam et laceram colligat. Huc tendit verborum summa: Quamvis non statim optuletur suis Deus, nunquam tamen eorum oblivisci, sed remedium quod in promptu est, differre in tempus idoneum. *Recta iudicare* tantundem valet atque res turbatas et inkompositas adducere in meliorem statum: sicut dicit Paulus 2. Thess. 1, 6 consentaneum esse iustitiae Dei, relaxationem dare afflictis: et qui innoxios affligunt, vicissim affligere. Deus ergo sui officii esse pronuntiat moderari res turbatas, et ad aequitatem componere, ut nos haec exspectatio in omnibus miseriis sustineat ac soletur.

4. (*Dissoluta est terra.*) Hoc multi interpretes proprie existimant competere in Christi personam, cuius adventu concuti oportuit terram cum suis incolis: quia scimus in hoc regnare ut veterem hominem aboleat, et spirituale eius regnum incipere a carnis interitu: sic tamen ut deinde sequatur novi hominis instauratio. Quo etiam referunt secundam partem versus, *stabiliam columnas eius*: ac si Christus diceret: Simul atque in medium prodiero, terra cum suis incolis liquescet ac solvetur: sed mox eam firmis ac solidis fulturis stabiliam, quia electi spiritu meo renovati, non amplius herbis vel emarcidis floribus erunt similes, sed praediti nova et insolita firmitudine. Atqui non puto hanc argutiam venisse prophetae in mentem, ideoque simpliciter interpretor, quamvis dissoluta sit terra, in Dei tamen manu esse eius futuras. Coharet enim hic versus cum superiore. Confirmat enim Deum opportuno tempore aequum et rectum fore iudicem: quia facile ei sit, etiamsi tota mundi machina conciderit, reparare omnes eius ruinas. Interea non dubito quin respexerit propheta ad ipsam rerum naturam. Quamvis enim locum infimum coelestis circumferentiae occupet terra, quibus tamen fundamentis nititur, nisi quod suspensa est in medio aëre? Deinde quum tot aquae penetrant per medias eius venas, annon ipsa quoque diffunderet, nisi arcana Dei virtute stabiliretur? Caeterum propheta ad naturam alludens, altius tamen conscendit: quamvis collapsus sit orbis, penes Deum esse dare novam firmitatem.

5. (*Dixi insanis.*) Postquam sibi et aliis fidelibus Dei officium ante oculos statuit, nunc de im-

*) du Desert, en marge: ou du Midi.

**) Dieu est iuge, en marge: ou gouverne le monde.

piis omnibus triumphat, quorum insaniam et caecum furorem accusat: quia contempto Deo sese intemperanter efferant. Pendet autem sancta haec iactantia, ex iudicio quod instare denuntiavit in persona Dei: quia dum fideles Deum expectant iudicem, brevique affore persuasi sunt, inter medias oppressiones non desinunt gloriari. Etsi enim furor ex impiorum insania ebulliens, fluctus ad eos mergendos proiicit, sufficit tamen Dei manu salutem suam protegi, cui facile est subigere omnem fastum, et compescere temerarios conatus. Nam contemptim derident fideles quidquid moliuntur impii atque agitant, desistere iubent ab insania, quia hoc modo significant frustra eos tumultuari, ut furiosos homines sua amentia huc et illuc impellit. Notandum est vero quod superbiam facit audaciae causam vel matrem, sicuti omnino verum est, non ita praecipitanter ruere homines, nisi quatenus excaecati superbia, sibi nimium arrogant. Quia vero morbus hic non facile evellitur ex cordibus hominum, secundo repetit, *ne attollant cornu suum in sublime*. Deinde ne prae fracte loquantur, hoc enim per *collum pingue* vel durum intelligit: quia fastuosi homines rigida cervice minas suas efflare solent. Alii vertunt, Ne loquamini duriter collo. Sed altera interpretatio verior.

7. (*Quia neque ab Oriente.*) Optimum corrigendae superbiae remedium, dum admonet propheta, altitudinem non a terra esse, sed a solo Deo, hoc enim ut plurimum perstringit hominum oculos, ubi dextram et sinistram partem circumspiciunt, et undique contrahunt opes et subsidia, quibus freti libidinem suam expleant. Quia ergo extra mundum non egrediuntur, propheta longe eos errare affirmat: quia altitudo et deiectio in sola Dei manu positae sint. Videtur quidem cum experientia communi hoc pugnare, quod maior pars mundi vel astutia sua, vel gratia et favore populi, vel aliis terrenis mediis ad summos honorum gradus perveniat. Videtur etiam frigida esse causae redditio, quod Deus sit iudex. Respondeo, quamvis multi vel malis artibus, vel mundi adiumentis in altitudinem conscendant, hoc tamen non accidere fortuito: sed arcano Dei consilio sic attolli, ut mox quasi quisquilias vel paleam disiiciat. Iam non simpliciter iudicium Deo tribuit propheta, sed quale illud sit definit: nempe ut hunc deliciens, et illum exaltans, res humanas prout visum est ordinet. Dixi autem, hac ratione optime humiliari sublimes animos, quia hinc profanis hominibus audendi licentia, quod Deum coelo includunt, nec se arcana eius providentia fraenari reputant. Denique abrogant Deo imperium, ut libidini suae vacuum et liberum cursum reperiant. Ergo ut sobrie et modeste in gradu nostro quiescere discamus, iudicium Dei vel gubernandi mundi ordinem clare definit, quod penes eum

sit ex hominibus attollere quos visum est, vel deicere. Unde sequitur, eos omnes qui expansis vanitatis suae alis ad aliquam altitudinem temere adspirant, quantum in se est, Deo ius suum et potestatem eripere: idque facile apparet non modo ex temulentis consiliis, sed etiam sacrilega iactantia, Quis me impediet? quid mihi obstat? Quasi vero Deo promptum non sit, solo nutu mille obstacula repente obicere ad frangendos eorum impetus. Sicuti autem profani homines sua temeritate et perversis consiliis Deum spoliare regis honore conantur: ita quoties nimium ad illorum minas trepidamus, infidelitas nostra Dei imperium maligne restringit. Simulac increpuit aliquis motus, non aliter expavescimus, quam coelesti fulmine percussi. Tanta consternatio satis declarat nondum nos probe tenere quid sit mundum a Deo gubernari. Puderet quidem nos eum spoliare titulo iudicis: imo omnium fere animi horrent ad hanc blasphemiam: sed ubi naturae sensus hanc confessionem nobis extorsit, Deum esse mundi iudicem, ac regem, otiosum nescio quod imperium imaginamur, ac si humanum genus manu et consilio suo non regeret. Caeterum qui principium hoc tenuerit, Deum statuere de cunctis mortalibus quod visum est, ut singulis fortunam ipse fingat, non subsistet in terrenis mediis. Usus autem huius doctrinae est, ut se fideles Deo totos subiiciant, nec fallaci confidentiae vento se efferant. Ubi autem viderint impios protervire, contemnere non dubitent stultam et vesanam eorum confidentiam. Quanquam autem summa est imperii potestas penes Deum, vocatur tamen iudex, ut sciamus optima aequitate res humanas ipsum moderari. Hinc fiet ut quisque ab omni iniuria et maleficio abstinens, iniuste laesus, ad Dei tribunal confugiat.

9. *Quia calix in manu Iehovae, et vinum faeculentum:*) impletus est mistione, et effundet ex eo: utique faeces eius expriment, bibent omnes scelerati terrae.* 10. *Ego vero annuntiabo in perpetuum, psallam Deo Iacob.* 11. *Et omnia cornua impiorum confringam, exaltabuntur cornua iusti.*

9. (*Quia calix.*) Iudicium illud cuius nuper meminit, propius accommodat in usum piorum. Deum enim regnare affirmat, ne qua iniquitas maneat inulta: sed ubi lascivierint scelerati homines, eos ad poenas quas meriti sunt, trahat. Unde iterum colligimus qualiter reputanda sit nobis Dei providentia, nempe quae singulas vitae nostrae partes praesenti virtute moderetur. Dicit igitur calicem esse in Dei manu, quo sceleratos inebriet. *כַּמֶּר* tam faeculentum quam rubrum significat, sed quia vinum rubrum apud Hebraeos fortissimum et

*) trouble, en marge: ou rouge.

acutissimum erat, apte convenit haec similitudo, vinum fumosi saporis esse in Dei manu, quo impios exitialiter inebriet, ac si diceret incredibilem vindictae Dei celeritatem esse: sicut forte vinum cito et valide in cerebrum penetrans, vel furorem generat, vel febrim accendit. Dicit ergo vinum in calice Dei rubescere, sicut in Proverbiis dicitur, cap. 23, 31: Ne respicias vinum quum rubescit in vitro. Nec obstat quod paulo post adiungit *mistionem*: quia non male inter se conveniunt haec duo, vindicta Dei cito inebriari impios, et eam ebibere usque ad faecem donec intereant. Nam qui nomen Mistionis alio trahunt, quod in calidis regionibus soleant vinum diluere, nimis dilute loquuntur ipsi. Potius augendi causa hoc esset additum, ut vino aromatico conferat propheta vehementiam irae Dei ac fervorem. Significat autem his figuris propheta, non posse impios effugere quin sugendo ad ultimam usque guttam calicem ebibant a Deo propinatum.

10. (*Ego vero annuntiabo.*) Haec Psalmi clausula ostendit fideles sibi gratulari quod Deum in rebus suis adversis liberatorem experti sint. Videntur enim propriam experientiam notare in narratione et cantico. Hinc etiam colligunt se Dei auxilio fracturos quidquid erit potentiae in reprobis: se vero iustitia et aequitate satis ad tuendam suam salutem fore instructos. Nam *exaltari cornua iusti* tantundem valet ac si dixissent, filios Dei probe et innoxie vivendo, plus sibi praesidii acquirere, quam si per omne scelus emergere studerent.

PSALMUS LXXVI.

ARG. Hic celebratur Dei gratia et veritas, quod se urbis Hierosolymae custodem fore pollicitus, incredibili potentia eam adversus bellicosos et valide instructos hostes defenderit.

1. *Praefecto in Neginoth, Psalmus Asaph canticum.* 2. *Notus in Iudaea Deus, in Israël magnum nomen eius.* 3. *Et fuit in Salem tabernaculum eius, et habitatio eius in Sion.* 4. *Illic fregit sagittas arcus, clypeum, et gladium, et bellum.* Selah. 5. *Illustris, tu terribilis prae montibus praedae.* 6. *Spoliati sunt robusti corde, dormierunt somnum suum: et non invenerunt cuncti homines fortitudinis manus suas.* 7. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, sopiti sunt currus et equus.*

1. (*Praefecto in Neginoth.*) Probabile est Psalmum hunc longe post mortem Davidis fuisse compositum: ideoque putant nonnulli historiam liberationis describi quae contigit sub rege Iosaphat contra Ammonitas. Ego autem in diversam partem

magis inclino, nam Assyrii duce Sennacherib, non modo Iudaeam ingressi sunt, sed urbem ipsam, regni caput, violenter aggressi. Et scimus quam mirabiliter soluta fuerit obsidio: quum horribili clade, per manum angeli, Deus exercitum illum nocte una delevit, 2. Reg. 19, 35. Unde non abs re dicit propheta Deum illic fregisse sagittas, gladios et clypeos. Hoc tamen praecipue cognitu necessarium est, perpetuam Dei curam in tuenda quam elegit ecclesia hio laudari, ut de eius protectione fideles gloriari non dubitent.

2. (*Notus in Iudaea Deus.*) Initio Psalmi admonet propheta non humanitus esse factum ut hostes discesserint irriti, sed memorabili Dei auxilio. Unde enim notitia Dei, et magnitudo nominis, de quibus loquitur, nisi quia Deus manum suam inusitato modo exseruit, ut palam constaret sub eius patrocinio et tutela esse urbem et populum? Dicit igitur propheta palam apparuisse Dei gloriam, hostibus tali miraculo prostratis. Sequenti versu rationem assignat cur Assyrii profligatis, urbem illam Deus asserere ac tueri dignatus sit: quia scilicet domicilium illic sibi delegerat in quo nomen suum invocaretur. Summa est, non esse quod sibi homines, in hac urbis liberatione quam describit, quidquam arrogant, quia magnifice innotuit Deus: et manum suam e coelo conspicuam protulit. Deinde nonnisi gratuita electionis suae respectu adductum fuisse Deum ut se hostibus eius opposuerit. Iam quia illo documento testatus est quam invictum sit suum robur in servanda ecclesia, fideles hic hortatur propheta, ut sub umbra eius secure quiescant. Nam si Deo pretiosum est nomen suum, non vulgare est fidei pignus, dum audimus ipsum virtutis suae magnitudinem in ecclesiae suae salute velle cognosci. Porro quum ecclesia insigne sit gloriae Dei theatrum, sedulo semper cavendum est ne beneficia in eam collata, praecipue quorum memoria vigere debet omnibus saeculis, ingratitude nostra obruat. Caeterum quamvis nunc in tabernaculo visibili non colatur Deus, quia tamen per Christum in medio nostri et in nobis ipsis habitat, experiemur haud dubie quoties opus fuerit, nos sub eius protectione salvos ac tutos esse. Nam si terrenum sacrarium Hierosolymae salutem attulit, non minorem hodie curam nostri geret quos in templa sibi eligere dignatus est in quibus per spiritum suum habitat. Simplex urbis nomen hic ponitur, quod antiquum fuisse apparet ex capite Genesis 14, 18. Quidam successu temporis compositum fuisse nomen existimant, quasi Jebusalem: quia nomen hoc postea medio tempore obtinuit, sicut patet ex Iudicum cap. 9, 10 quod eam incolerent ac tenerent Jebusaei. Rectior tamen est etymologia a verbo יָדָה quod est videbit: quia dixerat Abraham, Deus sibi sacrificium videbit, Gen. 22, 8.

4. (*Illic confregit.*) Definit qualis fuerit illa Dei notitia, nempe quum admirabile virtutis suae specimen in urbe servanda edidit. Porro sub figuris describitur hostium profligatio, quia deiici aliter non poterant nisi armis spoliarentur. Dicit igitur *fractas fuisse sagittas, gladios et clypeos*, omnesque machinas bellicas: quia impiis erepta fuit vis nocendi. Quanquam autem telis integris caesi et extincti fuerunt, non tamen male convenit haec metonymia. שפית quidam vertunt cuspides. Proprie vertendum esset, ignes: sed rectius est pro sagittis accipi. Nam et aves metaphorice interdum sic vocantur propter celeritatem. Sagittis autem tribuitur volatus Psalmo 91, 5. Iam addit Deum et *illustrasse et terribilem prae montibus praedae*, quo nomine violenta et praedatoria regna designat, sicut ab initio scimus, quo quisque plus valebat latrocinando, fines suos magis ampliasset. Magnos ergo illos reges, qui sibi ampla dominia per vim et iniustas caedes acquisierant, comparat feris bestiis quae vivunt ex rapto, et eorum regna silvosis montibus, quos bestiae ad praedas assuetas occupant. Quamvis ergo hostes Hierosolymae violenter grassari soliti essent, Deum tamen supra omnes longe excellere propheta affirmat, ne terroribus succumbant fideles.

6. (*Spoliati sunt.*) Alia loquendi forma extollitur Dei virtus in hostibus perdendis. Verbum quo utitur, deductum est a שלל, et נ ponitur loco ה. Nam quod alii Infatuatos vertunt, coactum est. Quanquam fateor tantundem valere ac si dixisset consilio et fortitudine fuisse privatos. Sed tenendum est verbi proprietates. Eodem spectat quod additur secundo membro, viros *robustos non invenisse manus suas*, hoc est, nihilo magis ad pugnandum fuisse idoneos, quam si mutilae et truncatae fuissent eorum manus. Summa est, vires quibus gloriabantur fuisse prostratas. Eodem pertinet quod dicit *dormisse somnum suum*, hoc est, quum prius essent alacres et strenui, ignavia et torpore fuisse quasi sopitos. Spoliatos ergo dicit fuisse hostes heroica illa virtute quam iactabat, et quae tantum dabat audaciae, ut neque mens, neque cor, neque manus, neque reliquae partes officium suum fecerint. Quibus verbis admonet in manu Dei esse quidquid facultatis suppetere videtur hominibus, ut singulis momentis quam dedit prudentiam eripere queat, corda effeminare, manus reddere imbelles, totumque robur conterere. Ac consulto extollitur tam animositas quam potentia hostium, ut discant fideles ex opposito attollere Dei virtutem. Eandem sententiam rursus confirmat, dicens, *sopitos fuisse currum et equum ab increpatione Dei*: ac si diceret, quidquid agilitatis erat in hostibus, solo Dei nutu fuisse deiectum. Ergo ut nos omnia subsidia destituant, sufficiat nobis unicus Dei favor, quando

non opus habet magnis copiis ad repellendos totius mundi impetus, sed solo flatu discutere eos potest.

8. *Tu terribilis, tu, et quis consistet coram facie tua, ex quo ira tua?* 9. *E coelis audire fecisti iudicium: terra timuit, et quievit.* 10. *Quum exsurgeret ad iudicium Deus, ad servandum omnes mansuetos terrae.* Selah. 11. *Certe indignatio hominum confitebitur tibi, residuum indignationum ligabis.* 12. *Vovete et reddite Iehovae Deo vestro: quicumque in circuitu eius sunt, afferant munus terribili.** 13. *Vindemiabit spiritum principum, terribilis regibus terrae.*

8. (*Tu terribilis, tu.*) Repetitio pronomini exclusivam particulam in se continet: ac si dixisset, quidquid est in mundo potentiae, facile efflari et concidere in nihilum ubi Deus in medium prodit: itaque merito ipsum solum esse formidabilem, quod etiam confirmat comparatio mox addita. Significat enim, quamvis superbia crepent impii, Dei tamen conspectum minime eis fore tolerabilem. Sed quia interdum dissimulat, videturque otiosus spectator, diserte exprimit propheta, simulac irasci coeperit, omnibus impiis ruinam instare. Quamvis ergo ad tempus non modo consistent, sed etiam furore suo transcendunt nubes, exspectandum esse admonet propheta irae tempus. Notemus etiam, terrorem hunc ita denuntiari impiis, ut suaviter ad Deum alliciat fideles.

9. (*E coelis.*) Coelorum nomine emphatice exprimit illustrius fuisse Dei iudicium, quam ut potuerit vel fortunae vel hominum industriae adscribi. Aliquando enim iudicia sua obscure exsequitur, ac si e terra emergerent, quemadmodum si pium et cordatum suscitaret principem, sancta et legitima quae vigeat gubernatio, iudicium Dei erit: sed non videbitur pleno fulgore e coelis oriri. Quia ergo insolitum fuit hoc genus auxilii, peculiari elogio insignitur. Huc etiam pertinet *Auditus*: quia plus est clare resonare tanquam aliquod tonitru Dei iudicia, et suo fragore omnium aures percellere, quam si oculis cernerentur. Nec vero dubito quin ad concussionem illam alluserit propheta, quae homines metu attonitos reddit. Nam quod terram quievisse dicit, ad impios proprie refertur, qui expavefacti palmam Deo concedunt, neque audent amplius suo more tumultuari. Quia ergo solo metu coguntur in ordinem, merito silentii causam timorem ponit: non quia sponte se contineant, sed quia Deus invitos constringit. Summa est, ubi detonat e coelo Deus, cessare tumultus quos rebus confusis excitat impiorum protervia. Simul tamen admonet quid proficiant sua pervicacia homines: quia fulminibus

*) apportent dons au Terrible, en marge: ou à cause de la frayeur.

conteri necesse erit quicumque paternam Dei vocem cum strepitu contempserint.

10. (*Quum exsurget.*) Nunc declarat quorsum iudicium illud: nempe ut specimen ederet Deus paterni erga pios omnes amoris. Deum ergo non ore, sed manu loquentem inducit, ut palam ostendat quam illi cara sit piorum salus. Surgendi verbo ad cessationem respicit, unde tantum sibi licentiae sumpserant improbi: dicitur enim tribunal conscendere, ubi claro effectum ostendit sibi curae esse ecclesiam. Huc enim tendit prophetae consilium, non magis fieri posse ut Deus miseros et innoxios deserat, quam ut se ipsum abneget. Notandum enim est, Deum vocari iudicem, ut pauperibus iniuste oppressis succurrat. Nam *mansuetos terrae* vocat fideles, qui afflictionibus domiti nihil altum spirant, sed suppliciter gemendo crucis onus placide tolerant. Hic enim optimus est afflictionum fructus, animos nostros ferocia purgatos ad mansuetudinem ac modestiam flectere: quia inde certo colligimus, nos Dei clientes esse quibus opitulari velit.

11. (*Certe indignatio.*) Quidam intelligunt, hostes, ubi Deo succubuerint, victoriae laudem ei duros: quia fateri cogentur se fractos fuisse potenti eius manu. Alii subtiliorem sensum eliciunt, Dum impios suscitatur Deus, et rabiem ipsorum impellit, magis hoc modo illustrare suam gloriam, sicuti Pharaon in hoc fuisse excitatus dicitur, Exod. 18, 4. Rom. 9, 17. Etsi autem hic sensus continet utilem doctrinam, quia tamen vereor ne sit nimis argutus, simpliciter accipio: Quamvis initio hostium furor omnia perturbans, quasi tenebras obducatur, tandem cessurum in laudem Dei: quia eventu palam fiet, quidquid moliantur, nihil tamen posse contra Deum. Posterior etiam pars versus bifariam potest accipi, quia enim verbum *תגור* cingere significat, quidam subaudiunt pronomen te, hoc sensu: Quamvis nondum profligati sint omnes ecclesiae hostes, tu tamen Deus ad perdendos quicumque residui sunt, te accinges. Verum simplicior est altera interpretatio: Quamvis non desinant hostes truculentiam spirare, tu tamen impedies ac constringes, ne exsequantur suos conatus. Non male etiam forte quadraret: Tu colliges in fasciculum, sicuti gallice dicimus *trousser*. Discamus ergo, dum obnubilant impii imperium Dei, patienter expectare, dum laetiore successu se ipsum glorificet Deus, et cum ludibrio vesanam eorum audaciam conterat. Quod si subinde emergant novi motus, veniat nobis in mentem, proprium esse Dei munus reliquias indignationum constringere, ne se longius diffundant. Interea ne miremur subinde pullulare novos furores, quia usque ad finem mundi semper habebit Satan quos ad vexandos Dei filios instiget.

12. (*Vovete.*) Iam ad gratitudinem fideles hortatur. Quia autem sub lege pro singularibus Dei

beneficiis vovebant sacrificia, quibus confitebantur salutem suam Deo se acceptam ferre, ad hunc pietatis cultum eos revocat propheta, ac *reddendi* verbo constantiam designat, ne scilicet in subitam confessionem erumpant solum, sed continuo temporis successu testentur penitus infixam esse cordibus suis liberationis memoriam. Praecipuum quidem est ut apud se reputent Deum esse salutis autorem: sed non supervacua est solennis pietatis professio, qua non modo se quisque ad officium stimulat, sed alii alios. Secundo membro videtur vicinas etiam gentes alloqui: ac si diceret, speciem hanc gratiae dignam esse quae ab exteris et incircumcisis gentibus celebretur. Mihi tamen aptius esse ad prophetam mentem videtur, compellari vel Levitas, vel omnes Abrahamae posteros: quorum utrique non abs re dicuntur *esse in Dei circuitu*: quia et tabernaculum in medio castrorum locatum erat quamdiu in deserto peregrinati sunt Israelitae, et statio arcae delecta fuit in monte Sion, ut undique illuc confluerent. Levitis autem servandi templi partes mandatae erant, ut in circuitu agerent excubias. Particulam *למורא* maior pars interpretum ad Deum refert: ita esset nomen toar. Quanquam *timoris* nomen passive pro Deo ipso interdum sumitur. Si ad gentiles et profanos homines referas, sensus erit, tributarios fore Deo: quia metu perterriti non audebunt amplius resistere. Sed magis probabile est, nomen hoc ad Deum transferri, quem propheta iure metuendum esse dicit post illud tam nobile virtutis specimen editum.

13. (*Vindemiabit.*) Quia verbum *בצר* Hebraeis nonnunquam roborare significat, quidam ita vertendum putant hoc loco. Sed quum duplicatio sit eiusdem sententiae, non dubito priore membro prophetam intelligere principibus auferri mentem et prudentiam: deinde in genere exprimi Deum illis esse terribilem, quia ex sua altitudine eos deiiciat praecipites. Quoniam autem principum rei bene gerendae sanum est consilium, quo saepe indigent fideles, quia inter suas angustias perplexi haerent, dum impii in suis astutiis nimis sunt perspicaces: hic propheta in manu Dei esse pronuntiat spiritu privare et excaecare qui videntur prae aliis acuti. Et quia maior fere principum numerus ecclesiae Dei infensus est, diserte exprimit propheta satis esse in Deo terroris ad subigendos totius orbis reges. Quod tamen illis eripi ac vindemiari spiritum dicit, restringi debet ad tyrannos et praedones quos infatuat Deus: quia videt ingenium et consilia omnia ad nocendum applicare.

PSALMUS LXXVII.

ARG. Quisquis fuerit autor Psalmi, videtur spiritus per os eius communem precandi formam pro afflictis ecclesia dictasse, ut in saevissimis quibusque persecutionibus vota sua nihilominus in coelum dirigerent. Neque enim privatus unius personae dolor, sed electi populi gemitus et lamentatio hic exprimitur. Redemptionem vero semel factam praedicant fideles, quae monumentum erat perpetuae Dei gratiae: ut hoc modo se animent, et melius confirmant in studio precandi.

1. Praefecto super Ieduthun Psalmus Asaph. 2. *Vox mea ad Deum, et clamavi: vox mea ad Deum, et exaudivit me.* 3. *In die afflictionis meae Dominum quaesivi: manus mea nocte effusa est, et non cessavit: renuit consolationem anima mea.* 4. *Recordabor Dei, et inquietus ero: meditabor et moerore opprimetur spiritus meus. Selah.* 5. *Tenuisti vigilias oculorum meorum: contritus sum, et non loquar.* 6. *Recensui dies antiquos, annos saeculorum.* 7. *Recordabor carminis mei nocte: cum corde meo meditabor, et investigabit spiritus meus.*

2. (*Vox mea ad Deum.*) Non puto nudam esse querimoniam, sicuti sentiunt quidam interpretes: quasi mirentur fideles, Deum, qui prius annuere solitus fuerat eorum votis, nunc surdum esse, et sine profectu invocari. Mihi magis probabile est, vel de praesenti suo affectu prophetam loqui: vel repetere memoria quam propensum et facilem ad preces suas exaudiendas Deum expertus esset. Ego autem libenter huc inclino, prophetam referre quanto moerore torqueatur: ac meo iudicio, tam praeterito quam futuro verborum tempore continuum actum designat. Primo autem narrat non se temere eiulasse in aërem, ut multi sine ratione intemperiem doloris effundunt: sed recta se ad Deum sermonem vertisse quum necessitas clamorem exprimeret. Nam copula quae adiungitur verbo Clamandi, in adverbium temporis resolvi debet. Dum clamavi, vox mea ad Deum profecta est. Simul etiam ostendit non fuisse sibi excussam perseverantiam, quamvis saepius iterandi essent clamores. Quod continuo post additur, fidei confirmatio est. Copula enim, ut saepe alias, vice adverbii causalis ponitur, quasi diceret, Ego ad Deum clamo: quia mihi propitius et exorabilis esse solet. Proximo versu clarius exprimit quam gravis et dura tunc fuerit ecclesiae oppressio. Quanquam in verbis nonnulla est ambiguitas. יי metaphorice interdum significat vulnus: ideo hunc sensum eliciunt multi interpretes, Vulnus meum diffluit nocte, et non cessavit, hoc est, sanies non fuit exinanita ut sistatur fluxio. Atqui potius in genuino sensu *manum* accipio, quia verbum מנן quo utitur, non modo difflucere, sed etiam diffundi vel extendi significat. Iam quum

se in die afflictionis Deum quaesivisse, et manus suas ad eum extensas nocte fuisse dicit, haec distributio denotat continuum tempus: ac si diceret, infatigabili studio se ad preces fuisse intentum. Clausula versus adversative legi debet: Quamvis anima prophetae nullum solatium ad leniendos cruciatus inveniat, ipsum tamen manus ad Deum tendere. Atque ita cum desperatione luctari nos decet, ut dolor, licet insanabilis, ianuam tamen votis nostris minime praecludat.

4. (*Recordabor.*) Pluribus verbis doloris sui vehementiam, et simul mali gravitatem exprimit. Nam quod unicum erat remedium sedandae moestitiae, sibi inquietudinis fuisse causam deplorat. Absurdum quidem videri posset, turbati Dei recordatione pias mentes: sed simpliciter intelligit propheta, quamvis Dei recordatus sit, non tamen sanata fuisse suam anxietatem. Fit quidem saepe ut tormentum piis augeat Dei recordatio in rebus adversis, ubi scilicet iratum sibi et infensum concipiunt. Sed non intelligit propheta cor suum novis agitationibus perculsum fuisse quoties memor erat Dei: tantum conqueritur nulla Dei consolatione se fuisse pacatum, quae gravissima est tentationis species. Incredulos diris tormentis cruciari mirum non est: quia quum a Deo recedere studeant, iustas defectionis suae poenas luunt. Sed ubi Dei recordatio, unde malis nostris lenimen quaerimus, animos nostros non tranquillat, videtur nobiscum ludere. Atqui docet hic locus, utcumque fremitu, moerore, tumultu pleni simus, inter haec tamen obstacula pergendum esse in Dei vocatione. Eodem pertinet proximus versus, ubi dicit totas noctes se pervigiles duxisse, quod Deus nihil relaxationis daret. Quia enim nox in plures vigilias solebat distribui, metaphorice custodias vocat assiduam aegritudinem, quae somno locum non dabat. Sed quum paulo ante dixerit se clamorosa voce Deum precari, nunc taciturnum se dicat, videtur species aliqua esse repugnantis. Haec quaestio iam Psalmo 32, 3 soluta fuit: ubi docuimus fideles moerore oppressos non servare aequabilem statum, sed nunc erumpere in gemitus et querimonias, nunc, quasi praeclusae essent fauces, obmutescere. Quare non mirum est si propheta se malis fatetur ita fuisse oppressum et quasi suffocatum, ut vocem non emitteret.

6. (*Recensui dies.*) Non dubium est quin pristinae laetitiae memoria dolorem suum mitigare conatus sit, sed profectum tam subito sensisse negat. Quanquam per *dies initii et annos saeculorum* non modo breve vitae suae curriculum videtur notare, sed plures aetates complecti. Et certe fideles, non modo quae experti sunt Dei beneficia, sed quaecunque omnibus saeculis in ecclesiam suam contulit, sibi in afflictionibus proponere et in animum revocare debent. Quanquam ex contextu colligere

promptum est, quum superiores Dei gratias in animum colligeret propheta, a proprio experimento coepisse. Neque enim dubito quin per *carmen suum* designet gratiarum actiones quibus se in rebus laetis et prosperis exercuerat. Etsi autem nullum est sanandis malis nostris aptius remedium, sicuti nuper dixi, Satan tamen astute nobis saepe Dei beneficia suggerit, ut sensus ipse privationis acrius animos nostros vulneret. Ideo verisimile est acerbis punctionibus lacinatum fuisse prophetam, dum antea acti temporis laetitiam conferebat malis praesentibus. *Noctis* autem diserte meminit, quae plures curas et cogitationes generat, dum solitarii sumus, subductique ab hominum conspectu. Idem valet quod mox additur *meditari cum corde*: hoc enim affert solitudo, ut se colligant homines, penitus se ipsos excutiant, ac serio remotis arbitris secum loquantur. Posterius membrum versus septimi duplicem sensum admittit. Quia verbum *לִפְנֵי* masculinum est apud Hebraeos, nomen vero *לִפְנֵי* femininum aliquando, quidam subaudiunt Dei nomen, ac si diceret, Domine nihil est tam absconditum in corde meo, quo non penetraveris. Et sane proprie dicitur Deus scrutari hominis spiritum, quem expergefuit a torpore, vivisque tormentis examinat: quia tunc excutuntur latebrae omnes, et obscuri recessus, et in lucem protrahuntur affectus prius incogniti. Caeterum, quia ratio grammaticae patitur ambiguum esse genus nominis, liberius alii vertunt, Investigavit spiritus meus. Quam sententiam, ut magis recepta est et longe melius fluit, libenter amplector. In illa igitur disceptatione cuius meminit, scrutatus est quasnam ob causas tantopere affligeretur: deinde quis tandem foret exitus malorum. Et certe utilis est haec meditatio, ad quam nos etiam Deus rebus adversis sollicitat: quia eorum socordia qui sub Dei flagellis obdurescunt, nihil magis perversum est. Solum tenendus est modus, ne dolor nos absorbeat: deinde si omnia Dei iudicia pervestigare tentemus, abyssus nos obruat. Significat autem propheta, quum hinc inde omnia colligeret, nihil solatii apparuisse ad placandum dolorem.

8. *An in saecula repellet Dominus? *) nec adiiciet ultra ut sit benevolus?* 9. *An desiit in aeternum clementia eius? consumptum est oraculum in generationem et generationem?* 10. *An oblitus est misereri Deus? an clausit in ira misericordias suas? Selah.* 11. *Et dixi, Occidere meum, **) anni *** dexterae Excelsi.*

*) Le Seigneur deboutera-t-il à jamais? *en marge*: ou sera-il eslongné.

**) Mon definement, *en marge*: ou ma maladie.

***) Les années, *en marge*: ou mutations.

8. (*An in saecula.*) Haec fuit haud dubie pars inquisitionum quas revolvit in suo spiritu. Interea significat diuturno malorum tractu se prope fuisse confectum. Neque enim in hanc vocem prorupit nisi post longam tolerantiam, ut vix sperare auderet Deum aliquando fore propitium. Merito autem secum propheta disputavit annon benevolus esse pergeret Deus: quia hac lege nos sua benevolentia complectitur Deus, ut eam usque in finem continuet. Porro non praecise expostulat, sed potius secum disceptans ratiocinatur a natura Dei, fieri non posse quin prosequatur gratuitum suum favorem erga pios, quibus semel patrem se exhibuit. Iam sicuti ex gratuito Dei beneplacito deduxit quasi ex fonte quaecunque ex eius manu beneficia percipiunt fideles, ita paulo post adiungit bonitatem, ac si diceret, Quomodo cursum abrumperet Deus paterni favoris, qui naturam exuere non potest? Videmus ergo ut bonitatis Dei obiectu, tentationum insultus repellat. Dum quaerit *an consumptum sit eloquium*, vel oraculum, significat omni se consolatione destitui, quia ad fidem fulciendam nulla occurrat promissio. Haec autem est abyssus desperationis, ubi Deus promissiones suas, quibus inclusa est salus nostra, e medio tollit. Si quis obiiciat, non potuisse Dei eloquio destitui, cui lex erat prae manibus: respondeo, pro temporis infirmitate speciales promissiones tunc fuisse necessarias. Ideo Psalmo 74, 9 conquesti sunt fideles, se usitata signa amplius non videre, neque esse amplius prophetam qui inter eos cognoscat. Si David autor fuerit huius Psalmi, scimus solitum fuisse in rebus dubiis et perplexis Deum consulere, dataque ei fuisse responsa. Si haec in malis ablata illi fuit levatio, iure deplorat sibi non occurrere sermonem quo fidem suam sustineat. Sin vero alius fuit autor, congruit haec querimonia medio tempori inter reditum ab exilio et Christi adventum: quia tunc abruptus quodammodo prophetiae cursus fuit: et nullus fuit peculiari spiritus dono instructus, qui collapsos animos erigeret, vel fulciret. Adde quod interdum, quamvis offeratur nobis Dei sermo, non tamen ad nos usque pervenit: quia angustiis constricti nullam consolationis guttam admittimus. Sed ego priorem sensum amplector, quod scilicet specialibus prophetiis caruerit ecclesia, quae adhuc suspensa, a solo umbrarum intuitu, opus habebat quotidianis fulturis. Quanquam hinc utilis admonitio colligitur, non debere nos ultra modum turbari, si quando verbum suum Deus nobis subducat, sicuti exercet suos miris modis, ut imaginentur alio converti totam scripturam: et quamvis Deum audire loquentem cupiant, adduci tamen nequeunt ut in usum suum applicent eius verba. Est quidem, ut dixi, hoc in primis triste et acerbum, non tamen debet precibus nostris aditum obstruere.

10. (*An oblitus est.*) Pergit adhuc in illa disceptatione propheta, cuius tamen finis est non spem labefactare, sed potius erigere. Neque enim interrogat de re dubia: sed perinde est ac si diceret, An oblitus est Deus se ipsum? vel mutavit naturam? quia Deus esse non potest quin sit misericors. Fateor quidem non stetisse inconcussus, quasi ferroo esset pectore: sed quo durius impetebatur, eo magis in hanc doctrinam recubuit, sic coniunctam esse bonitatem cum Dei essentia, ut impossibile sit eum non esse misericordem. Ideo quoties in curis et doloribus dubitationes nobis obrepunt, discamus semper ad hunc scopum tendere, An Deus naturam suam exueret, ut non sit misericors? Eodem spectat posterius membrum, *an clausit* vel prohibuit *miserationes suas in ira*? Celebrem enim sanctis patribus erat elogium illud, Deum longae esse tolerantiae, tardum ad iram, ad veniam propensum et exorabilem. Unde etiam dictum illud sumpsit Habacuc in suo cantico, 3, 2: In ira, misericordiae memor erit. Propheta igitur hic colligit, castigationem quam sentit, non obstare quominus se Deus iterum placatus ad solitum benefaciendi morem convertat: quia nonnisi ad momentum suis irascitur. Ino signa irae suae ostendens, tenerrime diligit quos castigat. Manet quidem ira eius perpetuo super reprobos: sed propheta unum se inter eius filios numerans, et verba faciens de reliquis fidelibus, ab impossibili merito arguit temporalem iram Dei cursum misericordiae non abscindere.

11. (*Et dixi.*) Varie exponitur hic locus. Quidam verbum *חליתי* deducunt ab *חלה* quod est occidere, et hunc eliciunt sensum, prophetam malorum congerie obrutum non posse aliud sentire, quam se divinitus addictum esse ultimo exitio: ac si confessio esset desperationis. Alii aegrotare vel infirmari vertunt, quod est ad contextum longe aptius. Nondum tamen de sensu convenit: quia secundum quosdam interpretes, se hic accusat et coarguit propheta, quod tam debili ac molli fuerit animo, nec se virilius opposuerit ad resistendum. Et tolerabilis esset haec sententia: quia sancti post suas vacillationes animum solent colligere. Ego tamen diversum sensum potius amplector, ut dicat propheta hunc morbum esse temporalem: atque ita morti oblique comparet: sicuti Psalmo 118, 18 dicitur, Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Item, Non moriar, sed vivam. Non dubito igitur quin se exoneret propheta, statuens ad tempus duntaxat se deiici: ideoque patienter ferendam esse aegritudinem, quia letalis non est. In secundo etiam membro dissentiunt interpretes. Nam qui versum hunc contextunt cum superioribus, putant prophetam ita initio fuisse fractum ut de salute sua actum esse crederet: deinde per vices caput extulisse, sicuti naufragi ex aquis subinde

emergunt. Porro vocem hanc hortantis esse volunt, ut sibi in memoriam revocet propheta annos quibus propitium Deum expertus erat. Rectius tamen sic intelligimus, non est quod te ipsum ultro morti despondeas, quia tantum laboras sanabili morbo, sic enim restituere solet Dei manus quos percussit. Neque enim repudio eorum sententiam qui *שנה שנה* vertunt mutationes, nam quum *שנה שנה* mutare vel iterare significet, *שנה שנה* Hebraei vocant annos, a revolutione, quia vertuntur in suos circulos. Utrovis tamen modo accipere libeat, stabit illa quam dixi consolatio, quod scilicet propheta aliam vicissitudinem sibi promittens, morti se minime devoteat. Paulo aliter interpretantur qui alioqui accedunt: ac si diceret propheta: Cur nunc severitatem Dei non tolere, cuius beneficentia suaviter antehac te fovit? sicuti Iob dicebat, 2, 10: Si bona recepimus e manu Dei, mala etiam cur non feremus? Sed magis probabile est prophetam respicere in futurum tempus: ac si diceret exspectandos esse annos vel revolutiones dextrae Excelsi, donec propitius affulgeat.

12. *Recordabor operum Dei: certe recordabor ab initio mirabilium tuorum.* 13. *Et meditabor in cunctis operibus tuis, et in factis tuis commentabor.* 14. *Deus in sanctuario viae tuae: quis deus magnus sicut Deus?* 15. *Tu Deus faciens mirabilia, scire fecisti in populis robur tuum.*

12. (*Recordabor.*) Iam animosius contra tentationes exsurgit propheta, quae fere ad opprimendam eius fidem praevaluerant. Nam recordatio haec operum Dei, ab ea cuius ante meminit, differt: quia tunc ominus intuebatur Dei beneficia, quae lenire vel minuere dolorem nondum poterant. Hic vero arripit quasi certa testimonia perpetuae gratiae: et ideo vehementiae causa sententiam repetit, interposita etiam asseveratione. Nam particula *י* hoc loco tantum confirmat, vel amplificat. Ergo quasi victor exsultat in memoria operum Dei: quia certo persuasus est non alium fore quam se ab initio ostendit. Secundo autem membro magnifice extollit quam in suis servandis potentiam exseruit Deus. Ponit quidem *arcanum* vel mirabile: sed mutato numero obscuritatem corrigere non dubitavi: sicuti etiam paulo post eodem numero singulari plura miracula notabit. Summa est, mirificam Dei virtutem qua semper usus est in tuenda suorum salute, si modo probe a nobis expenditur, sufficere ad superandos omnes dolores. Hinc vero discamus, licet interdum operum Dei recordatio non satis afferat nobis solatii, luctandum tamen esse, ne taedio frangamur, quod diligenter notandum est. Optamus semper in dolore reperire quod acerbiter mitiget: haec autem est unica ratio, curas nostras

reiiicere in Deum. Atqui saepe continget, Deum, quo propius accedit, in speciem augere nostra tormenta. Multi igitur, quando hac via nihil proficiunt, nihil sibi putant esse melius quam Deum oblivisci. Ita verbum eius fastidiunt, cuius auditu magis exacerbat eorum tristitia quam dulcescat: imo cupiunt Deum procul facessere qui ita exulcerat et inflamat ipsorum dolores. Alii ut sepe-liant eius memoriam, totos se profanis occupationibus addicunt. Longe aliter propheta: qui etsi non statim profectum qualem optabat expertus est, non tamen Deum sibi ante oculos statuere destitit: prudenter hac cogitatione fidem suam sustinens. Quia Deus animum et ingenium non mutat, fieri non posse quin suis tandem appareat propitius. Discamus etiam, ad intuitum operum Dei aperire oculos, quorum praestantia propter hebetudinem nobis vilescit, quae attentos in sui admirationem rapiet. Idem repetit versu duodecimo, se in hac meditatione fore assiduum, donec legitimo tempore maturum eius fructum percipiat. Nam quod nihil nobis prosunt tot gratiae Dei exempla, nec fidem nostram aedificant, inde fit, quia simulac ea gustare coepimus, alio nos abstrahit nostra levitas, et in ipsis principiis evanescimus.

14. (*Deus in sanctuario.*) Qui בְּקֹדֶשׁ vertunt, In sanctitate, id faciunt coacti: quia videtur frigida esse et ieiuna loquutio, Dei vias in sanctuario esse. Sed quia hoc ratio grammaticae vix patitur, videndum est annon ex genuina nominis significatione utilis elici queat doctrina. Quod quidam abruptam exclamationem esse volunt, Deus qui es in sanctuario, o viae tuae mihi non probatur: quia illi quoque violenter torquent prophetae verba. Uno igitur contextu legendum est hoc membrum, et nomen sanctuarii vel pro coelo, vel pro templo capitur. Ego autem ad coelum referre malo, ut sensus sit, vias Dei alte supra mundum excellere, ut necesse sit conscendere supra omnes coelos, si cupimus eas vere cognoscere. Etsi enim aliqua ex parte nobis manifesta sunt Dei opera, notitia tamen haec infra immensam eorum altitudinem longe subsidit. Adde quod ne minimo quidem gustu fruuntur nisi qui fide in coelum assurgunt, et tamen hoc semper extremum est, reverenter suspicere abconditam Dei sapientiam et virtutem, quae in operibus eius refulgens, captum tamen mentis nostrae longe excedit. Si quis excipiat, vias Dei, quae diffusae sunt per totum mundum, perperam coelo includi: facilis solutio est. Quamvis enim nullus sit terrae angulus ubi non specimen aliquod Deus exhibeat suae virtutis, fugit tamen hominum oculos admirabilis operum eius ratio. Si quis de templo intelligere malit, similem fere habuimus sententiam Psalmo 73, versu 16: Haec stultitia et fatigatio spiritus, donec ingrediar sanctuarium Dei. Et certe templum in

quo se patefecit Deus, fuit quasi coelum terrestre. Tenemus quidem prophetae mentem: quia principio turbulenta querimonias effuderat, nunc pacato animo miratur et adorat sublimes vias Dei, suaeque imbecillitatis conscius, se intra mensuram suam placide et sobrie continet: nec sibi de arcanis Dei iudiciis iudicium facere permittit ex carnis sensu. Ideo mox exclamat, *Quis deus magnus sicut Deus?* Qua comparatione non innuit plures esse deos, sed oblique perstringit mundi dementiam, quod uno Deo non contentus, cuius gloria sic conspicua est, plures sibi fabricet. Nam si puris oculis conspicerent homines Dei opera, in eo solo facile acquiescerent.

15. (*Tu Deus.*) Confirmat eandem sententiam, magnitudinem Dei probans ab operum miraculis, ac si diceret se non loqui de abscondita Dei essentia, quae coelum et terram implet, sed de virtutis, sapientiae, bonitatis, iustitiae documentis, quae palam apparent, licet modum intelligentiae nostrae excedant. Ad verbum est, *Faciens miraculum*: sed numeri mutatio est, ut nuper dixi. Hinc vero colligimus, magis propinquam nobis esse Dei gloriam, et clarius perspicui, quam ut iusta sit ignorantiae excusatio. Mirabiliter enim operatur Deus, ut ne profanas quidem gentes sua caecitas excuset. Ideoque additur, *Fecisti scire in populis robur tuum*. Quod tametsi ad ecclesiae liberationem pertinet, ostendit tamen non posse contemni Dei gloriam sine sacrilegio, quam ipse clare et potenter inter gentes asseruit.

16. *Redemisti in brachio populum tuum, filios Iacob et Ioseph. Selah.* 17. *Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae: timuerunt, etiam contremuerunt abyssi.* 18. *Exundare aquas fecerunt nubes, vocem dederunt coeli: quin etiam sagittae tuae discurrunt.* 19. *Vox tonitru tui in sphaera: illuxerunt fulgura orbi: tremuit, et concussa est terra.* 20. *In mari viae tuae, et semitae tuae in aquis magnis: et vestigia tua non sunt cognita.* 21. *Duxisti quasi oves populum tuum in manu Moysi et Aaron.*

16. (*Redemisti.*) Prae aliis omnibus Dei miraculis celebrat populi redemptionem, ad quam ubique spiritus sanctus pios revocat, ut spem salutis suae foveant. Tunc vero robur Dei gentibus fuisse patefactum, satis constat: quia etsi factum est Satanæ artificio ut multis fabulis corrupta fuerit historiae veritas, hoc tamen imputandum est eorum malitiae, qui oculati testes quum essent, sponte nebras sibi obducere maluerunt. Qui enim factum est ut Moysen fingerent fuisse nescio quem magum, totque portenta comminiscerentur quae collegit Iosephus contra Appionem: nisi quod data opera vo-

lebant obruere Dei potentiam? Prophetæ tamen hoc loco non tam propositum est gentes ingratitude reas facere, quam sibi et aliis Dei filiis suggerere bonæ spei materiam: quia tunc documentum in omnia sæcula edidit Deus sui erga electos amoris. *Brachium* metaphorice hic accipitur pro insigni et memorabili virtute: quia Deus non occulte et vulgari modo populum suum liberavit, sed quasi brachio extento. Filios Iacob et Ioseph nominans, causam assignat cur illos Deus in populo suo censuerit, nempe respectu foederis quod cum sanctis eorum patribus pepigerat. Etsi autem duæ tribus quæ progenitæ fuerunt a duobus filiis Ioseph, communem originem trahebant a Iacob, honoris tamen causa nomen Ioseph exprimitur, cuius opera et beneficio incolume servatum fuit totum semen Abrahæ.

17. (*Viderunt te aquæ.*) Miracula quædam breviter attingit, in quibus brachium suum Deus ostenderat. Figurata autem dicit visum fuisse Deum ab aquis, quod scilicet velut arcano instinctu motæ eius imperio paruerint ad dandum electo populo transitum. Neque enim vel mare vel Iordanis sponte cedendo, naturam suam mutassent, nisi utrumque tetigisset potentia Dei sensus: non quod iudicio vel intelligentia cursum reflexerint: sed quia in illo recessu ostendit Deus mortua quoque elementa sibi ad reddendum obsequium præsto esse. Subest autem obliqua antithesis ad pungendum hominum stuporem, nisi Dei præsentiam, quæ aquis visibilis fuit, in liberatione populi agnoscant. Quod additur de *abyssis*, tantundem valet ac si dictum esset, non modo superficiem aquarum Dei conspectu fuisse percussam, sed vim eius ad profundissimos etiam gurgites penetrasse.

18. (*Exundare fecerunt.*) Quia nomen *ים* non potest in constructione accipi, verbum transitive positum esse non dubito: etsi ad summam rei parum interest, neque enim obscurus est prophetae sensus, Non mare ipsum modo et fluvium Iordanem Deo tribuisse meritum honorem, sed aquas etiam in nubibus pendentes: quia coelum tonitru concussit, largas pluvias effudit. Docere autem vult, quocumque homines vertant oculos, ubique sursum ac deorsum a coelis usque ad abyssos in populi redemptione illustrem patere Dei gloriam. Porro quam historiam designet, non satis certum est: nisi forte quæ refertur Exodi cap. 9, 23 grandinem scilicet, tonitru et fulgetris mistum, horrendam cladem Aegyptiis intulisse. Nam et per *sagittas ambulantes* non dubium est quin metaphorice fulmina significet. Cohæret versus proximus, ubi dicit *vocem tonitru* auditam fuisse in sphaera, illuxisse fulgura orbi usque ad terræ concussionem. Summa huc tendit, satis superque in exitu populi testatam fuisse Dei potentiam oculis et auribus, quum et

coelum pertonnerit, et totus aër coruscaverit fulgore, et terra fuerit tremefacta.

20. (*In mari viae.*) Aliis verbis iterum describit miraculum in mari siccato. Nam quod in Israhelitas proprie competit, ad Deum transfert, cuius auspiciis et ductu per aridum maris rubri sinum transierunt illi. Praedicat autem, iter insolito modo fuisse patefactum, quia nec hominum industria exhaustum fuit mare, vel flumen alio derivatum; sed per medias aquas ambulavit populus, in quibus mox demersus fuit cum suo exercitu Pharaon: qua ratione dicit *vestigia Dei non fuisse cognita*, quia trajecto populo usitatum aquis cursum restituit. Finis additur, ecclesiae liberatio, quæ ad sperandam saltem optimi pignoris loco debuit esse piis omnibus. Populum ovibus comparans subindicat, nihil consilii, nihil virtutis in illo fuisse, nisi quod Deus pastoris officio fungi dignatus est, ut per mare et desertum, aliaque obstacula gregem rerum omnium inopem et egenum abduceret in hæreditatem promissam. Id confirmat ex persona Moysi et Aaron. Etsi enim nobile et memoratu dignum fuit eorum ministerium: hac tamen circumstantia non parum illustravit Deus suam potentiam, quod duos homines obscuros et contemptos, superbissimi regis furori et ingentibus copiis opposuit. Quid enim contra formidabilem tyrannum et gentem bellicosam potuit virga exulis et profugi, et vox miseri mancipii? Eo igitur magis enituit Dei virtus, dum in vasis illis testaceis ac fictilibus operata est. Quanquam non repugno quin ministros simul commendet, quibus tam honorificum munus Deus iniunxit.

PSALMUS LXXVIII.

ARG. Ut brevi compendio multas res complectatur, notandum est duo præcipua esse Psalmi huius capita. Nam ab una parte narrat propheta quomodo sibi ecclesiam Deus adoptaverit ex semine Abrahæ, quam suaviter ac benigne eam fovit, quam mirifice ex Aegypto collegerit, quam variis beneficiis eam fuerit prosequutus: ac altera parte exprobrat quam perverse subinde et scelerate a patre tam liberali desciverint Iudæi, quos sibi tantopere obstrinxerat: ut appareat inæstimabilis Dei bonitas, non solum in fonte ipso gratuita adoptionis, sed quia continuo tenore certare non destitit cum tam perfidæ et indomitæ gentis contumacia. Cæterum gratiæ renovationem, et quasi electionem secundariam commemorat, ubi Deus ex tribu Iudæ Davidem elegit qui regno præcesset.

1. *Erudiens Asaph. Ausculta popule mi legem meam:*) inclinate aures vestras ad verba oris mei.*
2. *Aperiam in parabolam os meum: eloquar aeni-*

*) ma Loy, *en marge*: ou ma doctrine.

gmata a tempore antiquo. 3. *Quae audivimus et cognovimus, et patres nostri narrarunt nobis.* 4. *Non occultabimus a filiis eorum in generationem posteram, narrantes laudes Iehovae et fortitudinem eius, et mirabilia eius quae fecit.* 5. *Et statuit testimonium in Iacob, et legem posuit in Israël, quia mandavit patribus nostris ut nota facerent ea filiis suis:* 6. *Ut cognoscat generatio postera, filii qui nascentur surgant, et narrent filiis suis.*

1. (*Ausculata.*) Ex fine Psalmi coniectura, meo iudicio, probabilis sumi potest, fuisse scriptum longe post Davidis mortem: quia illic celebratur regnum divinitus erectum in familia Davidis. Deinde per contentionem opponitur tribus Ephraim, quae dicitur fuisse repulsa, unde apparet, decem tribus tunc fuisse alienatas a corpore reliquo, neque enim frustra regnum Ephraim, quasi adulterinum, dedecore notatur. Caeterum quisquis fuerit auctor, non inducit loquentem Deum, ut quidam putant, sed in doctoris persona Iudaeos compellat. Nec obstat quod suum nominat populum, sicut et legem suam: quia novum non est prophetis, nomen eius a quo missi sunt, mutuari, quo maior constet doctrinae autoritas. Quae vero apud ipsos deposita est veritas, ipsis non abs re tribuitur. Sic Paulus, Rom. 2, 16 gloriatur de suo evangelio, non quod ipse fabricaverat, sed cuius praeco erat ac testis. Nescio tamen an nomen *אורי* apte interpretes verterint legem: quia videtur generalius esse, sicuti in altero membro patet, ubi *verba oris* eodem sensu ponit. Porro si reputamus quam segniter Deum audiant qui etiam maxime profitentur se eius esse discipulos, fatebimur non frustra hoc prooemio usum fuisse prophetam. Nam alloquitur quidem indociles ac prae fractos, qui Dei verbo se subiicere proterve recusant: sed quia in ipsis quoque fidelibus ut plurimum nimia est tarditas, non supervacua apud pigros fuit haec exhortatio. Iam quo sibi plus attentionis conciliet, asserit magnis et arduis de rebus verba se facturum. Nomen enim *משל* graves et insignes sententias Hebraeis significat, quales sunt paroemiae, vel proverbia, et apophthegmata. Quia igitur materia ipsa, si gravis et ponderosa est, expergefacerit hominum sensus, mera apophthegmata proferre sibi in animo esse testatur autor Psalmi. *אורי* quae, alios sequuti, Aenigmata vertimus, non tam pro obscuris sententiis, quam argutis vel notatu dignis positum est. Neque enim ambagibus involvet suum canticum propheta, sed dilucide et explicate disseret tam de beneficiis Dei, quam de populi ingratitude. Tantum, ut dixi, consilium eius est lectores acuere, ut attentius concionem hanc expendant. Citatur hic locus a Matthaeo, cap. 13, vers. 33 et accomodatur ad Christi personam, ubi obscuris parabolis mentes populi tenet

Calvini opera. Vol. XXXI.

suspensas. Voluit enim hoc modo probare se eximium Dei prophetam, quo maiore reverentia exciperetur. In hac igitur parte quum similis prophetae fuerit, quia de sublimibus mysteriis concionatus est altiore dicendi forma, opposita transfertur ad eius personam quod propheta de se affirmat. Caeterum si in Psalmo hoc relucet maiestas, quae iure suo ad discendi studium excitet lectores et accendat, hinc colligimus quam seria attentione evangelium excipere nos conveniat, ubi coelestis sapientiae thesauros nobis aperit Christus.

3. (*Quae audivimus.*) Quod praefatus de rebus magnis et absconditis se verba facturum, nunc subiicit, communem esse doctrinam, et per manus traditam: videtur nonnihil esse repugnantiae. Nam si patres filiis narrare oportuit quae hic dicuntur, debuit familiariter nota esse doctrina toti populo, ac rudissimis quibusque idiotis. Ubi igitur aenigmata quorum nuper meminit? Respondeo, facile haec conciliari: quia tametsi Psalmus res vulgo notas contineat, splendido tamen ornatu eas illustrat, quo magis afficiat corda hominum, sibi que plus autoritatis acquirat. Interim notandum est, quantumvis excelsa sit verbi Dei maiestas, non tamen obstare quin perveniat eius utilitas ad rudes quoque et parvulos: sicuti eos non frustra spiritus sanctus ad discendum invitat. Quod diligenter notandum est. Nam si Deus, ad captum hominum se accommodans, submissius loquitur, contemptui est humilis docendi ratio. Sin vero altius assurgens, reverentiam verbo suo comparat, obscuritas ad ignaviae excusationem obtenditur. Quum his duobus vitiis mundus laboret, spiritus sanctus stylum ita temperat, ne sublimitas doctrinae etiam minimis sit recondita, si modo placidam docilitatem et serium proficiendi studium afferant. Prophetae autem consilium est, omnem dictis suis dubitationem eximere, quia nihil novum proferre instituat: sed res pridem optime compertas, et sine controversia receptas in ecclesia. Ideo non modo *auditus* meminit, sed adiungit quoque *scientiam*: quia multa temere sparguntur quibus tamen non constat solida fides, imo nihil magis commune, quam fabulis repleti hominum aures. Non abs re igitur propheta quae audita esse dixerat, simul obsignat certo testimonio. Addit, Iudaeos ita fuisse a patribus edoctos: non quod semper omni vitio careat quod est domesticum, sed quia maior est figmentis locus, si quid affertur ex regione longinqua. Praecipue tamen notandum est, non quoslibet hic notari patres, sed qui electi erant in peculiarem Dei populum, et apud quos deposita erat coelestis doctrina.

4. (*Non occultabimus.*) Verbum *נכח* quidam accipiunt in niphali, ac vertunt, non esse celata: sed quia ratio grammaticae postulat aliter legi, sic resolve: Ut non celemus posteros nostros, sed quod

traditum fuit nobis a maioribus, studeamus trans-
mittere ad eorum nepotes, atque hoc modo tollitur
omnis ignorantiae praetextus, quia voluit haec Deus,
per continuas aetatum series promulgari, ut per
singulas familias de manu in manum transmissa, ad
ultimos usque pervenirent. Finis etiam ostenditur,
ut *celebrarent laudes Dei, et fortitudinem in miraculis*
editis. Caeterum quia consensus hominum ad plenam
doctrinae fidem non sufficeret, propheta ultra
progreditur, Deum autorem faciens. Refert igitur,
patres non suo arbitrio, sed Dei mandato imbuisse
filios hac doctrina. Quod *statutum et legem* quidam
ad praesentem narrationem referunt, quod Deus
posuerit decretum in Iacob instar regulae inviolabilis,
ut semper in oro omnium sonaret liberatio populi:
nimis videtur restrictum. Itaque ad legem scriptam
extendo, quae tamen ex parte in hoc data fuit, ut
redemptionis memoria populum qui semel collectus
fuerat, retineret sub Dei obsequio. Intelligit ergo
propheta Deum non modo potenti manu Iudaeos
sibi acquisivisse, sed obsignasse suam gratiam, ne
unquam aboleretur eius notitia. Et certe quasi
publicis tabulis consignata fuit, ubi per legem scrip-
tam sancitum fuit foedus, ut scirent posteriori Abra-
hae se ab aliis gentibus fuisse segregatos. Nam
tenere duntaxat nudam historiam rerum gestarum,
res fuisset levis momenti, nisi ad gratuitam adoptio-
nem eiusque fructum spectassent. Hoc igitur est
decretum, ut patres legis doctrina imbuti, quasi ex
ore Dei, filiis commemorarent, se non modo semel
fuisse redemptos, sed collectos in unum ecclesiae
corpus, ut Deum liberatorem sancte pureque omni-
bus saeculis colerent. Particulam *וְאֵלֶיךָ* exegetice
hoc loco positam esse non dubito, pro nempe. Ego
reddidi per quia, quod idem valet. Proximo versu
confirmat quod dixit de perpetua doctrinae succes-
sione. Nam hoc scire nostra magnopere interest,
non uni tantum saeculo datam fuisse legem, sed
quam patres ad filios transmitterent quasi haereditario
iure, ne unquam intercideret, sed superstes maneret
usque ad finem mundi. Haec ratio est cur dicat
Paulus, I. Tim. 3, 15, ecclesiam esse columnam
et firmamentum veritatis: non quod per se infirma
sit, vel indigeat alienis subsidiis, sed quia per
ministros eam Deus propagat, qui dum fideliter in-
cumbunt in munus docendi, quodammodo suis hu-
meris sustinent veritatem. Admonet autem pro-
pheta, dandam esse operam, ut in obeundis docendi
partibus alii aliis succederent. Quemadmodum igitur
lege nondum scripta, de Abraham dicitur,
Gen. 18, 19: Instituet filios suos in viis, et man-
datis et praeceptis Domini: ita post eius mortem
iniuncta patriarchis fuit eadem necessitas. Lege
lata sacerdotes praefecit Deus ecclesiae suae, qui
publici essent magistri et doctores. Hoc idem sub
regno Christi esse observandum testatus est per

Iesaiam, 59, 21 dicens: Ponam verbum meum in
ore seminis tui, et seminis quod inde nascetur in
perpetuum usque. Peculiare tamen interea manda-
tum datur patribus, ut singuli suas familias sedulo
erudiant: et promiscue monentur omnes, operam
hanc gratissimam esse Deo, si nomen eius trans-
mittere studeant ad aetates futuras. Neque enim
paucos tantum designat his verbis Propheta, Filii
qui nascentur surgant: sed quotquot nascuntur, to-
tidem vult praecones succrescere, quorum opera
semper floreat ac vigeat pura religio.

7. *Ut ponant in Deo spem suam, neque obli-
scentur operum Dei, et ut mandata eius observent.*
8. *Et non sint sicut patres sui, generatio defectrix et*
exasperans, generatio quae non direxit cor suum, et
cuius spiritus fidelis non fuit erga Deum. 9. *Filii*
Ephraim armati iaculantes arcu versi sunt in die
proelii. 10. *Non custodierunt foedus Dei, et in lege*
eius recusarunt ambulare. 11. *Et obliti sunt operum*
eius, et mirabilium quae ostendit illis.

7. (*Ut ponant.*) Usus doctrinae notat: Primum
ut tam pretioso laboris sui fructu alacrius stimulen-
tur patres ad filios docendos, ubi se et purum Dei
cultum asserere, et filiorum saluti consulere vident.
Deinde ut filii vicissim maiore desiderio accensi,
festinent ad discendum, neque vagentur in frivolis
speculationibus, sed ad rectum scopum colliment.
Est enim illa infelix et misera fatigatio, semper
discere, ut nunquam ad scientiam veritatis per-
venias, 2. Tim. 3, 7. Ergo quum audimus quor-
sum lex tradita sit, hinc colligere promptum est
quaenam vere sit atque utilis rite proficiendi ratio.
Spem vero locat in summo gradu: deinde obser-
vationem mandatorum exigit: medio autem loco
statuit memoriam operum Dei, quae ad fidei con-
firmationem valet, quasi diceret, hanc coelestis
sapientiae esse summam, ut populus Deo affixus
sincera fide eum invocet, atque, alendae fiduciae
suae causa, meditandis eius beneficiis se exerceat:
deinde ut se pure addicat in eius obsequium. Caete-
rum hinc discamus legitimum Dei cultum a fide
incipere: quia praecipua honoris sui parte fraudatur,
si alio transferimus spes nostras.

8. (*Et non sint sicut.*) Hac circumstantia melius
admonet quam necessaria sit haec concio, quod
scilicet proclives sint Iudaei ad defectionem, nisi
firmis vinculis retineantur. Nam pro confesso su-
mit nihil meliorem praeditos esse ingenio quam
patres, quos dicit perfidos, rebelles, tortuosos, et
immorigeros fuisse. Statim igitur diffuerent, nisi
assiduus fulturis confirmarentur eorum corda. Imo
quod Horatius de gente sua scribit, experientia
demonstrat ubique verum esse: Aetas parentum
peior avis tulit Nos nequiores, mox daturos Pro-

geniem vitiosorem. Quid ergo fieret nisi succurreret Deus mundo ita in deterius labenti? Iam quum ex patrum malitia et pravitate doceat propheta severam disciplinam Iudaeis necessariam esse, quae a malis exemplis eos revocet, hinc colligimus quam stulte sibi mundus persuadeat patrum imitationem instar esse legis. Nec vero de quibuslibet populis hic agit propheta, sed de sancto et electo genere Abrahæ: nec paucos tantum perstringit, sed totam fere gentem, in qua passim tam pervicacia, quam oblivio gratiæ Dei et perfida simulatio grassata fuit. Nec unius tantum ætatis patres commemorat, sed longam antiquitatem complectitur, ne ex peccandi vetustate capteretur defensio. Quare delectus prudenter habendus est inter patres, quosnam imitari expedit. Et quia difficile revellitur prae-postera illa patrum æmulatio, quorum reverentia naturaliter ingenua est, pluribus verbis eorum scelera propheta exaggerat, apostasiam, irritationem, perfidiam, et hypocrisin exprobrans: quæ etsi gravissima sint probra, modum tamen non excedere, ex contextu mox patebit. Verbum *הָיָה*, vertunt alii stabilire: sed meo iudicio potius intelligit propheta per obliquos recessus semper a Deo deflexisse. Verbum etiam *נֶאֱמַר* quidam accipiunt pro inniti: sed rector est altera interpretatio, non fuisse constanter et bona fide addictos Deo, qui tamen iuraverant in eius nomen. Porro quod ex hoc loco colligunt papistæ, esse in hominis arbitrio flectere cor, ac dirigere in utramque partem, frivola est consequentia. Quamvis enim iure propheta eos accuset qui cor suum non direxerunt: non tamen ex professo disserit quid a se ipsis valeant. Et si enim proprium Dei opus sit, intrinseco spiritus motu convertere ad se hominum corda, non tamen a culpa eximentur, vel poenam effugient quos sua libido et pravitas alio trahit. Caeterum ex vitiis quæ hic notantur, discendum est qualiter a nobis coli Deus velit. Primo enim deposita pervicacia iugum eius subeundum est: deinde induendus mansuetudinis spiritus, cordis affectus in Dei obsequium ordinandi, et sectanda rectitudo: et quidem non evanido fervore, sed sincera constantia.

9. (*Filii Ephraim.*) Exemplum illius infidelitatis proponit in filiis Ephraim. Et quia non facile simplici doctrina resipiscunt qui pertinaciter addicti sunt malo, ex poenis a Deo inflictis probat filios Ephraim reprobos fuisse. Nam quum bellicosi essent, signum iræ Dei fuit, terga vertere in proelio, ac diserte exprimit *sagittandi* fuisse *peritos*: quia absurdus est metu fugari qui ad hostes minus feriendos telis instructi sunt, unde etiam apertius constat, Deum illis fuisse offensum, qui eos non modo destituerit auxilio suo, sed emollierit ipsorum corda. Quaeritur cur filios Ephraim solos iam accuset, quum in genere nuper tribus omnes

comprehenderit. Quidam interpretes ad cladem referunt quæ a Githæis illata fuit quum ad recuperanda spolia obviam filiis Ephraim progressi sunt. 1. Par. 7, 20. Quod nimis restrictum est, nam fieri potest ut regnum Israël, quo tempore compositus fuit Psalmus, collapsum et magna ex parte dirutum fuerit. Non male igitur alii synecdochè esse sentiunt, et filios Ephraim accipiunt pro toto populo: nisi quod inconsiderate prætereunt fuisse data opera nominatos, quia aliis fuerant defectionis autores, quum Iarobeam vitulos erexit. Memoria enim tenere convenit quod diximus, circa finem non frustra conferri repulsam tribum Ephraim cum electione tribus Iehudah. Ideoque nunc quoque de filiis Ephraim comparative sermo habetur, ut veros Abrahæ filios admoneat eorum exemplo qui se ab ecclesia abdicaverant, et se tamen iactabant inani ecclesiæ titulo. Nam quum multitudine et opibus præstarent, ad fallendos simplices nimium valebat eorum autoritas: quæ nunc spoliatur eos propheta, Dei auxilio nudatos fuisse docens. Nam huc spectat causæ redditio, quod *non custodierint foedus Domini*. Fuit quidem aliis etiam crimen hoc commune, sed consulto vindictæ Dei exemplum protulit in tribu illa, quæ sua autoritate totum fere populum corruperat. Quia ergo splendor ac dignitas Ephraim turpis apostasiæ vexillum fuerat, cavere voluit propheta ne fallendis simplicibus larva illa adhuc maneret. Porro non leviter eos accusat, sed exprobrat perfidiam in totius legis contemptu, et foederis violatione, tametsi enim utrumque nomen eodem sensu accipiat, *foedus* priore loco ponens, satis ostendit se non solum de regula bene vivendi agere, sed de toto cultu Dei, de fide promissionum et invocatione, et pietatis doctrina, cuius fundamentum erat adoptio. Foedifragos itaque nominat: quia promissionum fide exciderant, quibus Deus pepigerat se illis fore in patrem. Apposite tamen *legem* postea adiungit, in qua velut in publicis tabulis consignatum fuerat foedus. Auget criminis atrocitatem *renuendi* verbum, quo significat non fuisse solum impetu quodam temere abreptos, ut levitate, imperitia, vel errore peccarent, sed ex professo et deliberata pervicacia violasse sacrum Dei pactum. Fontem quoque tam foedæ impietatis designat ingratitude, quod redemptionem æterna memoria dignam maligne sepelierint, ac pro nihilo duxerint. Fuit certe similis portento hæc socordia, discedere a Deo Israëlitas, cui tot modis devincti erant, nec fieri ullo modo poterat ut sic a Satana fascinerentur, nisi tot miraculorum obliti essent, quæ totidem erant ad eos sub metu Dei et obsequio retinendos vincula. Ac ne qua excusatio supersit ad levandam culpam, splendidiore elogio insignit opera illa: quasi diceret non fuisse vulgarem agendi modum, ut obrepere potuerit oblivio: sed Israëlitas

perverse et nequiter clausisse oculos, ne gloriae Dei intuitu retinerentur.

12. *Coram patribus eorum egit mirabiliter in terra Aegypti in campo Soan.* 13. *Scidit mare et traduxit eos, et statuit aquas velut cumulum.* 14. *Et deduxit eos in nube interdiu, et omni nocte in splendore ignis.* 15. *Scidit rupes in deserto, et eos potare fecit in abyssi magnis.* 16. *Et eduxit fluentia e rupe, et descendere fecit aquas velut fluvios.*

12. (*Coram patribus eorum.*) Tametsi posteros adhuc in reatum trahit, commode tamen simul incipit de primis gentis auctoribus concionari: ac si diceret, iam a prima origine fuisse omnes pravo ingenio et rebelli. Quia tamen filios Ephraim dixerat prolapsos in apostasiam fuisse, quia mirabilium Dei obliti essent, sententiam hanc adhuc persequitur: interea, ut dixi, opportune transitum sibi facit ad patres in eundem reatum trahendos. Primo loco miracula attingit in medio Aegypti sinu ante populi egressum edita. Locum vero celeberrimum nominat illustrioris notitiae causa. Postea ad maris transitum descendit, ubi repetit quod alibi vidimus, mutatum esse naturae ordinem, ut aquae cursum suum sisterent, adeoque in firmos cumulos velut montes elevarentur. Tertio loco narrat traiectionem mari rubro, Deum itineris fuisse ducem populo: et ne momentanea tantum esset redemptio, porrecta manu continuasse suam gratiam. Nam quum difficile ac molestum esset per arida et sabulosa loca pergere, non vulgare beneficium fuit, opposita nube protegi ab aestu solis. Quanquam fuit illud excellentioris gratiae pignus, quod scilicet Deus populum hunc sub protectione sua esse testatus est, donec in coelestem haereditatem perveniret. Unde etiam Paulus 1. Cor. 10, 2 in nube illa baptismi speciem fuisse docet, sicuti in maris transitu, cuius fructus non in hac caduca vita inclusus est, sed ad salutem usque aeternam pertinet.

15. (*Scidit rupes.*) Aliud paterni amoris symbolum producit, quo Deus ostendit quantae sibi curae esset illius salus. Porro non dicitur simpliciter Deus potum suppeditasse, sed id fecisse praeter naturam. Oriuntur quidem interdum ex rupibus flumina, sed rupes quam percussit Moses, arida prorsus erat, unde constat aquam illam non fuisse elicita ex scaturigine aliqua, sed erutam ex profundissimis abyssi: quasi diceret ex ipso terrae centro. Itaque sensum prophetae assequuti non sunt qui interpretantur, in profundis abyssi potasse Israelitas, quoniam aquae larga abundantia fluere. Potius miraculum amplificat Moses, quod ex remotissimis venis aquas illas Deus fluere iusserit. Idem confirmat proximo versu, fuisse amplum et magnum flumen ubi nulla prius fuerat aquae gutta. Nam

si tenuis solum rivulus manasset, poterat a profanis hominibus obscurari Dei gratia: sed ubi tanta copia aquarum repente erumpit, quis non mutatum potius videt naturae cursum, quam occultam sub terris venam apertam fuisse?

17. *Et adiecerunt adhuc ad peccandum contra eum, ad exasperandum Excelsum in deserto.* 18. *Et tentaverunt Deum in corde suo ad petendum cibum animae suae.*)* 19. *Et loquuti sunt contra Deum, dixerunt, An poterit Deus parare mensam in deserto?* 20. *En percussit rupem et fluxerunt aquae, et flumina inundarunt, an etiam poterit panem dare? an parabit carnem populo suo?* 21. *Propterea audivit Iehova et indignatus est, et ignis accensus est in Iacob, atque etiam ira adscendit in Israël.* 22. *Quia non crediderunt in Deo, et non speraverunt in salute eius.*

17. (*Et adiecerunt.*) Postquam breviter exposuit propheta continua beneficiorum serie Deum palam fecisse quantopere amaret Abrahae filios, nunc addit, postquam eos sibi tam sancte obligaverat, pro suo more et ingenio scelerate in eum insurrexisse. Ac primo quidem eos accusat, quod mala malis pertinaciter addendo, eum exasperaverint: deinde speciem irritationis designat. *Exasperandi* autem verbo significat non leve fuisse delictum, sed malitiam intolerabilem. Iam loci quoque circumstantia exaggerat criminis magnitudinem, quo in ipso deserto, recenti adhuc liberationis memoria, ubi quotidie oculis ingerebantur signa praesentiae Dei, ubi necessitas ipsa ad obsequium eos cogere debebat, suam intemperiem non cohibuerint. Quod ergo coram ipso Deo, qui praesenti gloriae suae intuitu eos terrebat, qui tam benigne et suaviter eos ad se alliciebat, quum rerum omnium inopia ad eos cohibendos optimum remedium esset, petulanter tamen se gesserint: prodigiosus certe fuit furor.

18. (*Et tentaverunt.*) Haec fuit irritatio cuius meminit: non quod cibum petere, si cogeret inedia, per se esset illicitum. Quis enim vitio vertat si famelici Deum nutrimentum implorent? Sed in eo peccarunt, quod cibo divinitus sibi destinato non contenti, laxarunt suae libidini habenas. Deus enim iam eos manna pascere coeperat, ut mox iterum videbimus. Eius autem alimenti fastidio impulsus, novos cibos appetunt, ac si respuerent patris sui demensum. Hoc significat propheta nomine *animae, petisse cibum*, non quod esuricus cogeret, sed quia eorum concupiscentiae non sufficeret cibo divinitus ordinato vesci. Hac ratione dicit eos tentasse Deum: quia ultra fines sibi a Deo praescriptos transilierint. Quisquis enim posthabito et neglecto

*) à leur aine, *en marge*: ou à leur cupidité.

Dei permissu, suae intemperantiae indulgens, plus quam fas est appetit, dicitur Deum tentare: ac si eum vellet subicere suo arbitrio, vel inquireret an plus possit quam velit. Et certe quisquis Dei potentiam a voluntate separat, Deum ipsum, quantum in se est, discerpit, id autem faciunt qui experiri cupiunt an plus daturus sit, quam petere concedat. Ideoque ne carnis libido ad Deum tentandum nos sollicitet, discamus fraenare nostra desideria, et modeste quiescere intra fines nobis praescriptos. Nam si libere exsulet caro, pane quotidiano non contenti, subinde variis modis contra Deum tumultuabimur. Quia autem dixerat ipsos tentasse Deum in corde, addit non esse veritos palam impuro et blasphemore proferre quam intus conceperant impietatem, unde melius apparuit cor eorum malitia et pravitate penitus fuisse occupatum. Sic enim concupiscentia peccatum concipit dum admittitur pravo consensu. Deinde peccatum ipsum longius prorumpit, sicuti videmus Israëlitas ad sacrilegam lasciviam progressos esse, dum interrogant de potentia Dei, ac si eam pro nihilo ducerent, nisi quatenus suae libidini moram gereret. Per *mensam paralam* lautitias intelligit, quibus ante assueverant in Aegypto. Neque enim eorum animos placabat unus et simplex cibus, nisi multiplex copia et varietate se oblectarent. Quum dicit, *En Deus aquas profluere iussit*, et caetera: non dubito quin amarulenta ironia mordeat ipsorum petulantiam. Neque enim verisimile est sic loquutos esse, sed quasi ex eorum persona refert propheta quae sub eorum erant oculis.

21. (*Audivit Iehova.*) Istud audire Dei, tantunden valet ac legitima cognitio, similitudine a terrenis iudiciis sumpta, qui nisi causa probe cognita punire fontes nequeunt. Sicuti ergo suos audire dicitur, quorum votis propitius succurrit: sic rursus audire dicitur blasphemias quae iudicium eius non effugiunt. Caeterum ne putetur irae Dei atrocitas modum excedere, gravitatem sceleris iterum describit propheta, quod Deo non crediderint, nec speraverint in salute eius. Sumit autem pro confesso, promissiones illis fuisse datas, quibus acquiescere ipsos decebat, nisi eos transversos egisset importuna vesania. *Sperare in salute Dei* tantunden valet ac recumbere in paternam eius providentiam, ut sufficientia nostra penes eum tota resideat. Atque hinc colligimus non modo quam abominabilis Deo sit incredulitas, sed quaenam vera sit fidei natura, et quos ex se fructus pariat. Unde enim fit ut placide se Deo subiciant homines, nisi quia persuasi salutem suam unice ei caram esse, daturum quoque statuunt quidquid expedierit, atque ita se permittunt eius arbitrio regendos? Fides ergo verae pietatis radix est, quae bona omnia ab uno Deo sperare et expetere docet, ac nos in eius obsequium format: sicuti semper Deo obstrepere et

rebelles esse necesse est quicumque diffidunt. Huc spectat prophetae contextus, fidem falso obtendere qui salutem ab eo non exspectant: quia ubi Deo creditur, statim exoritur salutis fiducia, quae bonorum omnium ei laudem tribuit.

23. *Mandaverat autem nubibus desuper, et ianuas coeli aperuerat.* 24. *Et pluerat super eos man in cibum, et frumentum coelorum dederat illis.* 25. *Panem fortium comederat homo, cibum miserat ipsis ad saturitatem.*

23. (*Mandaverat.*) Qui putant miraculum hoc referri historico ordine, longe falluntur: quia potius hac comparatione asperius Israëlitas urget propheta, quod manna saturi non destiterint concupiscere quas sibi a Deo negari lautitias sciebant. Nam ter et quater foeda ingratitudo fuit, respuere coelestem cibum, qui eos angelis quodammodo sociabat. Si quis in Gallia vel in Italia degens, aegre ferat se non vesci aegyptiaco pane, et vino asiatico privari, nonne gigantum more cum Deo et natura bellum geret? In Israëlitis minus excusabilis fuit intemperies, quibus non modo terrenos cibos ad satietatem suggerebat Deus, sed panem coelestem in alimentum dabat. Si passi fuissent longam inedia, decebat tamen modestius cibum a Deo petere: si furfure tantum et quisquiliis victitassent, docebat eos agnoscere in deserto non vulgarem Dei gratiam: si vero tantum datus fuisset cibarius panis, erat cur ingentes gratias agerent. Quid nunc, ubi Deus novum alimenti genus creavit, quod e coelo quasi porrecta manu ubertim et copiose suppeditat? Haec ratio est cur *Man* vocetur *triticum coeleste*, et *panis fortium*. Quod autem אֲבִירִים quidam pro coelis accipiunt, quanquam non repudio, minus tamen placet quam de angelis accipere, sicuti chaldaeus interpretes et post eum alii sumpserunt. Certum quidem est, magnifice ideo celebrari miraculum, quo magis detestabilis reddatur populi impietas: quia longe praestantius fuit man e coelo pluiere, quam si satiati fuissent vel herbis vel fructibus, vel alio terrae proventu. Alio sensu Paulus prioris ad Corinthios cap. 10, vers. 3. *Man* appellat spirituale cibum, quia figura et symbolum erat Christi. Sed hic prophetae consilium est, coarguere duplicem populi ingratitudinem, quod non modo vulgares cibos, qui ex terra proveniunt, sed angelicum panem contempserit. Tollendae ambiguitatis causa tempus plusquamperfectum in verbis reddere malui: quo melius intelligerent lectores in memoriam reduci quod ante gestum fuerat.

26. *Pergere fecit ventum orientalem in coelis, et excitavit in virtute sua austrum.* 27. *Et pluit super eos quasi pulverem carnem, et quasi arenam marium*

volucrem pennatam. 28. Et cadere fecit in medium castrorum eius per circuitum ad tabernacula eius. 29. Et comederunt, et saturati sunt valde, et desiderium eorum attulit ipsis. 30. Non alienati sunt a desiderio suo: adhuc cibus erat in ore ipsorum, 31. Quum ira Dei adscendit in eos, et occidit pingues eorum, et electos Israël prostravit.

26. (*Pergere fecit.*) Narrat propheta Deum morem gessisse populo suo, non quod obstreperum illud votum propitius exaudierit, sed ut effectum ipso probaret sibi in manu esse quod illi non crediderant. Unde etiam patet quam perperam carnem cum manna coniungant quidam interpretes, quorum prorsus diversa est ratio: quia in manna patris officium praestabat Deus: carnibus replevit ingluviem eorum, ut ipsa ingurgitatio eos suffocaret. Etsi autem Deo non fuisset difficile coturnices creare in medio deserto, ventorum tamen impetu illuc advehi voluit, ut discerent Israëlita elementa omnia patere eius imperio, nec obstaculo esse locorum distantiam quominus eius virtus statim ab oriente in occasum penetret. Clarum ergo virtutis, cui maligne detraxerant, experimentum habent increduli, ubi elementa omnia praesto sunt ad obsequium, et quidquid mandavit celeriter exsequuntur. Porro non dubium est quin ventos pro situ castrorum excitaverit: quamvis promptum esset nullis mediis carnes in medium afferre. Dicit autem comediase et fuisse saturatos, non tantum ut sciamus copiam avium illis fuisse oblatam, qua largiter farcirent ventres suos: sed mera intemperantia fuisse impulsos ad petendas carnes, non autem sollicitos fuisse de vietu. Dixerat quidem prius man illis datum fuisse ad satietatem, sed hic luxuriam et voracitatem diserte perstringere voluit, in qua se prodidit effraenis eorum cupiditas. Quanquam autem alibi singularis privilegii loco promittit Deus fidelibus se facturum quod optaverint: alio tamen modo hic obsequutus dicitur perversis impii populi votis: quia quod propitius negasset, iratus concessit. Quod exemplum notatu dignum est, ne queramus vota nostra arcano Dei consilio corrigi, dum intemperantius effluunt. Tunc enim vere exaudit, ubi non indulget stultis cupiditatibus, sed beneficentiam suam salutis nostrae modo attemperat, sicuti plus impiis largiendo, quam ipsis utile sit, non eos proprie exaudit, sed exitiali mole onerat, quae ipsos in exitium praecipites agat. Id clarius exprimit continuo post subiiciens letalem illis fuisse saginam illam, quasi una cum cibo flammam irae Dei vorassent. *Non alienatos fuisse a desiderio suo*, tantundem valet, ac sua cupidine adhuc flagrasse. Si quis excipiat, hoc non congruere cum proxima sententia, ubi dictum fuerat comediase ad satietatem, facilis est solutio. Scimus enim, nisi intra fines rationis et

temperantiae se contineant hominum animi, esse inexplebiles, ideoque saturitate non restingui pravi appetitus ardorem. Quidam vertunt, non fuisse frustratos: alii, nondum habuisse cibum fastidio: quod posterius mentem prophetae non male exprimit: sed a verbo *תן* remotum est. Duobus ergo verbis exprimere voluit propheta praesentem oblationem: quia ubi vindictam de illis sumpsit Deus, adhuc lasciviebant in sua crapula. Caeterum, *ira Dei* metaphorice *adscendere* dicitur, dum repente in iudicium consurgit: quia dissimulans ad peccata videtur quodammodo sopitus esse. Quanquam autem per singulos ordines grassata fuit poena, *pingues* tamen et *electos* consulto propheta nominat, ut clarius refulgeat Dei iudicium. Neque enim temere accidit, ut robustissimos quosque et eximio vigore praeditos tabes conficeret. Deinde quia ut plurimum homines fallit sua virtus, ut audacius proterviant contra Deum, quia infirmitatis suae immemores, quidvis sibi licere putant: ideo mirum non est durius in eos saeviisse iram Dei.

32. *In omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt mirabilibus eius: 33. Et consumpsit in vanitate dies eorum, et annos eorum in festinatione. 34. Quum occideret eos, quaerebant eum: reversi sunt, et mane properabant ad Deum. 35. Et recordati sunt quod Deus rupes eorum, et Deus excelsus redemptor eorum. 36. Et blanditi sunt ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei: 37. Cor autem eorum non fuit rectum coram eo, et non fuerunt veraces in foedere eius.*

32. (*In omnibus.*) Vulgare proverbium est, stultos plagis sapere, unde sequitur prorsus esse desperatos qui saepius a Deo castigati non resipiscunt. Talem contumaciam describit propheta in Israëlitis, quae nullis flagellis corrigi potuerit. Haec formidabilis erat Dei vindicta, tantam fortium virorum stragem cernere. Quod ergo tali portento commoti non sunt, eo convincitur portentosa eorum durities. Quanquam per *mirabilia* non solum poenam de qua nuper loquutus est intelligit, sed alia etiam signa comprehendit quorum ante facta fuit mentio. Duplicis ergo malitiae eos insimulat, quod non modo fidem abrogaverint verbo Dei, sed etiam eius miracula contempserint. Ideo subiicit auctas fuisse poenas, sicuti per Moysen denuntiat ac minatur Deus septuplo durius se acturum cum praefractus qui in accleribus suis pergent. Caeterum, quia de toto populo hic loquitur, quasi diceret, sine exceptione omnes a minimo usque ad maximum celeriter fuisse consumptos, probabili ratione referri hoc posset ad gravissimam illam poenam quae iureiurando sancita fuit, perituros omnes in deserto, duobus tantum exceptis, Iosue et Caleb: qui iam

propinqui terrae Canaan cursum retro flexerant. Quum ergo sibi clausissent ingressum, cecidit in deserto quadraginta annis immensa multitudo. *Dies* priore loco ponit, deinde *annos*: ac si diceret Dei maledictione praecisum illis fuisse vitae tempus, ut facile constaret in medio cursu ipsos deficere. Consumpti ergo fuerunt *dies in vanitate*, quia evanuerunt instar fumi: *anni in festinatione*, quia celeri transitu fluxerunt. כָּלֵל quidam vertunt terrorem, ego mallem Tumultum: quia haud dubie significat propheta tumultuarie abruptam illis fuisse vitam. Sed Festinationis nomen quod clarius erat, mutare nolui. Haec autem iusta pertinaciae fuit merces, vires quibus superbiebant emarcidas reddere, ut celeriter instar umbrae diffuerent.

34. (*Quum occideret eos.*) Hac circumstantia crimen auget: quia ubi scelorum convicti se iustas fatentur poenas dare, non sincero autem animo supplices fiunt, imo prava simulatione Deum eludunt: minus excusabilis est eorum impietas. Si quis mente captus mala sua non sentiat, ignoscitur stupori: qui vero reatum agnoscere cogitur, sui tamen similis manet, vel fucata deprecatione functus, statim ad ingenium redit: hac perfidia se insanabilem esse demonstrat. Subindicat autem propheta non vulgares vel obscuras fuisse poenas, quibus gens illa tam obstinata ad quaerendum Deum compulsa fuit: neque solum refert scelorum fuisse convictos, sed etiam redemptionis a qua exciderant, sensu et memoria fuisse tactos. Hoc modo melius tollitur ignorantiae praetextus: ac si diceret non fuisse inconsiderate abreptos, vel deceptos errore, sed quasi data opera perfide agendo in se provocasse iram Dei: sicuti in hunc finem aperuit illis Deus oculos, ut perditam eorum malitiam apertius detegeret, ac si hypocrisin et blanditias eorum discutiens, e suis latebris eos traheret in lucem. Perfidiam vero accusans propheta, quia neque recto corde confessi fuerint culpam, neque vere gloriam redemptionis Deo tribuerint, dicit eos *ore blanditos et lingua mentitos fuisse*, non quod nulla esset agnitio, sed quia oris confessio affectu carens, voluntaria non erat. Quod notatu dignum est: quia hinc colligimus non modo crassam hypocrisin cavendam esse, ubi aliud apud homines profitetur lingua, quam animus sentiat: sed simulationem quoque magis occultam, ubi metu coactus serviliter blanditur Deo peccator, qui tamen libenter iudicium eius effugeret. Atqui maior pars hoc morbo exitialiter laborat: quia licet Dei maiestas aliquam illis reverentiam extorqueat, cuperent tamen extinctam esse omnem lucem doctrinae. Quare non satis est annuere verbo Dei, nisi accedat serius affectus, nec cor nostrum duplex sit vel diviseum. Ideo simulationis causam et fontem propheta notat, quod non fuerint *stabiles ac veraces*: ac si diceret, mendacium et fallaciam coram Deo

reputari, nisi quod ex pura cordis sinceritate profectum fuerit. Quia vero talis integritas passim requiritur in lege, tanquam foedifragos accusat qui foedus Dei non coluerint qua decebat fide. Mutua enim (ut alibi dictum fuit) relatio inter fidem nostram et Dei foedus tenenda est, ut huius veritati vicissim non fallax illius consensus respondeat.

38. *Et ipse misericors expiavit iniquitatem, et non perdidit: et multiplicavit ad avertendam iram suam, et non excitavit omnem indignationem suam.*
39. *Et recordatus est quia caro sunt: spiritus transiens et non revertens.* 40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, moerore affecerunt in solitudine?*
41. *Et reversi sunt et tentaverunt Deum, et sanctum Israël circumscripserunt.*

38. (*Et ipse misericors.*) Quo melius pateat nulla ratione fuisse flexibiles ut redirent ad sanam mentem, nunc dicit multa eorum peccata Deum tolerasse: sed quoties veniam dedit, non minus impie eius indulgentia fuisse abusos, quam prae fracti fuerant adversus rigorem. Interea causam assignat cur non in totum perierint. Etsi enim digni erant interitu, Deum tamen iram suam temperasse refert, ut maneret aliquod residuum semen. Ne quis ergo ex illis vindictae exemplis colligeret, Deum summo iure egisse, propheta hic admonet, mediocres, imo mites fuisse poenas prae atrocitate criminum: quia Deus manum suam sustinuerit, non tam quid meriti essent respiciens, quam locum dare volens suae misericordiae. Non est autem cur propterea imaginemur mutabilem esse Deum, dum nunc asperius nos castigat, nunc comiter ad se allicit: quia pro incomparabili sua sapientia diversis modis experitur num quae sit spes sanandi. Sed hinc crescit reatus, si neque severitas eius nos corrigit, neque emollit clementia. Notandum autem est, quod Deus pepercit populo, causam adscribi eius misericordiae, quae naturaliter in ipso residet: ut sciamus non aliunde fuisse adductum ut tam propensus esset ac facilis ad dandam veniam. Porro quia non semel neque uno modo ignovit Deus, dicit propheta *expiasse iniquitatem, ut non perderet*: deinde quum saepius esset provocatus avertendae irae suae non fecisse finem: postremo mitigasse poenas, ne ipsa gravitate populum obruerent.

39. (*Et recordatus est.*) Nunc alteram causam adducit, quod scilicet experiri noluerit Deus robur suum contra homines natura fluxos et evanidos. Loquutiones enim quas usurpat, fragilitatem notant, qua miserabilis est hominum conditio. Carnem cum spiritu frequentius scriptura committit per antithesin, non modo ubi per carnem intelligitur corrupta et vitiosa natura, per spiritum integritas, ad quam renascuntur filii Dei: sed etiam ubi ho-

mines caro vocantur, quia nihil in ipsis firmum sit vel solidum, sicuti apud Iesaiam 31, 3: Aegyptus caro est, et non spiritus. Verum hoc loco propheta eodem sensu *carnem et spiritum* posuit: priori voce corruptioni et putredini obnoxios esse homines significans, altera vero flatum, vel nescio quid umbratile. Quia enim continua defluxio homines ad interitum compellit, comparat eos vento ambulanti, et qui proprio motu concidit sine reditu. Peracto enim stadio non ordimur novam vitam in terra, sicuti et Iob cap. 14, 7 dicitur, arbores quotannis renasci, et herbas ubi hyeme fuerint emortuae, iterum virescere: hominem vero, postquam interierit, non recuperare vires. Nunc tenemus prophetae sensum, Deum pro sua misericordia tolerasse Iudaeos, non quod digni essent, sed quia caduca et fluxa eorum conditio veniam illis impetraverit. Similem fere sententiam habebimus Psalmo 103, 14 ubi dicit propheta, Deum nobis esse propitium, quia videt herbae similes, statimque instar foeni arescere. Quod si in nobis nihil praeter miseriam reperit Deus, quo flectatur ad misericordiam, sequitur nonnisi mera et gratuita bonitate induci ut nos sustineat. Caeterum ubi negat propheta, *reverti* homines peracto cursu, minime excludit spem futurae resurrectionis, tantum enim in se ipsis considerat homines, ac de terreno eorum statu loquitur. Renovatio autem in coelestem vitam miraculum est longe altius natura. Eodem sensu alibi dicitur, *Exit spiritus eius, et non revertitur*, Sap. 16, 14 quia scilicet spem futurae instaurationis ex utero minime afferunt homines, sed ex regenerationis gratia eius petenda est.

40. (*Quoties exacerbaverunt.*) Confirmat proximam sententiam: quia scilicet immensa scelerum congerie toties Deum provocaverint in deserto, ut millies perire necesse fuerit, nisi millies propitius illis fuisset Deus. Interrogatio autem magis emphatice exprimit, nullum fecisse peccandi modum. *Deserti* nomen tam loci quam temporis circumstantiam in se continet: ac si ingratitudinem argueret propheta, quod tam recentibus Dei beneficiis, imo quotidiano eorum adspectu non saltem retenti fuerint: deinde violentam intemperiem damnaret, quod intra breve tempus tot peccata cumulaverint. Eodem sensu continuo post addit, iterato cursu tentasse Deum. Neque enim verbum *reverti*, mutationem hic significat, sed continuam peccandi seriem. Pulcra autem metaphora exprimit quam atroci contumelia Deum afficiant homines ipsum tentando. Verbum enim *חָח* quo utitur, proprie signare vel describere significat. Sed docet, ubi pro sua libidine media Deo praescribere ausus est populus, fuisse quasi cancellis circumdatum, et immensam eius potentiam infidelitatis angustiis fuisse conclusam. Et certe quoties in suo sensu homines subsistunt,

perinde est ac si Deum metiri vellent suo modulo: quod nihil aliud est quam eum ex solio suo detrahere. Nobis enim subiicietur eius maiestas, si ita nostro arbitrio in ordinem cogatur.

42. *Non recordati sunt manus eius die quo redemit eos ab affligente.* 43. *Quando posuit in Aegypto signa sua, et prodigia sua in campo Soan:* 44. *Dum convertit in sanguinem fluvios eorum, et fluentia eorum, ne biberent.* 45. *Misit in eos misionem quae voravit eos, et ranam quae perdidit eos.* 46. *Et dedit bruchum fructum eorum, et laborem eorum locustis:* 47. *Et occidit grandine vitem ipsorum, et sycomoros ipsorum lapide grandinis.* 48. *Et tradidit grandini iumenta ipsorum, et pecora ipsorum lapidibus ignitis.* 49. *Misit in eos indignationem irae suae, furorem, iracundiam et afflictionem, immissionem angelorum malorum.* 50. *Direxit semitam irae suae: non prohibuit a morte animam ipsorum, et iumentum ipsorum in pestem conclusit.* 51. *Et percussit omne primogenitum in Aegypto, principium virtutum in tabernaculis Cham.*

42. (*Non recordati sunt.*) Pergit in exprobratione, quia sola beneficiorum Dei memoria eos frænare poterat, nisi quaecunque experti fuerant sponte et maligne essent oblit. Ex hac impia oblivione nascitur protervia et omnis rebellio. *Manum Dei* pro virtute per metonymiam accipi satis notum est. Fuit autem in prima illa liberatione populi novo et insolito modo extenta Dei manus, quo magis detestabilis fuit populi impietas, in quam nunc invehitur propheta, pro nihilo ducere, vel statim sepelire quod nulla vetustate obsolescere debuerat. Iam aliquot commemorat potentiae Dei exempla, quae primo *signa* vocat, deinde *prodigia*: quo rursum perstringat foedum populi stuporem. Quamquam autem rem unam bis exprimit, in secundo tamen membro augmentum est: ac si diceret, inauditis modis incussum tunc fuisse terrorem, qui non debuit tam cito ex populi animis evanescere.

44. (*Convertit in sanguinem.*) Non enumerat ordine miracula, quibus suam potentiam testatus est Deus in redimendo populo: quia satis habuit notas historias in memoriam revocare quae sufficerent ad detegendam populi malitiam et ingratitudinem. Neque etiam hic longius insistere opus est, quum Moysis historia clarius doceat quae hic breviter recitantur. Hoc solum teneant lectores, quamvis alias saepius grandine aliisque corruptelis ultus fuerit Deus gentium peccata, quidquid tunc accidit in Aegypto, fuisse extraordinarium, et nunquam ante auditum: ideo pluribus verbis tam memorabiles Dei vindictas exaggerat propheta, quod *miseri indignationem irae suae, iracundiam, furorem, et angustiam*. Huc enim spectat verborum congeries, ut sopitae mentes expergeant ad tam densa mira-

cula, quorum et numerus et praestantia caecis ipsis est palpabilis. Tandem addit, Deum *iudicia haec exercuisse per angelos*. Etsi enim coelo et terrae certas imposuit leges suo arbitrio, et totum ordinem naturae sic gubernat, ut singulis creaturis proprium sit munus suum, angelos tamen, quoties visum est, ministros adhibet ad exsequenda sua imperia, non consuetis vel naturalibus mediis, sed arcana et nobis incomprehensibili virtute. Quod diabolos quidam hic notari putant, quia dicuntur angeli noxii, non refello: nisi quod ratio qua nituntur, parum firma est. Dicunt enim, Sicuti per electos angelos sua beneficia nobis Deus dispensat: ita etiam per reprobos iram suam exsequi, ac si essent eius carnifices. Quod etsi ex parte verum esse fateor, perpetuum tamen esse nego: quia in contrariam partem occurrunt plurima scripturae testimonia. Quis enim Assyrium edita ingenti strage in eius exercitu, ab urbis sanctae obsidione repulit, 2. Reg. capite 19, versu 35, nisi angelus, tunc datus ecclesiae praeses? Sic et angelus qui primogenita occidit, Exod. capite undecimo, vers. quinto, non tantum irae Dei fuit minister et exsequitor contra Aegyptios, sed etiam populi saluti consuluit. Rursum quum avari et sanguinari reges, vel potius latrones, coelum terrae miscerent, Daniel tamen capite decimo, vers. decimotertio pronunciat, praefectos illis fuisse sanctos angelos. Etsi autem probabile est reprobis angelis addictos fuisse ac mancipatos Aegyptios, prout digni erant, noxios tamen simpliciter hic accipere licebit ab effectu, quod adversis cladibus hostes populi Dei multaverint, ut eorum tyrannidem et saevitiam reprimerent. Hoc enim modo tam coelestes electique angeli, quam caecodaemones, ministri nozarum vere censentur, sed diversis modis, quia priores voluntarium Deo obsequium praestant: alii vero quum semper inhiant ad nocendum, et totum orbem eversum cupiant, idonea sunt organa malis infligendis.

50. (*Direxit semitam.*) Secundo repetit, iram Dei instar violenti torrentis inundasse totam Aegyptum, ne quam excusationem ingrato populo relinquat, quod tam praeclaris gratiae sibi praestitae documentis non fuerit retentus sub Dei obsequio. Tandem attingit Propheta miraculum ultimo loco editum, quod scilicet omnia Aegypti primogenita una nocte per manum angeli Deus interfecerit. Vocat autem secundum communem et receptum linguae hebraicae usum *primitias virtutis*. Nam quum aetatis decursu ad interitum declinent senes, quia tamen renovantur quodammodo in sobole, et vigorem in se collapsum recuperant, transfertur Virtutis nomen ad liberos. Eius autem principium dicuntur primogeniti, sicuti plenius exposui Gen. 49, 3. *Tabernacula Cham* vocat domos Aegypti, quia Mirsaim, qui nomen regioni imposuit, fuit filius Cham, Gen. 10, 6. Porro gratuitum Dei amorem erga

Calvini opera. Vol. XXXI.

posterios Sem, propheta hic commendat, quod eos praetulerit omnibus filiis Cham, quum tamen nulla propria dignitate excellerent.

52. *Et transire fecit quasi oves populum suum, et deduxit quasi gregem in deserto.* 53. *Et deduxit in tuto, et non timuerunt: et adversarios eorum operuit mare.* 54. *Et adduxit eos ad terminum sanctitatis suae montem hunc, quem acquisivit dextra eius.)** 55. *Et expulit a facie eorum gentes, et proiecit eas in sortem haereditatis: et habitare fecit in tabernaculis ipsorum filios Israël.* 56. *Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia eius non custodierunt.* 57. *Et aversi sunt, et perfide egerunt, sicut patres sui: reflexi sunt quasi arcus dolosus.* 58. *Et ad iracundiam provocaverunt eum in excelsis suis: et in sculptilibus suis ad iram eum concitaverunt.*

52. (*Et transire fecit.*) Iterum paternum Dei favorem celebrat erga electum populum, quem (ut alibi diximus) gregi ovium comparat, eo quod nihil vel consilii vel opis ad se tutandum habuerit, nisi Deus pastoris munus ac partes suscipere dignatus foret. Hoc autem non vulgare et amoris specimen, quod Deus eoque descendere gravatus non est ut oves suas pasceret. Nec vero imbellis multitudo quidquam adversus hostes robustos ac bellicosos poterat. Scimus enim ad tempus sordidis opificiis addictum fuisse populum illum, quasi damnatus esset ad metalla vel lapicidinas. Dicit autem fuisse deductos sine metu: non quod secure ipsi tranquillaeque animis in Deum recubuerint, sed quia duce et custode salutis suae Deo, non habuerint iustam timendi causam, nisi eos sua infidelitas ad trepidandum compulisset. Unde obstreperae illae voces, Cur nos coniecit Deus in has angustias? annon erant sepulora in Aegypto? Exod. 14, 11. Non ergo ad sensum populi refertur securitas, sed ad Dei praesidium, quo factum est, ut hostibus demersis, pacati in deserto quiescerent. Alia quoque Dei beneficia et simul alias transgressiones recitat, quae magis produnt ingratitude populi, nempe quod haereditatem sibi promissam adepti, quasi Deo nihil deberent, pervicaci semper ac intractabili fuerint ingenio. Clausula haec fuit liberationis, locare eos in possessione terrae Chanaan, cuius se ingressu prohibuerant: nisi Deo fuisset decretum, superata eorum pravitae, numeris omnibus absolvere quod coeperat. Porro terram ipsam nominat *Fines sanctuarii Dei*: quod eam populo suo Deus assignans, sibi etiam consecraverat. Unde turpius apparet flagitium populi, qui eadem inquinamenta illuc intulit, quibus olim polluta fuerat. Cuius enim fuit dementiae, quum sciret populus Israël expulsos

*) que sa main a acquis, en marge: ou possedee.

fuisse ob sua scelera veteres incolas, cum ipsis omni scelerum genere certare? ac si de industria propositum esset in se accersere quam in aliis perspexerat Dei vindictam. Quod postea addit *montem hunc*, non recte, meo iudicio, quidam ad totam terram extendunt, quae etsi montuosa erat, habuit tamen regiones planas et aequabiles, satis amplas et longas. Quare non dubito quin amplificandi causa montem Sion, ubi domicilium sibi et primam sedem elegerat Deus, honorifice addiderit. Fateor quidem synecdochen esse: modo teneant lectores locum diserte exprimi, ex quo, velut ex fonte, manabat totius terrae sanctitas. *Montem hunc dextra Dei vel possessum fuisse vel acquisitum* dicit: (nam verbum *קנה* utrumque significat) ne se efferant Israëlitaë, quasi proprio Marte terram acquisierint, vel eius possessione fruantur: sicuti Psalmo 44, 4 dictum fuit: Quia non in gladio suo facti sunt haeredes terrae, nec brachium eorum servavit eos: sed dextra tua, et brachium tuum, et lumen vultus tui, quia dilexisti nos. Et mox sequitur explicatio, *expulsas fuisse gentes ac proiectas in sortem*: quibus verbis modum acquirendi definit propheta: ac si diceret, Neque populum Israël adeo fuisse bellacem, neque gentes illas tam fuisse timidas, nisi parta fuisset victoria Dei auspicio ac virtute. Adde quod legitima non fuisset possessio, nisi Deus spoliatis prioribus incolis, in ius et locum eorum succedere alienos voluisset.

56. (*Et tentaverunt.*) Hic iam exprobrat quod tot beneficiis ornati, non desierint perfide se gerere: imo quum novis subinde gratiis revocarentur ad obsequium, sua contumacia iugum excusserint. Quid valeat *tentandi* verbum prius diximus. Sed addit propheta generaliter *eos exacerbasse: quia foedus eius non custodierint*. Hac autem postrema particula melius convincitur aperta et crassa rebellio, quod familiariter de officio suo edocti, recusaverint tamen Deo subesse. Nam et legem vocat *testimonia*, quod hac paciscendi formula Deus populum illum sibi devinxerat, sicuti certis legibus inter se conveniunt homines. Quanquam autem his verbis non leviter eos perstrinxit, apostasiam tamen et perfidiam illis postea obiiciens, cumulum reatus adiungit. Adoptaverat eos Deus sibi in populum: contempto eius favore, ultro se abdicant. Collegerat eos sub alas suas: petulanter ad dissipationem ruunt. Pollicitus fuerat se illis fore patrem: recusant filii esse. Viam illis salutis monstraverat: sponte se in exitium errando proiciunt. Concludit ergo propheta, populum hunc omnibus saeculis impium fuisse et sceleratum. Atque iterum notandum est, nullum damnari atrocius crimen in posteris, nisi quod patribus nimium fuerint similes: ne quem decipiat perversa imitatio, ac si iustae excusationis esset clypeus. Aptissima deinde similitudine (qua etiam Oseas

cap. 7, 16 utitur) eorum levitatem exprimit. Nam sicuti falluntur iaculatores qui arcum male firmum vel male intensum habent, vel obliquum et flexibilem: ita dicit *reflexum fuisse hunc populum*, et lubrica flexuosaque versutia elapsam, ne manu Dei regeretur.

58. (*Provocaverunt in excelsis.*) Speciem defectionis profert, qua palam testati sunt Israëlitaë se fidem et obsequium negare Deo. Satis enim et super admoniti fuerant, perverti et contaminari Dei cultum, nisi ab eius verbo penderent: nunc tota lege posthabita, ad sua figmenta perrumpunt. Atque hos fructus semper producit legis contemptus, ut crassis superstitionibus se addicant qui sequi proprium sensum, quam Deo se subicere malunt. Duobus autem modis vitiatum fuisse Dei cultum conqueritur: primo, quod Dei gloriam deformaverint, idola et sculptilia sibi fingendo: deinde, quod ad Deum placandum extraneos et vetitos ritus excogitaverint.

59. *Audivit Deus et iratus est, et exsecratus est valde Israël.* 60. *Et deseruit habitationem Siloh, tabernaculum ubi habitavit inter homines.* 61. *Et dedit in captivitatem robur suum, et pulcritudinem suam in manum affligentis.* 62. *Et inclusit in gladium populum suum, et haereditati suae iratus est.* 63. *Electos eius*) voravit ignis et virgines eius non sunt laudatae.* 64. *Sacerdotes eius in gladio ceciderunt, et viduae eius non luxerunt.* 65. *Et expergefactus est tanquam dormiens Dominus, tanquam fortis clamans prae vino.* 66. *Et percussit adversarios suos retro, opprobrium aeternum posuit in ipsis.*

59. (*Audivit Deus.*) Rursus ostendit propheta, quum videret Deus se nihil tolerantia proficere, qua non sine ludibrio abutebatur populus ad peccandi licentiam, severas de eo poenas sumpsisse. Caeterum similitudo quam sumit a iudiciis terrenis, frequenter occurrit in scriptura. Audire enim dicitur Deus, non quod inquisitione opus sit, sed quia non temere ad sua iudicia prosilit, ne quis putet esse praecipitem. Summa est, populum sua scelera sic continuasse, ut tandem clamor in coelum ascenderit: et ipsa poenae gravitas culpae atrocitatem arguit. Postquam enim dixit Israël, quem Deus tantopere dilexerat, fuisse abominationi, subiicit fuisse etiam orbatum et spoliatum praesentia Dei, quae unica erat eius felicitas, atque etiam in malis solatium. Fuit igitur haec Israëlitis detestatio, quum Deus arcam foederis alio abripi passus est, ac si ipse migrans a Iudaea, populo valediceret. Certum quidem est non fuisse Deum visibili symbolo affixum: sed quia hanc suae cum populo coniunctionis

*) ses esleus, en marge: ou l'élite et la fleur du peuple.

tesseram dederat, illa ablata, se quoque discedere testatus est. Quia autem in Siloh diuturna fuit statio arcae, illicque capta fuit a Philistinis, 1. Sam. 4, 11 vocatur habitatio ipsius Dei. Sed modus habitandi paulo post eleganter exprimitur: nempe quia domicilium fuerit inter homines. Quamvis enim impleat Deus coelum et terram, quia tamen ad immensam altitudinem non pertingimus, sua virtute et gratia ad nos descendens, quoad expedit et modulus noster ferre potest, propinquum se nobis facit. Est autem valde emphatica loquutio, Deum continuis populi sceleribus ita fuisse offensum, ut locum quem unum in terris delegerat, coactus sit decerere. Proximo versu idem prosequitur: *robur Dei* quo protecti ac defensi fuerant Israelitae, *tunc fuisse captivum*: non quod alligata virtus eius fuerit signo externo, sed quatenus antea se hostibus opposuerat, gratiam qua tutatus erat populum, quodammodo captivam esse voluit. Neque tamen hoc refertur ad Philistinos, quasi Deo potiti fuerint: sed intelligit simpliciter propheta spoliatus et nudatos fuisse Israelitas Dei praesidio, atque ita venisse in hostium potestatem: non secus ac duce capto profligatur exercitus. Vocatur etiam arca *pulcritudo Dei*: quia quum per se esset invisibilis, formam illam induerat, vel speculum illud statuerat in quo posset conspici. Quanquam autem dura est ac in speciem absurda hyperbole, robur Dei fuisse captum a Philistinis, consulto tamen posita est ad scelus populi aggravandum. Nam quum brachii sui potentiam ad populum iuvandum magnifice proferre solitus esset, gravissimis sceleribus offensum esse oportuit, quum passus esset symbolum illud virtutis suae violenter a profanis gentibus abripi. Quod autem de Siloh hic refertur, Ieremias 7, 12 ad omnes spectare docet qui vano praesentiae Dei obtentu fallaciter superbiunt: Ite in Silo inquit, et videte quantae ignominiae damnaverit Deus locum illum, ubi olim resplenduit eius maiestas. Ideoque nisi sincere, qua decet reverentia Deum excipimus, dum familiariter ad nos accedit, timendum est ne idem nobis quod Siloitae contingat. Quo putidior est papae et suorum iactantia, qui romanam sedem hoc solo titulo extollunt quia Romae olim floruerit ecclesia. Quasi vero Christus, qui verum est deitatis templum, non fuerit natus in Bethlehem, educatus in Nazareth: quasi in Capernaum et Ierusalem non habitaverit, et concionatus sit: quarum urbium vastitas horribile est irae Dei theatrum.

62. (*Inclusit in gladium.*) Alias cladis partes quae accepta fuit sub sacerdote Heli, commemorat. Arcae discessu ostendit Deus subductam esse suam gratiam a populo. Id etiam effectum comprobaturum est, quia quidquid floris fuit, absumpsit ira Dei, quam sub *ignis* nomine propheta metaphorice designat. Hostili enim gladio perierunt electi Israel

usque ad triginta millia, 1. Sam. 4, 10 non autem incendio. Sed hoc modo vis repentina ad terrorem exprimitur: ac si diceret, cito fuisse voratos, ut flamma solent quisquiliae. Stragem hanc alia figura confirmat, quod virorum penuria virgines innuptae mauserint. Dicit enim *non fuisse laudatas*, quod in nuptiis epithalamia canere solerent. Indignitatem auget, quod *sacerdotes ipsi*, quos Deus peculiariter in suum patrociniū receperat, promiscue cum aliis perierint. Quod *viduas luxisse negat*, ita accipio, vel ante tempus moerore fuisse extinctas: vel quum abductae essent ab hostibus, prohibitas fuisse a luctu. His autem verbis in summa docere voluit, nihil residuum fuisse ad extremam malorum congeriem.

65. (*Et expergefactus est.*) Quidam hoc de Israelitis dictum esse volunt: alii de eorum hostibus. Si arrideat prior sensus, non mirum erit Israelitas vocari *Dei adversarios*, sicuti apud Iesaiam cap. 1, vers. 24: Heus, ego me de hostibus meis ulciscar. Sensus autem erit, magno constituisse Israelitis, quod ex Dei patientia plus licentiae sumpserant: quia repente expergefactus, maiore impetu in eos irruit. Sed quia prophetas videmus ex Mose haurire suam doctrinam, verba etiam formare ad illud exemplar, non minus probabilis est eorum opinio qui de Philistinis accipiunt: quia videtur hunc ordinem ex Mosis Cantico Deut. 32, 27 mutatus propheta noster, ubi Deus non ita se poenas exigere de populo suo pronuntiat, quin rursus compescat hostes suos. Nam quia vulgari proverbio fertur, incertos esse bellorum exitus: si nulla sequuta fuisset mutatio, poterat haec poena esse obscurior. Ubi autem afflictis Israelitis victores Deus sine hominum manu, praeter spem mundi, et consuetum usum aggreditur, hinc melius apparet, non nisi divinitus prostratos fuisse Israelitas. Interea admonet simul propheta necessitate compulsus fuisse Deum ad sumendam duriores poenam: quia Philistinos deinde castigans, foedus suum, cuius videri oblitus poterat, praeclare asseruit. Quanquam enim quodammodo se Philistinis ad tempus adiunxerat, noluit tamen prorsus amorem abiicere erga Abrahæ filios, ne irrita esset eius fides. Similitudo ebrii hominis, quamvis asperior, non abs re tamen posita est, quia accommodatur ad populi stuporem. Nam si pura fuisset ac defaecata mente, non ita se transformasset Deus, neque sumpsisset alienam personam. Eum ergo coegit populi ebrietas, hoc est socordia, ut se homini ebrio conferret: quod ipsis valde pudendum fuit. Quod ad Deum spectat, nihil eius gloriae derogat similitudo. Videtur sopitus esse, nisi mature remedium adhibeat malis nostris. Unde autem sopor, quum fortitudine gigantes omnes superet? quibus facile est perferre longas vigiliis, et qui modico somno contenti sunt.

Cessatio eius perinde accipitur a stupidis ac si attentus esset ipse. Dicit autem subitam excitationem Dei magis turbulentam fore, quam si primo momento manum suam extulisset: quemadmodum si gigas temulentus, necdum exhalata crapula, repente a somno surgat. Quod dicit *retro percussos fuisse hostes*, multi ad plagam Philistinis inflictam, 1. Sam. 5, 12 restringunt. Et convenit nomen *aeternae ignominiae*, quia dolor ille in anis ulcerosis probrosus fuit, sed quum sensum simpliciores admittant verba, fuisse a tergo percussos, hoc ego in medio relinquo.

67. *Et reprobavit tabernaculum Ioseph, et tribum Ephraim non elegit.* 68. *Sed elegit tribum Iehuda, montem Sion quem dilexit:* 69. *Et exstruxit quasi excelsa sanctuarium eius, quasi terram quam fundavit in saeculum.* 70. *Et elegit David servum suum, et assumpsit eum e caulis ovium.* 71. *A tergo lactantium assumpsit eum, ut pasceret in Iacob populo suo, et in Israël haereditate sua:* 72. *Et pavit eos in integritate cordis sui, et in prudentia manuum suarum deduxit eos.*

67. (*Et reprobavit.*) Qui putant Israëlitas nuper vocatos fuisse hostes Dei, contextunt hos versus ac si diceret propheta incurabile fuisse quod illis vulnus Deus infixit. Ego vero, qui in diversam sententiam magis inclino, nempe ubi Deus duriter mulctavit Philistinos, palam fecisse non esse irritum foedus suum cum populo, cuius tam severus erat vindex: potius interpretor correctionis vice hoc fuisse additum, ac si dixisset propheta non fuisse placatum impiis defectoribus quin poenarum reliquiae exstarent. Haec igitur, meo iudicio, contextus ratio est, Quum a Philistinis capta fuit arca, Deum quodammodo fuisse sopitum, quia populi peccatis inebriatus fuerat, ne ad illum tuendum suo more excubias ageret: neque tamen diu obtorpuisse in somno, sed quum gens profana eius gloriae insultaret, tam atroci iniuria fuisse commotum, perinde ac si gigas in media crapula expergefieret: neque tamen sic fuisse commotum in gentem profanam et incircumcisam, quin signa aliqua castigationis in scelesto et ingrato populo Israël usque in finem exstarent. Huc tendit reprobatio de qua nunc loquitur, privatos fuisse Israëlitas honoris privilegio quo ante Deus ipsos ornaverant, dum arcam suam alio transferri voluit. Duo igitur capita hic notanda sunt, quum turpi ulcere percussi sunt Philistini, claro documento apparuisse, non nisi Deo volente, Israëlitas fuisse ab illis devictos. Neque enim novas vires recuperavit Deus, vel exercitum novum collegit, ut paulo post invaderet victores, neque ad eam rem adiutus fuit alienis opibus. Alterum caput est, quamvis Deus manum exseruerit contra

Philistinos, ut se aliqua foederis sui memoria et electi populi cura adhuc tangi probaret, non tamen sic restituisset populum Israël, quin desertio Silo perpetuum irae suae monumentum foret. Reprobavit igitur tribum Ephraim, non quod eos abdicaverit in totum, vel abscederit a reliquo ecclesiae corpore, sed quia amplius noluit residere illic arcam suam. Nam tribui Ephraim opponitur tribus Iehuda, ubi sibi domicilium postea elegit Deus. Hoc modo incipit ostendere propheta, quum statio data fuit arcae foederis in monte Sion, quodammodo renovatum fuisse populum: et dato reconciliationis symbolo in gratiam unde exciderat, postliminio rediisse. Israëlitas enim, quum Deus eorum culpa quodammodo exsulasset, ac captivum fuisset eius robur, hoc memoriali doceri utile fuit, sic displicuisse eorum scelera, ut prae fastidio prioris domicilii adspectum non ferret. Etsi autem post divortium illud (quo magis sollicitate sibi in posterum caveret populus) non fuit integra solidaque instauratio: non vulgaris tamen clementiae fuit, Deum fixam arcae suae sedem rursus deligere. Quod autem in Gath, et Accaron, aliisque locis peregrinata est arca post reditum, usque dum miraculo mons Sion ostensus fuit, medii illius temporis non habetur ratio: quia prophetae consilium fuit tam poenae exemplum, quam insperatam Dei gratiam memoriae mandare. Tenendum etiam est quod saepius repetitur apud Mosen, Ubi locum elegerit Deus tuus in quo invoces eius nomen. Quia autem propter diuturnum hospitium Silo famam illam vulgo obtinuerat, ubi ad hostes traducta fuit arca, in aliam spem erectae fuerunt hominum mentes, donec cognita esset loci electio. Quanquam autem non reiectae tunc fuerunt decem tribus, quibus et regnum et sacerdotium commune erat cum tribu Iehuda, postea tamen successu temporis eos abscidit sua defectio. Atque haec ratio est cur odiose dicat propheta reprobata fuisse tribum Ephraim, nec electam fuisse tribum Ioseph unde illa trahebat originem.

68. (*Sed elegit tribum.*) Nempe quia praetulit reliquo populo, regem sibi ex ea deligens, quem Israëlitis omnibus non minus quam Iudaeis praeficeret. *Montem* vero *Sion* elegit, sedem in ea assignans suo sanctuario. Porro ne causa extra Deum quaeratur, gratuita eius dilectione factum esse propheta docet, ut mons Sion, posthabitis omnibus locis, tanta praestantia ornatus fuerit. Relativum enim, causalis adverbii loco hic ponitur: ac si dixisset, non in loci dignitate, sed in mero Dei beneplacito fundatum illic fuisse Dei sanctuarium. Neque enim minus gratuita esse debuit posterior haec restitutio, quam prima adoptio populi, ubi Deus cum Abraham foedus suum pepigit, vel populum redemit ex Aegypto. *Dilectio* autem loci respectum

habuit ad homines, unde sequitur, mera Dei gratia et liberalitate semper ab initio collectam fuisse ecclesiam: quia neque in hominibus reperiri unquam potuit intrinseca dignitas, et res est pretiosior quam ut pendeat a virtute hominum. Proximo versu nihil aliud intelligit propheta quam montem Sion donatum fuisse insigni pulcritudine, quae tamen ad coeleste exemplar referri debet. Neque enim vel in splendore aedificii, vel in caeremoniarum pompa occupari voluit Deus suorum mentes, sed attollere ad Christum, in quo exhibita fuit umbrarum veritas. Ideo dicit *exstructum fuisse sanctuarium quasi excelsa*, hoc est conspicuum fuisse inter sublimes omnes montes, sicuti Iesaias 2, 2 et Michaeas 4, 1 ubi vaticinantur de novi et spiritualis templi institutione, dicunt locandum esse in vertice montium, ut emineat supra omnes colles. Et scimus arces tunc fuisse in locis editis. Postea orbi universo comparat montem Sion. Etsi enim singulas regiones vel concuti vel chasmate perire, vel motu aliquo violento turbari, vel aliquam mutationem subire contingit, corpus tamen ipsum terrae stabile firmumque manet: quia altis radicibus nititur. Significat igitur propheta non esse temporale aedificium de quo loquitur (qualiter sumptuosa regum palatia aut vetustate concidunt, aut obnoxia sunt variis excidiis) sed fundatum esse ut stet integrum usque ad mundi finem. Si quis excipiat, templum illud a Chaldaeis et Assyriis dirutum fuisse: facilis solutio est, nonnisi in Christo constare hanc soliditatem quam celebrat propheta: quia si per se aestimetur vetus et umbratile sanctuarium, inane spectrum erit: sed quia Deus pignus esse voluit Christi venturi, merito ei tribuitur perpetuitas: sicuti alibi dicitur fundamenta iecisse Deus in montibus sanctis, Psal. 87, 1. Item Iesa. 14, 32 Manu sua fundasse Sion. Item, Psal. 74, 2 Residere in eo, ut nunquam labascet.

70. (*Et elegit.*) Facta mentione templi, ad regnum quoque transit: quia haec duo praecipua erant electionis et gratiae Dei signa, sicuti etiam Christus ut plenam salutem afferret, rex et sacerdos nobis apparuit. Davidem vero regem divinitus creatum fuisse probat, quod ab ovium caulis, et pecudum custodia in solium evectus fuerit. Nam Dei gratiam non parum illustrat haec mutatio, quod homo rusticus ex ignobili tugurio in regem assumptus est. Hanc vero gratiam non restringit Propheta ad personam Davidis: sed admonet, quidquid est dignitatis in filiis Abrahae, fluere ex fonte illo misericordiae Dei. Tota enim populi gloria et felicitas continebatur in regno et sacerdotio: quorum utrumque mero Dei beneplacito adscribit. Atque ideo exordium regni Christi humile et contemptibile esse oportuit, ut figurae suae conforme esset, ac palam faceret Deus nullis externis admini-

culis se usum fuisse ad peragendam salutem nostram. Alia circumstantia Dei gratiam commendat, quod David ex pastore ovium factus est electi populi et haereditatis Dei pastor. Etsi autem allusio est ad priorem Davidis statum, docet tamen spiritus sanctus quantum a tyrannis, praedonibus, et avaris exactoribus differant legitimi reges, quos pastores esse convenit. Postea addit, fideliter exsequentum esse partes sibi iniunctas: quo etiam oblique perstringitur ingratitude ac pravitas populi, qui non modo sanctum et inviolabilem Dei ordinem labefactavit, sed excusso salutari iugo, se in miseram dissipationem proiecit. Quod sequitur de *prudencia manuum*, improprie dictum videtur: significanter tamen exprimere voluit propheta, Davidem non modo felicem in suis actionibus fuisse, sed gubernatum Dei spiritu, ut manus ad nullum opus temere proiiceret, sed dextre scienterque dirigeret quo vocabat fides et officium: atque ita in successu operum eius maior prudentiae laus, quam prosperitatis fulgeret.

PSALMUS LXXIX.

ARG. Querimonia est ac lamentatio ecclesiae graviter afflictæ, in qua tametsi deplorant fideles miseras et indignas suas clades, et hostium accusant saevitiam, se tamen merito fatentur castigari, et supplices ad Dei misericordiam confugiunt, hac spe maxime freti, quod suas calamitates vident cum Dei probro coniunctas esse, dum impii sacrum eius nomen oppressa ecclesia blasphemant.

Psalmus Asaph. 1. Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctitatis tuae, posuerunt Ierusalem in acervos. 2. Dederunt cada-vera servorum tuorum escam volatilibus coelorum, carnem mansuetorum tuorum bestiis terrae. 3. Fuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Ierusalem: et non fuit sepeliens. 4. Fuimus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et derisio iis qui in circuitu nostro sunt.

1. (*Deus, venerunt.*) Psalmus hic inter alios clare ostendit se longe post mortem Davidis fuisse compositum. Quod enim excusant quidam, spiritu prophetico praedictas fuisse ecclesiae clades, ut animarentur posterius ad crucem tolerandam, ratione caret. Neque enim ita in suis vaticiniis historice loqui prophetae solent. Et quisquis integro iudicio contextum expendet, per se facile videbit tunc fuisse compositum quando vel exusto templo, et urbe eversa ab Assyriis, tractus fuit in exilium populus: vel quum ab Antiocho templum fuit pollutum multis stragibus editis. Nam ad utrumque

tempus argumentum optime quadrat. Sumamus igitur pro confesso dictatam fuisse piis hanc querimoniam, quum oppressa ecclesia res ad ultimam desperationem essent adductae. Scimus enim quam crudeliter saevierint Assyrii. Et si quis pro asserendo Dei cultu sub tyrannide Antiochi mutire ausus fuisset, iugulum mactationi statim praebere necesse erat. Primo autem in persona fidelium conqueritur propheta de templo polluto, et destructa urbe: deinde secundo versu et tertio, sanctos promiscue fuisse caesos, et sine honore sepulcri proiecta eorum cadavera. Singula autem fere verba indignitatem exprimunt. Nam quum terram illam segregasset Deus populo suo, profanis gentibus, ut eam contumeliose calcarent, ac pro sua libidine totam disicerent, prostitui minime aequum fuit. Ergo quasi de perverso naturae ordine expostulat propheta, gentes venisse dicens in haereditatem Dei. Templi autem eversio, de qua secundo loco agit, minus fuit tolerabilis, quia hoc modo exstinguebatur Dei cultus in terra, et religio peribat. Addit *Ierosolymam*, quae regia erat Dei sedes, *in acervos fuisse redactam*: qua voce notatur deformis ruina. Profanatio autem templi et sanctae urbis eversio sicuti impio sacrilegio non carebant, ita merito debebant contra hostes Dei vindictam provocare: ideoque ab illis orditur propheta, deinde secundo loco ad caedes piorum transit. Hac autem circumstantia maior notatur crudelitas, quod non tantum occiderint servos Dei, sed insepulta eorum cadavera proiecerint bestiis et avibus in praedam. Religio autem quaedam semper tenuit hominum animos, ut ne hostes quidem fraudarent sepulcri honore, unde sequitur immanibus belluis esse similes quos delectat ista barbaries, videre mortuos lacerari. Ostendit etiam non fuisse grassatos vulgari hostium more, quod humano sanguini nihilo magis peporcerint quam aquae: unde colligitur caedendi aviditas. Quum autem addit *non fuisse qui sepeliret*, ad fratres et cognatos extenditur: ac si diceret tantum fuisse incussum horrorem, deinde obvios quosque passim ita fuisse trucidatos, ut nemo progredi auderet. Porro quum in hominum sepultura Deus aliquod testimonium exstare voluerit ultimae resurrectionis, sanctos hoc iure post mortem spoliari, bis indignum fuit. Quaeritur tamen, quum reprobis Deus hanc poenam saepe denuntiet, cur fideles suos passus sit vorari a bestiis. Tenendum est quod alibi diximus, temporales poenas, quae ad solam carnem pertinent, tam electis quam reprobis esse communes, tantum in exitu est discrimen, quia Deus in salutem fidelibus convertit quod naturaliter signum irae erat. Ac omnino de sepulcro quod de morte dicendum est. Continget optimos quosque Dei servos violenter occidi: quam poenam sanguinariis et aliis Dei contemptoribus scimus saepe infligi. Neque tamen

ideo mors sanctorum pretiosa in conspectu Dei esse desinit: sed ubi iniuste in carne opprimi passus est, vindicta ostendit quam sibi cari fuerint. Sic ut irae suae notas etiam post mortem inculpat reprobis, privat eos sepulcro: et ideo impio regi minatur asini sepulturam, Ierem. 22, 19. Sed quum suos exponit simili probro, licet ad tempus credatur eos deserere, illis postea in adiumentum salutis convertit: quia fides eorum hac tentatione probata novam palmam sibi acquirit. Nam quod olim mortuos ungebant, nonnisi ad vivos et superstites spectabat haec caeromoniam, ut cernentes corpus in custodia reponi, spem vitae melioris in cordibus suis foverent. Quare sine iactura sepulcro privantur fideles, dum fide haec media adminicula transcendunt, ut ad beatam immortalitatem properent.

4. (*Fuimus opprobrium.*) Alia expostulatio ad provocandam Dei misericordiam. Nam quo superbius insultant nobis impii, eo propior redemptionis spes affulget: quia minime Deo tolerabilis est eorum petulantia, dum tam licentiose effertur, praecipue quum in sacrum Dei nomen redundet contumelia: sicuti apud Iesaiam dicit cap. 37, 22: Quem subannant? et super quem concutiunt caput, virgo filia Sion? Et certe vicini qui partim apostatae erant, vel degeneres Abrahae filii, partim vero professi religionis hostes, miserum populum vexando non abstinebant a blasphemiiis. Quare sciamus non de privatis ludibriis hic conqueri fideles, sed quae videbant oblique in Deum et legem eius congeri, sicuti rursus in fine Psalmi videbimus.

5. *Quousque Iehova irasceres in perpetuum? ardebit velut ignis zelus tuus? *)* 6. *Effunde iram tuam super gentes quae te non noverunt, et super regna quae nomen tuum non invocant:* 7. *Quia vorarunt Iacob, et habitationem eius vastarunt.* 8. *Ne recorderis erga nos iniquitatum priorum: festina, praeveniant nos misericordiae tuae, quia afflicti sumus valde.* 9. *Succurre nobis Deus salutis nostrae propter gloriam nominis tui, et libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.*

5. (*Quousque Iehova.*) Iam alibi admonui, duas istas voces Quousque et Perpetuo, dum simul iunguntur, diuturnam et longam malorum continuationem notare, cuius etiam nullus apparet finis in posterum: sicuti latine dicimus Quousque tandem? Colligimus ergo, non primo vel secundo mense ex quo affligi coepit ecclesia, dictatam fuisse hanc querimoniam, sed quum taedio semifracti essent animi. Caeterum fatentur hic fideles, nonnisi irato Deo tanta malorum congerie se obrui, nam quum persuasi sint nihil posse impios, quidquid machinentur,

*) Ton zele, en marge: ou ire.

nisi quantum Deus permiserit: ex hoc principio facile ratiocinantur, ubi tantum licentiae concedit profanis hostibus, iratum esse et infensum. Nec vero aliter se Dei auxilio salvos sperarent fore: quia eiusdem est compescere qui fraenum laxat, praesertim vero ubi nos coarguit propria conscientia, quoties nos flagellis suis ferit Deus, ad manum eius attendere convenit. Nec vero Deum iniustae irae insimulant, sed merito se plecti agnoscunt. Etsi autem semper iustas in servis suis causas reperiet Deus cur eos castiget, saepe tamen pro sua indulgentia, eorum delictis parcens, alium in finem cruce eos exercet, sicuti probare voluit patientiam Iob, martyres vero honorifica militia dignatus est. Sed populus hic sponte ad Dei tribunal se citans, quas sustinet calamitates peccatis suis imputat, unde probabilis coniectura sumi potest, tempore exilii babilonici compositum fuisse Psalmum: quia sub Antiochi tyrannide diversam fuisse precandi formam alibi vidimus: Non recessimus a mandatis tuis, non descivimus a foedere tuo, non defleximus a te, nec defecimus a lege tua, et tamen haec omnia eveniunt nobis, Psalm. 44, 18. Non quod obstreperet Deo fideles, sed quia sciebant alium Deo finem esse propositum, quam peccata punire. Duris enim illis certaminibus ad palmam supernae vocationis eos parabat.

6. (*Effunde*). Videtur a regula caritatis alienum esse hoc votum: quia sic propriis malis singulos esse anxios convenit, ut alios quoque secum levare cupiant. Quare videntur perperam fideles incredulis optare exitium, pro quorum salute debebant potius esse solliciti. Sed tenendum est quod alibi diximus, ut rite quis haec vota concipiat, induendum esse publicum affectum, ne eum privatae iniuriae titillent, ne carnis impetu feratur contra hostes: sed sui oblitus, communem modo salutem ecclesiae respiciat ac curet. Deinde invocandum esse prudentiae et iudicii spiritum, ne inconsideratus zelus precantem impellat, qua de re alibi fusius disseruimus. Adde quod fideles non modo posthabita sui cura toti ecclesiae hic consulunt: sed praecipue oculos intendunt ad Christum, ut desperatos eius hostes exitio devoveant. Non ergo temere prorumpunt in hanc vocem, ut hos vel illos perdat Deus: nec Dei iudicium anticipant, sed reprobis quale merentur iudicium optantes, patienter expectant dum reprobos ab electis discernat coelestis iudex. Hoc modo non abiiciunt affectum caritatis: quia etsi cuperent omnes esse salvos, sciunt tamen quosdam insanabiles esse Christi hostes, quos manet certus interitus. Quanquam nondum prorsus soluta est quaestio: quia dum proximo versu hostium crudelitatem accensant, videntur appetere vindictam. Sed tenendum est quod nuper dixi, non posse in hunc modum precari nisi qui publicam personam

induerint, et omisso sui respectu, curam susceperint totius ecclesiae: imo Christum ecclesiae caput statuerint sibi ante oculos: postremo nisi qui praeunte spiritu animos suos extulerint ad Dei iudicium, ut parati ad ignoscendum, non hostes quoslibet, a quibus offensi sunt, sed solos reprobos morti addicant. Nam qui, antequam spes resipiscentiae sit ablata, ad poenam festinant, eos praeposteri zeli damnavit Christus hac voce: Nescitis cuius spiritus sitis, Luc. 9, 55. Adde quod non simpliciter impiis ecclesiae persecutoribus fideles perniciem hic optant: sed prout illis familiariter cum Deo agere conceditur, in hunc modum ratiocinantur ab absurdo: Qui fit Domine, ut tam duriter nos affligas, super quos invocatur nomen tuum: gentibus autem profanis quae te spernunt, indulgeas? Denique significant alibi, satis amplam esse Deo materiam exercendae irae, quia non soli peccaverint in mundo. Etsi autem nostrum non est praescribere Deo legem, imo lex illa nobis patienter ferenda est, ut castigationes incipiant a domo eius, haec tamen libertas ignoscitur fidelibus, ut postulent non deteriore saltem loco esse, quam increduli et Dei contemptores. Notandum autem, pro eodem sumi, *non agnoscere Deum, et nomen eius non invocare*. Diversis enim loquendi formis significat propheta, nisi praecedat Dei cognitio, non posse ipsum invocari: sicuti etiam Rom. 10, 14 Paulus docet. Neque enim respondere nostrum est, Tu Deus noster: donec anteverterit dicendo, Vos estis populus meus, Oseas 2, 23: sed os nobis aperit dum ad se invitat. Etsi autem invocatio nominis Dei non restringitur ad solas preces (quia saepe tantundem valet ac Gallis verbum *Reclamer*) summa tamen huc redit, nisi Dei notitia nos dirigat, non posse nos sincere profiteri veram pietatem. Tunc passim gloriabantur gentes se Deum colere: sed quia verbo destituebantur, ac sua illis figmenta et falsae imaginationes Dei loco erant, abominabile fuit quidquid tentarunt: sicut hodie in papatu, quia non statuunt caeci cultores quid sit Deus, neque ex ore eius sciscitantur quid probet, sed imaginarios sequuntur cultus, certum est repudiari ipsos a Deo: quia idola in eius locum subrogant.

8. (*Ne recorderis*). Confirmant fideles quod brevius et obscurius attigerant, iustas de suis peccatis poenas exigi: quia ex reconciliatione petendum erat malorum levamen. Hoc enim primum malis omnibus remedium est, ut nos Deus recipiat in gratiam: quia ipso irato prosperitas ipsa male et infeliceiter nobis cedit. *Peccata antiqua*, intelligunt quidam quae admissa sunt a patribus. Alii autem, eorum qui precantur antiqua peccata vocari putant quae pueri vel adolescentes admiserint. Ego vero latius patere arbitror: ac si non modo reatum unius et alterius culpae et eius recentis agnoscerent, sed

se pridem multiplici reatu, eoque vestuto, cum patribus fuisse implicitos. Ita longam pertinaciam fatentur in qua obdurnerant contra Deum. Et propheticis obiurgationibus respondet confessio haec: testatur enim sacra historia suspensam fuisse exilii poenam, donec expertus fuisset Deus incurabilem esse malitiam. Nec mirum est patrum culpam filios deprecari, quum lex pronuntiet, Deum reicere patrum delicta in sinum filiorum, et ulcisci peccata in tertiam et quartam generationem. Notanda autem est antithesis inter verbum *festinandi et vetusta peccata*: quia si ad calculum vocasset Deus quidquid tribus vel quatuor saeculis peccaverant Israëlitaë, in longum tempus suspensa fuisset liberatio. Rogant igitur fideles ut abolitis prioribus offensis, ad opem ferendam festinet. Iam quia in ipsis peccata erat remora et obstaculum, non frustra addunt, ut *Dei misericordiae celeriter accurrant*.

9. (*Succurre nobis*.) Iterum repetunt hoc versu fideles, quidquid afflictionum sustinent, provenire ex ira Dei, nec aliud esse malis solatium, nisi ut Deum sibi propitient. Iam quia sibi multorum scelerum conscii erant, spem veniae impetrandae confirmant variis loquendi modis. Primo favorem sibi conciliant hoc epitheto, dum vocant *Deum salutis suae*: deinde se nihil a se ipsis afferre testantur quod Dei misericordiam provocet, ideoque suam ei gloriam duntaxat obiciunt. Unde colligimus non satisfactionibus vel ullis operum meritis, sed gratuita venia Deo reconciliari quicumque peccarunt. Tenendum est etiam quod paulo ante attigi, et fusius explicui Psalmo 6, ubi nos Deus castigat, non modo ab externis poenis levamen esse optandum, sed in primis de placando Deo cogitandum esse: nec imitandos esse stultos aegrotos qui symptomata tantum auferri sibi cupiunt, pro nihilo ducunt fontem et causam morbi. De verbo *יָחַד* quod reddunt interpretes, Propitius esto, alibi dictum fuit. Proprie significat expiare, et sacrificiis aptatur: ideoque quoties Deum nobis reconciliare cupimus, in mentem veniat nobis mors Christi: quia non fit remissio absque sanguine. Hebr. 9, 22.

10. *Quare dicerent gentes, Ubi est Deus eorum? nota fiat in gentibus coram oculis nostris vindicta sanguinis servorum tuorum qui effusus est.* 11. *Veniat coram facie tua gemitus vincti: secundum magnitudinem brachii tui residuos fac filios mortis:*)* 12. *Et repende vicinis nostris septuplum in sinum eorum, opprobrium eorum quod exprobraverunt tibi Iehova.* 13. *Et nos populus tuus, et oves pascuorum tuorum confitebimur**) tibi in saeculum, in generationem et generationem narrantes laudem tuam.*

*) les fils d'occision, en marge: ou les condamnez à mort.

**) te ferons confession, en marge: ou te rendrons grace.

10. (*Quare dicerent*.) Alio sensu nunc obiciunt Deo fideles nomen suum. Nobis enim propter nomen suum ignoscit: quia quum sit misericors, et velit os nobis obstruere, ut solus iustus censeatur, gratis peccata nobis ignoscit. Nunc autem deprecantur fideles, ne Deus sacrum suum nomen blasphemiiis ac maledictis impiorum subiiciat. Unde etiam monemur, perperam nos precari, nisi salutis nostrae curam cum zelo gloriae Dei individuo nexu iungamus. Ex secundo membro eadem quae nuper soluta est, quaestio exoritur. Etsi enim Deus vindicem nostrum se fore pronuntiet, non ideo tamen licet, quum laesi sumus, ultionem appetere. Sed meminerimus, non quibuslibet dictatam esse hanc precandi formam, ut privatis suis passionibus indulgeant: sed ut duce et magistro spiritu adversus reprobos communem agant causam ecclesiae. Ergo ut rite precemur in hunc modum, primum in nobis refulgeat spiritus prudentia. Deinde compositus sit ac purus zelus, quem lutulenti carnis affectus perturbant. Tunc liquido zelo et sedato petere licebit ut Deus claris exemplis ostendat ante oculos nostros sibi pretiosam esse servorum suorum vitam, quorum sanguinem ulciscitur. Neque enim hic volunt fideles expleri sanguine, ac si eum cupide appeterent, sed tantum expetunt fidei suae confirmationem ex paterno Dei amore, qui in ulciscendis iniuriis apparet. Notandum praeterea est vocari *servos Dei*, qui tamen ob sua peccata iuste puniebantur: quia utcumque nos castigat Deus, non ideo protinus abiicit, quin potius de salute nostra testatur se esse sollicitum. Deinde scimus, ubi grassatur ira Dei in totum ecclesiae corpus, quia boni malis permisti sunt, communiter etiam affligi: sicuti Ezechiel, Ieremias, Daniel, et reliqui in exilium tracti sunt. Etsi enim non prorsus erant innoxii, certum tamen est non fuisse tantam cladem illatam populo eorum causa: sed potius in eorum persona spectaculum exhibitum fuisse impiis, quo magis tangerentur.

11. (*Veniat coram*.) Quia non dubito quin tunc exsulaverit populus Dei, quum spiritus hanc precationem dictavit, vinctos generaliter nominat propheta qui finibus Assyriae et Chaldaee inclusi erant, ut capitale esset illinc movere pedem. *Filios* autem *mortis* nominat, quasi addictos vel destinatos morti, captivitatis respectu. Quanquam absurdum non erit restringere ad paucos sententiam hanc qui in arciores custodiam traditi erant. Haec autem voce significat propheta fractos esse et vere humiliatos feroces illos spiritus qui prius contra Deum exultaverant. Et *magnitudinem brachii Dei* implorat, quia sine insigni miraculo sperari non poterat restitutio ecclesiae.

12. (*Et repende*.) Satis iam de vindicta dictum est: et hic clarius demonstrant fideles, non tam se

moveri privatis iniuriis, quam pio zelo exandescere ubi proscindi vident sacrum Dei nomen, qui affectus si vigeat in animis nostris, facile moderabitur carnis intemperiem: si autem accedat spiritus prudentia, iusto Dei iudicio vota nostra recte subscibent. Ultimo versu fructum suae liberationis hunc fore praedicant, *ut Dei nomen celebretur*: sicuti minime in alium finem nobis optanda est salus. Et ipse etiam gratis omnia nobis largitur, tantum ut suam bonitatem illustret. Promittunt autem non exigui temporis gratitudinem, sed cuius memoria tradatur posteris, et per continuas aetates transeat de manu in manum. Notanda etiam circumstantia est, quod dicit, *Nos populus tuus et oves pascuorum tuorum*. Quia enim electa erat posteritas Abrahae quae nomen Dei celebraret, et laudes eius in Sion resonabant: extincto illo populo, quid futurum erat nisi ut intercederet nomen ipsum Dei? Nec dubium est quin respondeat hic locus vaticinio Iesae capite 43, vers. 21: Populum hunc mihi creavi, laudem meam narrabit.

PSALMUS LXXX.

ARG. Precatio est lamentabilis, ut Deus afflictas suae ecclesiae subveniat. Sed quo facilius opem rebus suis miseris impetrent fideles, eas comparant cum suis exordiis, in quibus refulsit singularis Dei gratia.

Praefecto super Sosannim Eduth, Psalmus Asaph.
2. *Qui pascis Israël ausculta, qui ducis tanquam oves Ioseph, sedens inter Cherubim appare*: 3. *Coram Ephraim et Beniamin et Menasse excita virtutem tuam, et veni in salutem nobis*. 4. *Deus converte nos, et lucere fac faciem tuam, et salvi erimus*.

Quamquam Psalmus hic proximo affinis est, mihi tamen videtur compositus esse in gratiam decem tribuum, postquam variis cladibus regnum illud atteri coepit. Neque enim abs re fit expressa mentio Ioseph, Ephraim, et Menasse. Excipiunt quidam interpretes, Prophetam ad situm et ordinem castrorum alludere, qualis a Mose Num. capite 2, vers. 18 describitur, quia ab una parte progrediebantur Ephraim et Menasse. Sed frigidum esset, praeterita tribu Iehuda, et urbe quoque sancta, in medium proferri Ioseph, Menasse, Ephraim et Beniamin: nisi de regno Israël specialis fieret sermo. Si quis obiciat, ex quo alienatae sunt decem tribus a domo Davidis, fuisse degeneres, et illic corruptum fuisse Dei cultum: respondeo, multos illic pios Dei cultores habitasse, qui non flexerant genu coram Baal, nec se ad communes superstitiones proiecerant. Ideoque in tribu Iehuda duritiam accusat Amos

Calvini opera. Vol. XXXI.

cap. 6, vers. 6 quod illic nemo ingemiscebat super plaga Ioseph. Scimus etiam, in illa defectione missos fuisse prophetas qui spem redemptionis facerent. Quamvis ergo omnes fere essent apostatae, residuum semen non neglexit Deus. Et quemadmodum prius futuris malis solatium in vaticiniis gratiae suae dederat, sic nunc preces dictando, confirmat fovetque in eadem spe, donec re ipsa experiantur se non fuisse vanis promissionibus lactatos. Hinc tenemus quid duo isti Psalmi proximi inter se differant. Si cui non satisfaciatur quod dico, electio maneat libera: quisquis tamen circumstantias omnes expendet, libenter (ut spero) mihi assentietur. In vocibus Sosannim et Eduth non insistam: quia Psalmo quadragesimoquinto retuli quid sentiant interpretes: nec res tanti momenti est ut magnopere laborandum sit: deinde qui peritissimi sunt vetustatis, nihil afferunt praeter coniecturas probabiles.

2. (*Qui pascis Israël*.) Antequam Ephraim et Menasse nominet Prophetam, ponit nomen Ioseph: cur potius quam Iehuda, nisi quia seorsum de regno Israël, cuius potestas erat penes familiam et posteros Ioseph, verba erat facturus? Neque absurdum est, ut dixi, quum peculiare illis dati fuerint Prophetas, postquam Dei flagellis percussi sunt, additum fuisse precationem qua Deus reliquias sibi colligeret. Caeterum, ne sibi blandiantur in cultu adulterino, vocando Deum *sessorem Cherubim* Prophetam eos ad puram legis doctrinam revocat. Propitiatorium enim pignus erat praesentiae Dei, ubi Deus se propinquum fore suis promiserat, ut eorum vota exaudiret. Formam hanc divinitus praescriptam hominum arbitrio mutari fas non fuit. Monentur ergo Israelitae ac iubentur redire ad primam originem, ut Deum propitium inveniant. Caeterum hoc epitheto miris erga homines Dei amor exprimitur, quod se quodammodo extenuat ut ad eos descendat, sedemque et domicilium sibi deligat in terra, ut habitet in medio ipsorum. Neque enim sedet ipse, sicuti loco non includitur quem coeli coelorum non capiunt: sed respectu hominum locatur inter duos Cherubim, ne fideles, remotum a se fingendo, perplexi haereant in accessu. Interea tenendum quod attigi, legitimam orandi regulam proponi Israelitis, ne in Dan et Bethel deum a se fabricatum invocent, sed superstitionibus valere iussis vera fidei luce regantur, verbum Dei sequendo.

4. (*Deus converte nos*.) Hoc est, restitue. Peterant versu proximo ut virtutem suam erigeret Deus coram Ephraim et Menasse: nunc queruntur se proiectos, donec succurrat Deus, et miserae dissipationi remedium afferat. Quidam verbum *convertere* aliter accipiunt, ac si peterent a Deo fideles spiritum regenerationis. Sed quia id nimis argutum est, contenti simus priore illo sensu, fideles magis afflictos ad Deum confugere, cuius proprium

est vitam reddere mortuis. Iam sicuti fatentur malorum omnium hanc esse causam, quod Deus offensus faciem absconderit: ita rursus plenam salutem ab unico Dei favore exspectant. Haec (inquiunt) vera erit nobis resurrectio, si modo facies tua nobis illuceat. Ac si dicerent, se propitio et favento Deo beatos fore, sibi quae omnia feliciter cessura.

5. *Iehova Deus exercituum quousque fumabis in oratione populi tui?* 6. *Cibasti nos pane lacrymarum, et propinasti in lacrymis copiam.* 7. *Posuisti nos rixam vicinis nostris, et inimici nostri subsannant apud se.* 8. *Deus exercituum converte nos, et fac lucere faciem tuam, et salvi erimus.*

5. (*Iehova Deus.*) Quum ultro promittat Deus et toties affirmet non irrita fore suorum vota, mirum est cur non obiciant sancti sibi esse implacabilem, utcumque ad eum confugiant. Neque enim tantum queruntur se non exaudiri, sed Deum fumare ubi invocatur: ac si data opera hoc pietatis officium respueret. Ubi igitur illa promissio Iesa. 65, 24: Antequam clamaverint, ego exaudiam? Sed quia Deus auxilium suum differens suorum patientiam exercet, ex sensu carnis dicit propheta eum esse surdum ad preces: non quod in hac opinione precantes subsistere conveniat: (viam enim sibi praecluderent) sed quamvis eos contrario fidei sensu eniti et penetrare in coelum oporteat, ubi occultam salutem cernant: Deus tamen permittit, quo exonerent animos suos, curas, sollicitudinem, dolores et metus quibus anguntur, in medium proferre. Videtur autem tacita esse allusio inter fumum irae Dei, et suffitum qui sacrificiis adhibebatur sub lege. Quum enim hic ad purgandum coelum valeret, queruntur diverso fumo tenebras offundi, ne ad Deum perveniant sui gemitus.

6. (*Cibasti nos.*) Magnitudinem doloris, et longum etiam malorum tractum his loquendi modis exprimunt: ac si dicerent se confectos fuisse tristitia usque ad summam satietatem. Postea addunt, se in contentionem vicinis fuisse datos, quod bifariam potest intelligi, vel quod rixati cum ipsis vicini fuerint: vel quod victoriam adepti, contenderent de praeda, ut fieri solet dum quisque spolia ad se rapere appetit. Prior tamen sensus videtur melius quadrare, ut querantur totidem sibi hostes fuisse, quot vicinos, quum tamen mutuae benevolentiae vinculum debeat esse ipsa vicinitas. Eodem pertinet secundum membrum, *ridere apud se*, hoc est, de rebus adversis ultro et citro per iocum et ludibrium inter se fabulari. Caeterum hoc Dei iudicio adscribunt, in cuius manu est flectere hominum animos, ut hoc modo se ad poenitentiam hortentur. Quum vero eiusdem hodie reatus simus nobis con-

scii, non mirum est si nihilo etiam melior est nostra conditio. Sed quum formam hanc precandi fere desperatis spiritus sanctus dictaverit, spes nobis et libertas suggeritur ne ab invocatione peccata nostra nos prohibeant. Nec dubium est quin ad superandum obstaculum iterum repetatur quod prius dictum erat, neque enim inanem battologiam dictare suis voluit Deus, sed ut malis gravati, audacter nihilominus assurgerent, haec fultura saepius illis oblata fuit, sicuti tertio repetitur in Psalmi clausula.

9. *Vitem ex Aegypto transtulisti, expulisti gentes, et plantasti eam.* 10. *Expurgasti coram ea, radicasti radices eius, et implevit terram.* 11. *Operi sunt montes umbra eius, et palmites eius cedri Dei.* 12. *Emisit malleolos suos usque ad mare, et usque ad fluvium propagines suas.* 13. *Cur diruisti sepem eius, et discerpserunt eam omnes transeuntes per viam?* 14. *Vastavit eam aper e silva, et fera agri depasta est eam.*

9. (*Vitem ex Aegypto.*) Vitis similitudine propheta commendat singularem Dei gratiam qua redemptum populum dignatus est: quod ad spem impetrandi non parum habuit efficaciae. Quis enim nostrum in Dei conspectum prosilire audeat, donec praeveniat nos ipse? Invitat autem nos tam beneficiis quam verbo: atque hoc consilio nunc ei obicitur sua liberalitas, ne inchoatum deserat opus manuum suarum. Quanquam autem sine verbo frigerent apud nos Dei beneficia, ubi tamen ad verbi testimonium accedit experientia, non vulgariter nos animat. Et redemptio cuius nunc meminit propheta, foedere Dei vestita fuit: quia annis ante quadringentis Abrahae eam Deus pepigerat. Summa huc redit, indignum esse ut Deus vitem manu sua plantatam, et exquisite cultam, a feris bestiis nunc lacerari sinat. Neque enim tridui vel exigui temporis erat Dei foedus, sed filios Abrahae sibi adoptaverat quos perpetuo tueretur. Vitis autem nomine significat propheta quanto in pretio populus hic coram Deo fuerit, quem non modo instar haereditarii fundi sibi esse voluit, sed, sicuti vitis supra reliquas possessiones excellit, peculiari honore dignatus est. Quod dicit *terram fuisse purgatam*, metaphorice repetit quod prius sine figura dixerat, gentes fuisse expulsas, ut vacuus esset locus electo populo. Nisi forte ad continuas fossiones alludat, quibus vites, ne degenerent, purgandae sunt: ut significet Deum functum esse agricolae partibus erga suum populum, quia non destiterit post plantationem in eo fovendo et conservando operam impendere. Nam quod continuo post addit *radicatas fuisse radices*, de prima satione non debet intelligi, sed de propagatione, quae una est culturae species. Unde sequitur opertos fuisse montes umbra eius:

quia tota regio, licet montuosa esset, incolis referta fuit: in tantam multitudinem crevit populus ille. Ideoque palmites comparat *cedris Dei*, hoc est pulcherrimis, vel eximiis quibusque: quo illustrior reddatur Dei benedictio. Mare et Euphratem scimus terminos promissae haereditatis fuisse divinitus praefixos.

13. (*Cur diruisti.*) Applicatio est similitudinis: quia nihil minus consentaneum est, quam Deum vitem a se plantatam feris bestiis evellendam tradere. Id quidem se facturum saepius minatur ac denuntiat per prophetas: sed in eum finem, ut populi ingratitude magis reddatur detestabilis, quae prodigiosum illud poenae genus extorsit. Interea non abs re ex tam praeclara Dei beneficentia fiducia concipere iussi sunt fideles: saltem ut in ipsa evulsione sperarent curae se futuros Deo, qui opus manuum suarum nunquam deserit. Etsi enim ad vastitatem redactus fuit populus, insanabilis suae pervicaciae culpa, paucis tamen palmitibus servatis, vitem suam deinde restituit Deus. Haec quidem deprecatio toti populo fuit proposita, qua horrendae dissipationi occurreret. Cacterum quia paucissimi Deo vere supplices facti sunt, ut iram eius restinguere, satis fuit illos ab interitu eripi, ut nova deinde vitis exsurgeret. Porro antithetis istis augetur indignitas, dum ab una parte Deus vinitor statuitur: ab altera autem non modo quicumque transeunt, sed apri quoque silvestres, aliaeque ferae bestiae. Verbum כרסו quidam accipiunt pro ventrem farcire: quae significatio nisi paulo esset ab usu remotior, praesenti loco apte quadraret.

15. *Deus exercituum revertere obsecro, inspicere e coelis, et vide, et visita vitem hanc.* 16. *Et hortum quem plantavit dextera tua, et super filium quem confirmasti tibi:* 17. *Combusta est igne, excisa est: ab increpatione vultus tui pereunt.* 18. *Sit manus tua super virum dexterarum tuarum, super filium hominis quem confirmasti tibi.* 19. *Et non recedemus abs te: vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.* 20. *Iehova Deus exercituum converte nos: fac lucere faciem tuam, et salvi erimus.*

15. (*Deus exercituum.*) His verbis docere voluit propheta, quamvis ad tempus faciem suam occultet Deus, imo speciem alienationis praebeat, tentationi minime cedendum esse: quia, modo cum certa spe veniae quaeratur, quos abiicere visus est, placatus in gratiam recipiet. Etsi autem haec summa fuit populi dignitas, censeri Dei vineam: dum tamen hoc respectu Deum sibi conciliant fideles, nihil afferunt proprium, sed tantum postulant, ne deficiat in medio liberalitatis cursu. Particulam *e coelis*, non dubito fuisse interpositam, ne fidem suam procul extendere fideles dubitarent, quamvis ab ipsis

longe distaret Deus a quo recesserant: deinde si nullus liberationis modus apparebat in terra, ut in coelum suspicerent. Quantum attinet ad vocem כנה, libenter recipio quod nonnulli vertunt, locum paratum. Quia tamen aliis videtur permutatio literarum כ in נ, ut hortum significet, libera maneat electio. Certum quidem est, metaphoram esse priori affinem, qua notatur singularis Dei in ornando populo liberalitas. *Virum* quoque *dexterarum* appellat palmitem manu Dei consitum.

17. (*Combusta est igne.*) Clades populi iam clarius exprimit. Dixerat vitem Dei bestiis fuisse expositam ad direptionem. Longe autem durius est incendio consumi, eradicari, et perire. Etsi autem perfide desciverant a pietate Israelitae, erant tamen adhuc ecclesiae portio, ut dictum fuit. Quare hoc tristi eorum exemplo monemur quam severis poenis digna sit nostra ingratitude, praesertim ubi accedit contumacia, ut minis et obiurgationibus nihil Deus apud nos proficiat. Simul autem discamus, ubi passim ardet ira Dei, inter medias tamen incendiis flammis, dolores nostros in Dei sinum reicere, qui mirabiliter ecclesiam suam ab interitu suscitavit. Paratus quidem esset non modo continuo tenore prosequi suum erga nos favorem, sed magis ac magis nos locupletare, nisi obstaret nostra pravitas: sed quia fieri non potest quin tot sceleribus succenseat, hoc inaestimabilis clementiae est, ubi ignis a nobis accensus longe lateque grassatus est, eo restincto aliquam ecclesiae partem residuam servare, vel ut magis proprio loquar, excitare ab ipsis cineribus populum qui nomen suum invocet. Iterum repetit propheta non vi et armis hostium, sed increpatione vultus Dei ecclesiam periisse: quia nunquam speranda est poenarum mitigatio, nisi vere persuasi simus manu Dei iuste nobis infligi. Et hoc resipiscentiae signum fuit, ad manum percutientis respicere, sicuti alibi dicitur, Ies. 9, 13.

18. (*Sit manus tua super virum.*) Precationem qua usus fuerat sub figura vineae, simplicibus verbis repetit, ut manu sua Deus protegat *virum dexterarum suarum et hominem quem sibi roboravit*. Incertum est autem, de solo rege, an de populo ipso loquatur. Nam etsi Iarobeam unctus fuit in regem, non tamen legitimo iure honorem illum adeptus est: nec quenquam ex successoribus ita Deus probavit, quin semper et ius et potestas regni maneret penes posteros Davidis. Neque enim, ut Psal. 78, 67 vidimus, elegit Deus tribum Ephraim: imo inviolabili eius decreto sceptrum datum fuerat familiae Iuda, sicuti continet vaticinium Iacob, Gen. 49, 10. Ergo impia ruptura fuit, quum maior pars populi descivit ad Iarobeam. Solvi tamen potest hic nodus, quia etsi perversum fuit regni principium, sicut dicitur apud Hoseam 13, 11: *Dedi vobis regem in furore meo: tolerantia deinde probatum*

fuit: et unctio testata est, ratum Deo fuisse quod perperam tumultu populi gestum fuerat. Potuit igitur populus Israël regem suum dicere a Deo creatum et stabilitum, qui in remedium dissipationis additus fuerat filiis Davidis. Etsi enim dissidio illo collapsus est status populi, fultura tamen illa, arcano Dei consilio supposita fuit ne concideret. Sed ego libenter totum ecclesiae corpus complector. Nec temere singulari numero usus est propheta, quum vellet Deus populum illum instar esse unius hominis, qua etiam ratione Paulus Gal. 3, 16 in uno semine insistit. Difflexerant enim Ismael, Esau et alii, quum Deus redemit ac collegit semen Abrahæ. Ita *Filius hominis* vocabitur populus quem sibi adoptaverat Deus, ut esset quasi unus homo: quia tamen unitas hæc pendebat a capite, non displicet regem diserte notari quatenus retinebat maiorem populi partem, ne exitiali ruina periret. Caeterum hic rursus propheta nonnisi prioribus Dei beneficiis innititur ad conciliandum eius favorem: ac si diceret, Domine, quia tuum est perficere quod coepisti, regem abs te nobis datum custodias. Tandem promittunt fideles se Deo gratos fore, si ex-auditi fuerint: neque id tantum sacrificio laudis, sed tota vita. Nam *invocatio nominis Dei* pro vitulis labiorum accipitur. Sed totius vitæ consensum declarat ubi dicit, *non recedemus a te*. Quanquam sic contexi potest hic versus, Domine etiam in rebus nostris deploratis manebimus sub tuo obsequio, neque malorum acerbitas ad defectionem nos impellet. Tua autem gratia et virtute restituti, celebrabimus nomen tuum. De ultimo versu quem tertio inculcat propheta, supervacuum esset plura dicere.

PSALMUS LXXXI.

ARG. Duæ sunt huius Psalmi partes, nam quisquis fuerit autor, populum hortatur ut redemptus Dei manu, et in regnum sacerdotale ac peculiarem ecclesiam electus, in-aestimabilia huius gratiæ memor, redemptorem suum tam laudibus quam sancta vita pie colat. Deinde sequitur exprobratio ingrati-tudinis in Dei persona, quod scilicet blande et comiter populum hunc ad se in-vitans, nihil profecerit quin iugum legis pervicaciter respueret.

1. *Praefecto super Githith Asaph.* 2. *Exsultate Deo fortitudini nostræ, iubilate Deo Iacob:* 3. *Sumite canticum et proferte tympanum, citharam iucunditatem cum nabo:* 4. *Ulangite cithara in novilunio, tempore statuto ad diem sacrificii nostri:* 5. *Quia statutum Israël hoc, iudicium Deo Iacob.* 6. *Testimonium in Ioseph posuit hoc, quum egressus est super terram Aegypti: labium quod nesciebam audivi.* 7. *Amovi*

ab onere humerum eius: manus eius ab ollis recesserunt. 8. *In tribulatione clamasti, et eripui te, respondi tibi in occulto tonitruum: probavi te super aquas Meriba.* Selah.

2. (*Exsultate Deo.*) Hunc Psalmum probabile est festis diebus, quibus solennes suos conventus agebant Iudæi, fuisse destinatum. Nam a principio ostendit non fuisse ordinem illum divinitus mandatum, ut surdi et muti ad tabernaculum starent (quia Deus neque otio neque frigidis ac inanibus caeremoniis colitur) sed ut talibus exercitiis fidei unitatem inter se foverent, profiterentur suam pietatem, et se animarent ad continuos eius progressus, suæque studia coniungerent ad laudandum Deum: denique ut in sacro foedere retinerentur, quo sibi Deus eos adoptaverat. Quum vero hic fuerit dierum festorum usus sub lege, colligere etiam licet, quoties hodie conveniunt fideles, debere finem hunc esse propositum, ut se exercent in vera pietate, Dei beneficia in memoriam revocent, proficiant in eius verbo, fideique suæ consensum testentur. Frivolis enim ac inutilibus caeremoniis ludunt homines cum Deo, nisi in primis vigeat doctrina fidei, quæ ad invocationem eos incitet: nisi etiam beneficiorum recordatio suggerat laudum materiam: imo mera est profanatio nominis Dei, dum extincta doctrinae luce, externo tantum cultu defungitur populus. Ideo propheta non solum fideles iubet ad tabernaculum concurrere, sed de fine quoque admonet, ut illio renovetur memoria gratuiti foederis, unde augeat fides eorum et pietas, ut celebrentur Dei beneficia, quæ animos ad gratiarum actionem stimulent. Quantum ad tympanum, citharam, et nablum attinet, diximus alibi, et postea dicendum erit, Levitas non abs re musicis instrumentis usos fuisse sub lege: quia tenerum adhuc et pueris similem populum Deus talibus rudimentis docere voluit usque ad Christi adventum. Nunc ubi evangelii claritas, discussis umbris legalibus, cultum Dei magis simplicem nobis commendat, stulte ac perperam imitemur quod propheta nonnisi ætati suæ praecepit. Unde apparet papistas hoc ad se transferendo, simias fuisse. Sub *novilunio* per synecdochen alias quoque ferias designat. Quanquam autem quotidie offerebantur sacrificia, *dies tamen sacrificii* per excellentiam nominat, quibus se ex legis praescripto sistebant fideles ad tabernaculum.

5. (*Quia statutum.*) Quo efficacior sit exhortatio, legem hanc impositam esse docet populo Dei, qua sancitur aeternum foedus. Quia autem in foederibus mutua est conventio: dicit hoc statutum datum fuisse Israël, et Deum sibi hoc ius pepigisse. *עָרַךְ* quidam derivant a verbo *עָרַךְ* quod significat ornare: et vertunt Decus, vel ornamentum Ioseph, sed descendit potius a *עָרַךְ* et contextus flagitat pro

testimonio vel pactione accipi. Caeterum in nomine *Ioseph* respexit propheta ad primam originem, quum post mortem Iacob distinctae fuerunt familiae. Nam quia nondum ad Iehudam pervenerat tunc primatus, Ruben vero gradu primogeniti exciderat, merito excelluit posteritas Ioseph ob memoriam beneficii: quia fratrum suorum totiusque gentis pater et nutritus fuerat. Caeterum foederis sanctitatem speciali nota commendat propheta, quia Deus populum sibi adquisierat, dum hunc honorem sibi deferri stipulatus est: ac si diceret, redemptum fuisse hac lege populum, ut statis diebus ad renovandam gratiae memoriam conflueret. Verbum *quum egressus est*, tam Deo, quam populo convenit. Trita enim est loquutio, Deum coram populo suo egredi, sicut pastor gregem, vel dux exercitum praecedat. Praepositio *Super* quibusdam videtur notare altiore Indaeae situm: quia adscendunt qui illuc veniunt ex Aegypto. Ego autem simpliciter interpretor populum, praeeunte Deo, libere pervagatum fuisse per terram Aegypti, quia fractis ac pavefactis incolis datus est transitus. Gratiam liberationis amplificat, dicens in persona totius populi, se fuisse ex profunda barbarie ereptum, nihil enim molestius est, quam *peregrinari* apud gentem cum qua nulla sit linguae communicatio, quae praecipuum est societatis vinculum. Quia enim lingua est velut character mentis ac speculum, non secus ac silvestres ferae, invicem alieni sunt qui carent linguae usu. Iesaias 33, 19 quum vult durissimum supplicium minari, pronuntiat venturos hostes profundis labiis, et confuso guttore. Itaque eo praestantius Dei beneficium populus agnoscit, quod ab Aegyptiis ereptus fuerit, quorum linguam non intelligebat.

7. (*Amovi ab onere.*) Hic iam Deus quibus et quantis beneficiis sibi devinxerit populum Israel commemorat. Nam quo asperior fuerat servitus unde erepti fuerant, eo optabilior et magis pretiosa fuit libertas. Quum ergo propheta refert curvatos fuisse sub onere, et figulinae addictos, aliisque servilibus et duris operis, contrarios status inter se comparans, magis illustrat redemptionis gratiam. Nunc ab illis ad nos anagoge tenenda est: quia ubi non tantum ab onere lateritio subduxit Deus humeros nostros, nec tantum manus nostras a fornicibus removit, sed ex miserrima Satanae tyrannide redemptos ab inferis eduxit: multo sanctior est nostra obligatio quam veteris populi. Eandem sententiam prosequitur sequenti versu. Dicit Deus se tulisse suppetias quum *in angustiis clamarent*. Quod ego libenter de precibus intelligo. Nam etsi interdum contingit, eos qui ad ultimam necessitatem reducti sunt, confuso clamore deflere suas miseras: quia tamen in afflicto populo aliquae manebant pietatis scintillae, neque effluxerat ex cordibus promissio patribus data, non dubito eorum preces ad

Deum fuisse conversas. Nam et qui nihil tale meditatum habent, si tamen urgeat maior aliqua necessitas, arcano naturae instinctu ad Deum feruntur. Quo magis credibile est, promissionem illis fuisse magistrum, ut ad Deum respicerent. Quia vero nemo Deum vere implorat nisi auxilium ab eo sperans, melius convincere debuit Israelitas clamor ille, ut redemptionem oblatam soli Deo ascriberent. *Arcanum tonitru* quidam exponunt nimis argute, meo iudicio, tonitru quod occultaverit gemitus populi, ne Aegyptios magis exacerbarent. Simpliciter intelligo, arcano et admirabili modo exauditum fuisse populum, et tamen edita palam fuisse signa, ex quibus colligerent Israelitae, divinitus se iuvari. Quamvis ergo non apparuerit Dei facies, tonitru tamen notabile fuit latentis eius praesentiae indicium. Iam quo pluris gratiam hanc aestiment Israelitae, oblique illis Deus exprobrat indignis fuisse praestitam: quia maligni ac perversi ingenii experimentum dederint apud aquas Meriba. Num. capite 14, vers. 34. Ac si diceret, quum palam tunc innotuerit vestra impietas, certe nulla a me habita fuit dignitatis vestrae ratio. Non minus autem in nos competit haec obiurgatio quam in Israelitas: quia non solum quum afflicti essemus sub Satanae tyrannide, Deus nostros gemitus audit, sed antequam nati essemus, redemptionis pretium nobis statuit in Filio unigenito. Deinde quum inimici essemus, per evangelium nobis et spiritum illucens, ad gratiae suae participationem nos vocavit: et tamen non desinimus ei subinde obstrepere, imo ferociter contra eum tumultuari.

9. *Audi popule mi, et contestabor te: Israël si audieris me.* 10. *Ne sit in te deus extraneus, et ne adores deum alienum.* 11. *Ego Iehova Deus tuus, qui te eduxi e terra Aegypti: dilata os tuum, et implebo illud.* 12. *Et non audivit populus meus vocem meam et Israël renuit me.* 13. *Et dimisi eos in cogitatione*) cordis eorum, ambulabunt in consiliis suis.*

9. (*Audi popule mi.*) Quo melius animos permoveat Propheta, Deum induit persona doctoris, eumque familiariter in medio coetu loquentem inducit: ut intelligat populus inutiles ac lusorios esse conventus omnes, ubi vox Dei ad fidem et pietatem incitans non resonat. Sed praestat verba expendere. Praefatio haec breviter docet, non rite nec pure coli festos dies, nisi attentis sint fideles ad Dei vocem: quia ut manus, pedes, oculos, seque totos illi consecrant in obsequium, necesse est ab auribus incipere, atque ita ostendit nullos se agnoscere cultores, nisi qui discipuli sint. *Contestandi* verbo significat se pacisci solenni more, quo maior constet

*) en la pensee, en marge: ou perversité, ou durité.

verbis autoritas. Quod postea sequitur, *Israël si audieris me*, puto abrupte esse positum, ut in orationibus patheticis defectus maiorem vehementiam exprimit. Alii contexunt cum versu sequenti, *Israël si me audieris*, non erit in te deus extraneus. Sed ego vocem desiderantis esse arbitror. Quanquam oblique significat Deus prae fracto populo se diffidere, et vix sperare morigerum fore, vel docilem. Praecipuum deinde foederis caput, et fere summam totam proponit, ut solus ipse emineat. Si cui tamen magis ita resolvere placeat, *Israël quum me audieris*, nihil est quod aequè abs te postulem, vel exigam, nisi ut me uno contentus, alienos deos tibi non accersas: hanc sententiam non improbo. Certe hac voce confirmat Deus quod toties alibi inculcat in lege et prophetis, se zelotypum esse, ut socium honoris non admittat. Sed interea simul admonet, principium veri cultus incipere ab obedientia. Diversa est apud Moysen series, Exod. 20, 2. 4 et Deuter. cap. 5, vers. 6. 8 nam ubi praefatus est Deus se esse Deum Israël, prohibet ne sibi fabricent novos deos. Hic autem prohibitio priorem locum obtinet: deinde additur causae redditio, quod abunde sufficere debeat Deus ille qui sibi populum acquisivit. Forte etiam praeparationis vice initio hoc posuit, ut populum a superstitionibus abduceret, quas prius evelli ac purgari necesse est, quam radices in nobis agat vera pietas.

11. (*Dilata os tuum.*) Sicuti prius redemptionem populi commemorans, fraenum iniecit Deus quo suos clientes obsequio adstrictos teneret: sibi in futurum tempus bonorum omnium copiam suppetere denuntiat unde expleat populi esuriam. Notandae vero sunt tres istae rationes, quibus in se uno Deus continet Israëlitas, ac perperam impieque facere ostendit si ad deos extraneos declinent. Nam voce *Iehovae* se Deum naturae esse asserens, negat in arbitrio hominum esse fingere novos deos, ac emphaticum est pronomen *ego*. Quamvis enim praetexerent Aegyptii, se deum colere coeli et terrae opificem, mendacii eos palam coarguebat contemptus Dei Israël: a quo simulac discedunt homines, eius spoliis ornant sua figmenta, quoscunque obtendant colores. Ubi se Iehovam asseruit, deitatem suam effectum et experimento probat: quia eius clarum specimen exhibuerit in redimendo populo: praesertim quia tunc fidem patribus datam praestitit. Virtus enim quae tunc spectata fuit, non seorsum debuit aestimari: quia pendeat a foedere quod olim cum Abraham pepigerat idem ille Deus, qui probata sua veritate non minus quam potentia, debitam sibi laudem asseruit. Tertio iam se in posterum offert, hoc sensu, modo pergat Israël in fide, se eundem fore erga filios qualem experti sunt patres, quia exhausta non sit sua liberalitas. Nam verbo *dilatandi*, oblique perstringit angustias quae benefi-

centiae eius viam obstruunt: ac si diceret, culpam penuriae residere in populo, quia bonorum quibus indiget capax non sit: imo incredulitatis suae obstaculo arceat ac repellat quae ultro fluerent beneficia. Nec solum iubet os aperire, sed gratiae suae abundantiam splendidius commendat: significans quantumvis se longe ac late extendant nostra desideria, nihil defore ad plenam satietatem. Unde sequitur, parce et tenuiter stillare in nos coelestes gratias, quia os nimis angustum est, alios vero ieiunos esse et inanes, quia os prorsus claudunt, nam maior pars vel fastidio, vel superbia, vel furore respuit quidquid e coelo bonorum offertur: alii, quamvis non in totum reiiciant, vix tamen exiguas guttas admittunt, quia sic restricta est eorum fides ut effusam copiam impediat. Hinc vero nimis clare detegitur mundi pravitas, quod neque Deum cognitum amplecti, neque in eo acquiescere sustinet: etsi enim externo adorationis signo coli se Deus hic postulat, non tamen moratur nudum nomen, quia eius maiestas in duabus vel tribus syllabis sita non est: sed rem potius spectat, ne alio diffuant spes nostrae: vel laus iustitiae, salutis et bonorum omnium transferatur. Hoc enim nomine deitatem sibi vendicat, quod sibi plena bonorum suppetat ubertas ad nos satiandos et explendos.

12. (*Et non audivit.*) Nunc queritur Deus, quum Israëlitas comiter ad se alliciat, blandam tamen hanc invitationem sperni: imo quum pridem coeperit eos hortari, semper aures fuisse clausas verbo suo. Neque enim de unius tantum diei contumacia ex postulat, sed populum statim ab initio stupidum ac prae fractum fuisse intelligit, et in eadem obstinatione pergere. Haec vero prodigiosa malitia est, Deo, ubi paratus est nobiscum fere aequabili lege pacisci, claudere accessum, et audientiam negare. Ac ne culpam, ignorantiae obtentu, extenuent, addit se ex professo et deliberato contemptu fuisse reiectum. Unde apparet fascinatam a diabolo fuisse eorum mentes. Hinc pronuntiat factum esse ut eos dimiserit in duritia cordis eorum: vel, ut alii vertunt, in cogitatione. *וַיִּשְׁכַּח* enim unde hoc nomen deductum est, umbilicum proprie significat. Unde apta est translatio ad cogitationes cordibus implicitas: vel etiam ad duritiem quae medium cor occupat. Quia tamen scimus in Psalmis rem unam bis solere repeti, praetuli nomen Cogitationis, quia mox sequitur, Ambulabunt post sua consilia. Caeterum his verbis iustam se poenam sumpsisse testatur de populo, dum sana eum doctrina spoliatis, in reprobum sensum proiecit. Sicuti enim verbo suo nos regens quasi fraeno cohibet, ne post errores vagemur: ita prophetas suos auferens Iudaeis, perversis eorum consiliis habenas laxavit, ut sibi errandi essent duces. Atque hoc gravissimum est vindictae genus et signum horrendae despera-

tionis, quum ad nostram proterviam dissimulans ac silens, correctionis medicinam non adhibet. Quamdiu enim nos obiurgat, et ad tribunal suum citando, metu iudicii nos terret, simul invitat quoque ad poenitentiam: ubi autem operam se rixando videt ludere, nec quidquam proficere suas admonitiones, tacendo declarat se curam abiicere salutis nostrae. Nihil ergo magis timendum, quam ita emancipari homines a Deo, ut lascivientes in suis consiliis, a Satana trahantur. Quanquam potest hoc latius exponi, Deum taedio fatigatum non curasse de retinendo populo, qui perdita sua malitia spem omnem profectus absiderat. Stulte vero inferunt ex hoc loco quidam, aequaliter distribui omnibus Dei gratiam, donec repudiata fuerit. Nam et tunc singulari privilegio Deus solos Abrahae filios, posthabito toto orbe, ad se vocare dignatus est. Hodie fateor sublatum esse discrimen, ut legatio evangelii, qua se Deus mundo reconciliat, communis sit omnibus: videmus tamen ut certis in locis excitet Deus pios doctores. Quanquam non sola vox externa sufficeret, nisi efficaciter ad se traheret quos vocavit. Caeterum quia docet hic locus nullam esse magis exitialem pestem, quam propriis consiliis regi, nihil aliud superest nisi ut prudentia carnis valere iussa, spiritum sequamur ducem.

14. *O si populus meus audisset me,**) Israël in viis meis ambulasset. 15. *Brevi inimicos eorum humiliaassem, et super adversarios eorum vertissem manum meam:* 16. *Osores Iehovae mentiti fuissent illi, et fuisset tempus ipsorum in saeculum:* 17. *Et parvissem illos adipe frumenti, et melle satiasset te e petra.*

14. (*O si populus meus.*) Iterum honorifico elogio probrum et dedecus populi melius detegit: quia duplex fuit flagitium, quum vocatione essent populus Dei, nihil ab alienissimis differre: sicuti apud Iesaiam, 1, 3 conqueritur, Bos cognovit possessorem suum, asinus praesepe domini sui: populus autem meus non intelligit. Quia dictio יְהוָה apud Hebraeos non est conditionalis, sed optativa, non dubito quin Deus instar gementis exclamet miserum esse hunc populum, qui salutis suae optime consuli sponte recusaverit. Patris enim suscipiens personam, ubi remediis omnibus tentatis, filios deploratos esse videt, voces emittit dolentis, veluti cum suspirio et gemitu, non quod obnoxius sit humanis passionibus, sed quia aliter suum erga nos amorem exprimere non potest. Ac videtur propheta locum hunc mutuatus ex Cantico Mosi, Deut. 32, 29 ubi iisdem fere verbis deplorat populi pervicaciam. Est autem hic tacita exprobratio, ut sciant Iudaei non-

nisi per suam malitiam stetisse quominus optime haberent. Si quis obiiciat, frustra et sine ratione Deum conqueri, quando in eius arbitrio fuit flectere duras populi cervices: nunc quando facere non libuit, non esse cur se homini dolenti comparet: respondeo, iuste id fieri nostra causa, ne infelicitatis nostrae culpam alibi quam in nobis quaeramus. Sed hic cavendum ne res diversas misceamus, et quae non minus inter se distant, quam coelum a terra. Deus enim ad nos descendens per verbum suum, et sine exceptione invitans omnes, neminem frustratur. Quicumque enim veniunt, admissi sentiunt non abs re se fuisse vocatos. Interim ex fonte arcanæ electionis manat hoc discrimen, ut in paucorum corda verbum penetret, aliorum aures verberet duntaxat. Neque tamen absurdum est eum flebiliter conqueri de nostra amentia ubi non paremus. Sicuti enim verbo externo nos invitans, patrem exhibet: cur non etiam patris imaginem referret in hac forma querimoniae? Vere enim apud Ezechielem 18, 32 pronuntiat se nolle mortem peccatoris, modo ex toto contextu candide et non contentiose petatur eius dicti interpretatio. Non vult mortem: quomodo? nempe quia vult omnes ad se converti. Satis vero constat non esse hanc conversionem in libero hominum arbitrio, donec ex cordibus lapideis Deus carnea reddiderit: imo renovatio haec (ut scite Augustinus docet) ipsa creatione praestantior est. Quid autem obstat quominus patrem omnium corda flectat Deus ac formet in obsequium? Hic ergo tenenda est modestia ac sobrietas, ne in arcanum eius iudicium perrumpere tentemus: sed nobis sufficiat voluntas in verbo patefacta. Eorum enim salutem velle merito censetur ad quos dirigitur vox ista, Iesa. 21, 12: Venite ad me, et convertimini. Secundo membro definit propheta quid sit Deum audire. Neque enim satis esset annuere loquenti Deo: quia facile concedunt hypocritae, verum esse quod ex ore Dei proficiscitur, perinde ac si aures flecteret asinus. Propheta autem non aliter Deum audiri significat, nisi nos eius imperio subiicimus.

15. (*Brevi inimicos.*) Hic admonet, quascunque perpessi fuerant clades Israëlitaе, imputandas esse eorum peccatis: quia non aliis viribus pugnarunt hostes, quam quibus e coelo instructi erant. Promiserat Deus suis auspiciis electum populum fore omnium hostium victorem: ne quis eum malae fidei insimulet, affirmat se id facturum fuisse nisi prohibitus esset populi peccatis. Nec dubium est quin tacite admoneat eos de prioribus victoriis, quas non proprio Marte, sed eius ductu adepti fuerant. Nunc se non modo cohiberi dicit eorum culpa, ut a defensione ipsorum absterneat, sed etiam improbitate cogi, ut hostibus omissis, in ipsos irruat armata manu. Eandem sententiam prosequitur

*) m'eust ouy, en marge: ou à la mienne volonté que.

quum dicit hostes suppliciter iugum fuisse subituros, nisi illos ad licentiam armasset Israëlitarum impietas, dum excusso iugo contra Deum lasciuunt. *Hostes Iehovae* nominans, perstringit Israëlitas, quod abrupto foederis vinculo, se a Deo disiunxerint, ne bellum statim pro ipsis contra hostes communes susciperet. Quemadmodum enim terreni principes, si a sociis fraudentur, descendunt ad inducias cum reliquis hostibus: et hoc pacto se ulciscuntur de periuriis et foedifragis: ita significat Deus se hostibus suis pepercisse: quia perfide et scelerate a populo Israël deceptus erat. Cur enim manifestos hostes sinit inultos esse, et in asserenda sua gloria ad tempus cessat, nisi quod rebelli et immorigero populo illos opponit, a quibus subigatur? Quid sibi velit verbum *כחש*, alibi diximus. Subindicat autem propheta non aliam cum reprobis sperandam esse pacem, nisi quatenus eorum rabiem constringit Deus occultis catenis, sicuti leo ferrea cavea inclusus, manet semper leo, sed cohibetur ne laniet ac discerpat qui quinque tantum vel sex pedibus ab eo distant: sic impii, licet in nostram perniciem inhient, exsequi tamen quod cuperent nequeunt: imo eorum ferociam humiliat Deus, ut mansuetudinem simulent. Summa est, culpa Israëlitarum fieri ut praevalcant contra eos hostes, et petulanter insultent, qui filiis Dei morigeris et obsequentibus supplices erant futuri. *Tempus* quoque *perpetuum* ad promissiones referri debet, sicuti copia tritici et mellis ad satietatem usque: testatus enim fuerat Deus se fore illis protectorem et custodem ad finem usque. Mutatio igitur tam subita quae contigerat, odiose illis obiicitur, quod data opera suam felicitatem protinus abiecerint. Idem et de terrae fertilitate dicendum. Qui fit enim ut esuriant in ea terra ubi Deus tritici et mellis abundantiam illis pollicitus fuerat, nisi quia Dei benedictio eorum culpa exaruit? *Adipem frumenti* metaphorice vocat similitudinem, nisi quis pro optimo tritico accipere malit. *Mel ex petra* quidam hyperbolice accipiunt: ac si dictum foret, potius mel fluxisse ex ipsis rupibus, quam non saturasset Deus hunc populum. Sed quum appareat ex sacra historia, mel in cavis rupibus passim fuisse repertum quamdiu florebat Dei benedictio, simplex sensus est tenorem gratiae Dei continuum et aequabilem futurum fuisse, nisi malitia et sceleribus populi abruptus esset.

PSALMUS LXXXII.

ARG. Quia reges et quicumque potestate praediti sunt, immensam sibi licentiam, fastu excaecati, ut plurimum indulgent: denuntiat reddendam esse rationem summo Iudici qui omnem mundi celsitudinem supereminet.

Postquam autem officii et conditionis suae eos admonuit, surdis se videns canere, Deum vindicem implorat.

*Psalmus Asaph. 1. Deus sedet in coetu Dei, in medio deorum iudicabit.**) 2. Usquequo iudicabit iniquitatem, et facies impiorum sumetis? Selah. 3. Iudicate**) pauperem et pupillum, inopem et egenum iustificate. 4. Eripite pauperem et afflictum, e manu impiorum liberate.*

1. (*Deus sedet in coetu Dei.*) Hoc valde indignum est, quum certos homines velit Deus humano genere praeesse in commune bonum, eos non agnoscere in quem finem excellant, neque etiam cuius beneficio locati sint in tam excelso gradu, sed contempta omni aequitate libidinoso dominari. Suo enim splendore hebetantur ut totum orbem sibi natum esse putent. Adde quod suae altitudini minime consentaneum esse ducunt, regi moderatis consiliis: et quum iam sua dementia plus aequo insaniant, quaerunt tamen adulatores qui blandiantur et applaudant eorum vitiis. Hanc superbiam ut corrigat Propheta, principio negat sic occupari solia et tribunalia ab hominibus quin Deus retineat summum gradum: sicut etiam voluit Deus profani et impuri poëtae ore hoc esse testatum,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Olari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.***)

Ergo ne plus aequo sibi arrogant mundi procures, propheta hic Deo solium erigit unde omnes iudicet, ac cogat in ordinem, quod valde necessarium est. Etsi enim regnare se fatentur per Dei gratiam, et caeremoniis Deum colunt: infatuat tamen eos sua magnitudo, ut falsa imaginatione Deum a coetu suo procul expellant, neque enim rationi et legibus subesse sustinent. Hanc vesaniam, qua fascinati sunt mundi principes, ridere, consilium prophetae fuit: quod Deo locum in coetu suo non relinquunt. Et quo melius refellat ebriam confidentiam qua inebriati sunt mundi principes, ordinem politicum appellat *coetum Dei*: quia utcunque refulgeat eius gloria in singulis mundi partibus, praecipuum tamen lumen hac in parte emittit, dum legitima guber-

*) Il ingera au milieu des dieux, *en marge*: ou les dieux.

**) Faites droit, *en marge*: ou faites justice.

***) Horat. Od. I Lib. III. In gallico exemplari haec sit translata leguntur

Les redoutables Rois ont empire et puissance
Sur les peuples réduits sous leur obéissance:
Mais le grand Iuppiter, tresexcellent en gloire,
Pour avoir obtenu sur les Géans victoire,
Et qui peut esbranler d'un clin d'oeil seulement
Tant ce qui est dessus que sous le firmament,
Iceluy a pouvoir et domination
Sur les Rois et seigneurs de toute nation.

natio inter mortales viget. Tritum quidem Hebraeis esse fateor, quidquid eximium est ornare Dei epitheto: sed videtur hic pro circumstantia loci, principum ordinem divinum vocare propheta, in quo resplendet peculiaris Dei maiestas: sicuti coniugium appellat Solomo pactum Dei, Proverb. 2, 17 quod polleat singulari quadam sanctitate. In secundo membro parum interest quoad summam rei, legamusne In medio deorum: an Iudicat deos in medio: nisi quod melius fuit contextus prior: Quantumvis se extollant mundi procures, non tamen imminuere ius Dei quominus primatum inter ipsos teneat, si-bique gubernationem asserat. Caeterum hic nomen *deorum*, sicuti paulo post, et aliis locis pro Iudicibus sumitur, quibus specialem gloriae notam insculpsit Deus. Nam ad angelos trahere, frigidum est commentum.

2. (*Usquequo iudicabitis.*) Multi existimant describi iudicii modum: sed mihi potius videtur propheta, ut obiurgationi viam pararet, ita praefatus esse. Quamvis capita reges attollant supra nubes, vivere tamen ipsos quoque hac lege, ut regantur sub Dei manu: ideoque sua ferocia temere luctari, ne rationi cedant. Etsi enim deterrimi sunt tyranni, scelestoque sacrilegio occupant locum illum, si quis tamen Dei servus contra ipsos hiscere audeat, quasi fieret ipsis magna iniuria, obtendunt sacrum Dei nomen. Ita dum se fingunt communi lege exemptos, ac solutos, doctrinam eiusque ministros ablegant ad plebem. Denique nullum esse imperium putant nisi ubi exultat effraenis libido. Atqui principio hoc posito, Deum inter ipsos gubernare, iam patefactus est aliquis doctrinae aditus. Ergo propheta ubi sibi auctoritatem peperit, libere invehitur in principes, et crassissimum vitium castigat, dum se venales iniustis pauperum vexatoribus prostituunt, et mercede redempti pervertunt omnem aequitatem. *Impios* autem deserte exprimit, quia probi homines nunquam studebunt corrumpere iudicia. Ad haec furor quidam diabolicus procures mundi dementat, ut plus improbis ultro deferant, quam innoxiiis et simplicibus. Fingamus impios cessare, neque adulatione, neque fraudibus, neque pecunia, neque alio artificio sibi acquirere favorem, qui tamen dominantur, ut plurimum in malam partem magis propensi erunt. Haec ratio est cur exprobet propheta impios plus reperire favoris, quam bonos et integros.

3. (*Iudicate.*) Breviter admonet propheta quibus documentis probare conveniat iustum et moderatum imperium: nempe si ius suum miseris et afflictis tribuant. Est quidem in verbis synecdoche, quia certum est obstrictam esse omnibus eorum fidem: sed non abs re dicit propheta miseris hominibus et oppressis datos esse patronos, quia et alieno auxilio indigent, nec alibi reperient quam

Calvini opera. Vol. XXXI.

ubi avaritia, ambitio, aliaeque corruptelae cessant. Ideo autem gladium gestant iudices ad improbos cohibendos, ne in furiosa hominum intemperie vis praevaleat: et quo quisque potentior est, eo audacior sit ad premendos infirmos. Itaque raro confugiunt divites ad opem magistratum, nisi forte dum inter se litigant. Nunc tenemus cur pauperes et egenos praecipue commendet propheta: quia non secus ac medicis aegroti, magistratum praesidio indigent qui divitum saevitiae et iniuriis sunt obnoxii. Hoc si regibus et aliis iudicibus solide persuasum esset, se tutores pauperibus esse datos, ut se iniuriis opponant, compescantque omnem iniustam violentiam, vigeret ubique summa rectitudo. Nam quisquis pauperes tueri dignabitur, non flectetur huc illuc gratia, sed quod iustum est tantum respiciet. Hoc etiam colligimus ex prophetarum verbis, quamvis nemo flagitet opem principum, ignaviae tamen coram Deo damnari, nisi sponte succurrant. Falso enim colorem hunc praetendunt, ubi manifeste grassatur iniquitas, gemitus et querimoniae passim resonant, se mederi non posse malis donec rogati fuerint. Quia igitur per se satis clamat oppressio, si iudex in alta specula sedens connivet, dissimulationem hanc impune non cessuram propheta denuntiat.

5. *Non cognoscunt, neque intelligunt, in tenebris ambulant, quamvis moveantur omnia fundamenta terrae.* 6. *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi vos omnes.* 7. *Certe sicut homo, moriemini: et sicut quilibet, principes cadetis.* 8. *Surge Deus iudica terram, quia tu haereditabis in cunctis gentibus.*

5. (*Non cognoscunt.*) Postquam officii admonuit principes, conqueritur se nihil proficere, quia stupidi sunt, nec admittunt sanam doctrinam: imo ut conculciatur totus orbis, securi manent in sua discordia. Nam hinc maxime coarguit et urget eorum dementiam, quod, si videant coelum terrae misceri, non tamen moveantur, ac si nulla eos tangeret cura generis humani, cuius tamen specialiter delecti sunt custodes. Dixi autem paulo ante, quid maxime eos privet intelligentia, quia scilicet caecutiunt in suo fulgore: et quum ferociter excutiant omne iugum, nulla religio ad modestiam eos flectit. Nam hoc sanae mentis et prudentiae initium est, tribuere Deo suum honorem, ut nos verbi sui fraeno contineat. Postremum hoc membrum, *moveantur fundamenta terrae*, plerique fere omnes alio torquent, ac si inter mundi calamitates hanc esse maximam diceret propheta, ubi principes officio non funguntur: quia status terrae, hoc est hominum conditio, huic fundamento innititur, si iustitia vigeat. Sensus ergo est secundum eos, labefactari orbem iniusta principum tyrannide. Ego, quanquam sensum hunc

non refello, potius tamen arbitror, ut iam attingi, damnari prodigiosum stuporem in iudiciis, qui rebus horrendum in modum confusis et ipsa terrae concussione non moventur.

6. (*Ego dixi.*) Concessio est, qua tamen ostendit propheta, nihil perversis iudiciis praesidii fore in sacra persona quam illis Deus imposuit. Quamquam autem non inducit eos loquentes, tantundem valet haec exceptio ac si dixisset: Si clypei loco obiicitis vestram dignitatem, nihil vobis proderit haec gloriatio: imo vos deluditis stulta confidentia, quia Deus vos sibi vicarios constituens, se proprio imperio non spoliavit. Deinde voluit fragilitatis vestrae esse memores, ut solliciti et cum timore munus vobis iniunctum exsequamini. Potest hoc etiam accipi in Dei persona quod una cum principatu nomen illis suum detulerit. Ac videtur hoc congruere cum Christi dicto: vocari deos ad quos Dei sermo factus est. Commode tamen etiam verti potest, Fateor vos esse deos, et filios Excelsi. In re ipsa parum est discriminis, quia hoc tantum vult propheta, non excusari honoris praetextu iudices, ut scelerum poenam effugiant: quia hac lege praefecti sunt mundo ut olim ipsi quoque rationis reddendae causa ad tribunal coeleste compareant: ideoque nonnisi temporali dignitate esse praeditos, quae una cum mundi figura effluet. Quo sensu continuo post addit, *Atqui sicut homines moriemini.* Ac si diceret, quum instructi sint potestate ad regendum mundum, non exuisse tamen naturam ut mortales esse desinerent. Posterior pars versus male ab aliis vertitur, meo iudicio, Quasi unus principum cadetis. Putant autem illis denuntiari violentam mortem: sicut ille dicit,

Ad genus Cereris sine caede et sanguine pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.*)

Sed quia illud coactum est ac remotum, non dubito principes obscuris et gregariis hominibus conferri. Unus enim, quemlibet e vulgo significat. Itaque licet homines se esse obliiti, fallaci perpetuitatis confidentia se inebrient, ad promiscuam mortem trahendos esse dicit. Christus calumniam refutare volens qua eum gravabant Pharisei, testimonio hoc usus est, Iohan. 10, 35. Si vocat (inquit) scriptura deos ad quos Dei mandatum pervenit, annon longe dignior est hoc titulo quem Pater signavit Deus? Caeterum his verbis non se constituit in ordine iudicum, sed ratiocinatur a minori ad maius: Si transfertur Dei nomen ad eius officarios, (ut vocant), longe magis competere in

Filium unigenitum, qui Patris personam sustinet, in quo relucet eius maiestas, totaque deitatis plenitudo habitat.

8. (*Surge Deus.*) Cur Psalmus hic precatione claudatur, initio dixi. Propheta enim se nihil proficere videns monendo, et obiurgando, quia principes superbia inflati omnem aequitatis doctrinam respuunt: se ad Deum convertit, et compescendae eorum insolentiae vindicem implorat. Hoc autem modo spiritus sanctus solatium nobis praescribit, quoties libidinose nos vexant tyranni. Etsi enim nullum in terris fraenum cohibendae eorum licentiae occurrit, suspicere tamen in coelum convenit, atque inde remedium petere: quia non frustra Deus partes iudicandi orbis sibi vendicat. Ideoque rogandus est ut res confusas ad rationem legitimam componat. Quae mox sequitur ratio, quibusdam videtur esse vaticinium de regno Christi, quo Deus cunctas gentes sub potestatem suam redegit. Ego autem latius extendo: Deo in cunctis gentibus obedientiam iure deberi, iusque dominandi perperam et iniuste ei eripi a tyrannis, dum posthabito eius mandato fas et nefas permiscunt. Itaque rogandus est ut mundum rite ordinando, imperium suum recuperet.

PSALMUS LXXXIII.

ARG. Implorat Dei opem propheta contra ecclesiae hostes: atque ut facilius impetret, commemorat quam multae gentes simul conspiraverint, et quidem eo consilio, ut deleto populo Ieraël ecclesiae Dei nomen exstinguant. Interim, ut se et alios maiore fiducia ad studium precandi stimulet: propositis in medium pluribus exemplis, quam potenter solitus sit Deus servis suis opitulari ostendit.

1. *Canticum Psalmus Asaph.* 2. *Deus ne taceas apud te, ne sileas et ne quiescas Deus.* 3. *Quia ecce inimici tui tumultuantur, et qui te oderunt extulerunt caput.* 4. *Super populum tuum callide excogitarunt consilium, et consultaverunt adversus absconditos tuos.* 5. *Dixerunt, Venite et excidamus eos a gente, et ne sit in memoria nomen Ieraël amplius.*

1. (*Deus ne taceas.*) Quod multorum consensu receptum est, Psalmum hunc compositum fuisse tempore regis Iosaphat, mihi etiam probatur: quia scimus quantam pius ille rex belli molem sustinuerit contra multiplices hostium copias. Quanquam enim praecipui belli autores erant Ammonitae et Moabitae, subsidia tamen contraxerant non modo ex Syria, sed etiam ex longinquis regionibus, quae multitudine fere obruerant totam Iudaeam. Quoniam ergo hic refertur longus hostium catalogus,

*) *Iuvenal. X. 113. gallice:*

Peu de Rois et Tyrans voit on leur ame rendre
Pour vers Pluton aller, qui de Cérès est gendre,
Qui ne soient mis à mort violente et cruelle,
Sans le cours achever de nature mortelle.

qui inter se conspiraverant ad perdendum Dei populum, probabilis est coniectura, Psalmum tunc fuisse dictatum, nam et sacra historia refert unam ex Levitis pollicitum fuisse regi victoriam spiritu prophetico, et Levitas cecinisse coram Domino. Quia autem fieri non potuit quin totus populus cum sancto rege in tantis periculis magnopere esset anxius, plena vehementiae et sollicitudinis hic continetur precatio. Atque huc spectat repetitio quae occurrit statim in primo versu, *ne taceas apud te, ne sileas, ne quiescas*: ac si dicerent fideles, si auxiliari sibi velit Deus, nunquam id tempestive facturum nisi celeriter festinet. Quanquam autem nostrum est patienter quiescere, si quando Deus auxilium suum differat, infirmitati tamen nostrae concedit festinationem hanc optare. Ubi verti, *Ne sileas apud te*, ad verbum est, *Ne sileas tibi*, quod periphrastice resolvunt quidam, *ne taceas in propria causa*: quod tanquam nimis argutum omisi. Tantundem vero loquutio haec valet ac si dictum esset, *Ne te intus contineas*. Potest autem esse supervacua particula, sicut aliis pluribus locis.

3. (*Quia ecce inimici*.) Hic necessitas exprimitur, quod tam vi et impetu hostium, quam astutis consiliis premantur fideles, ut nullum mortis effugium pateat. *Tumultuari et efferre caput* dicens, intelligit fretos sua potentia insolenter se gerere. Sicuti autem talis ferocia pios animos valde labefactat: ita unica levatio est, de ipsa apud Deum conqueri, cuius perpetuum munus est superbos compescere. Ideoque sancti, ut plurimum, ubi Dei suppetias implorant, obicere solent hostium suorum proterviam. Ac notandum est, vocari Dei hostes quicumque ecclesiam infestant: quia haec non vulgaris fiducia materia est, communes nobiscum Deo hostes esse. Hoc autem ex gratuito eius pacto manat, quo pollicitus est se fore adversarium omnibus hostibus nostris: et merito, quia ex quo nos amplexus est in suam tutelam, oppugnari non potest salus nostra, quin simul violetur eius maiestas. Interea pax nobis cum omnibus colenda est quoad licebit: studendumque probitati, ut secure coram Deo gloriari liceat iniuriam nobis fieri quum praeter meritum lacessimur. Iam utcunque ad superbiam et violentos impetus hostium accedat etiam hostium calliditas, danda est tamen sua Deo gloria: ut eius subsidio contenti simus. Sicuti enim frangere solet superbos qui rabiem suam despumant, ita etiam astutos deprehendere in sua astutia. Porro ne hostium insidii et captionibus putemus nos esse expositos, opportune suggerit nobis propheta plenum consolationis et spei epitheton, vocans nos Dei *absconditos*. Nam quod quidam in contrariam partem trahunt, quia non appareat Dei auxilium quo protegemur, sicuti alibi vita fidelium vocatur abscondita, Col. 3, 3 nimis coactum est, et prorsus re-

motum tam a mente quam a verbis Prophetarum. Simpliciter enim docet latere nos sub umbra alarum Dei, quia etsi videmur parere et obnoxii esse impiorum libidini, occulta Dei virtute servamur. Ideoque alibi dicitur, *Abscondes me in abdito tabernaculi tui*, Psal. 27, 5. Simul tamen notandum est, non alios occultari sub Dei custodia, nisi qui suis viribus diffisi, trepidi ad Deum confugiunt, nam qui persuasi se ad resistendum pares fore audacter concurrunt, et quasi metu soluti lasciviunt, tandem dabunt nuditatis suae poenas. Ideoque nihil tutius est quam sub Dei umbra delitescere, dum propriae imbecillitatis conscii salutem nostram in eius sinum conicimus.

5. (*Dixerunt, Venite*.) Augetur hac circumstantia indignitas, quod in animo habuerint impii ecclesiam radicibus excidere. Potest quidem hoc restringi ad Ammonitas et Moabitas, qui flabella fuerunt aliis excitandis. Sed quia eorum impulsu Agareni, Syrii, et reliqui non dissimili odio et furore periti ad perdendum Dei populum arma sumpserunt, commode hanc vocem omnibus tribuimus, quia scilicet inita pactione certatim irruerint, alique alios hortati sint ad delendum regnum Iuda. Causa autem tam crudelis odii praecipua fuit, quod Satan Dei ecclesiam extinguere semper conatus est: ideoque suos omnes ad furorem impellere non destitit. *Excidere a gente* significat funditus eradicare, ne sit amplius gens aut populus, quod clarius patet ex secundo membro, *Ne memoretur posthac nomen Israël*. Atque haec circumstantia valuit ad provocandam Dei misericordiam, quod bellum hoc non sit susceptum communi more, ut victi et subacti venirent in hostium potestatem, sed ad ultimum usque exitium progressa sit saevitia. Perinde autem fuit ac si conati essent evertere Dei consilium in quo fundata est ecclesiae perpetuitas.

6. *Quia consultaverunt corde simul, adversus te foedus pepigerunt*. 7. *Tabernacula Edom, et Ismaelitae, Moab et Hagareni*. 8. *Gebal, et Ammon, et Amalec, Philisthiim, cum habitatoribus Tyri*. 9. *Eliam Assur sociatus est illis: fuerunt brachium filiis Lot. Selah*.

6. (*Quia consultaverunt*.) Hic multiplices copias recenset, quae iunctis viribus machinabantur ecclesiae Dei ruinam. Quum ergo tam valida factione incumberent multae gentes in perniciem infirmi regni, necesse fuit mature sublevari admirabili Dei auxilio, quibus nulla ad se tuendos facultas erat. Et tamen in simili desperatione erupit sancto regi Asa vox illa vere heroica, 2. Par. cap. 14, vers. 11: Non est difficile Deo succurrere sive adversus magnum, sive exiguum exercitum: nec impedit nostra paucitas, quominus ab ingenti multitudine nos eri-

piat. Idem scilicet spiritus qui invicta illa fortitudine instruxit pium regem, Psalmum hunc toti ecclesiae dictavit, ut se intrepide ad opem Dei conferret. Ac hodie quoque nobis verba praeit ne Dei invocationi ianuam praecludat ullum discrimen. Nam ut in nos conspiret totus mundus, murus hic aeneus oppositus est ad defensionem regni Christi, Ut quid tumultuantur gentes, etc. Psal. 2, vers. 1. Nec vero mediocriter nobis prodest, in hoc exemplo quasi in speculo, cernere quid ab initio ecclesiae Dei contigerit, ne hodie nos eadem vel similis conditio nimium percellat, dum totus mundus nobis est infestus. Videmus enim ut diabolico furore totum orbem in nos inflammet papa. Itaque quocumque vertamus oculos, totidem infesti ad nos delendos exercitus occurrent, sed ubi statuerimus, nihil nobis accidere novi, veteri ecclesiae fato confirmabimur ad tolerantiam, donec virtutem suam repente Deus exserat, quae sola ad dissipandos omnes mundi conatus sufficiat. Porro ne ambigerent fideles an sibi paratum esset e coelo auxilium, clare affirmat propheta, bellum cum Deo suscipere quicumque ecclesiam infestant, quae sustinetur eius patrocinio. Scimus enim qua lege pronuntiet se nobis fore auxiliatorem, Qui tangit vos, (inquit) tangit pupillam oculi mei, Zach. cap. 2, vers. 8. Et quod dictum fuit alio Psalmo de patriarchis, ad omnes fideles extenditur: Ne tangatis Christos meos: et ne sitis molesti prophetis meis, Psal. 105, 15. Nam unctionem qua nos signavit, vult esse clypei loco, qui nos salvos et incolumes praestet. Quamquam igitur non intulerant ex professo bellum Deo qui hic numerantur populi: quia tamen ubi Deus iniuste suos impeti videt, medium se constituit ad sustinendos insultus: merito dicit propheta, omnes illos foedus pepigisse contra Deum. Sicuti hodie papistae quum de nobis perdendis consilia agitant, si quis roget an fortiores Deo sint futuri, protinus excipient, sibi non esse in animo gigantum more coelum invadere, sed quia pronuntiat Deus, quoties iniuste laedimur, se quoque violari: ex fidei specula longe nos prospicere convenit quod ipsi tandem effectum ipso sentiant. *Consultare corde*, quidam exponunt, strenue et magno studio deliberare, sicuti Fieri ex animo dicimus quod fit serio ardentique affectu. Sed potius hac voce reconditos astus notare voluit propheta, de quibus paulo ante conquestus est. *Tentoria Edom*, quidam interpretes ad bellicum apparatus referunt, ac si diceret propheta, venisse bene instructos cum tentoriis ad protrahendum bellum: sed videtur potius alludere ad gentium illarum morem, quia sub tabernaculis degebant. Quamquam hyperbolica est loquutio: ac si diceret, tuguria illorum suis locis fuisse evulsa, tanta erat bellandi cupiditas. De singulis autem gentibus curiose non dissero, quia maior pars frequenti

scripturae usu satis nota est. Quod autem dicit *Assur* cum aliis fuisse brachium filiis *Lot*, hinc certe non parum augetur indignitas. Nefariae crudelitatis fuisset, exteris gentibus suppetias ferre contra suos cognatos: nunc quum classicum primi canunt, et ultro accersunt Assyrios et reliquos, perdendis suis fratribus, nonne merito detestabilis est tam barbara feritas? Nam ut Iosephus ipse commemorat, sine noxa et maleficio per eorum fines transierant Israelitae: quia Dei mandato sanguini suo pepercerant. Quum ergo viderent Moabitae et Ammonitae vigere apud fratres suos sanguinis memoriam, nonne mutuo etiam colenda ipsis erat humanitas, ne quid hostile tentarent? sed hoc quoque ecclesiae quasi fatale est, non modo ab externis hostibus impeti, sed plus molestiarum ab adulterinis fratribus sufferre. Sicuti hodie nulli importunius in nos insaniunt quam degeneres Christiani.

10. *Fac illis sicut Madianitis, sicut Sisarae, sicut Iabin, in torrente Cison.* 11. *Perierunt in Endor, fuerunt stercus terrae.* 12. *Pone eos, principes eorum sicut Oreb, et sicuti Zeb, et sicuti Zeba, et sicuti Salmuna, omnes principes eorum.* 13. *Qui dixerunt: Haecreditate possideamus nobis habitacula Dei.*

10. (*Fac illis.*) Postquam de gravissimis suis oppressionibus conquesti sunt fideles, quo propensior esset Deus ad opem ferendam, nunc in memoriam revocant quam saepe desperatis populi sui rebus remedium attulerit. Unde colligere promptum fuit, Deum consulto auxilium suum differre, dum premuntur eius servi, ut mirabiliter in ultima necessitate perditis succurrat. Duas autem historias miscet Propheta, quia debuit uno contextu prosequi, *Fac illis sicut Madianitis in torrente Cison.* Inserit autem cladem Iabin et Sisarae: sed in distinctione non multum fuit momenti, quia satis habebat sibi et reliquis fidelibus suggerere quae Deus olim in liberando populo saepius ediderat miracula. Summa enim huc tendit, Deum, qui toties profligatis hostibus pavidas oves suas e faucibus luporum eripuit, non destitui nunc eadem virtute. Scimus quam mirifice populo per manum Gedeonis opitulatus sit, Iudic. 6. Videri enim potuit merum ludibrium, quod cum validissimo exercitu congredi ausus fuerit Gedeon, non nisi trecentos milites secum ducens, praesertim qui servitio assueti, solo dominatorum adpectu terreri poterant. Atqui factum est ut Madianitae mutuis vulneribus conciderent. Eadem Dei gratia in caede Sisarae et regis Iabin refulsit, Iudicum 4 nam auspiciis mulieris ambo sunt profligati a Barach, qui ingentibus eorum copiis exiguum manum opponere ausus est. Dux etiam ipse Sisara non fortiter in proelio occubuit, sed quum in latebras fugisset, muliebri manu percussus est.

Ergo ne fideles terrore occupati desperent, tempestive sibi obiciunt haec liberationis exempla, quibus testatus fuerat Deus satis in se uno residere potentiae ad suos tuendos, quoties humanis opibus destituti, ad eum confugerent. Porro ex illo incredibili et insolito modo liberationum colligebant Deum mirificum esse artificem in ecclesia sua servanda, ut in solo eius flatu confiderent sibi esse satis praesidii ad hostes sternendos. Neque hoc tantum loco refertur in hunc finem Madianitarum strages, sed Iesaias cap. 9, vers. 4 etiam eadem ratione futuram ecclesiae restitutionem confirmat. Quod dicit *fuisse stercus terrae*, bifariam exponitur, vel quod in terra putrefacti sint, vel calcati sint instar sterquilini, atque hic posterior sensus melius quadrat, licet priorem non repudiem. Cur dicat *perisse in Endor*, non satis liquet. Legitur hoc nomen Iosuae cap. 17, vers. 11. Et probabile est illic deletum fuisse exercitum regis Iabin. Quod enim appellative quidam accipiunt Endor, quasi dictum esset palam et oculari strage, mihi non placet.

13. (*Qui dixerunt.*) Iterum accusat profanos homines sacrilegii, quod praedatoria licentia involent in ipsam Dei haereditatem. Certum quidem est, non hoc verbis prae se tulisse, sed quum Deum spernerent, quem sciebant coli in populo Israël, merito hoc crimine eos onerat, quod Deum haereditate sua spoliare conati sint. Nec vero dubium est quin convitiis exagitaverint verum Deum, ut suis figmentis inebriati, sacrum eius numen pro nihilo ducebant. Atque ut abstinuerint a crassis blasphemiiis, quidquid tamen molestiae infertur piis, redundat in Dei contumeliam, qui in suam clientelam eos recepit. Subest etiam huic loquendi formae non parva consolatio, dum Iudaeam propheta nuncupat *habituacula Dei*: quia hac lege se nobis coniunxit ut perpetuam quietem et domicilium inter nos habeat: imo non secus caram et pretiosam habeat ecclesiam, quam paterfamilias optimas possessiones.

14. *Deus mi pone eos tanquam globum, tanquam stipulam coram vento.* 15. *Sicut ignis inflamat silvam, et sicut flamma accendit montes,* 16. *Sic persequaris eos in tempestate tua, et turbine tuo terreas eos.* 17. *Imple facies eorum ignominia, ut quaerant nomen tuum Iehova.* 18. *Pudefiant et terreantur usque et usque, et confundantur et pereant.* 19. *Et sciant quod tu sis nomen tuum Iehovah, solus tu excelsus super omnem terram.*

14. (*Deus mi.*) Quia intolerabilis est impiorum superbia dum ad perdendam ecclesiam se accingunt, rogat Deum propheta ut eos pudefaciat, quando aliter corrigi eorum insolentia nequit, donec con-

fusi et turpiter frustrati iaceant. Quod hoc modo futurum propheta dicit *ut quaerant nomen Dei*, de vera conversione, meo iudicio, intelligi non debet. Primus quidem, fateor, hic gradus est ad resipiscendum, ubi homines flagellis humiliati ultro se demittunt: sed propheta simpliciter coactam et servilem subiectionem notat, qualis fuit Pharaonis. Saepe enim contingit, impios malis subactos dare gloriam Deo ad momentum. Sed quia paulo post phrenetica rursus amentia feruntur, hinc satis detegitur hypocrisis, seque prodit quae in eorum cordibus latebat ferocia. Vult ergo plagis impios cogi ut inviti Deum agnoscant: ut saltem eorum furor qui ex impunitate prorumpit, constrictus ac inclusus teneatur. Idque melius apparet ex proximo versu, ubi palam aeternum illis interitum precatur, quod minime quadraret si daretur poenitentiae locus. Nec abs re tot voces accumulatur propheta, partim quia, ut sunt indomabiles reprobi, quamvis saepius castigati sint, colligunt tamen subinde novas vires, et novos spiritus: partim quia nihil apud nos persuasum magis est difficile, quam brevi perituros qui laeti in summa prosperitate exsultant. Id autem fit quia non satis apprehendimus quam formidabilis maneat Dei vindicta ecclesiae oppressores.

19. (*Et sciant quod tu.*) Nunc quoque de salvifica Dei notitia non agit, sed quam reprobis extorquet violenta Dei manus. Quanquam non simpliciter dicit cognituros aliquem esse deum, sed speciale ponit notitiae genus, quod profani homines, quibus antea contemptui fuit vera religio, tandem sensuri sint unicum esse Deum illum qui se in lege patefecit, et in Iudaea colitur. Interim tamen notitiam duntaxat evanidam, radiceque et vivo sensu carentem designat: quia nec serio, nec libenter se Deo subiiciunt reprobi, qui vel ad fictum obsequium inviti trahuntur: vel, quatenus eos compescit, non audent in apertum furorem erumpere. Haec igitur est experimentalis notitia, quae ad cor usque non penetrat, sed vi et necessitate exprimitur. Est autem emphaticum pronomen *יהוה*, quia subest comparatio inter Deum Israël et alios omnes fictitios: ac si dixisset propheta, Domine fac ut sentiant, quae sibi fabricati sunt idola, nihil esse. Et certe quantumvis refugiant lucem Dei contemptores, et nunc sibi obducant nebulas, nunc se immergant profundis tenebris, Deus tamen eos persequitur, et trahit ad sui notitiam, quam cuperent ignorantia sepelire. Quia autem promiscue et indigne transfert mundum ad sua figmenta sacrum Dei nomen, hanc profanationem simul corrigit propheta quum addit, *Nomen tuum Iehovah*: ac si diceret, vere in eum solum competere essentiam, aut vere esse quod dicitur: quia utcumque eius gloriam dilacerent increduli, ipse tamen integer manet. Semper tenenda est illa quam dixi antithesis. Nulla enim fuit tam

barbara natio quae non coleret deitatem aliquam: sed unaquaeque regio proprios fingebat sibi deos. Et quamvis Moabitarum, Idumaei, et reliqui concederent aliquid potestatis Deo Israël, eam tamen putabant Iudaeae finibus esse inclusam: sicuti Rex Syriae vocabat deum montium, 1. Reg. 20, 23. Praepostera haec gloriae Dei partitio uno verbo refellitur, ac evertitur quicquid tunc in mundo superstitionum fuit, quum uni Deo Israël tam essentia, quam nomen suum asseritur: quia nisi abolerentur omnia gentium idola, non obtinebit solus Iehovae nomen: ideoque additur, *Tu solus excelsus super terram*, quod diligenter notandum est: superstitionis enim ut plurimum satis est, relinquere Deo suum nomen, hoc est duas vel tres syllabas, quum interea virtutem eius discerpant, quasi vero inani titulo contineatur eius maiestas. Sciamus ergo non aliter Deum excellere inter homines, nisi dum imperio suo potitur, nec quidquam opponitur ad obscurandam eius gloriam.

PSALMUS LXXXIV.

ARG. Conqueritur sibi nihil esse molestius quam arceri a tabernaculi accessu, et a coetu piorum exulare, in quo Deus invocabatur: et nihil piorum desiderio obstare posse quominus ad Deum quaerendum constanter perumpant. Tandem restitui postulans, iterum testatur plura sibi esse diem unum agere in tabernaculo Dei, quam diu vitam prorogare inter incredulos.

1. *Praefecto super Githith, filiorum Corae Psalmus.* 2. *Quam dilecta tabernacula tua Iehova exercituum!* 3. *Concupiscit atque etiam deficit anima mea post atria Iehovae: cor meum et caro mea exultant ad Deum vivum.* 4. *Etiam passer invenit sibi domum, et hirundo nidum sibi, ubi reponat pullos suos, o altaria tua Iehovah exercituum Rex meus et Deus meus.* 5. *Beati qui habitant in domo tua, semper laudabunt te. Selah.*

1. (*Praefecto.*) Etsi non inscribitur nomen Davidis, quia tamen argumentum convenit eius personae, probabile est eum fuisse autorem. Nam quod putant quidam a filiis Corae eius nomine fuisse compositum, hac ratione satis (ut arbitror) refellitur, quod aetate sua David prophetiae dono magis excelluerit quam ut mandaret partes istas Levitis. Una tantum obstat difficultas, quod meminit montis Sion, ad quem non ante advecta fuit arca foederis quam ipse potitus est tranquillo regno. Atqui ab eo tempore semel tantum ad breve tempus privatus fuit arcae conspectu, quum filium suum fugeret. Verba autem sonant tunc iactatum fuisse per varia et longa exsilia. Verum si reputamus

Davidem longo post tempore Psalmis complexum esse quae sub Saule perpessus fuerat, non mirabimur montem Sion ab eo simul nominari. De voce Githith alibi dictum est, Psalmo octavo.

2. (*Quam dilecta.*) Conqueritur David sibi negari in ecclesia Dei locum ut fidem suam profiteatur, proficiat in pietate, seque exerceat in Dei cultu. Nam qui tabernacula Dei regnum coeleste esse volunt, quasi ingemiscat se hospitem esse in mundo: non satis attendunt ad praesentem eius necessitatem. Sciebat non frustra sacros conventus divinitus fuisse praescriptos, quia talibus adiumentis opus habent fideles quamdiu peregrinantur in mundo. Erat etiam sibi propriae infirmitatis conscius, non ignorans quantum ab angelica perfectione distaret. Quare non immerito deplorat se destitui mediis illis quorum usus satis notus est piis. Nam haud dubie rectum externi ordinis finem spectavit: quia similis non erat hypocritis, qui dum solennes conventus magna pompa frequentant, licet videantur toti fervere, mera tamen ostentatione defungi volunt erga Deum. In hoc certe crasso figmento minime occupatus fuit David, sed liberum sanctuarii ingressum tantopere optavit, ut sincere et spirituali modo Deum illic coleret. Exclamatio, ardentis affectus signum est, quem plenius secundo versu explicat. Unde colligimus nimium esse stupidos qui ordinem a Deo mandatum, quasi possent proprio Marte in coelum conscendere, secure negligunt. Dixi in secundo versu non vulgarem desiderii ardorem exprimi, quia quum *אֶתְּרָא* significet vehementer expetere, non contentus hoc verbo, adiungit *animam suam deficere post atria Dei*: quod tantumdem valet atque evanescere, quum immodico affectu extra nos rapimur. Atria autem posuit, quia quum sacerdos non esset, non ultra progredi licuit. Scimus enim sanctuarium interius solis sacerdotibus fuisse apertum. Tandem exprimit desiderium hoc diffundi usque ad corpus, quod scilicet externo gestu se in ore, oculis et manibus proferret. Dicit autem *ad Deum vivum*, non quod angusto tentorio inclusus esset Deus: sed quia scalis sibi sciebat esse opus per quas in coelum conscenderet, visibile vero sanctuarium vice scalarum esse: quia ad coeleste exemplar pias mentes dirigebat. Et certe quando ad Dei altitudinem nos carnis tarditas assurgere non patitur, frustra nos ad se vocaret, nisi etiam descenderet ad nos vicissim: vel saltem interpositis mediis, manus quodammodo ad nos sursum tollendos extenderet.

(*Etiam passer.*) Versum hunc quidam uno contextu legunt: ac si diceret propheta, aves prope altaria nidulari, unde melius apparet quam iniqua sit eius conditio qui procul inde prohibetur. Et huic sententiae videtur suffragari particula *אֵלֶּיךָ*, quae accusativo casui ut plurimum iungitur. Sed quia

interdum etiam servit exclamationibus, non dubito quin propheta medium orationis cursum abrumpens, exclamet, sibi conspectu altaris nihil fore gratius. Primum ergo David passeribus se et hirundinibus comparans, miseriam suam amplificat: quia indignum est ab haereditate sibi promissa expelli Abrahæ filios, quum aviculæ nidos alicubi reperiant. Quamvis autem nactus quandoque esset commodum hospitium, imo liceret apud incredulos cum aliqua dignitate manere, visus tamen est sibi quodammodo exsul a toto orbe quantisper ad sanctuarium non patebat accessus. Nam certe hic nobis est vivendi finis ut in Dei cultu exerceamur. Porro quamvis non rite colatur nisi spirituali modo, subsidiis tamen uti opus est quæ non abs re nobis destinavit. Haec ratio est cur in hanc vocem erumpat David, *o altaria tua Domine*. Nam quia obiicere promptum erat, multos esse angulos in mundo ubi tuto quiesceret, imo multos esse hospites qui libenter eum exceperent, atque ita sine causa tumultuari: respondet, se malle toti mundo renuntiare, quam privari sacro tabernaculo: nullum locum sibi iucundum esse procul a Dei altaribus, imo nullum usquam domicilium extra terram sanctam sibi placere. Atque huc pertinent epitheta quæ Deo tribuit, rex meus et Deus meus, significat enim molestam et acerbam esse vitam, quia exsulet a regno Dei: ac si diceret, etiamsi me certatim omnes invitent quamdiu a finibus tuis excludor, quum rex meus sis, quid me iuvaret in mundo agere? Iam quum Deus meus sis, quorsum vivo, nisi ut ad te adspirem? Ubi autem me reiciis, cur non omnia hospitia asperner quamlibet suaviter carni meae arideant?

5. (*Beati qui habitant.*) Hic clarius definit rectum et legitimum sanctuarii usum: atque ita se discernit ab hypocritis, qui et ipsi ad caeremonias externas sedulo accurrunt, sed pietate vacui. Veros autem Dei cultores testatur David afferre laudis sacrificium, quod a fide separari non potest. Neque enim ex animo Deum laudabit nisi qui acquiescens in eius gratia, spirituali pace et gaudio fruitur.

6. *Beatus homo cui robur in te, semitæ in corde eorum.* 7. *Transeuntes in valle fletus*) fontem ponent, etiam cisternas operiet pluvia.* 8. *Veniens e virtute in virtutem,**) videbitur Deus deorum in Sion.*

6. (*Beatus.*) Iterum docet, sanctuarium se non expetere tantum ut pascatur oculos, sed ut in fide proficiat. Est enim hic non vulgaris profectus, recumbere toto animo in Deum, quod fieri non potest

*) la vallée de pleurs, *en marge*: ou du murier.

**) de force en force, *en marge*: ou de troupe en troupe.

nisi delecto omni fastu, et animis vere humiliatis. Atqui hanc sibi quaerendi Dei rationem statuit, ut precario mutuetur ab eo virtutem qua se destitui sentit. Quod mox sequitur *semitas esse in corde ipsorum*, quidam uno contextu ita exponunt, felices esse qui viam sequuntur a Deo praescriptam: quia nihil magis perniciosum est, quam sapere ex proprio sensu. Nec vero frustra de lege pronuntiatum est, Haec est via, ambulate in ea, Iesaias 30, 21. Verum igitur est, perversis erroribus circumagi homines ubi vel tantillum a verbo Dei deflexerunt. Sed melius hoc restringitur ad praesentem circumstantiam, felices esse qui Deum sibi cupiunt esse vitae moderatorem, ideoque ad eum accedere cupiunt. Neque enim (ut dictum est) moratur Deus externas caeremonias, sed regere vult ac sibi subiicere quos ad tabernaculum suum invitat. Quisquis ergo didicit quanta sit felicitas Deo inniti, studia huc sua et omnes sensus applicabit, ut ad Deum celeriter properet.

7. (*Transeuntes in valle.*) Intelligit nihil posse cordatis strenuisque Dei cultoribus obstare quin ad sanctuarium festinent. Atque hac loquendi forma confirmat quod prius dixit, nihil magis esse optabile quam exerceri quotidie in Dei cultu: quando nullae difficultates, nulla obstacula, piorum desideria morari poterunt quin alacriter per arida deserta concurrant ad celebrandos sacros conventus. Quoniam ככא significat flere, ף vero et ך literae sunt affines, quarum mutus est transmutatio, vertunt multi, vallem fletus. Probabilis est tamen eorum opinio qui Morum vertunt. Quanquam dubium non est notari steriles et ieiunas solitudines, per quas molestum est iter facere: quia ad viaticum nihil est magis necessarium potu. Piorum ergo constantiam probare voluit David, quia aquae penuria, ob quam deficiunt viatores, non impedit quominus per valles arenosas ad Deum quaerendum properent. Quibus verbis coarguitur eorum ignavia, quibus grave est quidquam subire incommodi dum proficiendum est in Dei cultu. Suum otium et deliciae eos oblectant, itaque modo pedem movere necesse non sit, libenter se profitebuntur Dei cultores: sed liberum doctrinae et sacramentorum usum ne pilo quidem rediment. Videmus quam multos nidis suis affixos teneat haec socordia, ut nulla commoditate fraudari se sustineant, etiam ubi ad preces publicas, ad audiendam salutis doctrinam, ad sacra mysteria participanda vocantur: videmus alios dormire, alios operam dare lucro, alios implicitos esse profanis negotiis, alios etiam ludere. Unde mirum non est, qui procul absunt, et qui sine facultatum dispendio frui nequeunt istis salutis adminiculis, domi residues manere. Atqui ne in suis lautitiis sibi placeant, pronuntiat David, quibus cordi est pietas, et qui serio Deum colunt, eos pergere non modo per mollem et laetam viam, sub umbra, et per delectabiles

vias, sed etiam per aspera deserta: et potius sibi facturos cisternas maximo labore, quam regionis siccitas eorum iter impediat. Idem et proximo versu repetit: quia enim ex legis praescripto, postquam arca foederis in montem Sion translata fuerat, illic erant sacri conventus: dicit fideles certatim illuc venturos. Nomen לֵךְ raro significat turmam, saepius autem potentiam vel robur. Ideo ad communem linguae usum aptius erit vertere, *Venient e virtute in virtutem*: ac si diceret, fideles collectis subinde viribus ascendere ad montem Sion, nec lassitudine ulla tardari, donec conspiciant Dei faciem. Sicuti tamen magis placeat Turma, sensus erit, non paucos modo venturos, sed permultas catervas. Porro quomodo apparuerit olim Deus in templo servis suis, alibi dictum est, ac praesertim Psalm. 27, 4. 5. Etsi enim nulla illic visibilis erat Dei imago, quia tamen arca foederis symbolum erat eius praesentiae, experti sunt fideles hoc se adminiculo utiliter iuvare ut ad Deum accederent.

9. *Iehova Deus exercituum audi precationem meam, ausculta Deus Iacob. Selah.* 10. *Clypeus noster adspice Deus, et intueri faciem Christi tui.* 11. *Quia melior est dies unus in atriis tuis, quam mille, elegi limen tenere in domo Dei mei, potius quam habitare in tabernaculis impietatis.* 12. *Quia sol et clypeus Iehova Deus, gratiam et gloriam dabit Iehova, non claudet bonum ambulanti in rectitudine.* 13. *Iehova exercituum, beatus homo qui confidit in te.*

9, (*Iehova Deus.*) Quia stulte et sine profectu profani homines se macerant et torquent in suis desideriiis, prudenter David sua vota ad Deum convertit. Atque hinc etiam apparet non fuisse ambitiosis iactantiis deditum: sicuti mirum ardorem prae se ferunt multi hypocritae, quos intus frigere testis est Deus. Primo autem generaliter audiri postulat: deinde quia videri poterat ab ecclesia resectus, huic tentationi occurrit, se aggregans et colligens cum omnibus piis sub Dei praesidium. Nisi enim ecclesiae fuisset membrum, non poterat communiter quasi in omnium persona dicere, *Clypeus noster*. Mox etiam altius conscendit, regiam unctionem, qua Deus per manum Samuelis, 1. Sam. 16, 12 eum dignatus fuerat, in medium proferens. Emphatica enim est loquutio, quam multi interpretes nimis frigide transmittunt, *Adspice in faciem Christi tui*. Nam Dei favorem hinc sibi promittit, quia eius mandato unctus fuerat in regem. Quia vero sciebat regnum suum nonnisi esse umbratile, non dubium est quin sibi gratiam conciliare studuerit obiecto mediatore, cuius personam gerebat: ac si dixisset, Quamvis indignus sim quem tu restituas,

hoc tamen meretur unctio qua me typum fecisti unici redemptoris. Quibus verbis docemur, non aliter nobis propitiari Deum, quam ubi Christus in medium prodit, cuius adspectu discutiuntur omnes vitiorum nostrorum nebulae.

11. (*Quia melior est dies.*) Quum maior pars mundi sine ratione vivere appetat, nec aliud habeat in votis quam sibi vitam prorogari: testatur hic David non modo propositum sibi esse vivendi finem ut Deum colat, sed sibi pluris esse diem unum, quem impendere licebit in cultum Dei, quam longum tempus transigere inter homines profanos a quibus exsulat religio. Quia vero solis sacerdotibus fas erat templum ingredi, diserte exprimit David, modo subsidere in atrio liceat, hac sorte contentum se fore. Nam פֶּתַח postem vel limen domus significat. Porro comparatio ista multum amplificat, quum se *malle dicit in ipsis templi foribus subsistere, quam occupare tabernacula impietatis*: quasi diceret, se in vulgarem et ignobilem locum malle reiici, modo censeatur in Dei populo, quam primum gradum tenere inter impios. Rarum certe pietatis exemplum. Quamvis enim multi locum sibi in ecclesia esse cupiant, sic tamen praevallet ambitio, ut paucissimis sufficiat in communi numero manere. Omnes enim fere abripit vesana altius conscendendi cupiditas, ut quieta illis non sit statio nisi emineant.

12. (*Quia sol et clypeus.*) Solis comparatio huc tendit, quemadmodum sol luce sua mundum vivificat, fovet, atque exhilarat, ita sereno Dei adspectu recreari fideles: imo non aliter vivere et spirare, nisi quatenus illis Deus affulget. Clypei nomine intelligit propheta, salutem nostram, quae alioqui innumeris periculis exposita esset, eius defensione protegi: quia non satis esset, vivificum nobis esse Dei favorem, nisi inter tot discrimina virtutem quoque suam ad nos tuendos opponeret. Quod postea sequitur, *gratiam et gloriam dabit*, ita posset accipi, quos Deus in hoc mundo sua gratia ornavit, tandem in regno suo coelesti gloria coronare. Sed quia vereor ne arguta sit illa distinctio, praestabit, meo iudicio, ita resolvere sententiam: Postquam favore suo complexus fuerit Deus fideles, extollet eos in summam dignitatem, nec desinet eos suis donis locupletare. Quod etiam confirmat proximo membro, *non prohibebit bonum ambulanti in rectitudine*: ac si diceret, nunquam exauriri Dei beneficentiam quin assidue fluat. Interea colligimus ex iis verbis, quidquid est in nobis praestantiae, manare ex mera Dei gratia. Simul Dei cultoribus propriam notam adscribit, quod eorum vita ad integritatem sit composita. Quod exclamat in fine Psalmi *beatos esse qui in Deo confidunt*, videtur referri ad exilii tempus. Prius dixerat beatos esse qui habitant in atriis Dei: nunc quamvis hoc bono ad tempus caruerit, se tamen negat prorsus fuisse miserum: quia optimo

solatio fretus, Dei gratiam procul intuitus sit. Atque hoc exemplum notatu dignum est, quamdiu enim privamur Dei beneficiis, angere quidem tristitia et gemere necesse est: sed ne doloris sensus nos absorbeat, statuere convenit inter ipsas miseras nos fide et patientia beatos esse.

PSALMUS LXXXV.

ARG. Quia fideles ab exilio babylonico reversos novis incommodis atque etiam cladibus Deus afflixerat, primo liberationem commemorant, ne opus gratiae suae deserat imperfectum. Deinde queruntur de longo malorum suorum tractu. Tertio, spe et fiducia erecti, de promissa sibi felicitate gloriantur: quia restitutio in patriam, cum regno Christi annexa erat, unde sperabant omnem bonorum affluentiam.

1. *Praefecto filiorum Corae Psalmus.* 2. *Benevolus fuisti Iehova terrae tuae, reduxisti captivitatem Iacob:* 3. *Abstulisti iniquitatem populi tui, operuisti omnia peccata eorum. Selah.* 4. *Avertisti omnem iram tuam, revocasti ab excandescencia furorem tuum.* 5. *Converte nos Deus salutis nostrae, et remitte iram tuam erga nos.*

2. (*Benevolus fuisti.*) Qui verba haec in futurum tempus convertunt, videntur mihi prophetae sensum corrumpere. Probabile est, populo dira Antiochi tyrannide afflicto Psalmum fuisse dictatum: ideoque ex redemptione spes novae et continuae gratiae in posterum suggeritur: quia hoc modo testatus fuerat Deus nullis peccatis exstingui posse foederis sui memoriam, quin exorabilis esset erga filios Abrahae. Nisi enim tantam Dei bonitatem prius essent experti, mole afflictionum, praesertim tam diuturna, obrui necesse fuit. Porro quod redempti fuerint, causam statuunt in gratuito Dei amore, quo terram suam prosecutus est, quia ipsam elegerat. Unde sequitur continuum fuisse huius beneplaciti cursum: unde etiam precandi fiduciam sibi comparant fideles, quia Deus, electionis suae memor, terrae suae propitius fuerit. Diximus autem alibi, nulla re nos melius animari ad precandum, quam ubi recordamur superiores Dei gratias: quia rebus adversis statim succumberet fides nostra, et corda nostra suffocaret anxietas, nisi prioris temporis experientia Deum servis suis exorabilem esse, et semper ubi postulat necessitas opitulari doceret: praesertim ubi eadem manet continuandae gratiae ratio. Ita prudenter ad fideles sui temporis accommodat propheta quae olim Deus beneficia ipsorum patribus contulerat: quia utrique in spem eiusdem haereditatis vocati erant.

Calvini opera. XXXI.

3. (*Abstulisti iniquitatem populi tui.*) Quia metum et anxietatem poterant afferre fidelibus sua peccata, hanc quoque dubitationem tollit propheta, quoniam Dominus populum suum redimendo insigne gratuitaeveniae specimen ediderit. Fontem prius ostenderat gratuitum Dei beneplacitum: sed postquam intervenerant offensae, quibus alienaverat se populus a Deo, remedium hoc succurrere oportuit. Nam ablatam fuisse iniquitatem dicens, non intelligit correctos fuisse, et a suis peccatis purgatos fideles, sicuti Deus spiritu regenerationis eos sanctificans peccata vere tollit: sed statim explicat quid voluerit. Summa est, Deum Iudaeis fuisse reconciliatum, peccata non imputando. *Tegere enim peccata* dicitur Deus quae sepelit, ne in iudicium veniant: sicuti plenius dictum est Psalmo 32, 1. Ergo quum populi sui scelera exilio castigasset, restituere eos in patriam volens, abolito reatu obstaculum sustulit. Nam ex culpa remissione pendet etiam poenarum relaxatio. Quo refellitur sophistarum commentum, quod magni mysterii loco iactitant, retineri a Deo poenam, licet culpam ignoscat: quum ubique praedicet, in hunc finem se ignoscere, ut placatus poenas simul mitiget: idque rursum confirmat propheta proximo versu, ubi dicit exorabilem fuisse Deum populo suo, ut manum suam ab eo castigando retraheret. Quid hic obganniant sophistae, qui Deum fore iustum negant, nisi remissa culpa, pro sua severitate poenas exigit? Nam culpa veniam consequitur hic effectus, ut sua benedictione testetur Deus se iam non esse offensum.

5. (*Converte nos Deus salutis nostrae.*) Iam ad praesentem usum accommodant fideles quod antea retulerant de paterna eius indulgentia erga populum redemptum. *Deum autem salutis* vocant, a quo petunt restitui, ut in rebus deploratis, ac perditis, spem tamen hanc foveant, se Dei virtute salvos fore. Nam etsi visibilem bene sperandi materiam oculis nostris non offerat, statuere tamen convenit, salutem in manu eius esse absconditam, et eius manifestandae, quoties placuerit, promptum et expeditum esse modum. Quia vero calamitatum omnium causa et origo est ira Dei, eam nunc quoque deprecantur fideles. Atque hic ordo sedulo notandus est, quia, ut teneri sumus ac molles ad feranda mala, simulac minimo digito ferire nos coeperit Deus, flebiliter quidem petimus ut nobis parcat: sed quod praecipuum est omittimus, ut nos a reatu absolvat: quia non libenter ad nos examinandos descendimus.

6. *An perpetuo irascaris erga nos? protrahes iram tuam in saeculum et saeculum?* 7. *Annon tu conversus vivificabis nos, et populus tuus laetabitur in te?* 8. *Ostende nobis Iehova misericordiam tuam, et salutem tuam da nobis.* 9. *Audiam quid loquatur*

Deus Iehova: certe loquetur pacem ad populum suum, et ad mansuetos suos, et non redibunt ad stultitiam.

6. (*An perpetuo.*) Deplorant hoc loco malorum diuturnitatem et ratiocinantur a natura Dei, qualis in lege describitur, nempe quod tardus sit ad iram, longaeque patientiae, ad veniam propensus et facilis: sicuti etiam alibi vidimus, iram eius momento evanescere, misericordiam durare perpetuo, Psalm. 130, 6. Sic enim inter precandum promissiones Dei meditari convenit, quae nobis verba suppeditent. Et si autem videntur quodammodo expostulare ac si alium se Deus ostenderet: dubium tamen non est, cum tentatione fortiter luctando, spem levationis quaevisse ex Dei natura, ac si principium hoc sumerent, fieri non posse ut Deus perpetuo irasceretur. Interea colligimus, usque ad taedium malis fuisse gravatos, dum ita orarunt, ut ferendo iam propemodum essent defessi. Quare discamus, utcunque non statim palam nobiscum Deus in gratiam redeat, non esse tamen cessandum a continuo precandi studio. Si quis obiiciat, vanum igitur esse quod Deus iram suam brevem fore promisit: certe si peccata nostra expendimus, brevis semper est, quod si nobis occurrat aeternus misericordiae eius tenor, momentaneam esse fatebimur. Nam quia subinde relabatur caro nostra ad lasciviam, variis correctionibus penitus subigi necesse est. Eodem sensu quaerunt *annon se Deus convertet ad eos vivificandos*. Quia enim vigeat in eorum cordibus principium hoc, poenas quibus filios suos castigat Deus esse temporales, hinc fiduciam colligunt, Deum, quamvis nunc merito sit infensus et aversus, fore sibi exorabilem, ut mortuos in vitam suscitaret, luctumque convertat in laetitiam. *Vivificandi* enim verbo se mortuis prope similes queruntur, vel malis exanimes. Dum vero laetandi materiam sibi promittunt, nunc se intelligunt moerore prope esse confectos.

8. (*Ostende nobis.*) Eadem in his verbis subest antithesis: quia misericordiam sibi petentes ostendi, et salutem dari, fatentur omni utriusque gustu se esse privatos. Quum autem talis fuerit olim sanctorum conditio, discamus, etiam extremis malis afflicti et perdit, ad Deum tamen confugere. Scite vero misericordia priore in gradu locatur: deinde subiicitur salus quam illa ex se generat et profert: quia non aliunde inducitur Deus ut sit servator, nisi quia misericors est. Unde sequitur, quicumque sua merita obiiciunt Deo ad impetrandum eius favorem, saluti viam claudere.

9. (*Audiam.*) Hic suo exemplo totum ecclesiae corpus ad quietam et placidam tolerantiam hortatur. Nam quia efferbuerat quadam vehementia, quasi fraeno se cohibet, sicuti semper in votis nostris, quamlibet piis et sanctis, cavendum est ne liberius

exsultent. Nam ubi quis suae infirmitati indulget, facile abripitur immodico fervore ultra metas. Hac ratione silentium nunc sibi et aliis indicit propheta, ut Deum patienter expectent. His autem verbis ostendit se composito animo et quasi tacitum manere, quia persuasus sit ecclesiam curae esse Deo: quia si dominari putasset fortunam in mundo, et caeco impetu rotari humanum genus, non adscriberet Deo iubendi partes. *Loqui* enim hoc loco tantundem valet ac praecipere, vel mandare: ac si diceret, quia confidit, in manu Dei esse remedium praesentibus malis, tranquillum se fore, donec opportunum liberandae ecclesiae tempus advenerit. Sicut ergo contra Deum tumultuatur passionum nostrarum intemperies, ita patientia species est silentii, quo se sub eius imperio continent pia mentes. Secundo membro colligit laetio rem fore ecclesiae statum: quia quum Dei sit praecipere in rebus humanis, fieri non potest quin ecclesiae quam diligit bene consulat. *Pacis* nomine alibi diximus Hebraeis felicem rerum successum notari. Ideo summa est, ecclesiam Dei beneficio prospere habituram. Caeterum *loquendi* verbo subindicat se attentum fore ad promissiones. Simplicius enim loqui de providentia Dei poterat: Spectabo quid facturum sit Deus, sed quoniam beneficia quibus ecclesiam prosequitur, ex promissionibus fluunt, os potius quam manum posuit: et simul ostendit patientiam ex tranquillo fidei auditu pendere. Quod ad populum Dei addit *mansuetos eius*, hac nota discernit inter verum et titularem (ut ita loquar) Dei populum: quia quum hypocritae omnia ecclesiae privilegia superbe sibi arrogant, eorum iactantiam refutari operae pretium est, ut agnoscat in re se excludi a Dei promissionibus. (*Et non redibunt.*) Ita resolvi solet haec particula: Ne redeant ad stultitiam: ac si fructum beneficentiae Dei adiungeret. Nam quia fideles suos Deus benigne tractando allicit, ut sub eius obsequio se contineant, propheta (ut ipsi quidem sentiunt) ad stultitiam redituros negat: quia instar fraeni erit Dei bonitas ad ipsos retinendos. Quanquam autem tolerabilis est illa interpretatio, aptius tamen, meo iudicio, referetur ad totum complexum: ut sit summa, Postquam satis correxerit Deus ecclesiam suam, propitium tandem fore: ut sancti poenis eruditi, melius sibi in posterum caveant. Causam enim ostendit cur gratiam suam Deus suspendat ac differat. Sicuti enim medicus aegrotum, quamvis iam levatus sit aliqua ex parte, retinet sub sua disciplina donec plane convaluerit, et sublata morbi materia collegerit firmas vires, quia liberum victum statim permittere noxium esset: sic Deus, quia videt non uno die nos bene et penitus curari a vitiis, suas castigationes extrahit: quia aliqui proclivis esset relapsus. Ergo propheta dolorem, quo fideles opprimeret malorum diuturnitas,

hoc solatio mitigat, consulto Deum plus poenarum quam vellent ab ipsis exigere, ut serio resipiscant, ac cautiores in futurum reddantur.

10. Certe*) *propinqua est timentibus eum salus ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.* 11. *Misericordia et veritas occurrent inter se, iustitia et pax osculabuntur.* 12. *Veritas e terra germinabit, et iustitia e coelo prospiciet.* 13. *Etiā Iehova dabit bonum, et terra nostra dabit proventum suum.* 14. *Iustitia coram eo ambulabit, et ponet in via gressus suos.*

10. (*Certe propinqua est.*) Confirmat proximam sententiam: et quamvis in speciem longe a populo suo remotus esset Deus, sibi tamen et aliis Dei cultoribus spem propinquae liberationis facit, quia occulte respiciat Deus quos palam negligere videtur. Quod si particulam *et* adversative accipere libeat, ut saepius sumitur apud Hebraeos, plenior erit sententia. Quia enim nuper dixerat Deum longius in suis castigandis pergere, dum ad novum lapsum nimis propensos videt: ne molesta esset ipsa tarditas, correctionem hanc adhibuit, etiam dum tardius apparet salus eius, propinquam tamen esse. *Gloriam*, cuius meminit in secunda parte versus, vastitati opponi certum est, quae quum signum esset horribilis irae Dei, terram ignominiae et probris damnabat. His ergo verbis se et alios fideles hortatur propheta ad poenitentiam, tam graviter hostium tyrannide non sine contumelia oppressos fuisse admonens: quia suis peccatis Dei salutem longe repulerint.

11. (*Misericordia et veritas.*) Verba quidem sunt praeteriti temporis, sed quae in futurum resolvi contextus postulat. Libenter autem amplector quod multorum consensu receptum est, vaticinium hoc ad Christi usque regnum extendi. Nec vero dubium est quin fideles, ubi speranda erat ecclesiae restitutio, praesertim ex quo reversi erant Babylone, oculos sustulerint ad Christum. Interim consilium prophetae est, ostendere quam liberaliter agat Deus cum sua ecclesia ubi reconciliatus est. Dicit enim hos fructus emergere, ut misericordia et veritas *mutuo sibi occurrant, iustitia et pax sese amplexentur.* Ex his verbis elicit Augustinus pulcerrimam sententiam, plenamque suavissimae consolationis, nempe misericordiam Dei principium esse et fontem omnium promissionum: hinc prodire iustitiam, quae per evangelium nobis offertur: ex eadem nasci pacem, quam fide consequimur, ubi Deus nos gratis iustificat. *Iustitiam* porro intelligit *e coelo prospicere*, quia gratuitum est Dei donum, non autem acquiritur operum meritis. Venire igitur *e coelo*, quia inter homines non reperietur, qui eius sunt

*) Certainement, *en marge*: ou si est-ce que.

inopes et vacui. Interea *veritatem e terra germinare* exponit, quia effectu ipso fidelem se Deus comprobabat, implendo quod promisit. Sed quia nobis potius quaerenda est soliditas quam argutiae, contenti simus genuino Prophetae sensu, regnum Christi nobile fore misericordia, veritate, pace et iustitia. Quia vero non hominum laudes praedicat, sed commendat quam prius a solo Deo speravit et precatus est gratiam, statuendum est omnia haec bona a Deo fluere. Et per synecdochen his quatuor vocibus notatur vera felicitas. Nam ubi impune grassatur crudelitas, extincta est fides, oppressa sub pedibus iacet iustitia, confuso tumultu omnia misceantur: nonne praestaret mundum esse prorsus abolitum? Unde sequitur, nihil esse magis ad beatam vitam optabile, quam ut vigeant et principatum teneant quatuor istae virtutes: sicuti similibus fere elogiis alibi ornatum fuit Christi regnum. Si quis tamen misericordiam et fidem Dei intelligere malit, non repugno. Certe *e terra germinare fidem, et iustitiam e coelo prospicere*, tantundem valet ac si dixisset utramque fore sursum et deorsum ubique diffusam, ut coelum et terram impleant. Neque enim seorsum illis aliquid diversum tribuere voluit, sed communiter de illis asserere, nullum fore terrae angulum ubi non floreat.

13. (*Etiā Iehova.*) Quod hunc versum allegorice quidam accipiunt de proventu spiritualium bonorum, non convenit cum particula *et*, qua mihi notare videtur propheta plenum eius felicitatis cumulum de qua loquutus fuerat. Ponitur ergo hic *terrae fructus* quasi praestantioris beneficentiae accessio. Quanquam enim praecipua ecclesiae felicitas quatuor illis quae retulit donis continetur, non tamen negligenda est externi victus commoditas, modo in suo gradu subsidat. Si quis obiiciat, perperam cum spirituali Christi regno misceri uberem terrae proventum, facilis responsio est, nihil esse absurdi, si Deus spiritualiter fideles benedicens, paterni quoque amoris gustum aliquem in externis beneficiis praebeat: quando (teste etiam Paulo 1. Tim. 4, 8) pietas non futurae modo vitae, sed etiam praesentis promissiones habet. Sed notandum est, sic restringi caducae huius vitae commoda, ne terrenis blanditiis indormiant fideles. Ideoque in terra gustare eos dixi duntaxat paternum Dei amorem, non autem opulentia satiari. Porro hic versus docet non modo semel vim et gratiam foecunditatis esse terrae inditam, ut alimenta nobis suggerat (sicuti fingunt profani homines, Deum in prima creatione singulis elementis mandasse suas partes: nunc vero otiosum sedere) sed quotannis arcana Dei virtute foecundari, prout suam bonitatem vult nobis testatam esse.

14. (*Iustitia coram eo.*) Quod iustitiam quidam pro iusto homine accipiunt, asperum est. Continet

quidem hic sensus utilem doctrinam, Iustus coram Deo ambulabit, et actiones suas componet ad rectitudinem, sed quia nulla necessitas cogit iustitiae vocem tam violenter torquere, sumamus quod rectius ac simplicius est, ordinem sub Christi regno tam bene fore compositum, ut iustitia coram Deo ambulet ac occupet omnes vias. Hoc modo videtur iterum revocare fideles ad praecipuam felicitatem: quia utcumque suppeditet servis suis Deus liberalem victum, non decet tamen illic esse affixos. Et certe in hoc differimus a brutis pecudibus, quod non saginat nos Deus, nec ventres nostros refecit ut mundo fruamur, sed altius nos deducit. Quod dicit *ambulaturam* coram Deo, significat Dei ordinatione fieri ut iustitia cursum suum habeat: quod est *ponere gressus in via*: sicut ex opposito conqueritur Iesaias, 59, 14 aequitatem non posse ingredi, quoniam arceatur publico.

PSALMUS LXXXVI.

ARG. Psalmus hic preces sanctis ad fidem alendam et confirmandam meditationibus, deinde etiam laudibus et gratiarum actioni mistas continet. Nam quia pro carnis sensu difficilis erat exitus ab angustiis quibus David premebatur, immensam Dei bonitatem et potentiam opponit. Nec vero tantum postulat se ab hostibus liberari, sed cor suum formari ad Dei timorem, et in eo constanter stabiliri.

Precatio Davidis. 1. *Inclina Iehova aurem tuam, responde mihi: quia pauper et inops ego.* 2. *Custodi animam meam, quia ego mansuetus sum: serva tu Deus mi servum tuum sperantem in te.* 3. *Miserere mei Iehova, quia ad te clamo quotidie.* 4. *Laetifica animam servi tui, quia ad te Domine animam meam levo.* 5. *Quoniam tu Domine bonus et propitius, multus clementia erga omnes qui te invocant.* 6. *Ausculda Iehova precationem meam, attende ad vocem deprecationum mearum.* 7. *In die tribulationis meae clamabo ad te, quia respondebis mihi.*

1. (*Inclina.*) Quanquam nec inscriptio docet, nec ex contextu certo licet colligere de quibus periculis hic queratur David: credibile tamen est, quando eum persequeretur Saul, meditatum fuisse quae postea hic descripsit quum in pace data esset melior opportunitas. Porro non abs re miseriae suas Deo allegat quae favorem impetrent: quando naturae eius nihil magis proprium est quam succurrere miseris: et quo quisque durius premitur, et destituitur humanis auxiliis, benignius eum iuvare. Quare, ne in summis afflictionibus animos nostros obruat desperatio, succurrat haec fultura,

pauperibus et miseris dictatam esse hanc precationem a spiritu sancto.

2. (*Custodi animam meam.*) Duas alias causas recenset, quibus sibi conciliet Dei auxilium: suam erga proximos humanitatem: deinde spem quam in Deo reposuit. Quanquam autem priore membro dignitatem aliquam videtur obtendere, nihil tamen minus arguit propositum, quam Deum obstringere ullis meritis: sed huc tendit *clementiae* mentio, ut maiore odio gravet hostes suos, qui innoxium hominem, adeoque bene meritum, non minus indigne quam inhumaniter vexabant. Quum ergo pronuntiet Deus, se tam bonis causis, quam probis iustitiae cultoribus fore patronum, David non abs re beneficentiam se coluisse testatur: unde appareat iniquam referre ab hostibus mercedem qui gratis erga misericordem sunt crudeles. Sed quia non sufficeret iuste et humaniter in mundo versari, adiungitur etiam *fiducia in Deum recumbens*, quae mater est pietatis. Scimus quosdam ea fuisse integritate praeditos, ut laudem summae aequitatis obtinuerint apud homines: sicuti gloriabatur Aristides, se nulli dedisse causam luctus. Sed quia illi cum suarum virtutum praestantia, vel ambitione referti erant, vel superbia inflati, ut sibi magis quam Deo confiderent, non mirum est vanitatis suae poenam dedisse: sicuti profanas historias legendo stulte miramur qui factum sit ut improborum multitudini exposuerit Deus honestos, graves et temperantes viros: quum propria virtute freti Dei gratiam sacrilego fastu contempserint. Nam quum idoli loco illis esset sua virtus, ad Deum oculos attollere dignati non sunt. Itaque quamvis nobis simus bene conscii, et Deus nostrae innocentiae optimus sit testis, si tamen cupimus eum nobis adesse, spes nostras et curas in eum reiicere necesse est. Si quis obiciat, hoc modo ianuam claudi peccatoribus, respondeo, Quum ad se innoxios Deus invitat, non protinus omnes arcere qui ob sua delicta plectuntur: quia illis ad manum est deprecatio. Caeterum si nos iniuste lacessunt quos nunquam laesimus, duplicatur fiducia.

3. (*Miserere mei.*) Iterum ad Dei misericordiam confugit. Nam verbum יְיָ Hebraeis tantundem valet ac gratificari: perinde ac si diceret, se nihil afferre proprii meriti, sed suppliciter a mera Dei gratia petere liberationem. Iam quod se *quotidie clamare* dicit, testimonium est spei ac fiduciae, de qua paulo ante dictum est. Clamandi verbo vehementiam notari, saepius iam monuimus. Quanquam enim non semper sonora voce preces concipiunt sancti, occulti tamen eorum gemitus alte resonant, et ex eorum cordibus penetrant usque ad coelum. Perseverantiam quoque simul adiungit, ut sciamus non fuisse fractum primo vel secundo insultu, sed infatigabili studio continuasse preces.

Proximo versu magis specialiter exprimit quem in finem optaverit Deum sibi esse misericordem: nempe ut moerore suo eximatur. Secundo autem membro declarat nihil fictionis in suo clamore esse, quia animam suam ad Deum attollat, quae praecipua est rite orandi ratio.

5. (*Quoniam tu Iehova.*) A natura Dei confirmat totam superiorem doctrinam, quia frustra ad Deum confugerent miseri, et votis in coelum assurgerent, nisi persuasi essent fidum esse remuneratorem omnibus qui eum invocant. Huc nunc incumbit David, Deum beneficium esse et exorabilem, ut pro magnitudine suae clementiae repudiare nequeat quicumque eius opem implorant. Quod Deum vocat *placabilem*, species est bonitatis. Neque enim sufficeret in genere esse bonum, nisi etiam peccatoribus ignosceret, quod intelligitur per vocem *רחם*. Quamquam autem multitudinem clementiae Dei commendat, mox tamen elogium illud restringit ad fideles qui ipsum invocant: ut sciamus merito in suis malis perire, qui neglecto Deo fraenum contumaciter arrodunt. Simul tamen dicit *omnes*, ut sine exceptione a minimo usque ad maximum quilibet audeat se ad Dei misericordiam conferre.

6. (*Ausculta Iehova.*) Hoc versu et proximo quum ardentem vota iteret, ostendit, non levi dolore se fuisse constrictum, nec mediocri etiam cura aestuasse. Atque hoc exemplo docemur, nimis frigidos esse vel evanidos, qui prece una defuncti, nisi mox annuat Deus, fatiscunt. Nec vero inanis est repetitio qua paulatim fideles exonerant in Deum suas curas: estque boni odoris sacrificium coram Deo haec importunitas. Quum dicit, *Exaudiet me Deus quum clamavero in die tribulationis*, in suum peculiarem usum applicat quod nuper dixit, Deum omnibus ipsum invocantibus esse propitium et facilem.

8. *Non est sicut tu inter deos Domine, et nullus secundum opera tua.* 9. *Omnes gentes quas fecisti, venient, et adorabunt coram facie tua Domine, et gloriam dabunt nomini tuo.* 10. *Quia magnus tu, et faciens mirabilia tu Deus solus.* 11. *Ostende mihi Iehova vias tuas, ambulabo in veritate tua, unias cor meum ad timendum nomen tuum.*

8. (*Non est sicut tu.*) Vel iam voti compos erumpit in gratiarum actionem, vel animum et novas vires ad precandum colligit: quod posterius magis arridet, nisi forte utrumque complecti libeat. Quod nomen *אלהים* quidam de angelis accipiunt, ac si eos conferret David cum summo Deo: non videtur huic loco satis quadrare, neque enim angelos, quasi minores deos, cogit in ordinem, ut cedant Dei virtuti: sed omnes fictitios deos, in quibus increduli subesse aliquid auxilii putabant, con-

temptim deridet, quia operibus minime probent se deos esse. Nam si virtutem operandi secundum plus et minus distribueret, non assereret Deo in solidum quod suum est. Negat igitur re ipsa et effectu quidquam divinum in ipsis deprehendi. Iam ad opera nos revocans, satis ostendit frivolis tantum nugis ludere qui subtiliter philosophantur de arcana Dei essentia: manifestas vero notas praetereunt, in quibus refulget eius maiestas. Ergo quum ad Dei altitudinem non perveniant sensus nostri, prudenter David operum testimonio contentus, commentitios esse omnes deos pronuntiat qui virtutem nullam exserunt. Si quis obiciat, Deum absurde conferri cum inanibus figmentis: facilis solutio est, accommodari sermonem ad vulgi inscitiam: quia scimus quam audacter supra coelos attollant superstitiosi falsa cerebri sui commenta. Ac optime David insultat eorum amentiae, quod sibi deos fabricent absque ullo testimonio.

9. (*Omnes gentes.*) Si cui hoc placeat restringere ad praesentem causam, per me sit liberum. Et certe quam ipse David gratiam expertus erat, saepe amplificat talibus encomiis. Commode tamen extendere licebit ad generalem Dei potentiam. Sive autem de gratia privatim sibi collata, sive de operibus Dei in genere disserat, tenendum est quod alibi diximus, quoties pietatis consensum in gentibus praedicat, respicere ad regnum Christi: ante cuius adventum primordia tantum quaedam libavit manifestationis suae gloriae, quae tandem evangelii voce sparsa fuit per totum orbem. Nec vero Davidem latebat futura gentium vocatio: sed quia propter novitatem hoc dictu asperum erat inter Iudaeos, venturas gentes ut promiscue Deum colerent cum filiis Abrahæ, ac sublato discrimine futuras coelestis doctrinae participes: mitigandi causa dicit, gentes quoque esse *a Deo creatas*: ut minime absurdum videri debeat, si ipsae quoque illuminatae fictorem et opificem suum demum agnoscant. Ac iterum proximo versu causam illam repetit: nempe Dei gloriam *ex magnitudine operum* cognosci: quae vera est discendae pietatis ratio. Quamvis enim semper carnis superbia in coelum transvolare cupiat: quia tamen in tam longa investigatione deficiunt sensus nostri, nihil utilius nobis est quam pro infirmitatis nostrae modulo, in operum suorum testimoniis Deum quaerere. Quare discamus sensus nostros expergefacerere ad reputanda Dei opera: superbos autem sinamus in suis ambagibus vagari, quarum finis semper erit inextricabilis abyssus. Caeterum ne huius modestiae nos pigeat, magnifice praedicat David Dei opera *mirabilem* nomine, quamvis caecis et insipidis hominibus sordescant. Hoc interim principium diligenter notandum est, nonnisi in unum Deum competere deitatis gloriam: quia non alibi reperietur vel sapientia, vel potentia,

vel iustitia, et quidquid divinum in admirandis eius operibus refulget. Unde sequitur, papistas veram deitatem quantum in se est abnegare, quum Deum fraudantes suis virtutibus, nudum fere nomen ei relinquunt.

11. (*Ostende mihi.*) Altius nunc conscendit David, ut spiritu sanae intelligentiae regatur ad sancte vivendum et spiritu fortitudinis in hoc studio confirmetur. *Vias* autem Dei tacite opponit consiliis omnibus quae ex carnis sensu capere poterat: quia Deo se subiiciens, eumque implorans ducem, fatetur non alium esse recte vivendi modum, quam ubi praeit, nos vero sequimur: atque ita in errorem abduci quicumque vel minimum deflectunt a lege, ut sapiant ex proprio cerebro. Idque melius confirmat, continuo post addens, *Ambulabo in veritate tua.* Damnat enim vanitatis et mendacii quicumque hanc veritatis regulam non tenent. Iam non optat doceri in viis Dei, quasi prius expers fuisset omnis doctrinae: sed quod sciret se adhuc implicitum esse multis ignorantiae nebulis, ad perfectum maiorem adspirat. Notandum quoque est, eum non de externa tantum docendi ratione loqui, sed quum legem haberet prae manibus, interius spiritus sancti lumen petere, ne inutiliter in discenda litera laboret: sicut alibi dicit, *Aperi oculos meos et considerabo mirabilia in lege tua*, Psal. 119, 18. Quod si tantus propheta, et tanta spiritus amplitudine donatus, suam tamen ignorantiam ex animo fatetur, quantae amentiae erit non sentire quid nobis desit, ut tenuitatis nostrae cognitio ad ulteriorem progressum nos stimulet? Et certe quo quisque magis profecit in doctrina pietatis, eo melius sentit procul se a scopo distare. Secundo addendum est, non sufficere lectionem vel auditum, nisi intus nos Deus spiritu suo illuminet. Ad haec, cor suum formari in Dei obsequium, et in eo constanter stabiliri postulat: quia sicuti mens nostra luce indiget, sic voluntas rectitudine. Alii vertunt, *Laetifica cor meum*: ac si verbum esset a radice *לָרַחֵם*. Sed potius est a *לָרַחֵם* quod unire significat: qui sensus optime convenit praesenti loco. Subest enim antithesis, quae non satis fuit, ut par erat, observata, inter firmum propositum, quo adhaeret cor hominis Deo ubi a spiritu regitur: et inquietudinem qua aestuat, hucque et illuc rapitur, quamdiu fluctuat inter suos affectus. Postquam ergo quid rectum sit didicerint fideles, accedat firmus consensus necesse est, ne in pravas cupiditates cor ebulliat. Ideoque aptissima est in verbo *uniendi* metaphora, ex qua colligimus turbulentum esse cor hominis, distrahi, et quasi dissipari in varias partes, donec Deus ad se collectum in firmo et aequabili obedientiae tenore retineat. Hinc etiam patet quid per se liberum arbitrium valeat. Nam quum sint duae eius facultates, utraque se destitui fatetur David, lumen

spiritus sancti caecitati mentis suae opponens: et cordis rectitudinem affirmans merum esse Dei donum.

12. *Celebrabo te Domine Deus mi in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum perpetuo:* 13. *Quia clementia tua magna fuit super me, et liberasti animam meam e sepulcro inferiori.* 14. *Deus, superbi surrexerunt contra me, et coctus robustorum quaesierunt animam meam: et non statuerunt te in conspectu suo.* 15. *Et tu Domine Deus misericors, et propensus ad gratiam: procul ab ira, et multus clementia et veritate:* 16. *Respice ad me, et miserere mei: da robur tuum servo tuo, et serva filium ancillae tuae.* 17. *Fac mecum signum ad beneficentiam: et videbunt adversarii mei, et pudefient, quia tu Iehova auxiliatus es mihi, et consolatus es me.*)*

12. (*Celebrabo te.*) Promittit Deo gratitudinem postquam beneficium patrem modis omnibus expertus fuerit. Sicuti autem cor suum uniri Deo petiit ad eum timendum, ita non tantum ore vel lingua se laudum eius fore praeconem dicit, sed ex serio cordis affectu, idque constanter. Causam deinde subiicit, quia Deus in ipso liberando rarum et memorabile misericordiae suae specimen ediderat. Hanc vero gratiae magnitudinem quo melius illustret, *sepulcrum inferius* nominat discrimen illud unde ereptus fuerat: ac si diceret, non una vel simplici morte se fuisse detentum, sed demersum in profundissimo sepulcro, ut manum a Deo mirabiliter porrigi oportuerit. Nunc quum Christi gratia erepti simus ex altiore mortis abyso, minime excusabilis nostra ingratitude erit, nisi se quisque pro virili in hac liberatione praedicanda exerceat. Nam si Dei *nomen* tantopere extulit David propter vitam ad breve tempus prorogata, quas laudes meretur incomparabilis ista redemptio, qua traducti sumus ab inferis ad coelum? Quod papistae hinc purgatorium suum elicere contendunt, ac si esset infernus superior: nimis putidum est, nec refutatione indiget.

14. (*Deus, superbi.*) Legunt alii *לָרַחֵם*, quod alienos significat. Et certe hac voce scriptura immanem saepe barbariem notat, ac si diceret crudeles. Ego tamen quod receptius erat sequi malui. Nam quum *לָרַחֵם* Hebraei superbos vocent, credibile est, propter similitudinem, *ר* mutatum fuisse in *ר*: et melius hoc modo fluat contextus, quia eodem sensu continuo post appellat *robustos*, qui violento impetu et ferocia ruebant ad perdendum: sicuti scimus, ubi regnat superbia, nihil esse moderationis. Exprimit autem absque figura quod nuper dixit de sepulcro: quia quum agnus esset in medio luporum

*) tu m'as consolé, en marge: ou m'as aidé.

mox absorptus fuisset, nisi miraculo eum Deus eripisset quasi ex media morte. Extremam saevitiae intemperiem designat quum dicit nullum habuisse Dei respectum: quia nisi nos refraenet Dei timor, et iudicii eius sensus, prodigiosus est libidinis nostrae furor ad quidvis audendum. Porro in Dei misericordia his malis remedium quaerit. Nam quum statim delabatur ad haec elogia, *Tu Domine Deus mi, misericors etc.*, perinde est ac si diceret, contra audaciam et rabiem impiorum satis esse nobis praesidii in Dei bonitate, clementia, et fide. Fieri etiam potest, quum sentiret impios esse Dei flagella, ut ad sedandum immodicum terrorem, Dei misericordiam sibi prosuerit. Hoc enim verum est atque unicum solatium, quamvis nos Deus castiget, non tamen misericordiae suae oblivisci. Porro satis notum est, desumptam esse sententiam hanc ex Exodi cap. 34, vers. 6 ubi maxime insignis est naturae Dei descriptio. Primo vocatur misericors: inde sequitur *propensio ad gratiam*, dum scilicet malis nostris compatitur. Additur tertio *eius tolerantia*, quia non excandescit simulac laesus est, sed pro sua indulgentia ignoscit. Tandem dicitur *multus clementia et veritate*: quibus verbis intelligo assidue beneficium esse et veracem. Quamvis autem non minus laudabilis sit eius severitas, quam clementia: quia tamen non nisi perveritas nostra severus est, quasi ad exigendas poenas cogatur, scriptura naturaliter clementem et propitium praedicans, quasi accidentale esse significat si quando severus ac rigidus est. Improprie quidem et crasse loquor, sed tamen huc tendit elogium, quo describitur natura Dei, Deum sic natura propitium esse et facilem ad dandam veniam, ut dissimulet, poenasque differat, nec unquam, nisi malitia nostra coactus, ad vindictam se accingat. Diximus autem alibi cur Dei clementiae iungatur veritas. Nam quia etiam qui maxime sunt benigni, cuperent interdum retractare si quid polliciti sunt, quia suae facilitatis eos poenitet: nos qui perperam metiri Deum solemus nostra ulna, diffidimus de eius promissionibus. Ergo Deus se dissimilem hominibus esse pronuntiat, quia non minus sibi constat large praestando quidquid pollicitus est, quam liberaliter promittit.

16. (*Respice ad me.*) Clarius ad praesentem usum accommodat quod dixit de clementia et bonitate Dei. Nam quia misericors est Deus, ei salutem suam curae fore confidit. Postea sequitur verbum נָתַן , quod gratificari significat, referturque ad gratuitum auxilium. Tandem concludit se nonnisi precaria Dei virtute fore salvum: quo fatetur se intus deficere. *Servum et filium ancillae* se vocando, non sua obsequia iactat, sed ex longa origine, et diuturno cursu gratiae Dei plus conciliat favoris: ac si diceret, se ab utero matris domesticum esse Dei servum, ac vernam, qua de re iam alibi dixi-

mus. Ultimo autem versu iterum confirmat se fuisse a Deo quasi derelictum. Neque enim sibi signum aliquod gratiae dari optaret, nisi undique ad desperationem fuisset impulsus, et ad probandam eius patientiam absconditus fuisset Dei favor. Hoc autem non vulgaris constantiae experimentum fuit, cum hac tentatione luctari, ut lucem in tenebris cernere non desineret. *Hostes* autem ideo *pudescere* cupit, quod simplicitatem eius ludibriis suis ac sanis vexabant, quasi stulte in Deum sperasset.

PSALMUS LXXXVII.

ARG. Quum piorum animos debilitare posset misera tristisque ecclesiae conditio qualis ab exilio babylonico fuit, hic miram et incredibilem eius instaurationem promittit spiritus sanctus, ut nihil sit magis optabile quam censei in eius membris.

Filiorum Corae Psalmus Canticum. 1. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* 2. *Diligit Iehova portas Sion prae omnibus tabernaculis Iacob.* 3. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* *Selah.*

Quum bene est filiis huius saeculi, videmus quantopere sua illis placeat conditio, et quam magnifice cum superbo ecclesiae contemptu eam extollant: ac ne malis quidem domiti, huius suae ebriae confidentiae obliviscuntur. Interea secure ab illis despiciuntur religio et Dei cultus: quia deliciis, opibus, et honoris splendore contenti, sibi videntur absque Deo esse felices. Iam vero saepe fit ut eos Dominus omni bonorum genere saginet, iustas tandem et maturas de ipsorum ingratitude poenas sumpturus, ecclesiam vero suam variis et gravibus aerumnis premat, vel saltem contineat in obscuro et humili statu, ut sibi misera possit videri, certe despectui sit obnoxia. Ergo ne fideles decipiat evanida ista species, alio revocari operae pretium est, ut statuam verum esse quod docet Psalmus 33, 12, beatum esse populum cui Dominus est Deus. Sit igitur Psalmi huius summa, Unam Dei ecclesiam supra omnia mundi regna et politias excellere, quia Deum habet salutis suae praesidem, eiusque imperio gubernatur. Primum, ut inter violentos motus et horribiles procellas, quibus subinde concutitur orbis terrarum, salva maneat. Secundo, idque praecipue, ut eiusdem Dei praesidio mirabiliter servata, tandem ad palmam supernae vocationis post longam militiam perveniat. Hoc singulare Dei beneficium est, ac simul insigne miraculum, quod inter tam varias regnorum terrae conversiones, ecclesiam suam per continuos aetatum successus propagans, ab interitu vindicat, ut sola

in mundo perpetua sit. Verum quia saepe dum affluunt increduli divitiis, florent opibus et potentia, miseram ecclesiam inter plurima discrimina iactari, imo innumeris naufragiis propemodum obrui constat: in eo praesertim statuenda est eius felicitas, quod aeternum statum in coelo repositum habeat. Iam ad Psalmum intelligendum non parum facit temporis, quo compositus fuit, circumstantia, nam etsi ab exilio babylonico reversus erat populus, collecta Dei ecclesia rursus in unum corpus ex longa dissipatione coaluerat, stabat templum et altare, restitutus erat Dei cultus: quia tamen ex ingenti multitudine exigua tantum portio hominum restabat, ecclesiae conditio obscura erat et ignobilis: atque id quod erat residuum, ab hostibus quotidie atterebatur: templum antiquo suo splendore longe inferius erat: fidelibus vix ulla suppetebat in posterum bene sperandi materia. Certe ut in pristinum statum, unde exciderant, se unquam attollerent, fieri non posse videbatur. Quare periculum erat ne et acceptae cladis memoria, et praesentium calamitatum mole oppressi labascere, ac tandem desperatione conciderent piorum animi. Tam gravibus aerumnis ne succumbant, Dominus in hoc Psalmo non tantum recuperaturos promittit quod amiserant, sed in spem incomparabilis gloriae eos erigit, secundum illud Aggaei vaticinium, cap. 2, vers. 10: Maior erit secundi templi quam prioris gloria. Nunc postremo restat, ut in usum quoque nostrum aptare Psalmum hunc discamus. Tantum apud pios eius saeculi homines valere debuit haec consolatio, ut rebus suis afflictis non modo erecti starent, sed e sepulcro pertingerent ad coelum. Hodie, quum sciamus, quidquid praedixerat spiritus, completum fuisse, plus quam ingrati sumus, nisi patrum experimentum verbis accedens, fidem nostram magis confirmet. Neque enim satis pro dignitate exprimi potest quam splendide Christus adventu suo ecclesiam ornaverit. Tunc enim vera religio quae in angustiis Iudaeae prius clausa erat, per totum orbem diffusa fuit. Tunc Deus qui ab una familia cognitus fuerat, diversis omnium gentium linguis coepit invocari. Tunc mundus qui innumeris superstitionum errorumque sectis misere lacertatus fuerat, in sanctam fidei unitatem coaluit. Tunc certatim omnes Iudaeis se aggregarunt, a quibus abhorrerant: reges terrae et populi in Christi obsequium sponte se dederunt: lupi et leones in agnos conversi sunt: dona spiritus in fideles effusa, quae omnem mundi gloriam, quaevis decora, divitias omnes longe praecellerent: ipsum ecclesiae corpus ex regionibus procul inter se remotis mirabiliter collectum et auctum et conservatum fuit: evangelii propagatio brevi tempore incredibilis cum profectu peraeque insigni coniuncta. Ergo si ecclesiae nobilitas nunquam fuisset hoc vaticinio celebrata,

ipsam tamen vere coeleste esse Dei regnum, praecleara et incomparabilis aurei illius saeculi conditio palam demonstrat. Caeterum fideles tunc quoque oportuit in aestimanda ecclesiae praestantia altius sapere carnis sensu. Nam quo tempore maxime floruit, non purpura, auro et gemmis, sed martyrum sanguine fulgebat. Spiritu dives, egena nihilominus inopsque terrestrium bonorum erat: sanctitate coram Deo et angelis nobilis et conspicua, mundo tamen despicibilis erat. Multi externi et professi hostes aut crudeliter saeviebant, aut obliquis artibus pessima quaeque in eam moliebantur: intus vero timores et insidiae. Denique sub Christi cruce adhuc latebat veneranda quidem sed spiritualis eius dignitas. Quare tunc quoque tempestiva fuit quae hoc Psalmo habetur consolatio, ut fideles ad perfectiorem ecclesiae statum animis assurgerent: nostra autem ratio diversa est. Factum est proinde patrum nostrorum culpa, ut praecleara illa ecclesiae species sub impiorum pedibus squalida et deformis iacuerit. Et hodie peccatis nostris oppressa sub misera vastatione, sub diaboli mundique ludibriis, sub tyrannorum saevitia, sub indignis hostium calumniis gemit: ut filiis saeculi, qui sibi bene esse cupiunt, nihil minus sit optabile, quam censi in Dei populo. Quo melius perspicitur huius Psalmi utilitas, et simul quam necessaria sit assidua eius meditatio. Inscriptio non tam autores designat, quam praefectos musicae ad canendum Psalmum. Quanquam fieri potest ut quispiam ex illa progenie Levita eum composuerit.

1. (*Fundamenta eius in montibus.*) Quum relativum sit masculinum, falluntur, meo iudicio, qui de Ierosolyma accipiunt, quasi fundata esse dicatur *in montibus sanctis*. Nec me latet quomodo hoc excusent nonnulli docti homines, nomen scilicet populi subaudiendum esse, tametsi de urbe primaria habetur sermo. Sed quam coacta sit expositio, me tacente omnes vident. Hebraeis quibusdam nihil magis probabile visum est quam ad Psalmum referre, atque ita metaphorice fundamenta de themate exponunt: quia disserat de urbe sancta Ierusalem quae in montibus sita erat. Ac demiror in re tam facili et exposita fuisse deceptos, nam quum Hebraeis tritum sit, relativum sine antecedente ponere, loquutio illis dura videri non debuit. Paulo post autem sequitur nomen Dei. Scimus autem passim dici fundatam esse ab ipso Hierosolymam. Quod montes quidam intelligunt Moria et Sion (quae duo erant cacumina montis bicipitis) nimis coactum est. Potius quum montuosa esset regio, plures vicinos montes et contiguos qui Hierosolymam cingebant, notavit propheta: sicuti alibi videbimus, Ierusalem montes in circuitu eius, Psal. 125, 2. Ergo simplex et genuinus est sensus, quod Deus elegerit sanctos montes, in quibus urbem suam fundaret.

Nam paulo post in contextu sequitur, Excelsus ipse stabiliet eam. Est quidem et aliarum urbium conditor: sed de nulla alia urbe dictum legitur: Haec requies mea in saeculum, hic habitabo, quia elegi eam, Psalm. 132, 14. Tenendum est semper discrimen, quod quum aliae urbes externae modo politiae causa auspiciis Dei et virtute conditae forent, Hierosolyma peculiare erat eius sacrarium, sedesque regia. Eodem modo etiam Iesuias loquitur, cap. 14, 32. Quin etiam quum tota Iudaea a Deo sacra esset, dicitur tamen urbem hanc sibi aliis reiectis, sumpsisse in qua regnaret. Neque enim de terrena politia hic agitur, sed de regimine spirituali, quia nusquam tunc alibi pura religio, et legitimus Dei cultus, et pietatis doctrina, quam Hierosolymae vivebant. Quod exprimitur secundo versu, *Diligit Dominus portas Sion prae omnibus habitaculis Iacob*: hinc docemur totam sanctae urbis praesentiam a gratuita Dei electione pendere, cui respondet quod Psal. 78, 60 habetur, Deum repudiasset Silo, tribum Ephraim, tabernaculum Ioseph, ut in Sione habitaret, quam dilexit. Ergo causam notat propheta cur locum unum aliis praetulerit Deus: et causam statuit non in loci dignitate, sed gratuito Dei amore. Quare si quaeritur unde aut cur excellat Hierosolyma, sufficiat brevis responsio, quia sic Deo placuit. Atque hoc quidem divini amoris fuit principium: finis autem, ut certus esset aliquis locus, in quo ad fovendam fidei unitatem consisteret vera religio usque ad Christi adventum, et unde postea in omnes mundi plagas manaret. Proinde hoc elogio propheta Hierosolymam commendat quod Deum habeat architectum et praesidem. Deinde quidquid prae aliis locis excellentiae habet, Dei gratiae et adoptioni adscribit. Quod *Sionem* pro Ierosolyma, et *portas* pro toto urbis complexu posuit, duplex est synecdoche.

3. (*Gloriosa dicuntur.*) Ad verbum est, Quod in te dicitur, sunt res gloriosae. Spectandum est prophetae consilium, vel potius quo spectet Dei spiritus per os prophetae ipsius loquens. Quum humilis ac despecta esset totius populi conditio, multi et graves undique adversarii instarent, paucis animus suppeteret ad vincenda obstacula, quotidie nova aliqua mutatio praeter spem exoriretur, et periculum esset ne res in deterius paulatim collapsae, tandem pessum irent: vix ulla sanctae urbis instauratio sperari poterat. Ne desperatione victa succumbant corda fidelium, idonea futura supponitur, quod aliter de futuro eius statu loquutus sit Dominus, neque enim dubium est quin a praesenti rerum adspectu revocentur ad promissiones, quae spem dabant incredibilis gloriae. Ergo quamvis nihil magnopere laetum appareat, filios tamen Dei iubet propheta verbo erectos, quasi in specula stare, ut patienter expectent quae promissa sunt. Hoc modo

Calvini opera. Vol. XXXI.

admonebantur fideles: primum ut ad vetera oracula attenderent, eaque memoria repeterent, praesertim quae apud Iesaiam leguntur a capite 40 usque ad finem libri: deinde ut aures praeberent Dei servis, qui tunc de regno Christi concionabantur, unde sequitur, rectum de ecclesiae felicitate iudicium non posse fieri, nisi dum eam ex Dei verbo aestimamus.

4. *Memorabo Rahab et Babel inter cognitores meos: ecce Philistini et Tyrus cum Aethiopia, hic natus est ibi.* 5. *Et de Sion dicetur, Vir et vir natus est in ea, et Excelsus ipse stabiliet eam.* 6. *Dominus recensebit scribendo populos, Hic natus est ibi. Selah.*

4. (*Memorabo.*) Nomen *Rahab* pro Aegypto in compluribus aliis scripturae locis sumitur: et huic optime quadrat ea significatio, consilium enim prophetae est scribere magnificam illam ecclesiae amplitudinem, quae adhuc in spe abscondita erat. Dicit igitur, eos qui prius infesti hostes fuerant, vel prorsus alieni, non tantum familiares amicos fore, sed inserendos in unum corpus, ut censeantur Hierosolymae cives. Priore membro dicit, *Memorabo Aegyptum et Babylonem inter meos domesticos.* Secundo addit, *Philistini, Tyrii et Aethiopes*, quibus hactenus tantum fuit dissidium cum populo Dei, nunc perinde consentient ac si essent indigenae. Praeclara ecclesiae dignitas, quod undique ad eam aggregabuntur qui eam spernebant: et qui eam cupiebant excisam ac perditam summi honoris loco ducunt, cives eius sese et haberi, sponte omnes patriae suae renuntiabunt in qua prius superbiebant: undecunque ergo nati sint, sive ex Palaestina, sive ex Aethiopia, sive Tyro, profitebuntur se urbis sanctae esse cives. Hebraei hunc locum ita exponunt, paucissimos ex aliis gentibus prodituros, qui ingenio aut virtute praestent: sed in Israele magnum fore proventum. Vix, inquiunt, singuli apud Tyrios, Aegyptios, Aethiopes, et quosvis alios, exstant laude digni homines: ut si quis talis sit, digito monstrari queat ob raritatem: sed in Sion *vir et vir nascetur*, hoc est magna erit talium copia. Christiani fere uno consensu ad Christum referunt, ac existimant reddi causam cur inter Hierosolymae cives numerandi sint qui hactenus extranei fuerant, adeoque infensi hostes: quia scilicet illic nascetur Christus, cuius officium est homines dissipatos, quasi lacera membra, in fidei unitatem et spem vitae aeternae colligere. Prior interpretatio quum sit prorsus coacta, refutatione non indiget. Deinde satis liquet, Iudaeos stolidam ambitionem inductos, quasi data opera torquere hunc locum. Quod afferunt Christiani, quanquam propter argutiam primo intuitu plausibile est, nihil tamen habet solidi: et

clara sunt prophetae verba, cuiuscunque gentis sint homines, libenter patriae suae renuntiaturus, ut in catalogo populi electi scribantur. *Natos* enim non ponit pro indigenis, sed pro civibus. Quod postea subiicitur, *Excelsus stabiliet eam*, non minus proprie vertetur, *Ordinabit*: quia scilicet verbo suo Deus ecclesiam specialiter gubernat.

5. (*Et de Sion dicetur.*) Continuat eandem sententiam, quod ex diversis mundi partibus colligentur novi cives in ecclesiam Dei. Quanquam alia figura utitur, quod alienigenae reputabuntur in sacro populo, perinde ac si originem a patre Abraham ducerent. Dixerat proximo versu, Chaldaei et Aegyptii ad ecclesiae domesticos accedent: Aethiopes, Palaestini et Tyrii, nomina dabunt inter eius filios, nunc confirmationis vice addit, ingentem novae solis turbam fore, ut numeroso populo referta sit civitas, quae ad tempus deserta, postea etiam exiguo hominum numero semiplena fuerat. Idem quod breviter promittitur, pluribus verbis describit Iesaias, 54, 1: *Lauda sterilis, quae non pariebas*: quia plures filii erunt desertae, quam quae marito coniuncta est, dilata locum tentorii tui, extende funiculos, et clavos consolida, etc. Item, filii tui e longinquo venient, leva per circuitum oculos tuos, omnes isti congregabuntur tibi. Capite autem 44, 5 eadem fere loquutio exstat, vel saltem quae proxime ad istam accedit quae hic habetur: Iste dicet, Domini sum: ille vocabit in nomine Israël, scribet hic sua manu, Ego Domini: ille ex nomine Israël se cognominabit. Neque abs re *nascendi* verbo significat propheta ex grege populi Dei fore Aegyptios, Chaldaeos, et similes, nam etsi natura geniti non erant ex Sione, sed adoptione inserendi in sancti populi corpus: quia tamen ipse in ecclesiam transitus secunda est nativitas, optime convenit ista loquutio. Nam et ea lege Christus sibi fideles despondet, ut populum suum obliviscantur, et domum patris sui, Psal. 45, 11 et formati ac regenti semine incorruptibili in novas creaturas, tam Dei, quam ecclesiae filii esse incipiant, Gal. 4, 19. Et certe non aliter renascimur in coelestem vitam, quam per ecclesiae ministerium. Interea tenendum est discrimen quod ponit Apostolus inter terrenam Ierusalem, quae ut serva est, in subiectionem generat: et supernam, quae iugenuos filios per evangelium parit. Secunda parte versus exprimitur longa diuturnitas, saepe enim contingit ut quo citius in eximiam altitudinem emergunt urbes, brevior sit prosperi status duratio, ne putetur in eum modum caduca ecclesiae felicitas, propheta eius firmitudinem a Domino fore pronunciat: ac si diceret, Non mirum est si nutent aliae urbes, variisque inclinationibus subinde sint obnoxiae: quia una cum mundovolvuntur, neque aeternos habent custodes. At novae Ierusalem diversa erit ratio, cuius perpetuitas

in Dei virtute fundata, etiam coelo et terra ruentibus consistet.

6. (*Dominus recensebit.*) Intelligit propheta tam celebre fore Sionis nomen, ut in civium eius numerum ac ordinem referri omnes cupidissime ambiant. Loquitur enim de sorte maxime honorifica: ac si diceret, Quum Deus censum aget populorum quos praecipuo honore dignabitur, Sioni potius quam Babyloni, aut aliis quibusvis urbibus, adscribet: pluris enim erit ista nobilitas, inter cives Sionis plebeum locum tenere, quam alibi usquam primum. Simul tamen admonet unde alienis hominibus repente tantus honor: nempe ex Dei beneficio. Et certe qui Satanae et peccati mancipia sunt, nunquam sibi propria industria ius supernae civitatis acquirant: solus est Dominus qui populo, ut visum est, in suas classes distribuens, quum par sit hominum conditio, alios ab aliis discernit. Descriptio cuius hic fit mentio, ad vocationem pertinet, nam etsi filios suos ante conditum mundum scripsit in libro vitae, in suorum tamen catalogo tunc eos demum recenset quum regenitos adoptionis spiritu, nota sua insignit.

7. *Et cantores sicut tibicines, omnes fontes mei in te.*

7. (*Et cantores.*) Partim concisa brevitatis, partim ambiguitas vocis unius orationem reddit obscuram. *Fontes* metaphorice hic sumi, extra controversiam est: sed in explicanda metaphora variant interpretes. Quidam spes interpretantur, quidam affectus, alii cogitationes. Libenter eorum sententiae subscriberem qui modulationes vertunt, si pateretur hoc linguae proprietatis, quia autem id nimis remotum videri posset, quod rationi maxime consentaneum est amplector, ad aspectum notari: ac si dictum esset, Ego in te quasi defixis oculis semper intentus ero, nam et radix nominis oculum significat. Nunc videndum est quid sibi velit alterum illud membrum, cantores ut tibicines, abrupta quidem est loquutio, sed de cuius sensu inter omnes satis convenit: tantam laetitiae materiam fore, ut tam assa voce, quam musicis instrumentis continue resonent illic Dei laudes. Confirmat ergo quod prius dixit de magnifica Sionis instauratione: quia ex gaudii magnitudine, et multiplici laudum concentu, quanta eius futura sit felicitas demonstrat. Verum interea finem describit donorum omnium, quibus tam liberaliter ecclesiam suam prosequitur Deus: ut scilicet hymnis et canticis suam, erga eum gratitudinem testentur fideles. Alii חוללים vertunt, qui saltant ad modulos vel tripudiant. Sed in eo parum est momenti: quum hoc summam tenere sufficiat, perpetuam scilicet symphoniam laudum Dei in ecclesia fore, ubi gratiae suae thesauros explicuerit, mutuas-

que fore canendi vices. Adde quod Dei ecclesiam singulari amore, cura, studio amplecti se demonstrat propheta, ut suo exemplo ad eundem pios omnes affectum hortetur et accendat, iuxta illud, Psalm. 137, 5: Oblivioni detur dextera mea, si non memor fuero tui Ierusalem in principio laetitiae meae. Tunc enim demum in ecclesia subsistunt omnes nostri affectus, dum a vagis vanisque distractionibus collecti, et posthabitis mundi honoribus, deliciis, opibus, pompis, una spirituali regni Christi gloria contenti sunt.

PSALMUS LXXXVIII.

ARG. Quoniam Psalmus hic gravissimas lamentationes hominis miserrime afflicti et fere desperati continet: simul tamen invictam fidei suae constantiam, contra moerorem luctando, declarat propheta, quod ex profundis mortis tenebris Deum nihilominus redemptorem implorat.

1. *Canticum Psalmi filiorum Corae, praefecto super Mahalath ad humiliandum, eruditivum Heman Eeratae.* 2. *Iehova Deus salutis meae, die clamo, nocte coram te.* 3. *Veniat in conspectum tuum precatio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.* 4. *Quoniam saturata est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.* 5. *Reputatus sum cum descendentibus in sepulcrum: fui tanquam vir cui nulla virtus.* 6. *Inter mortuos liber, tanquam occisi iacentes in sepulcro, quorum non es memor amplius, et qui e manu tua abscissi sunt.*

1. (*Canticum Psalmi.*) Heman cuius nomen hic inscribitur, eum esse probabile est cuius mentio fit in sacra historia, 1. Reg. 4, 31 ubi dum laudatur prudentia Solomonis, confertur cum Etan, Heman, Chalchol et Darda. Ideoque mirum non est, hominem sapientiae spiritu praestantem Psalmi huius autorem fuisse. Particulam *על מחלה* quidam appellative vertunt, super infirmitate. Sed ex communi usu probabile est vel musicum instrumentum notari vel initium cantilenae. De aliis vocibus iam alibi satis dictum est. Porro tenere operae pretium est, in unius hominis persona statui nobis ante oculos rarae afflictionis et simul patientiae speculum, neque enim Deus servum suum, quem tam praeclaris dotibus ornaverit ut aliis esset exemplo, privatim exercuit, sed communem eruditionis materiam dare voluit omnibus suis. Quo etiam consilio Heman velut theatrum conscendens, tam suarum infirmitatum, quam suae fidei et constantiae testem facit ecclesiam. Nostra enim plurimum interest, nobilem Dei servum, et eximiis spiritus dotibus excellentem spectare tanta afflictionum mole obrutum, ut flebiliter deplorat se nihil

a mortuo distare: ne vel aerumnae nostrae, quantumvis graves, desperatione nos opprimant: vel si quando nos aegritudo, cura, dolor, anxietas, et metus debilitat, ideo tamen despondeamus animos, praesertim ubi videmus sanctum prophetam non sine violento conatu ex profunda obscuritate in lucem bonae spei emergere. Quin potius statuendum est, per os Heman a spiritu Dei precandi formulam dictari, qua desperatos omnes invitet.

2. (*Iehova Deus.*) Notandum est quod nuper attigi, quamvis simpliciter et citra hyperbolen recitet propheta quos passus est anxietatum et dolorum cruciatus, dictasse tamen afflictis precandi formam, ne sub ullis malorum tormentis deficerent. Etsi autem pro malorum atrocitate statim ebulliet in vehementes querimonias, brevi tamen praefatione tempestive se munit: ne affectus sui fervore abreptus, obstrepat potius Deo, et expostulet, quam suppliciter veniam deprecetur. Deum enim *salutis suae* vocans, quasi iniecto fraeno, cohibet doloris intemperantiam, desperationi ianuam claudit, seque ad crucis tolerantiam munit et comparat. Clamore et assiduitate ostendit quam serio intentus fuerit ad orandum. Fieri quidem potest ut vocem non extulerit pleno gutture: sed *clamandi* verbo ad contentionem notandam non frustra usus est. Eodem spectat perseverantia, dum se *dies et noctes* continuasse dicit. Nec supervacua etiam est particula *coram te*, quia etsi communiter omnes querulantur in dolore, multum tamen abest quin effundant coram Deo suos gemitus, imo maior pars latebras quaerit, in quibus obmurmuret Deo, eiusque severitatem accuset: alii clamores suos temere proiciunt in aërem. Unde colligimus, rarae virtutis esse, Deum nobis statuere ante oculos, ad quem vota nostra dirigamus.

4. (*Quoniam saturata est malis anima.*) His verbis propheta magnitudinem sui doloris excusat: ac si diceret, se non mollitie vel deliciis adeo esse clamosum: sed si reputetur sua conditio, immensa malorum congerie ad lamentationem iuste impelli. Nec unam tantum mali speciem profert: sed alia aliis fuisse aggesta, ut ad taedium usque cor eius moeroribus refertum fuerit. Deinde in specie exprimit vitam suam non procul abfuisse a sepulcro. Sed hoc quoque proximo versu magis exaggerat, ubi se quasi exanimem fuisse conqueritur. Etsi enim spirabat inter vivos, multae tamen mortes quae undique impendebant, totidem erant sepulcra, quibus se mox deglutendum putabat. Et nomen *נבר* quod a fortitudine dicitur, potius quam hominis videtur posuisse, quo melius testatum faceret tantam fuisse atrocitatem malorum quae vel robustissimum quemque frangeret.

6. (*Inter mortuos liber.*) Plus quiddam et gravius vulgari morte exprimere voluit propheta. Primo

se liberum esse dicit inter mortuos, quod inutilis esset ad omnia vitae munera, et quasi a mundo alienatus. Illa enim Augustini argutia nihil ad prophetæ mentem, Christum vocari liberum inter mortuos, quia singulari privilegio victoriam adeptus est, ne mors in eum dominaretur. Potius enim dicit propheta se praesentis vitae militia perfunctum, nullam animo curam amplius suscipere, quia sensum omnem mala abstulerint. Deinde *vulneratis* se comparans, peius secum agi deplorat, quam si malis debilitatus, paulatim ad mortem descenderet: quia violentam mortem naturaliter magis horremus. Durius in speciem est quod addit, se *oblivioni traditum esse a Deo, et abscissum ab eius manu*, vel custodia: quum certum sit, mortuos non minus quam vivos sub tutela Dei esse. Imo nebulo ille Balaam, cui propositum erat lucem convertere in tenebras, coactus tamen fuit exclamare, Moriatur anima mea morte iustorum. Num. capite 23, versu 10. Itaque posset videri sententia haec profani hominis, Deum non esse amplius memorem hominis mortui. Responsio dari potest, prophetam ex vulgi sensu loqui, sicuti etiam scriptura, quum de providentia Dei agitur, stylum accommodat ad visibilem mundi statum, quia ad futuram vitam, quae abscondita est, nonnisi gradatim conscendimus. Existimo tamen prophetam magis ex turbulento afflicti hominis sensu loquutum esse, quam respexisse quid rudes et imperiti sentiant. Nec mirum est, hominem spiritu Dei praeditum, ubi praevaluit moeror, quasi attonitum fuisse ut vocem parum consideratam emitteret. Quamvis enim servis Dei in summis perturbationibus fides haec infixæ maneat, Deo curae esse tam vivos quam mortuos: saepe tamen eorum mentes obnubilat dolor, ut non occurrat in re praesenti Dei providentia. Hoc inter querimonias Iob saepius animadvertere licet, dum praecupati sunt piorum animi tristitia, non statim penetrare ad arcanam Dei providentiam, quam tamen probe meditati sunt, et insculptam in cordibus suis gestant. Ergo propheta, quamvis persuasus esset mortuos quoque esse sub tutela Dei, in primo tamen tristitiae impetu non tam composite loquutus est ut decebat: quia suffocatum erat lumen fidei, quod statim emicuit, ut videbimus. Et hoc notatu in primis utile est, ne si tentationes nos debilitent, animos tamen despondeamus.

7. *Posuisti me in fovea infima, in tenebrosis, in profunditatibus.* 8. *Super me incubuit indignatio tua, et omnibus fluctibus tuis afflixisti me.* Selah. 9. *Removisti notos meos a me, posuisti me abominationes illis: conclusus sum ut non egrediar.* 10. *Oculus meus dolet prae afflictione mea: invoco te Iehova quotidie, expando ad te manus meas.*

7. (*Posuisti me.*) Iam distinctius agnoscit, quidquid patitur malorum, ex Dei manu profectum esse. Nec vero quisquam serio petendi remedii causa ad Deum confugiet, nisi qui iam persuasus erit, eius manu se percuti, nihil autem fortuito contingere. Iam quo propius ad Deum accedit, notandum est, magis exacerbari dolorem: quia sanctis nihil magis horribile est Dei iudicio. Alii vertunt, *appropinquavit super me indignatio tua*, et sic interdum accipitur verbum *הִמָּחֵם*. Sed circumstantia loci accipere cogit, ut pluribus aliis locis, pro circumdare vel incumbere: quia ubi de homine in triplex sepulcrum demerso sermo habetur, illud appropinquare nimis esset frigidum. Contextui autem optime respondet versio quam sequutus sum, ut dicat propheta se sustinere totam molem irae Dei, quia eius fluctibus affligitur. Iam quum tam horribile diluvium prophetam non impedierit quominus cor suum et vota ad Deum extolleret: disceamus eius exemplo, in omnibus naufragiis nostris ancoram fidei et precum in coelos iacere.

9. (*Removisti.*) Quum humanis omnibus auxiliis orbatus esset propheta, hoc quoque irae Dei adscribit, in cuius arbitrio est flectere corda hominum ad humanitatem, vel eadem efferare. Quod notatu dignum est: quia nisi in memoriam succurrat, ideo nos destitui humanis mediis, quia Deus manum suam subducit, tumultuamur sine fine et modo: et iure quidem conqueri licebit de hominum ingratitude, vel saevitia, quoties iustis officiis nos fraudabunt: sed hoc profectu carebit, nisi accedat haec cognitio, quia Deus nobis offensus est, tollere quae nobis destinaverat subsidia: sicuti promptum ei est ut quoties visum fuerit, conciliare nobis omnium animos ut manum porrigant. Addit etiam aliquid gravius, se fuisse detestabilem omnibus amicis: ac tandem concludit nullum suis malis patere exitum.

10. (*Oculus meus.*) Ne prophetam imaginemur fuisse ferreum, rursus inculcat sibi tam duras fuisse et molestas afflictiones, ut in vultu et oculis extarent moestitiae signa, unde colligimus quantopere deiectus fuerit. Sed interea testatur se minime fuisse a Deo abstractum, ut multi secum tacite frementes, fraenumque rodentes, ut est in proverbio, nihil minus sibi proponunt quam suas curas in Deum exonerare, ut solatium ab eo petant. Quod de *manuum extensione* dicit, signum ponit pro re ipsa. Alibi autem diximus quorsum spectaverit haec caeremonia, quae saeculis omnibus fuit in communi usu.

11. *An mortuis facies miraculum? an mortui surgentes confitebuntur tibi?* Selah. 12. *An narrabitur in sepulcro clementia tua, veritas tua in interitu?*)*

*) en la perdition, en marge: ou la mort.

13. *An cognoscetur in tenebris mirabile tuum, et iustitia tua, in terra oblivionis?* 14. *Ego autem ad te Iehova clamavi, et mane oratio mea praeveniet te.*

11. (*An mortuis.*) Significat his verbis, nisi celeriter festinet Deus ad opem ferendam, non venturum in tempore: quia vix tantillum a morte distet, ergo hunc esse extremum articulum, si Deus eum iuvare velit, quia posthac cessabit occasio. Quaerit ergo quousque differre velit Deus, an ut mortuos miraculo excitet. Quanquam autem propheta de ultima resurrectione non loquitur, quae superior erit reliquis omnibus miraculis, excusari tamen non potest excessus, quia Deo tempus praescribere nostrum non est ferendi auxilii: quia iniuriam facimus eius potentiae, nisi statuimus tam facile ei esse, reddere vitam mortuis, quam mature occurrere, et antevertere ultimum discrimen. Et certe talis semper fuit sanctorum constantia, quae carnis infirmitatem aliqua in parte resiperet, ut etiam in ipsis virtutibus quod vitii admistum erat, necesse fuerit paternae Dei indulgentiae tolerari. Dum quaerit *an in sepulcro narrabitur Dei bonitas*, non intelligit mortuos carere sensu, sed prosequitur quod iam ante dixerat, magis opportunum esse auxiliandi tempus dum homines in periculis adhuc clamitant, quam si mortuos e sepulcris excitet. Rationatur autem ex communi more, quia Deus solitus non esset mortuos e sepulcris testes ac praecones suae bonitatis producere. Fidem Dei annectit clementiae: quia quoties suorum liberator est Deus, se in promissionibus veracem fuisse confirmat. Porro ad promittendum non aliunde quam mera sua bonitate inducitur. Quod vero tam fidem quam bonitatem, virtutem et iustitiam in terra oblivionis cognosci negat, perperam trahunt homines fanatici ad crassum errorem, quasi morte abolerentur homines: quia tantum disserit de modo iuvandi ordinario: quia Deus mundum hunc instar theatri esse voluit, ad gratiam, qua prosequitur humanum genus, demonstrandam.

14. (*Ego autem ad te.*) Quamvis aliqua perturbatio fuerit in prophetae verbis, quam confessus sum vitiosam fuisse: hoc tamen raræ fidei et pietatis signum fuit, nunquam desistere a studio precandi. Nam hoc sensu dicit se *mane festinasse*: ne putemus lente et frigide fuisse cunctatum, donec cogeret ultima necessitas. Modeste autem his verbis admonet, non factum esse sua pigritia ut in diuturnis malis contabuerit, ac si Deum non quaesiisset. Atque exemplum hoc in primis est notabile, ne despondeamus animos, si quando preces nostras, licet voluntarias et assiduas, contingat tamen profectu carere.

15. *Utquid Iehova repudiabis animam meam, abscondes faciem tuam a me?* 16. *Ego miser et moribundus a pueritia, tuli terrores tuos dubitando.* 17. *Super me transierunt furores tui, formidines tuae exciderunt me.* 18. *Circumdederunt me sicut aquae quotidie, cinxerunt me simul.* 19. *Removisti a me amicum et socium, familiares mei tenebrae.*)*

15. (*Ut quid Iehova.*) Quamvis lamentationes istae primo intuitu moerorem absque ullo solatio prae se ferant, continent tamen in se tacitas preces. Neque enim superbe cum Deo litigat, sed flebiliter malis suis exoptat remedium, atque hoc genus querimoniae merito inter gemitus inenarrabiles censeri debet, quorum meminit Paulus ad Romanos capite 8, versu 26. Nec vero si putasset Propheta se respui et abominationi esse, orando perseverasset, verum carnis sensum, cui fortiter reluctabatur, hic in medium proponit, ut re ipsa tandem, et manifesto effectui appareat, non frustra eum orasse. Ergo quamvis hic Psalmus non claudatur gratiarum actione, sed in lamentabilem querimoniam desinat, ac si nullus restaret gratiae locus, eo utilior est ad nos in precandi officio retinendos: quia certe non destitit propheta, gemitus hos in Dei sinum deponens, sperare quam non videbat salutem: quia non vocavit initio Deum salutis suae, ut sibi postea nihil de eo promitteret. Cur vero se *moribundum a puero* fuisse dicat incertum est, nisi quod probabiliter conicere licet fuisse multis modis duriter examinatum, ac si eius vita inter varias trepidationes ac metus e filo penderet. Unde etiam colligimus, furores Dei et formidines, de quibus continuo post loquitur, non exigui tantum fuisse temporis: idque exprimit per vocem *quotidie*. Iam quum nihil magis horribile sit, quam Deum nobis infensum concipere, non abs re *diluvio* anxietatem suam comparat. Hinc etiam *dubitatio*: quia fieri non potuit quin eius animum dira inquietudine iactaret irae Dei sensus. Quaeritur tamen quomodo fidei consentiat vacillatio, et certe ubi quis perplexus haeret ac dubius, imo huc et illuc agitur, videtur absorpta esse fides. Sed experientia nos docet, fidem, dum fluctuatur in his agitationibus, subinde tamen resurgere ne mergatur, quod si quando suffocatur, foveri tamen absconditam, quia quantumvis insurgant procellae, clypeum tamen illum opponit, Deum manere fidelem, ut suos nunquam frustretur, vel deserat.

*) mes familiers sont tenebres, en marge: ou se cachent.

PSALMUS LXXXIX.

ARG. Propheta quisquis fuerit Psalmi autor, Deo supplicaturus pro afflictis ecclesia, foedus Dei quod cum Davide pepigerat, sibi et reliquis ad bene sperandi materiam proponit. Commemorat deinde in genere Dei potentiam, quae perspicitur in tota mundi gubernatione: ad haec ad redemptionis memoriam descendit, in qua Deus paterni sui erga electum populum amoris aeternum specimen exhibuerat. Inde iterum ad foedus cum Davide percussum revertitur, in quo pollicitus fuerat Deus se in regis favorem populo semper fore propitium. Tandem subiicit querimoniam, quod Deus quasi pacti sui oblitus, ecclesiam exponat impiorum libidini, nec in tristi vastitate quidquam opis vel solatii ostendat.

1. *Eruditivum Ethan Esraita.* 2. *Clementias Iehovae in aeternum cantabo, in aetatem et aetatem celebrabo veritatem tuam ore meo.* 3. *Quia dixi, perpetuo clementia aedificabitur: coelos stabiles, veritas tua in illis.* 4. *Pepigi foedus cum electo meo, iuravi Davidi servo meo.* 5. *Usque in aeternum stabiliam semen tuum, et aedificabo in aetatem et aetatem solium tuum. Selah.*

1. (*Eruditivum Ethan.*) Quisnam fuerit hic Ethan, cui adscribitur Psalmus, mihi non satis liquet, nam si unum esse dicamus ex iis quatuor quibus ob sapientiae praestantiam confertur Solomo, 1. Reg. 4, 31 non quadrabit in eius aetatem argumentum. Nisi forte Solomoni superstes, tristem et funestam, quae tunc accidit, dissipationem, quae praeludium erat ruinae, defeat. Etsi enim populus in duas partes divisus, stetit adhuc incolumis, quum tamen dissidium illud sancitam a Deo unitatem abrumperet, quid potuit spei esse residuum? Adde quod ab uno capite, a quo decem tribus impie defecerant, pendeat salus totius corporis. Quam horribile vero portentum fuit, statim post unius hominis aetatem cernere regnum illud, quod usque ad finem mundi integrum florere debebat, misera laceratione deforme? Quis non putasset lusorium et inane fuisse oraculum illud, cuius fides tam brevi temporis spatio pessundata erat? Ergo si placet Ethan illum Psalmi fuisse autorem, licebit eius querimonias in tempus illud conferre, quo non modo labefactatum fuit Davidis solium, sed maior pars populi se a Deo alienavit, fratresque mutuis et intestinis discordiis se conficere coeperunt. Ego certe in re dubia nihil video probabilius. Nam qui volunt spiritu prophetico praemonitum fuisse populum de futuris cladibus, facile refelluntur ab ipso contextu, ubi diserte scriptor, quisquis fuerit, mutationem deplorat quae prima contigit ex factione Iarobeam.

2. (*Clementias Iehovae.*) Tenendum est quod nuper attigi, exordium fieri a Dei laudibus et foe-

deris memoria, ut fideles contra graves tentationum machinas fidem suam stabiliant. Nam ubi nos ad precandum accingimus, si in ipso vestibulo occurrat desperatio, vi et impetu perrumpere necesse est, ne flaccescant animi, prorsusque deficient. Consilium ergo prophetae fuit, inter ipsa principia firmis et solidis futuris munire piorum animos, ut Dei promissione freti, quae fere in speciem conciderat, repulsis omnibus tentationum machinis, quibus graviter concutiebatur eorum fides, non dubitarent de regni instauratione bene sperare, et pro ea constanter precari. Etsi igitur ex tristi ruinae spectaculo pro sensu carnis coniciere poterat Ethan se et reliquos fideles fuisse delusos, se tamen Dei misericordias quae tunc erant absconditae, celebraturum dicit. Quia vero non facile erat, Deum, quem severum et rigidum experiebatur, clementem agnoscere: ut hanc tentationem copia et varietas gratiae Dei superet, sibi in plurali numero proponit bonitates.

3. (*Quia dixi.*) Rationem assignat cur Dei laudes continuet inter res adversas, quia ne sic quidem desperet Deum suis propitium fore, quamvis asperius eos castiget. Neque enim os quisquam libere aperiet ad laudandum Deum, nisi qui certo persuasus erit, etiam dum suis irascitur, nunquam paternum affectum exuere. Istud enim *dicere*, cuius meminit, tantundem valet atque infixum habere in animo: ac si diceret, quidquid hactenus acciderit, sibi tamen non fuisse excussam gratiae Dei fiduciam in futurum tempus, seque in hoc proposito staturum. Notandum vero est, non sine difficili certamine prophetam fide amplexum esse Dei bonitatem, quae tunc prorsus evanuerat: ut discamus, si quando auferat nobis Deus omnia amoris signa, statuere tamen in cordibus nostris *aeternum misericordiae aedificium* de quo hic agitur: qua metaphora significat propheta Dei misericordiam propagatum iri, vel continuam fore, donec ad finem suum vel complementum perveniat. In secundo membro aliquid subaudiendum est: quia huc summa redit, non minus fore stabilitatis in Dei fide, quam in ipsa coelorum consistentia, quae aeterna est, et ab omni mutatione immunis. Porro coelos intelligo non modo visibiles, sed qui totam mundi architecturam superant: quia hic Dei veritas supra mundi elementa in coelesti regni Dei gloria locatur.

4. (*Pepigi foedus.*) Quo se et omnes pios melius confirmet in fide oraculi, auctoritatem accersit ex Dei persona, quem hic loquentem inducit. Nam quia ex ore Dei pendere debet fides, plus ponderis et energiae huic loquendi formae subest, dum in medium prodit ipse Deus, nosque propria voce invitat. Ubi autem hoc modo nos praevenit, nullus iam est temeritati locus si familiariter ad eum ac-

cedimus: sicuti rursus nihil nobis sine verbo Dei imaginari fas est de eius gratia, vel nostro arbitrio sperare quod non est pollicitus. Iam promissio hac loquutione magis redditur authentica, ubi refert Deus iureiurando interposito, foedus se cum Davide servo suo pepigisse. Nam quia solebant olim foedera incidi in tabulas aeneas, metaphoram sumptam ex more illo usurpat. Duobus vero epithetis ornat ipsum Davidem, vocans electum suum, et servum. Nam qui priorem titulum ad Abraham trahunt, non satis attendunt ad communem loquendi formam, qua bis idem repetitur. Iam electus Dei vocatur, quem Deus mero beneplacito, non modo posteris Saulis et tot viris insignibus, sed etiam fratribus suis praetulit. Ergo si quaeritur foederis causa vel origo, venire ad Dei electionem necesse est. *Servi* nomine, quod continuo post sequitur, ne intelligas Davidem quidquam suis obsequiis fuisse promeritum: sed regiae dignitatis intuitu vocatur Dei minister: quia non se temere ingessit, sed vocatione legitima fretus, imperium sibi divinitus oblatum recepit. Iam ex ipsa foederis summa colligimus, prophetam non frustra in usum suum et totius populi illud accommodasse: quia non pepigit Deus privatim cum Davide, sed totum ecclesiae corpus in futuras aetates respexit. Etsi enim de Solomone et reliquis successoribus aliqua ex parte intelligi hoc debet, Stabiliam solum tuum in aeternum: sciebat tamen propheta, solidam perpetuitatem non posse nisi in Christo reperiri. Et certe regem unum creando, non unius tantum familiae Deus respectum habuerat, posthabito et neglecto populo cum quo foedus ante pepigerat in manu Abrahae, sed detulit imperium Davidi eiusque filiis, ut praecessent in communem omnium salutem, donec Christi adventu solum vere stabiliretur.

6. *Et celebrabunt coeli miraculum tuum Iehovah, etiam veritatem tuam in coetu sanctorum:* 7. *Quia quis in nubibus aequabitur Iehovae, similis erit Iehovae in filiis deorum?* 8. *Deus terribilis in coetu sanctorum valde, et metuendus super omnes qui in circuitu eius sunt.* 9. *Iehova Deus exercituum, quis sicut tu fortis Deus? et veritas tua per circuitus tuos.*

6. (*Et celebrabunt coeli.*) Propheta loquutus de foedere Dei, sicuti fides exordium debet facere a verbo, nunc ad generale operum eius encomium descendit. Quanquam notandum est, non alio fine disserere prophetam de admirabili Dei potentia, nisi quo melius illustretur sanctitas foederis, exclamat enim hunc esse Deum qui iure colendus sit ac metuendus, cui sit habenda fides, cuius virtuti secure inniti liceat. Itaque *miraculum* quod primo loco ponit, libenter ad potentiam restringo quam exserit in conservatione suae ecclesiae. Verum qui-

dem est coelos admirabilis Dei potentiae optimos esse testes ac praecones: sed ex contextu melius patebit ad eum quem dixi scopum elogia omnia referri. Nam recte, meo iudicio, per coelos quidam interpretes angelos intelligunt, quibus in salute ecclesiae communis est laetitia et gratulatio: idque confirmat posterius membrum, ubi dicit *veritatem Dei in coetu sanctorum esse praedicandam*. Neque enim dubium est quin eandem sententiam hic continuat, et veritatis nomine, insigniat praeclaras liberationes quibus Deus fidem servis suis datam praestiterat.

7. (*Quia quis in nubibus.*) Nunc magis illustrat propheta quod dixit de mirabilibus Dei: ac emphatice exclamat, Quis poterit Deo in nubibus conferri? Nubes autem vel coelum exprimit: quia mirum non est, in terra nihil inveniri quod ad Dei gloriam accedat. Nam etsi excellit homo prae aliis animantibus, videmus tamen quam misera sit abiectaque eius conditio, imo quam plena ignominiae et probri. Unde sequitur, sub coelo nullam excellentiam Deo aemulam esse: sed dum in coelos conscendimus, admiratione rapti, fingimus deorum turbam quae veram deitatem abolet. Ac posterius membrum exegeticum est, ubi negat propheta inter filios deorum, quemquam esse vero et unico Deo similem. Nam quod per nubes vel coelos quidam intelligunt solem, lunam, et stellas, ipso contextu refellitur. Summa ergo est, etiam in coelis ipsis unicum Deum eminere absque socio. Et angelos quidem vocat filios deorum: quia nec originem ex terra traxerunt, neque corruptibili corpore sunt vestiti: sed coelestes sunt spiritus divina praediti gloria. Non quod pars sint essentiae Dei, sicuti somniant fanatici homines: sed quia in ipsis potentiam suam Deus exserit, hoc elogio eorum natura a nostra distinguitur. Summa est igitur, Quamvis in angelis refulgeat maior dignitas quam in aliis creaturis, quae etiam in sui admirationem nos rapit: non tamen appropinquare Deo, ut sua eminentia eum obscurent, vel imperium obtineant cum eo commune. Quod diligenter notandum est: quia utcumque Deus passim angelos pronuntiet sibi esse ministros et paratos ad obsequium: mundus tamen unico Deo non contentus, multas sibi deitates fabricat. Eodem pertinet proximus versus, ubi dicit propheta *Deum esse formidabilem in coetu sanctorum*. Diabolicam enim illam superstitionem corrigit ad quam propensi sunt fere omnes, quum angelos sine modo et ratione extollunt. Atqui si ipsi quoque angeli trepidant et expavescunt coram Dei maiestate, quomodo non cogentur in ordinem, ut solus Deus in solidum regnet? Porro eos *in circuitu Dei* locans, intelligit instar satellitum circumdare solum eius, praestoque semper adesse ad subeunda iussa. Postea denno idem repetit, *Quis sicut tu fortis?* ut

ut metu saltem territi, discamus non spoliare eum debito honore. Caeterum ne nimis nos absterreat, aliquid dulcedinis admisceat, *veritatem eius per omnes circuitus spectari* praedicans: ac si diceret, Deum semper constare suis promissis: et quidquid mutationum accidat, manere tamen a tergo et fronte, a dextra et sinistra veracem.

10. *Tu dominaris superbiae maris: dum attoluntur fluctus eius, compescis eos.* 11. *Tu afflixisti sicut vulneratum Aegyptum, in brachio fortitudinis tuae dispersisti inimicos tuos.* 12. *Tui sunt coeli, etiam tua est terra, orbem et plenitudinem eius tu formasti.* 13. *Aquilomen et Meridiem tu creasti: Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt.* 14. *Tibi brachium cum potentia: roborabis manum tuam, attolles dexteram tuam.* 15. *Iustitia et iudicium locus solii tui, clementia et veritas praecedent faciem tuam.*

10. (*Tu dominaris.*) Iam admonui, quae hactenus generaliter propheta disseruit de virtute Dei, referenda esse ad redemptionis miraculum, quod iam diserte celebrat. Quanquam enim quidam fluctus maris componi interpretantur, quia Deus non patitur submergi diluvio totum orbem: ego tamen coniunctim duos istos versus legens, prophetam existimo de rubro mari loqui, quod Deus compescuit ut transitum daret populo suo. Subiicit enim continuo post, totam terram Aegypti instar hominis occisi fuisse prostratam. Quibus verbis Dei gratiam in liberanda ecclesia commendat. Neque enim dubium est quin sibi et aliis proposuerit paternum Dei amorem, quo liberius ad eum confugeret, sicuti Deum praedicans brachio suo forti contrivisse hostes, ab experimentalis notitia colligit, quoties visum fuerit, idem semper facturum.

12. (*Tui sunt coeli.*) Tertio repetit, Deum qui electi populi fuit liberator, imperio suo regere totum orbem. Nam ex creatione colligit Deum actualiter moderari quidquid in coelo et terra agitur: quia absurdum esset, coelos a Deo creatos, fortuito nunc volvi, et res vel hominum arbitrio, vel temere et casu misceri in terra: quia proprium Dei est tueri et gubernare quidquid condidit: ne cum profanis hominibus imaginemur pulcerrimi huius theatri conspectu otiosum frui. De meridie et septentrione loquens, item de montibus Hermon et Thabor, accommodat sermonem ad sensum rudis vulgi: quasi diceret, nullam esse mundi partem quae non revereatur opificem suum, atque observet. Proximum quoque versum simul contesto, quod brachium Dei instructum sit potentia, manus eius robore, et dextra eius summam celsitudinem obtineat. Nam quod resolvunt quidam in optativum, roborem manum tuam et dextram attollas: remotius videtur a pro-

phetas mente, qui simpliciter, ad pios omnes animandos, inaeestimabilem Dei fortitudinem celebrat.

15. (*Iustitia.*) Plus etiam valent haec elogia ad spei confirmationem, quam si in medium proposita esset sola Dei fortitudo. Et quoties fit Dei mentio, ad has praecipue virtutes quae fidem aedificant mentes intendere convenit: ne frustra evanescamus in argutis speculationibus, quibus dum se oblectant stulti homines, non tenent quid sit Deus. Propheta igitur ad regum insignia vel pompas alludens, dicit iudicium et iustitiam esse fulturam solii eius, ut conspicuus emineat: *Clementiam* vero et *veritatem* esse quasi apparitores, ac si diceret, loco purpurae, vel diadematis, vel sceptri, his insignibus ornari Deum, quod iustus sit, et aequus mundi iudex, misericors pater, et fidelis suorum protector. Nam quia terrenis regibus non suppetit intrinseca dignitas, aliunde eam mutuuntur: Deus autem qui se uno contentus, nullis adminiculis indiget, splendorem imaginis suae in iustitia, bonitate, et veritate sua nobis proponit.

16. *Beatus populus qui novit iubilationem, Iehova in splendore vultus tui ambulabunt.* 17. *In nomine tuo exsultabunt quotidie, et in iustitia tua effrentur.* 18. *Quia gloria roboris eorum tu es, et in beneplacito tuo efferetur cornu nostrum.* 19. *Quia Iehovae clypeus noster, et Sancto Israël rex noster.*

16. (*Beatus populus.*) Prosequitur quod de ecclesia attigerat, non modo quia ad intuitum operum Dei caecutiunt increduli, sed quia prophetae non aliud quam piis bonam spem dare propositum est, ut secure in Deum recumbant, nullisque malis frangantur, quin eum intrepide invocent. Beatos autem esse dicit quibus datum est in Deo laetari: quia etsi Dei liberalitate communiter pascantur cuncti mortales, non tamen sensus paternae eius bonitatis ad omnes pervenit, ut sibi propitium esse persuasi de salute sibi gratulentur. Singulari itaque privilegio dignatur suos electos, gustandam illis bonitatem suam praebens, ut ad gaudium et iubilationem colligant animos. Et certe nihil miserius, quam incredulos bruto stupore calcare Dei beneficia, quibus se ingurgitant: quia eo foedior est eorum ingratitude, quo largius eos Deus saginat. Haec igitur vera felicitas, Dei bonitatem concipere, quae animos nostros gaudio occupans, ad laudes et gratiarum actionem incitet. Effectu deinde probat beatos esse qui laeti et hilares Deum agnoscunt patrem: quia non modo fruuntur eius beneficiis, sed favore eius freti, totum vitae cursum tranquillis animis peragant. Hoc enim valet *ambulare in lumine vultus eius*, dum persuasi sumus peculiariter ab eo salutem nostram curari, eumque excubias agere pro salute nostra, acquiescere in providentia eius. Eodem pertinet

laetitia in nomine, et gloriatio in iustitia. Summa enim est, satis et super in Deo reperire fideles quo exsultent et gloriantur. Per vocem *quotidie* notare videtur firmam et solidam continuationem: atque ita oblique perstringere stultam eorum arrogantiam qui vento tantum inflati, superbiendo in suis viribus, cornua in sublime tollunt. Nam ut male sunt fundati, tandem concidere necesse est. Unde sequitur, nullam esse veram magnanimitatem, nec ullam virtutem stare, nisi quae unius Dei gratiae innititur: sicuti etiam magnifice Paulus Rom. 8, 31 se iactat, Si Deus pro nobis, quis praevalebit contra nos? Et malis omnibus tam praesentibus quam futuris insultat.

18. (*Quia gloria.*) Confirmat eandem sententiam, quod scilicet nunquam Deus fideles suos virtute destituat. *Gloriam enim virtutis eorum* vocans, significat eos ita semper fulciri praesenti Dei auxilio, ut merito in ipso gloriantur: vel, quod idem valet, virtutem Dei in illis iuvandis ac sustinendis semper exstare gloriosam. Quanquam interea momentur sui officii, ut quod stant salvi et integri, laudem Deo referant. Quod si vere de praesenti vita dictum est, longe magis in spiritualem animae vitam competit. Iam quo melius commendat hanc Dei beneficentiam, simul docet a mero eius beneplacito pendere. Unde sequitur, in solidum devinctos et adstrictos esse Deo, qui sola liberalitate et gratuita ad prosequendum suum auxilium inducitur.

19. (*Quia Iehovae.*) Quia in rege summum erat populi praesidium, specialiter admonet propheta, hoc quoque Dei donum esse, quod a rege ipso protegatur salus fidelium. Quanquam notandum est, prophetam non ita fuisse defixum in temporali et caduco regno, quin finem simul expenderet, sicuti mox videbimus. Sciebat enim nonnisi Christi respectu favorem Dei a capite in totum ecclesiae corpus defluere. Ac primo quidem metaphorice regem vocans *clipeum*, sicuti hanc figuram scriptura saepe usurpat, eius tamen manu et opera nonnisi divinitus fatetur populum defendi. Ac idem secundo membro repetit, pronuntians regem a Deo esse datum qui populum gubernet: ideoque defensionem quae a rege provenit, Dei beneficium esse. Iam meminimus, quod de umbratili regno dicitur, proprie quadrare in Christi personam, qui nobis datus est a patre salutis custos, ut eius manu protegatur.

20. *Tunc loquutus es in visione mansuetis tuis, et dixisti, Posui adiutorium super fortem, exaltavi electum e populo.* 21. *Inveni David servum meum, oleo sanctitatis meae unxi eum:* 22. *Ideo manus mea stabilietur cum eo, utique brachium meum roborabit eum.* 23. *Non erit exactor inimicus in eum,*

Calvini opera. Vol. XXXI.

nec filius iniquitatis affliget eum. 24. *Et conteram a facie eius oppressores eius, et qui oderunt eum percutiam.*

20. (*Tunc loquutus est.*) Fusius iam explicat cur dixerit regem electi populi e coelo datum esse ad publicae salutis conservationem: quia scilicet neque suffragiis hominum fuit electus, neque sumpsit ipse sibi tyrannidem, vel malis artibus obrepsit: sed quia divinitus electus erat publicae salutis minister, sub eiusdem Dei auspiciis et ductu officio suo perfungi. Consilium enim prophetae est, ut paulo post clarius videbimus, divinum hunc regem a reliquis omnibus discernere. Nam etsi vere docet Paulus Rom. 13, 1 non esse potestatem nisi a Deo, longum tamen discrimen fuit inter Davidem, et terrenos omnes reges qui humanis mediis imperium adepti sunt. Deus enim servo suo Davidi sceptrum de manu (quod aiunt) in manum tradiderat, eumque sua auctoritate locavorat in solio. Particula *Tunc*, quae proprie significat tunc, accipitur etiam pro olim. Sensus ergo est, quum alii nascantur reges, qui haereditario iure succedunt parentibus, alii creentur, alii vi et manu potentiam sibi acquirant: Deum huius regni esse autorem, quia voce sua Davidem elegit. Etsi autem consilium suum patefecit Samueli: quia tamen plurali numero dicit propheta, pluribus idem oraculum fuisse traditum, certo colligero licet plures fuisse testes adhibitos, qui uno consensu assererent Davidem fuisse divinitus creatum regem. Et certe quum tunc alii prophetae floruerint, probabile non esset de re tanta fuisse celatos. Solus tamen nominatur Samuel, quia et praeco fuit vaticinii, et minister unctionis. Porro quum vel per somnium, vel per visiones prophetis tunc loquutus sit Deus, hic ponitur altera species. Sequitur deinde summa oraculi, quod Deus auxilio *fortem* vel robustum instruxerit quem elegerat, ut regno praeficeret. Fortis vocatur, non quod propria fortitudine excelleret: (quando et exiguae staturae fuit, et inter fratres contemptibilis, ut eum Samuel quoque neglectim praeteriret:) sed quia post electionem ornatus fuit nova virtute, et regiis aliis dotibus: sicuti quum apostolos elegit Christus, non titulo duntaxat eos ornavit, sed simul contulit quae ad munus exsequendum erant necessaria. Et eandem hodie spiritus gratiam in suis ministris exserit. Robur ergo Davidis, cuius hic fit mentio, electionis effectus fuit, quia Deus regem creando virtute simul instruxit quae ad populi conservationem sufficeret. Quod etiam clarius apparet ex secundo membro, ubi origo notatur invictae huius fortitudinis, quia scilicet *electum* Deus e plebe *extulerat*. Sunt enim voces omnes emphaticae: quia quum pronuntiat Deus se exaltasse, intelligitur humilis et abiecta conditio, in qua obscurus latebat

David antequam manum Deus porrigeret. Eodem spectat quod addit, *e populo*, sensus enim est, Ignobilem tunc et ex infima plebe fuisse, et qui nihil eximium prae se ferret, quum ultimus esset in rustico tugurio, et inter pecuarios. In voce *electi* nos ad suum arbitrium revocat Deus: ac si vetaret aliam causam investigare, quam quod ita placuit.

21. (*Inveni David.*) Confirmat eandem sententiam propheta, nihil fuisse regium in Davide, nisi quatenus antevertit eum Deus sua gratia. Hoc enim exprimitur inveniendi verbo: ac si diceret Deus, gratis a se assumptum fuisse, ideoque *servi* nomen non meritum aliquod notat, sed ad vocationem refertur, ac si sanciret Deus sua autoritate eius imperium, quia si Deo probatur, legitimum esse dubium non est. Gratuita enim electio secundo membro iterum confirmatur: quia unctio quam David ipse non quaesivit propria industria, sed praeter spem adeptus est, honoris causa fuit. Quia ergo sponte et mero suo beneplacito Davidi occurrit Deus, ut eum manu Samuelis in regem ungeret, merito pronuntiat se illum invenisse. Postea adiungit se custodem fore huius regni, cuius auctor est: sicuti non solet inchoata sua opera deserere, sed continuo progressu perducere ad suum finem.

23. (*Non erit exactor.*) Nominatim exprimit, quamvis hostibus non careat David, praesto fore Dei virtutem ad eum tuendum, ne iniusta violentia prematur. Negat igitur Davidem fore hostibus tributarium: sicuti qui bello devictus est, cogitur subire iniquas victoris leges. Interim quod hostes eius vocat *filios iniquitatis*, tacite ostendit innoxium fore dominationis genus, quod nemo absque iniuria et scelere evertere tentabit. Summa est, Davidem eiusque posteros Dei praesidio tutos fore, et probe munitos, ne hostium libidini sint expositi. Iam quod pessundari regnum passus est Deus, ut Davidis successores exteris et profanis regibus grave tributum pendere coacti sint, cum hac promissione non pugnat: quia satis fuit, accisis regni opibus, manere tamen radicem, usquedum prodiret Christus, in cuius demum manu stabile fuit regnum. Nam quum tantam Dei benedictionem tam rex quam populus impie abiicerent, eorum culpa saepe concussum regnum fuit: deinde imminutum, et tandem collapsum. Neque tamen destitit interea Deus, ut oraculum sanciret de regni perpetuitate, cum illorum ingratitude certando, spem aliquam fovere et tueri. Adde quod, osiores et oppressores Davidis nominando, admonet hoc solum non fore immune ab incommodis et molestiis: quia semper aliqui infesti erunt, nisi se Deus opponat.

25. *Et veritas mea et clementia mea cum eo: et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* 26. *Et statuam*

in mari manum eius, et in fluminibus dexteram eius. 27. *Ipse clamabit ad me, Pater meus es, Deus meus, rupes salutis meae.* 28. *Etiam ego primogenitum ponam eum, excelsum prae regibus terrae.* 29. *Et in saeculum servabo illi misericordiam meam, et foedus meum firmum erit ei.* 30. *Et statuam in perpetuum semen eius, et solium eius quasi dies coelorum.*

25. (*Et veritas mea.*) Docet, continuum eius gratiae quam initio Davidi ostendit tenorem fore, tantundem enim valent haec verba ac si dixisset, ut se veracem praestet, fore semper beneficum. Ita videmus, non modo a principio Deum exhibuisse bonitatis suae speciem in Davide, sed eandem clementiam fuisse prosequutum: quod ad totam Christi ecclesiam spectat, ut in toto salutis nostrae cursu appareat Dei bonitas, non tantum in vestibulo, sicuti nugantur sophistae. *Cornu Davidis* hic, ut saepe alias, pro gloria, dignitate et potentia sumitur. Ideoque sensus est, Dei beneficio prosperum semper et florentem fore regni statum. Additur mox amplitudo. Nam quia populus suis sceleribus viam praecuserat Dei benedictioni, restrictior fuerat eius haereditas quam forebat promissio. Nunc pronuntiat Deus, sub Davide rursus propagatum iri, ut totam regionem a mari usque ad Euphratem populus occupet. Unde colligimus, non nisi in Davidis persona fuisse completum quod per Moysen Deus fuerat pollicitus. Per *fluvios* tam solum Euphratem intelligere licet, qui in multis alveos scinditur, quam vicina etiam flumina a parte Syriae.

27. (*Ipse clamabit ad me.*) Praecipuam regis huius praestantiam in eo fore memorat, quod filius Dei censebitur. Etai autem quoscunque Deus constituit reges, eodem honore dignatur: (sicut alibi vidimus, Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes, Psal. 82, 6) hic tamen singulare aliquid de sacro et a se electo rege pronuntiat, et alio modo sibi filium fore intelligit. Et paulo post videbimus altiore in gradu locari quam terrenos reges, quamvis latius dominantur. Haec igitur unius tantum regis in mundo praerogativa fuit, filium Dei vocari. Alioqui non frigide modo sed absurde ratiocinatus esset apostolus Heb. 1, 4 Christum contendens superiorem esse angelis, quia dictum est, Ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. Ergo quamvis tam angeli, quam reges quicunque regnati sunt adoptionis spiritu, filii vocentur, eximitur tamen David insigni praerogativa a communi omnium ordine, quum Deus promittit sibi fore filium. Quod ex proximo versu clarius liquet, ubi *primogenitum* quoque appellat: quia emineat super omnes terrae reges: qui honor tam omni humana dignitate, quam angelica excellentior est. Si quis obiciat, Davidem unum ex grege mortalium, non fuisse aequalem

angelis: solutio facilis est, Si in se reputetur, non posse in tam sublimem gradum iure efferri: sed quatenus Christi personam ad tempus sustinuit.

29. (*In saeculum.*) Saepius inculcat Deus hac lege erectum a se fuisse regnum Davidis, ut in finem usque stabiliatur. Porro *clementiam* priore loco ponens, deinde addens *foedus*, causam foederis designat: ac si uno verbo diceret esse gratuitum: nec modo fundatum esse in gratia, sed in eadem quoque perstare: quia huc redit summa verborum, Deum misericordem semper fore erga Davidem, ne unquam foedus intereat, unde sequitur, eius firmitatem in mero Dei beneplacito consistere. Proximo versu effectum suae veritatis exprimit, quia semper manebit Davidis posteritas in regio solio. Nam quia sub coelo nihil est diuturnum, ideo propheta per *dies coelorum* aeternam durationem intelligit. Unde sequitur, non posse constare huius vaticinii effectum: donec ad Christum ventum fuerit, in quo solo demum reperitur ista aeternitas.

31. *Si deseruerint filii eius legem meam, et in iudiciis meis non ambulaverint:* 32. *Si edicta mea profanaverint, et statuta mea non custodierint:* 33. *Tunc visitabo in virga transgressionem eorum, et in plagis iniquitatem eorum.* 34. *Sed clementiam meam non auferam ab eo, et non mentiar in veritate mea:* 35. *Non profanabo foedus meum, et quod egressum est e labiis meis non mutabo.* 36. *Semel iuravi in sanctitate mea, Si Davidi mentiar.* 37. *Semen eius in aeternum stabit, et solium eius quasi sol coram me.* 38. *Sicut luna stabilietur in saeculum, et testis in coelo fidelis.* Selah.

31. (*Si deseruerint.*) Propheta ultra progreditur, quamvis peccarent Davidis posteri, Deum tamen pollicitum fuisse se illis fore placabilem, ne summo iure exigeret vindictam de eorum transgressionibus. Caeterum quo efficacior sit promissio, Deum semper loquentem inducit, ac si ex conceptis pacti verbis cum eo ageret. Fuit autem valde necessaria additio: quia nisi pro immensa sua indulgentia nobis Deus ignoscat, ut lubrici sumus, atque ad continuos lapsus proclives, nullum eius nobiscum foedus ratum vel firmum erit. Quia ergo videbat Deus fieri aliter non posse quin posteri Davidis, quantum in ipsis erat, sua culpa subinde exiderent a foedere, exceptionem hanc remedii loco addidit. Caeterum quia utile est hominibus castigari Dei ferulis, non promittit Deus impunitatem qua alantur peccata, sed paternam moderationem in poenis, ut vindictam summo iure non exigat, neque tamen levibus solum delictis promittit veniam, sed peccatis quoque atrocibus. Neque enim temere has loquendi formas usurpat, *Legem relinquere, Profanare statuta, Non ambulare in iudiciis, Praecepta non servare.* Neque

temere *transgressionem* vel perfidiam et *iniquitatem* ponit. Ergo tolerantia Dei et lenitas, qua sibi reconciliat posteros Davidis, usque ad gravissima scelera extenditur. Ostendit porro hic locus, dum cooptantur homines a Deo, non protinus exuere carnem suam cum vitiis: sicuti somniant fanatici homines, simulac inserimur in corpus Christi debere aboleri quidquid est in nobis corruptelae. Utinam quidem possemus repente mutare ingenium, ut vigeret in nobis ista, quam requirunt, angelica perfectio! Sed quoniam procul ab ea nos distare palam est, quamdiu circumferimus hanc carnem, diabolico illo figmento valere iusso, confugiamus omnes ad commune veniae asylum. Nam certe de ecclesiae suae domesticis Deus loquitur, ubi veniam eorum sceleribus promittens, reos fore defectionis pronuntiat. Iam quod hic dicitur, ad veterem populum restringere non modo insulsum est, sed prorsus impium. Primum, illud quod iam saepius visum est pro confesso sumo, erectum fuisse umbratile illud regnum, in quo mediatorem Deus ecclesiae suae proponeret, idque non modo probatur Christi et apostolorum testimoniis, sed ex re ipsa certo aperteque colligitur. Nam Christo remoto, ubi illa solii aeternitas cuius fit mentio? Secundus enim Davidis successor maxima imperii parte spoliatus, vix tribum unam et dimidiam ex duodecim retinuit. Iam quod postea cladibus deforme fuit exiguum illud regnum, donec tandem rex totusque populus cum summo dedecore et contumelia in exilium tracti sunt? Qualis vero solii dignitas fuit, quum rex iugulatis in conspectu filiis, capitale subiit iudicium? 2. Reg. 25, 7. Quod deinde precario Iudaeis habitare in patria licuit, hoc fuit sine regni honore et titulo. Itaque Ezechiel 21, 27 ter pronuntiat perversum fore diadema, donec veniat cuius erit. Sequitur ergo, in sola Christi persona residere perpetuum regni statum. Et certe quid vel olim Iudaeis commune fuisset cum Deo, vel hodie quoque nobis esset, nisi ad gratiam conciliandam intercederet mediator? Iam ergo qualitates regni de quibus diximus, ad nos aptandae sunt. Sicuti enim aeternitas ad spem beatae immortalitatis nos deducit, invictum autem robur animos nostros tranquillat, et quidquid machinetur Satan, et quamlibet variae mortes nos circumdent, fidem nostram collabi non patitur: ita venia quae promittitur, ad spirituale Christi regnum pertinet, sicuti etiam ex hoc loco aequae colligitur, salutem ecclesiae nonnisi in Dei gratia et veritate consistere. Si quis obiciat, nunquam deficere in totum qui regeniti sunt Dei spiritu, quia semen incorruptibile in ipsis manet: id verissimum esse fateor. Nec vero universalis defectio hic notatur, ut nihil pietatis maneat residuum: sed quia interdum contingit fideles ita iugum excutere, ut videri possit suffocatus in illis Dei timor:

ideo necesse fuit atrocibus quoque peccatis veniam promitti, ne eos desperatione obrueret talis quilibet lapsus. Sic David ad tempus visus est in speciem orbatus spiritu, quem sibi restitui postulat. Haec causa est cur foedis etiam et mortiferis transgressionibus spem veniae Deus relinquat, ne qua nos scelerum gravitas arceat vel impediatur a reconciliatione quaerenda. Unde etiam coarguitur nimia veterum severitas, quibus iterum vel tertio lapsos ad poenitentiam admittere religio fuit. Etsi enim cavendum est ne vitiis habenas laxet facilitas, non minus tamen est periculi in rigore immodico. Interea notandum est, ubi Deus se transgressoribus fore propitium denuntiat, qui legem suam violaverint, et mandata profanaverint, consulto odiosas istas voces proferre, ut nos in vitiorum odium et detestationem adducat, non autem alliciat ad peccandum. Summa quidem haec tenenda est, Quamvis non omni ex parte gratiae Dei respondeant fideles, ideoque abdicatione digni sint, Deum tamen illis fore placabilem: quia coniuncta est cum foedere peccatorum remissio. Et certe quum in lege Deus plus exigit quam praestando simus, quidquid illic promittit, inefficax est atque irritum: unde illud Pauli, Rom. 4, 14: Si ex lege haereditas, exinanita est fides, abolita promissio. Quo etiam respicit illud Ieremiae 31, 31: Feriam vobiscum foedus, non quale pepigi cum patribus vestris, quod statim violaverunt: sed hoc erit foedus quod vobiscum paciscar, leges meas inscribam cordibus eorum, et iniquitatibus eorum propitius ero. Caeterum quia non adoptat nos Deus ut impune peccemus, interponitur hic castigatio, qua ostendit Deus sibi odio esse peccata: et filios suos quid promeriti sint admonens, ad respicientiam invitat et hortatur. Ergo inter indulgentiam quae peccandi est illecebra, et extremum rigorem, qui in exitium praecipitat, media est paterna castigatio, quae vim obtinet medicinae. Propheta vero hic vaticinium illud attingit quod refertur 2. Samuelis capite 7, 14 ubi Deus se more humano poenas de fidelibus sumpturum dicit, vel quia ex amore nascitur patris iracundia in puniendis filiis, quia aliter male consuleret eorum saluti: vel antithesis est inter ipsum et homines: ac si diceret, se remissum fore et lenem: quia si virtutem suam exserere velit, protinus vel solo digiti motu in nihilum nos rediget. Ad hunc quidem scopum tendit uterque locus, quoties fidelium peccata Deus punit, salubre fore temperamentum: ideoque ad hunc usum referre convenit quidquid nobis infligit poenarum, ut totidem sint medicinae. Atque in hoc nimis turpiter hallucinati sunt papistae: nam quia illis incognitus erat verus castigationum finis ac fructus, Deum imaginati sunt de peccatoribus se ulcisci, unde natae sunt satisfactiones, et ex illis rursum indulgentiae quibus se redimere tentarunt. Atqui

Deo nihil aliud est propositum, quam vitia suorum corrigere, ut bene purgatos sibi reconciliet: sicut docet Paulus 1. Cor. 11, 32 fideles corripi, ne cum hoc mundo damnentur. Ideoque manum suam suspendit, ne poenarum onere ipsos opprimat, ac infirmitati eorum parcit. Ita impletur haec promissio, *Misericordiam eius a fidelibus non auferri*, dum irascitur: quia non desinit amare quos vult esse correctos in salutem. Quanquam notanda est in verbis personae mutatio: postquam enim dixit, Si filii eius reliquerint legem meam, et quae sequuntur: tandem subiicit, Non auferam misericordiam meam ab eo. Certe plurali numero debuerat eos nominare de quibus habitus fuit sermo: sed consulto videtur docuisse propheta, nonnisi Christi respectu nos reconciliari Deo, et ex eo fonte petendam esse spem misericordiae. Quod tandem sequitur, *non mentiar in veritate mea*, plus aliquid exprimit, quam si dixisset, Deum in suis dictis fore veracem. Nam fieri poterit ut effectu careant promissiones, Deus tamen fidelis maneat. Lex vera est ac sancta: quid tamen iuvat, salutem in ea nobis promitti, quam inde nemo consequitur? Ergo longius hoc loco Deus nos ducit, foedus suum efficax ratumque fore promittens, non modo quia ipse verax erit, sed quia retinebit suos fideles, ne vanitate sua diffuant.

35. (*Non profanabo.*) Quia non aliunde quam ex verbo vera misericordiae Dei notitia potest concipi, iubet nos in foedere suo penitus defixos esse. Nam quo praestantius ac magis inaeestimabile beneficium, postquam semel adoptati sumus, nunquam abiici, eo magis difficile est creditu. Et sciimus quam variae subinde obrepere dubitationes soleant. Ne ergo anxie et absque modo secum disceptent fideles an Deum habeant sibi propitium, iubentur ad foedus respicere, ac salutem illic sibi oblatam amplecti. Fidem ergo suam commendat Deus, ut nobis sufficiat sola promissio, neque alibi quaeramus certitudinem salutis. Quia autem prius dixerat, Si filii Davidis statuta mea profanaverint: ad profanationem illam nunc alludens, negat se eundem mutuo fore erga illos: ac si diceret, Quamvis non in totum respondeant vocationi suae fideles, ut par erat, se tamen non passurum ut foedus eorum culpa dissipetur: quia in promptum occurret remedium gratuita veniae. Priorem enim sententiam prosequitur, Non mentiar in veritate mea: non modo se veracem ex parte sua (ut loquuntur) fore promittens, sed quaecunque obstaculum ingerant homines, ratum fore quod promisit: quia certabit cum eorum vitiis, ut bonitatis suae effectus ad ipsos perveniat. Et certe quum Iudaei sua ingratitudine ac perfidia sese alienaverint a Deo, non tamen fuit abolitum foedus quod innixum erat immobili eius constantiae. Sic hodie quum peccata

nostra usque in coelos adscendant, Dei bonitas coelos transcendens, illis superior est.

36. (*Semel iuravi.*) Iure iurando nunc sancit Deus quod prius se retulit pollicitum fuisse Davidi, unde apparet, rem non levis momenti fuisse: quia Deus non frustra sacrum suum nomen interponeret. Interea rarae indulgentiae signum est, quod dum nos ad diffidentiam propensos videt, tam humaniter occurrit. Quo minus excusationis nobis restat, nisi promissionem tam probe sancitam indubia fide amplectimur, quum Deus, salutis nostrae studio, dum vult nos verbo suo addictos esse, nomini suo non parcat. Nisi enim sufficiat nobis simplex promissio, illud quasi pignoris vice substituit. Adverbium *Semel* significat iusiurandum esse irrevocabile, nec ullum esse inconstantiae periculum. Dicit autem se iurasse per sanctitatem suam: quia nusquam invenietur maior per quem iuret. Nam dum nos per ipsum iuramus, eum constituimus iudicem, nobisque praeficimus, sicuti natura praecet. Sed loquutio magis est emphatica, *per sanctitatem*, quam si diceret, per se ipsum, non modo quia gloriam eius commendat, sed quia ad confirmationem fidei longe est aptior, dum fideles revocat ad terrenum domicilium Dei quod sibi elegerat, ne procul quaerendus esset. Neque enim dubito quin sanctuarium designet hoc nomine: neque tamen aliter quam per se ipsum iurat, quia templum in quo residet nominans, extra se ipsum non egreditur, sed tantum ruditati nostrae se accommodans, per sanctitatem suam iurat quae in terra visibilis residet. Quod ad formam iurandi eclipticam attinet, alibi vidimus tritam fuisse Hebraeis. Sic autem admonebantur, sobrie sumendum esse Dei nomen, ne temere et audacter iudicium sibi accerserent: quia abruptus sermo et suspensus, instar fraeni erat ad ipsos cohibendos. Novum autem non est, Deum aliquid mutuari a communi hominum moro.

37. (*Semen eius.*) Sequitur nunc promissio, ius regni semper mansurum penes posteros Davidis. Duo enim simul coniungit, progeniem et solium, quibus verbis promittitur regni aeternitas hac lege ne ad alienos unquam transeat. Citantur sol et luna testes: quia etsi subiaceant corruptioni, plus in se habent firmitatis quam terra vel aër: quando elementa videmus continuis mutationibus esse obnoxia. Quia ergo totum mundum sua agitatio assidue permutat, conditio stabilior proponitur in sole et luna: ne regnum Davidis aestimetur a communi naturae ordine. Iam quum sedes regia concussa fuerit sub Rehabeam, ut paulo ante diximus, postea vero diruta et eversa: sequitur non posse oraculum hoc restringi ad Davidem. Neque enim sol interdiu lucere, et luna noctu destitit, quamvis exstincta esset sine spe restitutionis externa regni dignitas. Ideo donec ad Christum ventum

fuerit, videri fallax in suis promissis Deus posset. Verum hic surculus, qui emerit ex trunco Isai, re ipsa ostendit fidem optimam his verbis constituisse.

39. *Tu autem abominatus es et repulisti, iratus es Messiae tuo.* 40. *Cessare fecisti*) foedus servitui, profanasti ad terram diadema eius.* 41. *Dirupisti omnes muros eius, posuisti munitiones eius fracturam.* 42. *Praedati sunt eum omnes transeuntes viam: fuit opprobrium vicinis suis.* 43. *Extulisti dextram oppressorum eius, exhilarasti omnes adversarios eius.* 44. *Etiā reduxisti robur gladii eius, et non fecisti eum stare in proelio.* 45. *Delevisti splendorem eius, et solium eius in terram detraxisti.* 46. *Minuisti dies iuventutis eius, operuisti cum ignominia. Selah.*

39. (*Tu autem.*) Hic conqueritur propheta, lapsus regni statu, non exstare fidem oraculi, non quod Deum mendacii insimulet, verum ut curas suas et dolores familiariter reiiciat in eius sinum, ut nobis permittit secum familiariter agere. Nam etsi vota nostra ad eius arbitrium formare convenit, non tamen fines transgreditur qui suppliciter deplorat ablata sibi esse gratiae et favoris signa: modo ne spem abiiciat, vel contumaciter obmurmuret, sicuti postea videbimus. Subiicit testimonium placidae obedientiae, quo suas querimonias propheta corrigit vel temperat quum in fine Psalmi Deum benedicit. Itaque quisquis fuerit ille Rabbīnus, qui fas negabat hunc Psalmum recitari, stulta et impia morositate damnavit quod Deus in filiis suis tolerat. Neque enim haec expostulandi libertas qua utitur propheta, alio tendit quam ut se coram Deo exonerans, dubitationi et impatientiae resistat. Quum autem dicit *abominatus es et repulisti*, si quis hoc vel exigere velit ad normam graecae vel latinae linguae, erit ineptum: quia praecedit quod longe atrocius est, secundo loco additur quod est levius. Sed quia Hebraei gradus nostros non servant, nihil est in hoc ordine absurdi. In tertio verbo, causae redditio est: quia regem abiectum esse significat propheta, eo quod iratus sit Deus. Quidam hostium ludibria hic recitari putant, nempe ut effugiant offendiculum, quod Rabbīnus ille ferre non potuit in hoc aspero loquendi genere. Sed notandum est, prophetam ex communi sensu loqui, quamvis certo apud se statueret non posse reiici qui semel electus fuerat. Eodem pertinet quod sequitur de abolito foedere. Neque enim levitatis aut inconstantiae Deum arguit, sed tantum queritur, praeclara illa quae vidimus promissa in speciem concidisse. Nam certe quoties interrogant fideles, Quousque tandem dormies? Item, Quousque oblivisceris nostri? Deo somnum, vel obli-

*) tu as fait cesser, en marge: ou as quitté.

vionem non tribuunt: sed proferunt in medium quas sanguis et caro suggerunt tentationes, ut infirmitatem qua premuntur mature Deus subleuet. Itaque mirum non est, in horribili dissipatione prophetam aliquid humanitus fuisse passum, ut diceret minime conspici quod Deus promiserat. Neque enim erat ferreae mentis, ut omnia videns contraria verbo Dei, tristi illo confusoque spectaculo non tangeretur: sed libere in Dei conspectum prodians, remedium quaerit, ne absorbeatur moerore, quod factum esset, si intus fraenum rodendo, neglexisset hoc levamen. Quod mox addit, de *proiecto in terram diademate*, non videtur competere in tempus Rehabeam: nisi forte laceratio regni, vocetur diadematis proiectio. Sed quae postea adduntur, nisi hyperbolice accipias, necessario referri debent ad maiorem cladem. Hoc si placeat, non erit autor Psalmi Ethan, ille unus ex quatuor sapientibus quorum fit mentio in sacra historia 1. Reg. 4, 31. Quare in re dubia, libera sit cuique probabilis coniecturae electio.

41. (*Dirupisti.*) Quanquam alio causam transcribere promptum esset cur dirutae essent fractaeque munitiones, pie tamen sancteque Propheta Deum agnoscit autorem, quia principium illud retinet, non potuisse nisi eo irato, quod ipse erexerat regnum, libidine hominum dissipari. Postea metaphorice deplorat expositum in praedam fuisse viatoribus, quemadmodum si ager vel hortus, dirutis maceris, ad spoliationem pateat. Auget alia indignitate quod per se plus satis grave erat, dicens *probri haberi passim a vicinis*. Neque enim dubium est quin profani homines in occasione tam plausibili proterve insultaverint, Hiccine divinus est ille rex angelis excellentior, cuius solium cum sole et luna statutum erat? Porro quum in Deum reciderent haec maledicta, merito propheta deplorat contumeliose rideri Messiam, cuius dignitas coelesti unctione sancita fuerat. Addit postea, Deum ab hostium parte stetisse: quia satis intelligit non nisi volente Deo, praevaluisse hostes, dum alios *virtute instruit*, alios *effeminat*. Denique quotquot acciderant clades, totidem colligit signa esse alienationis Dei: quo propitio totus mundus, quidquid machinatus esset, sacri illius regni stabilitatem convellere non poterat. Nam si dixisset hostes victoria esse potitos, verum id quidem erat, sed ad extollendam Dei potentiam obscurius: ac si homines Deo oppositi propriis viribus violassent illius praesidium. Nunc vero secum expendit, nonnisi irato Deo, tam misere afflictum esse regnum quod erexerat Deus.

46. (*Minuisti dies.*) Quidam ita resolvunt, Domine debilitasti regem nostrum, ut emarcuerit in primo aetatis flore, et antequam adolevisset in virum, senio confectus fuerit. Quae interpretatio etsi probabilis est, ut tamen clarius nobis pateat

mens prophetae, notandum est non de uno homine eum loqui, sed statum regni conferre vitae humanae. Huc ergo tendit querimonia, Deum fecisse ut regnum senesceret, ac tandem deficeret antequam veniret ad iustam maturitatem: perinde ac si iuvenem, dum vigorem adhuc colligit, mors violenta ante tempus abripiat. Et concinna est ista similitudo: quia si respicitur promissio, vix dum plane effloruerat regnum, quum inter primos suos progressus, repente gravi ruina deformatum est, tandemque evanuit. Porro memoria tenendum est quod diximus, dum expostulat propheta eventum non respondere Dei promissionibus, non tamen arguere Deum mendacii, sed alio fine et consilio proferre hanc repugnantiam, ut fiduciam orandi ex Dei promissionibus colligat: quas quum obiceret Deo, persuasus erat fieri aliter non posse quin se veracem ostenderet. Nam sicuti plerique, quia de profectu desperant, intus sorbent suum dolorem: ita fideles quo liberius Deum appellant de suis promissis, eo fortius luctantur cum diffidentia, et se ad bene sperandum animant.

47. *Usquequo Iehovah absconditus eris perpetuo, ardebit tanquam ignis indignatio tua?* 48. *Recordare cuius aevi ego sim: cur frustra creasses omnes filios hominum?* 49. *Quis vir vivet, et non videbit mortem, redimet animam suam e manu sepulcri?* Selah.

47. (*Usquequo.*) Ubi conquestus est de indignis ecclesiae cladibus, iam se convertit ad preces. Unde sequitur, quas hactenus profudit voces doloris, quam manabant ex carnis sensu, fuisse tamen cum fide coniunctas. Nam increduli tumultuando quamvis ad orandum prosiliant, nihil tamen petunt nisi simulate. Propheta vero preces annectens suis querelis, testatur nunquam sibi excussam fuisse promissionum Dei fidem. De hoc loquendi genere, *Usquequo semper*, Psal. 79, 5 dictum fuit, notare scilicet nimis diuturnos malorum successus. Porro *quousque absconditus erit Deus*, interrogans, subindicat omnia fore salva, simulac serena eius facies apparuerit. Secundo autem membro iterum commemorat cur Deus paterno adpectu electum populum non dignetur, quia scilicet offensus est. Unde sequitur, mala omnia ex peccatis proficisci, quum sint irati Dei flagella. Caeterum ubi confessus est ecclesiam sua culpa tam duriter et misere affligi: ut Deum ad misericordiam flectat: proponit in medium vitae humanae brevitatem, in qua si nullum divinae bonitatis gustum percipimus, videbimur frustra creati. Ergo ut summam teneamus, satius erit ab hoc membro incipere, Cur frustra creasses omnes filios hominum? Nam ex vero fonte sententiam hanc petunt fideles, quod Deus homines ideo condiderit, et locaverit in mundo, ut se illis exhi-

beat patrem. Nam quum ad iumenta et brutas pecudes se diffundat eius liberalitas, nos huius esse expertes, nimis absurdum esset, qui inter animantia excellimus. Si hic finis est creationis nostrae, praestaret nunquam nasci, quam sub continuis doloribus tabescere. Huc accedit breve vitae curriculum: quia nisi mature acceleret Deus gustanda nobis praebere sua beneficia, in isto evanido transitu non erit opportunum tempus. Nunc tenemus quid velit propheta in hoc versu. Primo expendit, in hunc finem conditos esse mortales ut fruamur Dei beneficentia in mundo. Unde colligit, frustra nasci nisi se illis Deus patrem demonstret. Iam quia brevis est vitae cursus, nisi benefacere festinet Deus, colligit non fore amplius locum ubi vita effluerit. Sed primo videntur sancti nimis licentiose praescribere tempus Deo. Deinde quamvis nos assiduis tormentis Deus excruciet dum in mundo peregrinamur, praepostero tamen inde infertur frustra nos esse conditos, quia melior in coelo vita nos manet, in cuius spem dum adoptamur, non mirum est si nunc abscondita sit in terris vita nostra. Respondeo, Dei concessione sanctos hanc sibi licentiam sumere, ut Deum suis precibus ad festinationem incitent: modo simul iniiciant sibi modestiae fraenum, et cohibito fervore totos se eius arbitrio permittant. De secundo sic habendum est, si per continuos cruciatus vita haec nobis aegre trahenda foret, verum quidem est, satis esse solatii ad ferendas misérias, si mentes in coelum tollimus: sed neque in tanta infirmitate id quisquam faciet, nisi in hac vita praegustaverit Dei bonitatem. Deinde notandum est, fidelium gemitus non debere ad perfectam regulam exigi, quia non oriuntur ex composito et tranquillo sensu, sed ex passionum vehementia turbulentum aliquid trahunt. Fateor quidem, si quis metiatur Dei amore ex praesenti statu, perperam eum facere: quia Deus quos diligit castigat, Hebr. 12, 6 sed quia nunquam tam austerus est erga suos, quin gratiam suam re et experientia ipsis ostendat, semper hoc verum manet, vitam hominum inutilem esse, nisi in ea sentiant Deum sibi esse patrem. Quod vero ad secundum membrum spectat, dictum alibi fuit, non fluere aequabili tenore preces nostras, sed interdum doloris intemperiem prodere. Ideoque mirum non est, dum piorum sensus occupat et constrictos tenet immodicus dolor vel metus, si obrepit talis incogitantia, ut futuram vitam prae oculis non semper habeant. Putant multi hoc esse valde absurdum, si filii Dei prima quaque cogitatione non statim in coelum penetrent. Quasi vero non saepe contingat intercedere crassas nebulas quae ad aspectum nostrum impediunt vel morentur. Aliud enim est, fidem hebetari, aliud prorsus exstingui. Et sane quisquis exercitatus est in Dei iudiciis et temptationum militia, fatebitur non tam memorem esse

spiritualis vitae quam decebat. Ergo quamvis haec sententia deducta sit ex vero principio, vitiosum tamen excessum resipit. Unde apparet, in precibus optime compositis semper nobis opus esse venia: quia nisi infirmitati nostrae Deus ignoscat, semper aliquid nimium elabatur. Proximo versu confirmat quod de brevitate humanae vitae dixi. Summa est, clausam fore ianuam Dei gratiae, nisi mature occupet patrem se ostendere hominibus. Et ponit nomen נכר, quod deductum est a fortitudine, quo melius exprimat, neminem a mortis imperio immunem esse.

50. *Ubi misericordiae tuae priores Domine? iurasti Davidi in veritate tua.* 51. *Recordare Domine opprobrii servorum tuorum: sustinui in sinu meo omnia fortium populorum,* 52. *Quae exprobrarunt inimici tui Iehova, quae exprobrarunt plantis Messiae tui.* 53. *Benedictus Iehova in aeternum. Amen, et amen.*

50. (*Ubi misericordiae.*) Colligit animos propheta ex recordatione beneficiorum Dei: ac si ratiocinetur, Deum non posse sui esse dissimilem: ideoque non posse aboleri beneficentiam quam olim patribus exhibuit. Posset haec quidem comparatio debilitare animos piorum, dum se minus clementer a Deo tractari vident: nisi alterum simul occurreret, Deum neque mutari unquam, neque in suae liberalitatis cursu fatigari. Secundum membrum quidam interpretes contextunt interposito relativo, *Ubi misericordiae quas iurasti?* Quod libenter recipio: quia omisso relativo idem fere manet sensus. Nam fidem oraculi Deus claris experimentis comprobaverat, ideoque tam promissionem quam multiplices eius effectus obiciunt fideles Deo. Dicunt autem *in veritate*, quo ad se confidentius trahant quidquid olim Deus praestiterat: quia communis est ratio, quum Deus qui semper sibi constat, iuraverit in omnes aetates se misericordem fore posteris Davidis.

51. (*Recordare Domine.*) Rursus adducunt quod ad provocandam Dei misericordiam non parum valebat, ludibrio se haberi ab impiis. Nam quo gravior est ista tentatio et molestior, rideri patientiam nostram ab impiis, ut damnata Dei fide nos in desperationem praecipitent, eo paratior est Deus ad opem ferendam, ne tentationi succumbant debiles animi. Neque enim simpliciter intelligit propheta, contumelias hostium sibi esse intolerabiles, sed petulantiam hanc, qua fidei et patientiae piorum insultant, reprimendam esse a Deo, ne pudeant in ipso sperantes. Hoc idem magis exaggerat secundo membro, quum dicit omne probrorum genus se sustinuisse, a multis populis, vel magnis, nam רבים utroque modo potest accipi. Porro quum de servis

Dei communiter loquutus esset, non frustra numerum mutat, ut quisque fidelium magis serio tangeretur ad orandum. Particula etiam *in sinu* emphatica est, quasi diceret, impios non tantum eminus iactare sua convitia, sed vomere contra filios Dei, quae ipsi patienter suo sinu excipere cogantur. Facit autem saeculi nostri perversitas, ut nobis necessarius sit huius doctrinae usus: quia profanis et superbis Dei contemptoribus referta est terra, qui nobis insultare non desinunt: et quum Satan facundus sit talis rhetoricae magister, materiam illis suggerunt ecclesiae calamitates. Quod *sinum* accipiunt quidam pro arcano cordis affectu, nimis argutum videtur.

52. (*Quae exprobrarunt inimici.*) Iam non dicit impios suis probris vexare filios Dei, sed Deum ipsum proscindere: quia hoc ad conciliandum favorem longe efficacius est, Deum rogare et hortari ut suam causam suscipiat, non modo quia vulneratur in ecclesiae suae persona, sed quia contumeliae omnes, quibus exagitur fidei simplicitas, in eum redundant: sicut apud Iesaiam 37, 22 dicit: Super quem caput concussit hostis tuus? et cui convitiatus est, virgo filia Sion? Putabat quidem sceleratus ille latro Rapsaces miseris Iudaeis se illudere, quos tenebat obsessos, et quos persuasus erat mox deditionem facturos: Deus tamen perinde accepit ac si eius blasphemias recta impetitus foret. Hac ratione etiam vocat hostes Dei, quia ecclesiam hostiliter persequendo Deum, in cuius protectione est, violent. Quod ad secundum membrum pertinet, *plantas Christi* posuit pro adventu, sicuti apud Iesa. 52, 7: Quam pulcri sunt pedes annuntiantium pacem! Nam etsi עֵקֶב interdum calcem significat, hoc tamen loco, sicuti alibi saepe, proprie est planta, vel inferior pars pedis. Alii transferunt vestigium, eodem sensu. Certe dubium non est quin per synecdochē pedes designet propheta, et rursus metonymice adventum Messiae intelligat. Quia enim videbant impii spe redemptionis Iudaeos suspensos esse, et quia promissus erat liberator, patienter quaslibet aerumnas ferre: probrose ridebant eorum patientiam, ac si fabulosum esset quicquid de Christi adventu testati fuerant prophetae. Nunc etsi exhibitus semel fuit mundo, quia tamen receptus in coelestem gloriam, videtur procul distare a nobis, et ecclesiam suam deseruisse: subsannant spem nostram impuri canes, ac si mera esset frustratio.

53. (*Benedictus Iehova in aeternum.*) Miror cur nonnulli interpretes versum hunc a librario fingant additum fuisse, quia contextui non respondet. Quasi vero non aequè in clausula conveniat benedictio Dei, atque in exordio. Ergo mihi dubium non est, postquam libere calamitates ecclesiae deflevit propheta, ut doloris acerbicatem leniat, consulto erum-

pere in Dei laudem. De particula *Amen et amen* facile assentior, distinguendi libri causa hic, ut Psal. 41, 14 et 72, 19 esse positam. Sed quisquis Psalmum composuit, hac gratulatione haud dubie in rebus tristissimis levare statuit doloris magnitudinem, ut alacrius salutem speraret.

PSALMUS XC.

ARG. Quia Moses tam de brevitate et miseriis humanae vitae, quam de poenis Israelitico populo inflictis verba facturus erat, ut consolatione aliqua temperet quem ex communi naturae lege, maxime vero ex propriis afflictionibus dolorem et metum concipere possent fideles, de peculiari gratia praefatur, qua Deus electum populum dignatus est. Recitat deinde paucis quam misera sit hominum conditio si in mundo subsistant, praesertim ubi Deus ad tribunal suum reos citat. Postquam vero conquestus est filios quoque Abrahae hanc severitatem ad tempus esse expertos, ut moerore prope consumpti fuerint, gratuito favore Dei fretus quo illos sibi adoptaverat, precatur ut se rursus clementem, sicut olim, ac beneficium exhibeat, ut in finem usque prosequatur totum gratiae suae cursum.

Precatio Mosis viri Dei. 1. Domine habitaculum tu fuisti nobis in generatione et generatione. 2. Antequam montes nascerentur, et formares terram et orbem, et a saeculo usque in saeculum tu es Deus.

Dubium est compositusne fuerit Psalmus hic a Mose, an vero ex precandi forma per manus ab eo tradita quispiam prophetarum canticum aptaverit in usum populi. Certe non abs re Mosis inscriptum esse probabile est: imo, quum iam eius aetate vigeret Psalmorum usus, eum esse autorem non dubito. Qui vero inscriptionis rationem hanc esse volunt, quod ab eius posteris cantatus fuerit, cur ad tam frigidum commentum confugiant non video: imo aperte eos refellit quod mox additur epitheton. Neque enim abs re Moses hic diserte nominatur *vir Dei*, sed honorifico titulo ornatur, qui auctoritatem doctrinae conciliet. Quodsi permittitur locus coniecturis, credibile est, quum iam instaret mortis tempus, ut diuturnum moerorem sub quo fere contabuerat populus, leniret, atque animos malorum congerie oppressos recrearet, praecationem hanc dictasse. Etsi enim mirabilis in redemptione affluerat Dei bonitas, quae sepultis prioribus aerumnis laetitia eos repleret, scimus tamen eam paulo post illorum ingratitudine fuisse extinctam: ita per totos quadraginta annos continuos languor in deserto eos attrivit. Opportune igitur tunc rogare Deum potuit Moses, ut secundum annos quibus populum suum affligerat, clementer et benigne cum ipso ageret.

1 (*Domine habitaculum tu fuisti nobis.*) Filios abrahae singulari privilegio separans a reliquo humano genere, gratiam adoptionis, qua complexus erat illos Deus, commendat. Ac finis huius exilii est, ut Deus quam olim erga sanctos patriarchas exseruit gratiam nunc iterum renovet ac continuat erga eorum progeniem. Quod putant idam interpretes Mosen ad tabernaculum alludere, sed illic non secus conspicua esset Dei maiestas, si resideret in medio populi: mihi prorsus inopetivum videtur, potius enim totum illud tem-
 pus complectitur quo peregrinati sunt patres in terra Canaan. Deinde quia nondum per annos quadraginta steterat tabernaculum, minime quaret tam longa duratio quae hic ponitur. Non ergo narrat qualem se Deus Israelitis praeberit: quo eos redemit, sed qualem saeculis omnibus perti fuerint eorum patres ab initio usque. Aptem, quum vagi et erratici semper fuerint, Deum habitationis loco illis fuisse docet. Quamvis enim stabilis sit omnium conditio in terra, scimus tamen Abraham eiusque posteros prae aliis fuisse quili-
 nos et fere exules. Quum ergo vagati sint terra Canaan usquedum traducti sunt in Aegyptum, ubi etiam precario in diem vivebant, necesse est stationem eos quaerere sub umbra Dei, sine qua vix censeri poterant mundi incolae, quum ubique semper fuerint exteri: deinde circumducti per varios circuitus. Quod vero per omnes peregrinationes eos Dominus sustinuerit, ac protexerit iam sua manu, quum inter feros et crudeles populos habitarent, et expositi essent eorum iniuriis, hoc gratiam insigni elogio extollit Moses, Deum confugis et per nova subinde hospitibus vagantibus in habitatione vel domicilio assignans, ac eam temporis longitudine amplificat, quia ultra quatuor secula non destitit illos tueri suo praesidio, ut ab aliis eius manerent.

2. (*Antequam montes.*) Quum velit Moses subne aliquod et reconditum mysterium proferre, detur tamen ieiune et fere pueriliter loqui. Quis enim nescit Deum esse mundo priorem? Verum idem est hoc omnes fateri, sed interea vix censimus quisque solide persuasus est semper mare sui similem. Atqui confertur hic Deus creatoris, quas scimus continuis inclinationibus esse noxias, ut nihil sit sub coelo firmum, praesertim cum humana vita nihil magis aestuosum sit, ne omnes a suis iactationibus Deum aestiment, lo-
 tur hic in tranquillo statu. Ita aeternitas haec de qua loquitur Moses non ad essentiam modo refertur, sed ad providentiam qua mundum gubernat. Quam-
 s enim mundum subiiciat variis inclinationibus, se quietus manet: nec tantum apud se, sed quia cum fideles experiuntur minime versatilem, sed instantem in sua potentia, veritate, iustitia, boni-

Calvini opera. Vol. XXXI.

tate, qualis ab initio fuit. Non poterat quidem ante conditum mundum perspicui aeterna haec ac immutabilia Dei constantia, quum nulli adhuc essent oculi testes: sed a posteriori colligitur: quia quum volvantur omnia variis agitationibus, retinet ipse suam naturam. Posset etiam hic esse antithesis inter ipsum et omnes fictitios gentium deos, quorum turba errore et stultitia hominum paulatim obrepsit. Sed iam exposui quorsum tendat Mosis consilium, perperam scilicet nos facere si Deum metimur nostro captu: sed superandam esse terram et coelum ipsum, quoties de ipso cogitamus.

3. *Convertes hominem ad contritionem, et dices, Revertimini filii Adam.* 4. *Quia mille anni in oculis tuis tanquam dies hesternus quando praeteriit, et vigilia in nocte.* 5. *Inundasti eos, somnus erunt, mane quasi herba crescet.* 6. *Mane florebit, et crescet: ad vesperum excidetur et arescet.* 7. *Quoniam defecimus in ira tua, et in furore tuo consternati sumus.* 8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta peccata nostra ad lumen vultus tui.*

3. (*Convertes hominem.*) Primum commemorat quam fragilis et caduca sit hominum vita, eiusque aerumnas deplorat: non ut cum Deo expostulet, sed quo propensior sit ad misericordiam: sicuti alibi dicitur parcere mortalibus dum reputat eorum figmentum, recordatur pulverem et foenum esse, Psal. 103, 14. Comparat autem cursum vitae nostrae gyro: quia Deus in terra nos locans per brevem circuitum versat: ubi autem ad ultimum punctum venimus, ad se momento retrahit. Alii secus interpretantur, quod Deus deducat homines usque ad interitum, deinde in resurrectione instauret. Sed argutia haec procul quaesita est, nec quadrat contextui. Ponitur ergo simplex definitio vitae nostrae, quod brevis quaedam versatio sit in qua celeriter gyrum implemus, cuius ultimus punctus meta est cursus nostri. Haec autem cognitio melius ostendit quam praeclare agat Deus cum servis suis, quum eos adoptat in peculium ut eos tandem in aeternam haereditatem colligat. Nec frustra ex opposito addit *mille annos coram Deo esse quasi diem hesternum*. Etsi enim experientia verum esse convincit, homines, peracto gyro, statim e mundo abripi, non tamen animis nostris insidet fragilitatis huius notitia, quia supra mundum non respicimus. Unde enim tantus stupor, ut homines praesenti vitae addicti, rationes suas ita componant ac si victuri essent ad duo annorum millia: nisi quia nihil altius concipiunt mente, quam quod oculis se offert? Quisque se cum aliis comparando, longam sibi vitam fingit. Denique in hac hebetudine triginta annos vel etiam pauciores sibi pro aeternitate statuunt: nec agnoscunt vitae suae brevitatem quamdiu sensus eorum occupat

mundus. Haec ratio est cur nos expergeficiat Moses, ad coelestem Dei aeternitatem mentes nostras attollens, sine qua non sentimus quam evanida sit vita nostra. Nam imaginatio longi temporis sopori similis est, in quo torpemus omnes, donec coelestis vitae meditatio inane hoc terreni status figmentum absorbeat. Porro quia tantopere caecutiunt homines, Deum illis iudicem statuit: ac si diceret: Domine si illam aeternitatem ex qua specularis leves istos mundi circuitus, mente conciperent homines, pro nihilo ducerent praesentem vitam: sed quia non expendunt quae sit vera diuturnitas, imo sponte oculos suos avertunt a coelo, ideo obstupescunt, et diem unum reputant quasi centum annos. Haec autem apostrophe valde emphatica est, quod Moses socordiae nostrae pertaesus, Deum compellat: ac si diceret, frustra se apud surdos verba facere, qui ne continuo quidem usu et experimento se caducos esse discunt. Citatur a Petro haec sententia paulo in diversum sensum, 2. Petr. 3, 8 neque tamen abusive quoniam apte et scite ex Mosis testimonio deducit Petrus quod illic tractat. Vult Moses homines a crassis suis imaginationibus abstractos in coelum attollere. Petrus autem quid? Quia plerique, dum pro eorum voto non festinat Christus, morae taedio spem resurrectionis abiiciunt, praeposterum hunc fervorem optimo remedio corrigit. Videt homines diffuere et excidere a promissionibus Dei, quia videtur Christus nimium tardare. Unde hoc, nisi quia in terra subsistunt? Proprie igitur ad hoc vitium sanandum accommodat Mosis sententiam. Sicut enim delicias sibi faciunt increduli eo quod mundo nimis affixi coelestem aeternitatem non gustant, ita ex eodem fonte oritur impatientia. Atque hinc colligimus verum huius doctrinae usum. Unde enim tantopere sumus anxii de vita nostra, ut nihil nobis sufficiat, et nobis ipsi molesti sumus, nisi quia perpetuum nidum stulte nobis fingimus in mundo? Unde etiam tanta morositas, ut flaccescant animi nostri in adventus Christi expectatione, nisi quia in terra desident? Discamus ergo non iudicare ex carnis sensu, sed pendere e Dei iudicio: ideoque fide sursum feramur usque ad coeleste eius solium, ex quo pronuntiat terrenam vitam nihil esse. Nec vero mille annos duntaxat ad diem unum Moses restringit, sed ponit diem hesternum qui iam praeteriit. Quidquid enim adhuc versatur ante oculos, mentes nostras retinet. Quod autem praeteriit, minus afficit sui recordatione. Quantum ad nomen *vigiliae* spectat, scimus veteres noctem in quatuor vigilias distribuere solitos, quarum singulae ternis horis constabant. Extenuandi vero causa haec similitudo addita est, mille annos coram Deo nihil differre a tribus horis nocturnis, in quibus vix sciunt homines vigilantne an dormiant.

5. (*Imundasti eos.*) Confirmat quod prius dixit,

homines, dum in mundo peregrinantur, peragere momentaneum quendam circuitum. Nam inundandi verbum non restringo ad graviores poenas, sed mortem simpliciter in genere diluvio conferri arbitror, siquidem ubi pauxillum stetimus in mundo, mox cadimus in sepulcrum, et terra obruimur. Ita communis interitus proprie inundatio vocatur. Neque enim secus in ipso vitali flatu nos Dominus inundat, quam qui pereunt naufragio absorpti: ut mors apte dici queat invisibile diluvium. Tunc vero palam fieri dicit Moses somnum esse homines qui in suo curriculo mirum sibi vigorem arrogant. Comparatio *herbae* quae additur, huc spectat, prodire mane homines, sicuti herba germinat, virere vel transire ad tempus exiguum, donec succisi are-scant. Quia verba sunt singularis numeri, videntur melius contexti cum herbae nomine, sed commode etiam referri possunt ad unumquemque hominem. Quia tamen ad rei summam parum interest, minus laboro. Assiduam porro meditationem requirit haec doctrina, quia etsi fatemur omnia, vita nostra nihil esse magis caducum, mox tamen quasi furioso impetu singuli ad fingendam terrenam immortalitatem rapimur. Nam quisquis se mortalem esse meminit, sibi moderatur, ne ultra modum satagat, sed properet ad metam. Quando autem nullum finem curis nostris ponimus, assiduis stimulis pungi nos oportet, ne pro tenui vitae umbra mille vitas nobis somniemus.

7. (*Quia defecimus in ira tua.*) Consulto meminit irae Dei Moses, cuius sensu nisi tangantur homines, nunquam probe expendunt quod experientia fateri ipsos cogit, quam cito peracta revolutione diffuant. Quanquam Moses alia etiam ratione haec duo simul coniunxit: quum homines natura adeo caduci sint et fere umbratiles, populum Israeliticum adversa Dei manu fuisse afflictum, quia evanidae nostrae fragilitati minus tolerabilis est ira Dei, quam si mediocri aliqua virtus suppeteret. Caeterum ut demonstret, sibi minime esse in animo hac querimonia Deo obstrepere, iram Dei, quantumvis fuisset terribilis, iustam tamen esse dicit, quia eam populus sua culpa provocaverat. Nam qui Dei manu percussi non humiliantur, magis se obdurant. Ideo haec vera proficiendi ratio atque etiam superbiae domandae, Deum sentire iustum iudicem. Ergo Moses ubi breviter docuit, homines instar fumi natura evanescere, inde colligit non esse mirum si Deus exanimet ac consumat quos in ira sua persequitur. Notanda autem loquutio est, Deum, ubi irae suae signa profert, ponere ante oculos hominum peccata: quia inde sequitur, quidquid relaxationis nobis datur, Dei indulgentiae merito debere adscribi, qui peccata sepelit ut nobis parcat. **עליונים** quidam in secundo membro adulescentias vertunt: ac si dixisset Moses, revocari in memoriam adulescen-

tiae delicta: quod nimis coactum est ac detortum: sic enim periret antithesis inter abscondita peccata et lumen vultus Dei, qua significat Moses, quamdiu non affulget cum luce iudicii sui Deus, homines se in tenebras abdere, seque involvere multis fallaciis. Ubi autem Deus a subterfugiis eos retrahens, quibus conantur elabi, quae per hypocrisin occultant peccata, oculis suis admovet, tunc metu et terrore subactos vere humiliari.

9. *Quia omnes dies nostri transierunt in indignatione tua: consumpsimus annos nostros velut cogitationem.**) 10. *In diebus annorum nostrorum septuaginta anni: et, si in fortitudinibus, octoginta anni: et superbia eorum, molestia et labor: quia praeterit cito, et nos avolamus.*

9. (*Omnes dies nostri.*) Quanquam posset generalis confirmatio esse proximae sententiae, totum vitae humanae curriculum cito consumi simulac Deus iratus apparet: meo tamen iudicio potius amplificat Moses quod prius dixit de rigore irae Dei, et severo examine in castigandis peccatis. Dicit enim non exigui modo temporis fuisse hunc terrorem, quem infixit Deus populo suo, sed protrahitum esse uno tenore usque ad mortem. Conqueritur ergo, Iudaeos in continuis malis fere contabuisse, quia iram suam Deus non remisit nec mitigaverit. Ideoque non mirum est si annos fluxisse dicat instar sermonis, ubi ita perseveranter ira Dei incubuit.

10. (*In diebus annorum.*) Iterum ad generalem doctrinam redit, quam fluxa sit hominum conditio, etiamsi Deus ad eos terrendos iram suam aperte non exserat. Quae est, inquit, vitae duratio? nempe, si numeremus omnes annos, pervenimus tandem in septuagesimum: vel si qui erunt magis vegeti ac vivaces, ad octogesimum usque nos deducunt. Dies autem annorum emphatice posuit, quia dum in minutis partes distribuitur tempus, numerus ipse nos decipit, ut vivendi fiduciam nobis prorogemus. Has inanes blanditias refellere volens, permittit hominibus colligere in paucis annis multa annorum millia. Simul tamen dicit, hunc magnum acervum statim in nihilum redigi. Amplificent ergo, ut libuerit, homines vitae suae spatium, hoc praetextu quod singuli anni trecentos sexaginta quinque dies in se contineant, certe terminus septuaginta annorum brevis reperietur. Atqui ex longa dierum supputatione haec tandem conficitur summa. Qui autem octogenarius est, ad sepulcrum festinat. Vixit Moses ipse longius, et alii forsitan eius aetate: sed de communi ratione loquitur. Tunc autem habiti sunt senes et fere decrepiti qui ad annos octoginta pervenerant: ut non frustra dicat solis robustis id contingere. *Superbiam* accipit pro virtute vel praestantia,

qua se magnifice iactant homines. Sensus autem est, antequam declinent homines ad senium, in medio tamen aetatis flore iam implicari multis molestiis, nec posse curas, taedia, dolores, metus, aegritudines, incommoda, et anxietates effugere, quibus obnoxia est vita mortalis. Caeterum hoc ad totum vitae curriculum refertur. Et certe si quis reputet qualis sit vitae nostrae conditio ab infantia usque ad sepulcrum, reperiet in singulis partibus molestias et labores. Nam *למך* et *לך* dum simul iunguntur, passive sumuntur pro incommodis et afflictionibus: ac si dixisset Moses, laboriosam esse hominis vitam, multisque tormentis refertam, idque dum maxime superbiunt. Ratio quam subicit videtur non satis quadrare, *cito praeterit et nos evolamus*, fieri enim potest ut felicitas, quae brevis est, non tamen ideo nulla sit. Sed intelligit Moses stulte gloriari homines in sua excellentia: quia velint nolint coguntur in futurum tempus respicere. Atqui simulac oculos aperiunt, praecipiti volatu se ad mortem ferri et rapi vident: suam vero praestantiam singulis momentis evanescere.

11. *Quis cognoscit vim irae tuae? et secundum timorem tuum ira tua.* 12. *Ut numeremus dies nostros sic scire fac, et adducemus cor ad sapientiam.* 13. *Revertere Iehova, quousque? placare super servos tuos.*

11. (*Quis cognoscit.*) Iterum ad privatas afflictiones populi sermonem refert. Nam hac etiam occasione prius de communi generis humani fragilitate et aerumnis conquestus est. Merito autem exclamat inaeestimabile esse irae Dei robur: quia quantisper ipse manum suam subducit, homines non secus ac servi fugitivi, quos Domini conspectus amplius non terret, petulanter exsultant: nec aliter sub obsequium cogitur prae fracta eorum natura, quam ubi iudicii sui terrore eos Deus percellit. Sensus ergo est, quamdiu se occultat Deus, iramque suam dissimulat, contumacia turgere homines, et violento impetu ruere: sed ubi sentire coguntur quam sit ira eius formidabilis, ferociae suae oblitos recidere in nihilum. Quod proxime sequitur, *secundum timorem tuum ira tua*, solet ita exponi: Quo quisque magis Deum reveretur, eo solere durius tractari, et severius. Iudicium enim a domo Dei incipit, 1. Petri 4, 17 et quum reprobos in sua pinguedine foveat, electos suos macerat continuis tribulationibus, denique castigat quos diligit, Hebraeor. cap. 12, 6. Vera igitur et utilis doctrina est, Deum suos cultores asperius tractare, quam reprobos: sed Mosen aliud hoc loco velle arbitror, nempe sola Dei reverentia fieri ut vere et serio sentiamus eius iram. Videmus enim reprobos, etiamsi duriter castigentur, vel fraenum arrodere,

*) comme une pensée, en marge: ou une parole.

vel calcitrare adversus Deum, planeque furere, vel stare attonitos, quasi occalluerint ad mala omnia: tantum abest ut subigantur. Quamvis etiam tumultuentur ac clamitent, non penetrat tamen ira Dei in eorum animos ut mitescat eorum ferocia. Piae tantum mentes ira Dei vulnerantur, nec fulmina expectant quibus reprobi opponunt duram et ferream cervicem: sed Deo vel minimum digitum movente, statim contremiscunt. Hanc existimo genuinam esse Prophetarum mentem: dixerat non posse satis comprehendi humano ingenio quam horribilis sit ira Dei. Videmus autem quamvis coelum et terram concutiat Deus, multos tamen Cyclopes ridere, et tam bruta esse ferocia, ut Deum fulminantem contemnant. Sed quia doctrinam tractat peculiarem filiis Dei, dicit in illis terribilissimum esse irae Dei sensum, ut scilicet eius imperio se placide submittant. Quamvis enim impiis carnifex sit propria conscientia, quae eos quiescere non sinit, ex caeco illo metu adeo non discunt mansuetudinem, ut contumacius obstrepant. Denique solis fidelibus sensibilis est ira Dei, qui domiti se nihil esse agnoscunt et cum vera humilitate totos se addicunt Deo. Haec sapientia in reprobos homines non cadit, qui fastum quo inflati sunt, nequeunt deponere: quia sensu irae eius non tanguntur, eo quod neque ipsum timeant.

12. (*Ut numeremus dies nostros.*) Alii vertunt, Ad numerum dierum: sed eodem sensu. Nam quia videbat Moses, quod hactenus docuit, hominum ingenio non comprehendi, donec affulgeat Deus spiritu suo, iam ad precationem se convertit. Videtur quidem primo intuitu ridicula esse precatio, Ut teneamus numerum annorum nostrorum. Quid enim? quum vix annum octogesimum attingant robusti, an difficile est supputare tam paucos annos? discunt numeros pueri simul ac balbutire incipiunt, nec vero arithmetica a magistro discere opus est, ut numerum centenarium digitis supputemus. Atqui eo foedior et magis pudenda nostra socordia, quod tam breve vitae nostrae spatium nunquam comprehendimus. Nam qui optimus erit arithmeticus, et myriades myriadum distincte ac subtiliter tenebit ac excutiet, non tamen poterit octoginta annos supputare in propria vita. Hoc certe prodigio simile est, homines extra se ipsos metiri omnia intervalla, cognoscere quot pedibus distet luna a centro terrae, quam longis inter se spatiis planetae dividantur, denique omnes coeli et terrae dimensiones tenere, quum in se ipsis septuaginta annos non numerent. Videmus ergo quod rarissimae prudentiae est non frustra Mosen a Deo petere. Posterius quoque membrum apprimè notatu dignum est, quo docet, nos tunc demum cor adiacere ad sapientiam, dum capimus vitae humanae brevitatem. Quae enim maior amentia est quam nulla proposita meta va-

gari? Soli autem fideles, quibus nota est inter hanc caducam vitam et beatam aeternitatem, ad quam creati sunt, distinctio, sciunt quo vitam dirigere oporteat. Ergo nemo composita mente vitam instituet, nisi qui cognito vitae fine, hoc est morte ipsa, ad considerandum vivendi scopum deductus fuerit, ut ad palmam supernae vocationis pergat.

13. (*Revertere Ichova.*) Querimoniae precationem subnectit, ut Deus, qui pridem graves a populo suo poenas exigere non desierat, tandem ad lenitatem flectatur. Etsi enim quotidie multis modis gustum aliquem dabat amoris sui, exsilium tamen a terra promissa, durissima erat afflictio, quo admonerentur, se beata illa haereditate, quam Deus filiis suis destinaverat, esse indignos. Nam et horribile illud iusiurandum, quo fulminaverat contra eos Deus, necesse fuit subinde illis venire in mentem, Non introibunt in requiem meam, sed putrescent eorum cadavera in deserto, Numer. 14, 23. 32. Nec dubito quin asperam illam servitutem, quam perpassi erant in Aegypto, coniungat cum erroribus deserti: ideoque non immerito diuturnum languorem deplorat in particula *Quousque*. Sicuti tergum Deus obvertere, vel procul a nobis recedere dicitur, dum favoris sui signa submovet: ita per reditum intelligitur gratiae demonstratio. Quantum attinet ad verbum *פני*, quia poenitere significat, non male quadrat hic sensus, Poeniteat te super servos tuos: quia ex communi scripturae usu constat poenitentiam Dei vocari, ubi discussa tristitia, gaudii materiam restituens, quasi mutatus apparet. Propius tamen videntur ad mentem Mosis accedere qui vertunt, Consolare te super servos tuos, quia Deus suaviter nos fovendo, non secus ac pater in filiis suis se oblectat. Id vero nihil aliud est quam placari, vel propitium esse, sicuti vertimus, quo planior esset sententia.

14. *Satia nos mane bonitate tua, et exsultabimus, et laetabimur cunctis diebus nostris.* 15. *Exhilara nos secundum dies afflictionis nostrae, annos quibus vidimus malum.* 16. *Appareat erga servos tuos opus tuum, et decor tuus super filios eorum:* 17. *Et sit pulchritudo Domini Dei nostri super nos, et opus manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.*

16. (*Appareat erga servos tuos.*) Quia Deus, ecclesiam suam deserens, quodammodo alienam personam induit, scite Moses *proprium eius opus* nominat protectionis gratiam quam pollicitus fuerat filiis Abrahae. Ergo quamvis in omnibus poenarum exemplis, quibus perfidiam, ingratitude, contumaciam, libidines, pravasque cupiditates populi ultus est, conspicuum fuerit eius opus, καὶ ἔργον aliis omnibus potentiae eius documentis illam tuendae

populi salutis curam praefert Moses qua maxime volebat innotescere. Hac ratione Paulus Rom. 9, 23 Dei bonitatem gloriae titulo specialiter insignit. Quamvis enim gloriam suam asserat, mundum iudicando, quia tamen nihil ei magis naturale est quam beneficium se monstrare, ideo gloria eius in beneficiis excellere dicitur. Quod ad praesentem locum spectat, tantum coeperat Deus populum suum liberare: restabat enim ut fruerentur terra Canaan. Itaque nisi ultra desertum progressi essent, obscurata fuisset redemptio. Adde quod ex promissione opus Dei aestimat Moses, ideoque plenum et suis numeris absolutum fore negat, nisi suam gratiam usque in finem continuet. Quod etiam clarius exprimitur secundo membro, ubi non modo aetati suae bene precatur, sed *generationi* quae nondum nata erat: quia talis etiam erat forma foederis, Gen. 17, 7: Ero Deus tuus et seminis tui. Caeterum, hoc exemplo monemur, in precibus nostris habendam esse posteritatis curam: praesertim quia nobis promissa est ecclesiae perpetuitas usque ad finem mundi, sicuti proximo Psalmo vidimus, in omnibus votis quibus commendamus eius salutem, complecti posteros nostros etiam qui nondum nati sunt, convenit. Notandum praeterea est *decoris et pulcritudinis* nomen, unde colligimus quam incomparabilis

sit erga nos Dei amor. Quamvis enim suis donis nos ornans nihil sibi acquirat: liberaliter tamen nobiscum agendo splendere vult, et decorem suum palam facere: ac si forma eius obscura esset ubi nos sua beneficentia prosequi cessat. Sequitur deinde, *opus manuumstrarum dirige super nos*: quo significat Moses, nihil posse nos feliciter aggredi vel tentare, nisi dum se ducem et autorem praebet Deus, et auspiciis suis nos regit. Unde sequitur, suos profanis hominibus conatus et studia retrorsum cadere, quia Deum non sequendo confuse et inordinate omnia pervertunt. Nec supervacua est particula *עלינו*, nam etsi in optimum finem dirigit Deus quidquid Satan et omnes reprobi moliuntur, specialis tamen est ecclesiae ratio, in qua pacatum imperium Deus exercet. Nam arcana sua providentia opus suum extra dirigit Deus erga reprobos, sed intus fideles suo spiritu gubernat, ideoque proprie opus manuum ipsorum ordinat. Et repetitio docet continuum perseverantiae tenorem requiri in Dei gratia: quia non sufficeret ad dimidium usque iter nos esse perductos, nisi totum cursum compleat. Alii vertunt, confirma: qui sensus tolerabilis est. Sequutus tamen sum quod ad contextum aptius erat, nempe ut omnes piorum actiones Deus ordinet in finem prosperum.

MAY 3 1939

